
INSTITUTIONES THEOLOGICAE AD USUM SEMINARIORUM AUCTORE...




37
28 C
10

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM

AUCTORE

GASPARE JUENIN

ORATORII GALLICANI PRESBYTERO

Et in Seminario Eminentiss. Cardinalis DE NOAILLES Archiepiscopi Parisiensis Sacræ Theologiæ Professore.


EDITIO OMNIUM RECENTISSIMA


QUATUOR TOMIS DIVISA

In qua nunc primum accedunt in calce Tomi Tertii Opuscula nonnulla ex Cardinali de LAUREA, & JACOBO BOUDART excerpta ad majorem Operis illustrationem.

Adduntur præterea in hoc Tomo Compendium ipsarum Institutionum Theologicarum, necnon Index locupletissimus Materiarum totius Operis, qui in anteactis Editionibus desiderabatur.

TOMUS QUARTUS.









VENETIIS,
Sumptibus HEREDIS NICOLAI PEZZANA.


MDCCLXXVIII.
SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX

Art.

Quæst.

IN-



INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM.

PARS OCTAVA.

De Deo auctore Sacramentorum.

SAcramenta perpendi possunt, vel in genere, vel in specie. Quæ ad ea sub illo duplici respectu considerata pertinent, novem Dissertationibus complectemur, quibus triplicem aliam, de Censuris nimirum, de Irregularitatibus, & de Indulgentiis addemus.

Monendus est lector, ea argumenta fuse a nobis pertractata fuisse duobus tomis in Folio, quibus fidei dogmata, disciplinam, tum veterem, tum novam, explicuimus: Opus sic inscriptum est: *Commentarius Historicus & Dogmaticus de Sacramentis.*

DISSERTATIO PRIMA.

De Sacramentis in genere.

ANtiquam nostram methodum secuti, dissertationem hanc in varias quæstiones partiemur, quibus dicemus de Sacramenti nomine, essentia, existentia, materia, forma, auctore, ministro, subjecto, effectibus, proprietatibus, cæremoniis.

QUÆSTIO PRIMA.

De nomine Sacramenti.

Not. 1. APud auctores prophanos Sacramenti nomen sumitur pro eo omni, quod aliquam habet cum re sacra relationem: sic (Varrone teste, lib. 4. de lingua Latina) litigantium pignus dicebatur sacramentum, quia in loco sacro usque ad litis finem deponebatur. Sic etiam apud Ciceronem Offic. lib. 2. juramentum dicitur sacramentum, quod per rem sacram, nempe supremi numinis invocationem, fiat. Sic etiam Imperatorum mandata vocabantur *Imperatorum Sacra*, eo quod a persona sacra, hoc est, cui maxima debetur reverentia, emanarent.

Not. 2. In Scripturis nomen Sacramenti sumitur nonnunquam 1. pro signo rei arcanæ, licet res illa impia sit, ac nefaria: *Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiæ quæ portat eam.* Sumitur 2. pro signo rei arcanæ, sed quæ sacra sit ac sublimis: *Magnum est pietatis sacramentum* (inquit Apostolus 1. ad Timoth. 3.) *quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, assumptum est in gloria*: Eadem ratione sumitur ad Ephes. capit. 5. ℣. 32. ubi de matrimonio dicitur, quod adumbret unionem Christi cum Ecclesia: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Not. 3. Apud antiquos Patres & recentiores Theologos idem Sacramenti nomen sumitur pro signo rei alicujus sacræ, non cujuscumque, sed homines sanctificantis: *Signa* (inquit Augustinus epist. 5. ad Marcellinum) *cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur.*

Not. 4. Melanthon, Carlostadius, Zuinglius, aliique passim recentiores sectarii contendunt usurpandum non esse sacramenti nomen, ut Christianæ Religionis mysteria, Baptismus, v. g. Eucharistia, Ordinatio exprimantur; volunt ut illi nomini hoc aliud *signum* substituatur: unde suos de Sacramentis tractatus inscribunt, *De Signis*, *De Symbolis*.

CONCL. Nomen istud *sacramentum* retineri debet ad explicanda Christianæ religionis mysteria.

Probatur. Illud nomen retineri debet, quo Ecclesia a suis incunabulis ad hæc usque tempora usa est, ut populos doceret fidei nostræ mysteria: rem enim non minus absurdam tentat, qui idioma per sexdecim sæcula receptum immutare contendit, quam is qui linguam Gallicam in aliam nunc mutare conaretur: atqui Ecclesia a suis incunabulis ad hæc tempora usa est sacramenti nomine, ut populos doceret fidei nostræ mysteria: id nimirum videre est apud Tertullianum libro de Præscriptionibus hæreticorum capit. 11. apud Cyprianum epistola 72. apud sanctum Augustinum epist. 118. & passim in suis de baptismo contra Donatistas operibus; apud Gregorium Magnum, qui librum, quo tradidit administrandorum sacramentorum ritus, *Sacramentarium* inscripsit.

Objicies, illud nomen retineri non debet, quod non reperitur in sacris codicibus; atqui sacramenti nomen, ut nunc a Theologis sumitur, non reperitur in sacris codicibus; nullibi enim vox illa sumitur pro signo rei quæ homines sanctificet.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia ipsi etiam adversarii ad fidem explicandam pluribus nominibus utuntur, quæ non leguntur in scripturis, ut sunt, *Trinitas*, *Consubstantiale*, *Ingenitus*, *Incarnatio*, *Deipara*. Ecclesia sacramenti nomen, quod in scripturis sumitur pro cujuscumque rei sacræ signo, restringere potuit ad signum ejus tantum rei sacræ, quæ homines sanctificet: eum vero Ecclesiæ usum privatis scriptoribus immutare non licet: *Liberis verbis loquuntur Philosophi* (inquit August. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 13.); *nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus quæ his significantur, impiam gignat opinionem.*

QUÆSTIO II.

De essentia Sacramenti.

Not. 1. CUm rei cujuslibet essentia in illius definitione contineatur, is perspectam habebit essentiam Sacramenti, qui noverit illius definitionem.

Not. 2. Ut tradatur germana definitio sacramenti, necesse est, ut ea assignetur, quæ conveniat sacramentis, tam veteris, tum novæ legis; univoce nimirum in ratione sacramenti conveniunt & veteris & novæ legis sacramenta: nempe illa non minus proprie sunt sacramenta, quam ista; unde in decreto pro instructione Armenorum, in Conc. Trid. & in antiquioribus Patribus, simpliciter & absolute, hoc est, sine addito, *Sacramenta* vocantur.

CONCL. 1. Sacramentum in genere recte definitur: *Signum rei sacræ homines sanctificantis.*

Probatur. Ex Logicis, optima est ea definitio quæ constat genere & differentia: atqui ea, de qua in conclusione, est ejusmodi: nam *primo* per hæc verba, *Signum rei sacræ*, sacramentum convenit cum veteris Testamenti figuris, quæ rem aliquam sacram significabant; ut transitus per mare rubrum, quo, ex Apostolo, adumbratum fuit Christianorum baptisma. *Secundo*, per hæc alia verba, *Signum rei sacræ*, non cujuscumque, sed *homines sanctificantis*, Sacramentum differt a plerisque, tum novi, tum veteris testamenti figuris quæ repræsentant quidem res maxime sacras, sed non conferunt ad hominum sanctificationem.

Quæres 1. Cujus naturæ sit signum, quod constituit genus sacramenti.

Resp. signum illud non esse signum naturale, sed tantum signum ad placitum. Ratio primæ partis est, quia signum naturale est illud, quod ex se, seu independenter a cujusvis intelligentiæ institutione, rem aliquam significat, ut fumus ignem: sic vero signum in sacramentis non significat gratiam, qua homines sanctificantur: neque enim res ordinis naturalis per se significat rem spiritualem. Ratio alterius partis est, quia signum ad placitum, aut (ut alii vocant) artificiale, ex instituto, est illud quod ex sola alicujus intelligentiæ institutione rem aliquam significat: atqui signum in sacramentis rem sacram homines sanctificantem significat tantum ex intelligentiæ institutione, Dei nimirum, qui solus (ut infra dicetur) est auctor sacramentorum, sive ad legem veterem, sive ad novam pertineant.

Quæres 2. utrum signum in sacramentis sit practicum, an vero speculativum.

Resp. signum in Sacramentis in genere sumptis esse speculativum tantum. Ratio est, quia sacramenta in genere, hoc est, prout abstrahunt a sacramentis novæ, aut veteris legis, non sunt operativa alicujus sanctitatis, sed tantum significativa.

CONCL. 2. Sacramentum in specie sumptum, hoc est, prout est sacramentum novæ legis, recte definitur: Signum & caussa rei sacræ homines sanctificantis.

Probatur. Prout sacramenta novæ legis dicuntur, *Signa rei sacræ homines sanctificantis*, conveniunt cum sacramentis veteris legis: prout vero dicuntur *caussæ* ejusdem rei sacræ, differunt a sacramentis veteris legis, quæ (ut ait

Eugen.

Eugen. IV. in decreto pro instructione Armenorum) non caussabant, sed significabant gratiam, quam e contra sacramenta novæ legis & significant & caussant, ut inferius ostendetur.

QUÆSTIO III.

De existentia Sacramentorum.

Not. HOMO successive fuit in quadruplici statu, Innocentiæ, Naturæ, Legis, Evangelii. Status innocentiæ perduravit ab Adami creatione usque ad ejus lapsum: Status naturæ, ab Adami lapsu usque ad Mosaicæ legis promulgationem: Status legis, a Mosaicæ legis promulgatione usque ad Christi mortem: Status Evangelii, qui incœpit a Christi morte, perdurabit usque ad sæculi consummationem. Ut igitur adæquate explicetur sacramentorum existentia, necesse est ut expendamus, an in illo quadruplici statu aliqua sacramenta extiterint.

CAPUT PRIMUM.

De existentia Sacramentorum in statu naturæ innocentis.

CONCL. NON extiterunt aliqua sacramenta in statu naturæ innocentis.

Probatur. Illud non extitit, cujus nec implicite, nec explicite meminerunt Scriptura, aut traditio, quæ quidem soli sunt fidei fontes: atqui nec Scriptura, nec traditio meminerunt sacramentorum, quæ in statu innocentiæ extiterint: ergo nulla fuerunt.

Probatur 2. Conveniens non fuit, ut essent sacramenta in statu naturæ innocentis: nam duplici tantum de caussa institui possunt sacramenta, nempe, ut per ea signa sensibilia homo aut doceatur, aut sanctificetur: atqui propter neutram ex iis caussis institui debuerunt sacramenta in statu naturæ innocentis: par siquidem non fuit, ut creatura innocens subjiceretur rebus sensibilibus, aut ad discendam veritatem, aut ad sanctitatem comparandam: Quod autem in peccatum lapsa, iis nunc adminiculis indigeat, non est natura hominis instituti, sed pœna damnati, ut dicetur, cum agemus de sacramentorum materia & forma.

Objicies. Extitit matrimonium in statu naturæ innocentis: atqui matrimonium tunc fuit sacramentum; Adamus enim intellexit, suo cum Eva matrimonio significari rem maxime sacram, Christi nimirum cum Ecclesia unionem.

Resp. neg. min. neque enim Adamus ante suum lapsum cognovit futuram Verbi Incarnationem; quippe non cognovit futurum suum peccatum, propter quod solum Verbum erat incarnandum: nempe (ut dictum est in tractatu de Incarnatione) si Adamus non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum. Quod autem Adamus innocens futurum suum peccatum non cognoverit, patet ex eo, quod alioquin fuisset miser in eo statu, a quo exsulare debebat omnis miseria, juxta illud Augustini: *Sub Deo justo nemo potest esse miser, nisi mereatur*; infelicis autem ejusmodi meriti peccatum una est caussa.

CAPUT II.

De existentia Sacramentorum in statu legis naturæ.

CONCL. IN statu legis naturæ extiterunt aliqua sacramenta.

Probatur. Illud extitit, cujus existentia usus est Augustinus, ut contra Pelagianos assereret existentiam peccati originalis: atqui Augustinus usus est existentia sacramentorum in lege naturæ, ut contra Pelagianos assereret existentiam peccati originalis: cum enim Julianus ei objecisset, ex existentia peccati originalis sequi, parvulos omnes, qui mortui fuerant ante circumcisionem, damnatos esse, quod ante circumcisionem nullum institutum fuisset remedium pro tollendo in iis parvulis originali peccato; respondit Augustinus id falsum esse: *Nec ideo tamen* (inquit) lib. 5. contra Julianum cap. 11.) *credendum est, ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem in eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos parvulis suis.*

Objicies 1. Sacramentum contra peccatum originale parvulis applicatum in lege naturæ, vel produxisset gratiam ex opere operantis, vel ex opere operato: atqui neutrum dici potest. Non primum: alioquin illud sacramentum datum a ministris impiis, hoc est, jacentibus in statu peccati mortalis, non justificasset parvulos, quia quod agit tantum ex opere operantis, agit tantum dependenter a meritis hominis, a quo sacramentum applicatur. Nec etiam secundum, quia ex Concilio Tridentino, agere, hoc est, producere gratiam ex opere operato, proprium est sacramentis legis Evangelicæ.

Resp. dici posse 1. sacramenta, de quibus agitur, produxisse gratiam tantum ex opere operantis; sed hoc sensu, quod egerint non ex vi sanctitatis ministri, sed ex vi solius fidei in Christum venturum, cujus fidei sacramenta erant signa quædam protestativa, hoc est, quibus antiqui suam fidem exterius protestabantur: *Eadem fides mediatoris* (inquit Augustinus lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 11.) *salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis*. Dici potest etiam 2. id quod multi de circumcisione dicunt, sacramentum parvulis applicatum in statu legis naturæ, produxisse gratiam ex opere operato: Nec contrarium (inquiunt) evincitur ex Concilio Tridentino:

nam Concilium Tridentinum non est locutum de sacramentis legis naturæ, sed tantum de sacramentis a Moyse primum promulgatis, quæ quidem certum est non produxisse gratiam ex opere operato. Circumcisio autem non est ex Moyse, sed ex Patribus.

Objicies 2. Dici non potest, quænam in specie fuerint sacramenta legis naturæ; ergo in ea nulla omnino extiterunt. Resp. 1. neg. conf. *Quamvis quid esset* (ait Augustinus contra Julianum agens) *aliqua necessaria caussa scriptura latere voluerit*. Resp. 2. ea sacramenta fuisse aliqua exteriora signa pro libito a parentibus adhibita usque ad circumcisionem, quæ injuncta est Abrahæ posteris; potuit enim tunc habere locum, quod plures theologi etiam nunc habere putant, scilicet Deum priori illo tempore determinasse tantum in genere, non autem in specie, materiam illorum sacramentorum.

CAPUT III.

De existentia Sacramentorum in lege Mosaica.

CONCL. IN lege Mosaica plura extiterunt sacramenta.

Probatur. Sacramentum est signum divinitus institutum rei sacræ homines sanctificantis; atqui in lege Mosaica extiterunt plura hujusmodi signa, ut patet in purificationibus, quæ per legem præscriptæ erant; in agno Paschali, pluribusque aliis ritibus, quibus Judæi ex Dei mandato utebantur. Argumenti, quod modo propositum est, veritatem supposuit Conc. Trid. sess. 7. can. 2. ubi sic loquitur: *Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis veteris legis non differre, &c.*

Quæres. Utrum sacramenta veteris legis in ratione sacramenti convenirent univoce cum sacramentis novæ legis.

Resp. affirmat. Ratio est, quia ea conveniunt univoce, quæ idem omnino significant: atqui sacramenta novæ legis, & sacramenta veteris idem omnino significant in ratione sacramenti: hoc est, sacramentum idem plane in utrisque significat, signum nimirum rei sacræ, qua homines sanctificantur.

Quæres 1. Quamdiu perdurarint sacramenta veteris legis. 2. Utrum post eorum abrogationem licitum aliquamdiu fuerit eis uti. 3. Utrum post excidium templi Jerosolymitani eorum usus adhuc licitus fuerit.

Resp. Triplicem statum concipi posse, in quo extiterunt legis Mosaicæ sacramenta: in priore fuerunt viventia, hoc est, vim habuerunt suam: in altero, fuerunt plane mortua, idest, destituta qualibet spirituali virtute: in tertio, fuerunt mortifera, hoc est, mortem inferebant utentibus. Prior status desiit in Christi morte: tunc enim abrogatum fuit vetus testamentum, proindeque illius sacramenta omnem vim suam tunc amiserunt; unde Christus in Cruce moriens dixit: *Consummatum est*, figurarum ac umbrarum tempus. In altero statu fuerunt mortua; sed tunc eorum usus Judæis ad fidem Christianam conversis licitus fuit, modo in eis justitiam non quærerent; unde Paulus (Act. 16. & 28.) iis post Christi mortem nonnunquam usus est, ut Judæis ad Christum conversis probaret falsum esse, quod de eo pseudo quidam Apostoli sparserant, se nimirum non damnare tanquam *per se* malum, quod Moyses a Deo vere missus instituerat. In tertio statu, Mosaica sacramenta fuerunt mortifera, hoc est, Judæis ad fidem conversis uti eis absque gravi peccato non licuit. Legatur ea de re Augustinus, qui hocce argumentum ab epistola octava usque ad vicesimam fuse pertractat contra Hieronymum, qui censuit sacramenta veteris legis fuisse non tantum mortua, sed etiam mortifera statim post Christi Passionem, aut saltem post sollemnem Evangelii promulgationem: unde conclusit, Apostolos eis usos fuisse tantum per simulationem, hoc est, finxisse eos se ea adhibere in legis quondam viventis reverentiam, cum tamen iis tanquam rebus omnino indifferentibus, ac prophanis uterentur. Legi etiam possunt, quæ de eorum argumento pag. 6. 7. & 8. primæ edit. nostri de Sacramentis Comment. Histor. & dogmatici scripsimus.

CAPUT IV.

De Existentia & numero Sacramentorum in lege Evangelica.

CONCL. EXistunt Sacramenta in nova lege, eaque nec plura, nec pauciora sunt, quam septem, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

Probatur prior pars. Sacramenta, ex dictis, sunt signa rei sacræ homines sanctificantis: atqui in nova lege sunt ejusmodi signa, & quidem non speculativa tantum, sed etiam practica, id est, ut suo loco dicetur, sanctitatis operativa.

Probatur altera pars. Soli ii septem ritus, quorum conclusio meminit, significant & producunt gratiam sanctificantem: ergo ii omnes, & soli, sunt legis novæ sacramenta. Antecedens inferius ostendetur, ubi de singulis in specie sacramentis agentes, de eorum effectibus dicemus.

Objicies 1. Ablutio pedum est verum novæ legis sacramentum; ergo sunt plus, quam septem sacramenta. Probatur ant. Ad sacramentum novæ legis tria requiruntur, signum sensibile, præceptum divinum, productio gratiæ: atqui tria illa reperiuntur in ablu-

tione

tione pedum: *Primo*, est signum sensibile, ut patet: 2. Divinitus præcepta est: *Vos debetis* (inquit Christus Joannis 13.) *alter alterius lavare pedes*: 3. Est productiva gratiæ: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*.

Confirmatur argumentum 1. ex S. Ambrosio, qui l. 3. de Sacramentis c. 1. vocat ablutionem pedum *mysterium*; quod quidem nomen (ut dictum fuit, cum actum est de nomine sacramenti) idem significat, ac vox Latina *Sacramentum*. Dicit quoque, his verbis: *Nisi lavero te*, contineri promissionem gratiæ: *Vide* (ait) *omnem justitiam, vide gratiam, vide sanctificationem: Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*.

Confirmatur 2. ex Bernardo, qui serm. 1. de Cœna Domini docet 1. institutam fuisse lotionem pedum, ut *invisibilis gratia signo aliquo visibili præparetur*. Docet 2. eam esse sacramentum quo quotidiana peccata remittuntur: *Numquid* (ait) *desperabimus? absit: nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus sacramentum, pedum ablutionem*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. dist. ant. Lotio pedum, metaphorice sumpta, hoc est sumpta pro caritate, & humilitate, quæ per eam designantur, est præcepta a Christo, conc. ant. sumpta proprie, pro ipsa materiali ablutione, neg. ant. unde universalis, & perpetuus ejusmodi materialis lotionis usus in Ecclesiis non permansit etiam prioribus sæculis: *Hanc* (ait Ambrosius l. 3. de Sacramentis c. 1.) *Ecclesia Romana consuetudinem non habet, ut pedes lavet*. Ad aliam partem respondeo negando, his verbis: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, contineri promissionem gratiæ, seu minas privationis gratiæ sanctificantis in pœnam inobedientiæ: revera enim Petrus factus fuisset reus, nisi Domino pedes illius abluere volenti paruisset.

Ad utramque confirmationem respondeo, dist. ant. Ambrosius & Bernardus vocarunt ablutionem pedum, sacramentum late sumptum, hoc est, pro quolibet mysterio, sive producat gratiam, sive eam non producat, conc. ant. sacramentum proprie sumptum, neg. ant. Hoc est, Ambrosius significare voluit, homini per baptismum justificato eluendas superesse quotidianas levium peccatorum maculas; illudque debitum adumbrari ablutione pedum, quam Petro Christus impendit. Idem est Bernardi sensus.

Objicies 2. In Ordine sunt septem sacramenta, saltem in sententia S. Thomæ, cui visum est non presbyteratum modo, sed etiam singulos Ordines esse proprie dicta sacramenta: ergo sunt plus, quam septem sacramenta in nova lege.

Resp. concesso antecedente, dist. conseq. Ergo sunt plus, quam septem sacramenta, incomplete sumpta, conc. conseq. complete sumpta, neg. conseq. Ordo est quoddam totum, quod constat ex pluribus partibus sibi invicem subordinatis. Ratio Sacramenti in una quidem parte, quæ præcipua est, presbyteratu nempe, complete reperitur; in aliis vero, quæ sunt minus præcipuæ, incomplete tantum: *Ordinis divisio in Majores, & Minores* (ait S. Thomas 3. p. q. 37. art. 2. ad 2.) *est totius potestativi, cujus hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Tota enim plenitudo Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quædam participatio Ordinis, & ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum*.

Objicies 3. Si essent septem novæ legis sacramenta, priorum sæculorum Patres ea fideli populo tradidissent, alioquin enim veritatem detinuissent in injustitia; atqui ea non tradiderunt. Justinus qui floruit altero Ecclesiæ sæculo, in suis pro christianis apologiis loquitur tantum de Baptismo, & de Eucharistia; Cyrillus Jerosolymitanus qui quarto sæculo scripsit, in suis catechesibus loquitur tantum de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Ea fideli populo tradidissent, vel scripto, vel oretenus, conc. maj. scripto, neg. maj. Summa nimirum apud veteres cura fuit, ne gentiles in mysteriorum nostrorum notitiam devenirent: unde frequentes sunt reticentiæ apud Patres, cum de sacramentis loquuntur. De Eucharistia agit Justinus, quod ex iis, quæ gentiles de ea obscure audierant, sumerent occasionem calumniandi christianos, quasi occisi infantis sanguine, & carnibus vescerentur. Cyrillus in suis catechesibus loquitur tantum de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia, quod in iis catechesibus doceat catechumenos, quibus tria illa sacramenta simul conferebantur. Præterea respondendum est, immerito supponi, priorum sæculorum patres de septenario sacramentorum numero non fuisse in suis scriptis locutos. Lita proferentur inferius, ubi de singulis in specie Sacramentis agetur.

Quæres 1. Utrum sit de fide, nec plura, nec pauciora esse, quam septem in nova lege sacramenta?

Resp. affirmative, scilicet id expresse definitum fuit in Concilio Tridentino, tum contra Lutherum, qui tria tantum admisit, Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam; tum contra Zuinglium, qui dua solum numeravit, Baptismum, & Eucharistiam: tum denique contra Calvinum, cui placuit esse tria tantum, Baptismum, Eucharistiam, & Ordinem: *Si quis dixerit* (verba sunt Sacræ Synodi sess. 7. can. 1.) *sacramenta novæ legis esse plura, vel pauciora, quam septem, Bap-*

ptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie sacramentum, anathema sit.

Quæres 2. Cur Christus, nec plura, nec pauciora, quam septem in nova lege sacramenta instituerit?

Resp. 1. In iis, quæ a mero Dei beneplacito pendent, ut revera pendent sacramenta, non aliam posse assignari caussam, quam omnipotentissimam & sapientissimam illius voluntatem.

Resp. 2. conveniens fuisse, ut nec plura, nec pauciora essent in nova lege Sacramenta; nempe satis est ille numerus, ut hominis perfectioni spirituali consulatur. Quemadmodum igitur, ut homo sit perfectus in corporali vita, septem tantum indiget, nimirum ut edatur in lucem, augeatur, nutriatur, morbos in quos inciderit, depellat, vires fractas reficiat, regatur a magistratibus, prolem generet, ne deficiat humanum genus; ita etiam homo spiritualis ad suam perfectionem iis indiget, eaque in septenario sacramentorum numero consequitur. Scilicet per Baptisma nascitur, unde ab Apostolo ad Titum 1. vocatur, *lavacrum regenerationis*; per Confirmationem crescit, cum in ea Spiritum Sanctum recipiat ad robur; per Eucharistiam nutritur, juxta illud Joann. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*: per Pœnitentiam lethales illius morbi sanantur, quippe per eam coram Deo vere a peccatis solvitur, juxta illud Evangelii: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; per Extremam unctionem depelluntur morbi reliquiæ: per Ordinem habet Christi ministros, a quibus & regatur, & doceatur, & pascatur; per Matrimonium vir & mulier legitime conjuncti, Ecclesiæ filios pariunt.

Ex hactenus dictis patet, Baptismum institutum fuisse contra peccatum originale; Confirmationem contra imperfectionem, quæ etiam in regeneratis reperitur; Eucharistiam contra animi ad peccandum proclivitatem; Pœnitentiam contra peccata actualia; Extremam unctionem contra reliquias peccatorum; Ordinem contra multitudinis dissipationem, seu divisionem; Matrimonium contra concupiscentiæ æstum, & multitudinis defectionem per mortem.

QUÆSTIO IV.

De materia, & forma Sacramentorum novæ legis.

Not. 1. MAteriæ, & formæ nominibus hic intelligentur partes, ex quibus sacramenta constant. Ex iis autem partibus ea, quæ res est aliqua, vel actus sensibilis, dicitur materia; quæ vero verbum aliquod, dicitur forma. Porro res, vel actus sensibilis, dicitur materia, quod ex se sit indifferens ad significandum, vel producendum effectum spiritualem; verba econtra dicuntur forma, quod rem, seu actum sensibilem determinent ad significandum, & producendum effectum spiritualem: sic oleum, quod ex se sit indifferens ad tollendas peccatorum reliquias, dicitur materia Extremæ unctionis; verba vero, *Indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per sensus*, sunt forma, quia determinant olei unctionem ad tollendas ejusmodi reliquias.

Not. 2. De materia, & forma sacramentorum quæri potest: 1. utrum in singulis legis novæ Sacramentis reperiantur: 2. utrum sint determinatæ a Christo: 3. quænam in materia, aut forma mutatio sacramentum reddat vel irritum, vel illicitum.

CAPUT PRIMUM.

Utrum in singulis novæ legis Sacramentis materia, & forma reperiantur.

CONCL. IN singulis sacramentis novæ legis materia, & forma reperiuntur.

Probatur 1. Ex observatis, materia est res, aut actus sensibilis, forma vero sunt verba, quæ a ministro proferuntur: atqui in quolibet sacramento reperiuntur res, & verba: *Sacramenta* (inquit Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum) *tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum.*

Probatur 2. In Baptismo reperitur ablutio: in Confirmatione impositio manuum, & frontis chrismatio: in Eucharistia (in fieri sumpta) panis & vinum: in Pœnitentia sensibiles pœnitentis actus, contritio, confessio, satisfactio: in Extrema unctione oleum, quo ægroti corpus inungitur: in Ordine impositio manuum, aut instrumentorum porrectio: in Matrimonio consensus signo expressus. Præterea tum in Baptismo, tum in ceteris sacramentis sunt quædam verba, quæ a ministro, dum materia applicatur, proferuntur: atqui res illæ, illi actus, ea verba, sunt id, quod formæ & materiæ nominibus intelligitur; ergo in singulis novæ legis sacramentis sunt materia, & forma.

Probatur 3. Idem ferri debet judicium de quolibet sacramento, ac de Baptismate: atqui in Baptismate reperiuntur materia, & forma, nempe ex Augustino reperiuntur elementum, & verbum: *Verbo* (inquit S. Doctor tract. 80. in Joannem) *Baptismus consecratur. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.*

Objicies 1. Materia est res sensibilis, quæ reperitur in sacramento: atqui res aliqua sensibilis non reperitur in singulis novæ legis

Sacra-

sacramentis, nulla nimirum in Pœnitentia, & in Matrimonio reperitur: ergo &c.

Resp. dist. maj. Materia est res sensibilis, aut actus sensibilis, conc. maj. res tantum sensibilis, neg. maj. Ex observatis superius, sola res sensibilis, ut est aqua in baptismate, non est cujuslibet sacramenti materia, sed in aliquibus est actus sensibilis subjecti, quod recipit sacramentum: sic in Pœnitentia contritio signo demonstrata, in Matrimonio consensus verbis, aut signo alio sensibili expressus, sunt vera sacramentorum Pœnitentiæ, & Matrimonii materia.

Objicies 2. Forma sacramenti sunt verba, quæ a ministro proferuntur: atqui in quolibet Sacramento non reperiuntur verba, ut patet in Matrimonio, quod licet ab elinguibus contractum, valet, si coram Parocho, & testibus celebretur: ergo in quolibet sacramento non est forma.

Resp. 1. dist. ant. Valet in ratione contractus legitimi, & indissolubilis, conc. ant. in ratione sacramenti, neg. ant. Ratio est, quia (ut suo loco dicetur) contrahentes non sunt Ministri Sacramenti matrimonii, sed solus Sacerdos. Resp. 2. dist. iterum ant. In matrimonio elinguium non sunt verba, & est aliquid quod teneat locum verborum, conc. ant. & nihil est quod teneat locum verborum, neg. ant. Nempe muti suum consensum, ut supponitur, per aliqua signa sensibilia exprimunt.

Objicies 3. Nulla est ratio, cur Deus voluerit, ut sacramenta constarent materia, & forma: ergo revera iis minime constant.

Resp. neg. ant. Nam 1. Deus voluit, ut homo in materia, & forma intelligeret effectum Sacramenti, cum eo nimirum quandam habent analogiam: *Si Sacramenta* (inquit Augustinus epist. 23. quæ est ad Bonifacium Episcopum) *quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent*. Maxime autem conveniens est, ut homo, qui ex anima & corpore constat, per res sensibiles doceatur, in iisque spiritualia recipiat: *Nam* (inquit S. Joannes Chrysostomus homilia 83. in Matthæum, ubi rationem reddit, cur Deus sub specie rerum sensibilium suum corpus in Eucharistia, gratiam in Baptismate nobis tradiderit) *si tu incorporeus esses, unde ipsa dona incorporea tradidisset tibi: Quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur*. 2. Deus providit, ut per sacramentorum usum edomaretur hominis superbia: par nimirum fuit, ut is, qui speraret se Deo in cognitione boni & mali fore æqualem: *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum*: rebus maxime vilibus, ut sunt exteriores sacramenti partes, ad recipiendam gratiam subjiceretur.

CAPUT II.

Utrum Christus determinaverit materiam, & formam Sacramentorum novæ legis.

Not. 1. Materia & forma tribus modis determinari possunt, in genere, in specie, in individuo. Determinantur in genere, quando assignatur quidem materia & forma, sed non determinando, cujusdam speciei esse debeant: sic qui fabro diceret: confice mensam, nec adderet, ex quercu, ex abiete, aut ex ejusmodi aliqua re, determinaret materiam in genere: neque enim mensa, cum sit res corporea, potest esse sine aliqua materia. Determinantur in specie, quando materiæ, aut formæ species assignatur; sic qui fabro diceret: confice mensam ex quercu, materiam in specie determinaret. Tandem determinantur in individuo, quando non sola materiæ species, sed hæc, aut illa numerice assignantur.

Not. 2. Certum est 1. Christum non determinavisse in individuo materiam, aut formam sacramentorum novæ legis; neque enim præcepit, ut hæc numero aqua ad baptismum conferendum adhibeatur. Certum est 2. Christum determinasse, saltem in genere, materiam & formam cujuslibet sacramenti; nempe constat, nullum esse sacramentum, quod ab eo institutum non fuerit; institui autem non potuit, quin simul instituerentur, ac proinde saltem in genere, determinarentur essentiales illius partes, quæ quidem aliæ non sunt, quam (ut supra dictum est) materia & forma. Certum est 3. Christum *in specie* determinavisse materiam & formam aliquorum sacramentorum, aquam v. g. non autem aliam materiam præcepit adhiberi ad Baptisma conferendum; panem & vinum determinate assignavit pro Eucharistiæ materia; præscripsit enim Apostolis, futurisque eorum in sacerdotio successoribus, ut id facerent, quod ipsemet in ultima cœna fecerat: *Hoc facite*; ac proinde, ut panem & vinum, non autem aliam materiam consecrarent, cum ipse panem & vinum consecraverit.

Not. 3. Tota igitur difficultas est de quibusdam tantum Sacramentis, Confirmatione v. g. Pœnitentia, & Ordine. Porro circa eam difficultatem duæ sunt Scholasticorum sententiæ. Prior quæ est *Petri Cantoris* in Summa de sacramentis, *Alexandri Halensis* quarta parte Summæ, *S. Bonaventuræ* in 4. sent. *Bellarmini* libro de Ordine, & Extrema unctione cap. 9. *Joannis Morini* lib. 8. de administratione sacramenti Pœnitentiæ, *Antonii Godeau* illustrissimi Episcopi Venciensis, libro quem Gallice inscripsit De

Ordinibus Sacris, & plurium aliorum recentiorum: Prior (inquam) docet, Christum non determinavisse in specie, sed tantum in genere, materiam & formam omnium sacramentorum novæ legis. Altera quæ est etiam plurium aliorum theologorum, docet, Christum non *in genere* tantum, sed etiam *in specie* determinavisse omnium & singulorum sacramentorum novæ legis materiam ac formam, quemadmodum eas in Baptismate, v. g. & Eucharistia determinavit.

CONCL. Christus non *in genere* tantum, sed etiam *in specie* determinavit & materiam & formam omnium ac singulorum sacramentorum novæ legis.

Probatur. Si Christus non detarminavisset in specie materiam & formam omnium ac singulorum sacramentorum novæ legis, fecisset Ecclesiæ potestatem eas in specie determinandi: atqui eam non fecit. Nam 1. Nec ex Scriptura, nec ex traditione proferri potest aliquis textus, quo probetur, eam potestatem concessam fuisse Ecclesiæ; 2. Si ea potestas Ecclesiæ concessa fuisset, Ecclesia posset mutare in specie materiam & formam aliquorum sacramentorum; quæ enim Ecclesia constituit, potest ipsa rescindere: atqui Ecclesia non potest mutare, etiam in specie, materiam aut formam aliquorum sacramentorum; siquidem materia, & forma constituunt substantiam sacramenti; sed Ecclesia mutare non potest substantiam alicujus sacramenti, cum Concilium Tridentinum definiat eam mutare posse illorum ritus, sed *Salva* (inquit sess. 21.) *eorum substantia*. Nec valet eorum evasio, qui respondent, Concilium de iis tantum sacramentis loqui, quorum Christus *in specie* determinavit materiam, & formam; quippe Concilium sine restrictione, ac simpliciter loquitur; proindeque illius propositio est (ut vocant Logici) propositio indefinita; propositio autem indefinita æquivalet propositioni *formaliter* universali, hoc est, propositioni cujus subjectum cum terminis universalibus, *Omne*, *Nullum* exprimeretur.

Objicies 1. Si Christus determinavisset in specie materiam, & formam omnium sacramentorum, determinate assignavisset impositionem manuum, aut chrismationem pro materia Confirmationis, impositionem manuum, aut porrectionem instrumentorum pro materia Ordinis: atqui id asseri non potest; neque enim, aut in Scriptura, aut in traditione legitur: ergo Christus &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Neque in Scriptura, neque in traditione explicite legitur, Christum determinate assignavisse impositionem manuum, aut chrismationem pro materia Confirmationis, impositionem manuum, aut &c. pro materia Ordinis, conc. ant. non legitur implicite, neg. ant. Ratio est, quia ex Scriptura, & traditione constat, Apostolos, eorumque in Episcopatu successores, in collatione Confirmationis & Ordinis usos fuisse manuum impositione, ac per eam contulisse Spiritum Sanctum; inde vero recte concluditur, eos a Christo jussos fuisse, ut iis signis ad conferendam gratiam, & caracterem uterentur; neque enim ipsi poterant rem omnino spiritualem cum iis signis sensibilibus conjungere.

Objicies 2. Si Christus in specie determinavisset materiam, & formam omnium sacramentorum novæ legis, nunc in omnibus sacramentis eadem esset forma, quæ prioribus Ecclesiæ sæculis; neque enim mutationi obnoxia sunt, quæ juris sunt divini: cum (ut ait Cyprianus lib. de lapsis) homo Deo major non sit: Atqui nunc in omnibus novæ legis sacramentis eadem non sunt materia, & forma, quæ erant antiquitus; nam Apostolorum tempore materia Confirmationis erat nuda manuum impositio: *Imponebant* (ait Luc. Act. 8.) *manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; septem prioribus sæculis manuum impositio, non autem instrumentorum porrectio, erat Ordinis materia; neque enim ejusmodi instrumentorum porrectionis reperire est aliquod vestigium in libris, qui iis sæculis de sacramentis egerunt, ut patet ex sacramentario Gregorii Magni; patet etiam ex antiquis, immo & hodiernis Græcorum euchologiis: Atqui nunc impositio manuum nec Confirmationis, nec Ordinis est materia: nam Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum docet, materiam Confirmationis esse chrismationem in neophyti fronte, materiam Ordinis esse instrumentorum porrectionem: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. nego etiam min. Patebit nostra responsio in dissertatione de Confirmatione, & in dissertatione de Ordine, ubi ostendemus, in utroque illo sacramento impositionem manuum esse his etiam temporibus materiam essentialem: addemusque, Eugenium IV. exponi debere de materia accidentali, non autem de materia essentiali.

Confirmatur responsio ex eo, quod si eadem nunc non esset omnium sacramentorum materia, & eadem, quoad substantiam, forma, probari non posset, hodiernam Ecclesiam habere eadem sacramenta, quæ vetus habebat; quippe ut probari possit, Ecclesiam hodiernam habere eadem sacramenta, probari debet, eam habere eadem signa: atqui id in adversariorum suppositione probari non posset. Si autem probari non possit, Ecclesiam hodiernam habere eadem sacramenta, quæ vetus habebat, probari quoque non poterit, eamdem esse hujus ætatis Ecclesiam cum Ecclesia, quæ Apostolorum & Martyrum temporibus floruit: unitas enim Ecclesiæ Christianæ non sumitur tantum ex unitate fidei,

fei, sed etiam ex unitate sacramentorum: ac proinde corruunt argumenta omnia, quibus antiqui Patres contra hæreticos asseruerunt, ad Matrices Ecclesias, quibus ipsi Apostoli fidei depositum tradidere, recurrendum esse ad probandam fidei ac religionis unitatem.

CAPUT III.

De mutatione, quæ in sacramentorum materia & forma potest contingere.

Not. 1. Duplex in materia, aut in forma Sacramentorum mutatio potest accidere, substantialis nimirum, & accidentalis. Prior tollit materiæ substantiam, aut formæ sensum: posterior vero, nec materiæ substantiam, nec formæ sensum tollit. Si quis vi artis Chimicæ vinum in aliud liquorem mutaret, ea mutatio tolleret substantiam materiæ sacramenti Eucharistiæ; neque enim in eo casu vinum remaneret vinum: Si quis e contra levem alterationem efficeret in vino, vinum accidentaliter tantum, hoc est, secundum qualitatem accidentalem, mutaret.

Not. 2. Mutatio accidentalis in materia proxima sacramenti alicujus potest fieri in diverso modo materia remota applicanda subjecto; sic aspersio, immersio, effusio, sunt diversi accidentales modi, quibus aqua, quæ est remota baptismatis materia, potest applicari baptizando. Mutatio accidentalis in forma potest esse, vel ratione terminorum, quibus æquivalentes substituuntur; vel per aliorum additionem, aut detractionem, quæ formæ sensum non tollunt; vel per intentionem ministri, qui in verbis, ex quibus forma constat, mentaliter aliquem errorem intelligit; v. g. si quis pronomen *Hic*, quod in Calicis consecratione profertur, cum Lutheranis intelligeret de Christi sanguinis reali præsentia in vino, non autem de vini in Christi sanguinem transubstantiatione.

CONCL. 1. Mutatio substantialis, aut in materia, aut in forma, reddit sacramentum irritum.

Probatur. Quod tollit substantiam sacramenti, ipsum reddit irritum, nempe tunc non remanet ritus a Christo institutus: atqui mutatio substantialis, aut in materia, aut in forma, tollit substantiam sacramenti, quia tollit substantiam ritus a Christo instituti, ac præscripti: hinc irritum est baptisma, quod in alio liquore, quam aqua naturali, collatum fuerit. Irrita etiam erat consecratio, quam quidam presbyteri, alioquin Catholici, in matutinis sacrificiis (Cypriano in epistola ad Cæcilium teste) in aqua sola tentabant.

Quæres, quot modis in sacramentorum materiam, aut formam invehi possit mutatio substantialis?

Resp. invehi 1. in materiam, cum illius loco substituitur alia specie diversa, ut si quis vino Eucharistico substituat aquam, pani triticeo panem hordeaceum: 2. in formam, vel substituendo verba, quæ alium sensum efficiunt, ut sunt ista, quibus Eusebio teste historiæ l. 2. Valentiniani utebantur in conferendo baptismate, *In nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium matre, in eo qui descendit in Jesum*: Vel terminos transponendo, ut si quis diceret: *Patris te ego baptizo in nomine, Filii, & Spiritus Sancti*: Vel per multam verborum interruptionem, ut si quis inter illa Baptismatis verba: *Ego te baptizo*, & ista, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Psalmum recitaret, aut ageret aliquid aliud, ratione cujus non esset moraliter eadem locutio: Vel per omissionem alicujus termini ad formæ sensum pertinentis, ut cum inter baptizandum omittitur, aut una ex personis SS. Trinitatis, aut ablutionis expressio, *Baptizo*, aut pronomen quo designatur persona, cui sacramentum confertur, ut in baptismate est pronomen *Te*: Vel per additionem alicujus termini, qui sanum legitimorum verborum sensum tollat, ut si quis cum aliquibus veteribus Arianis diceret: *In nomine Patris majoris, & Filii minoris, & Spiritus Sancti*: Vel per syllabarum, immo & nonnunquam per unius litteræ mutationem, ut si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Matris, & Filii, & Spiritus Sancti*; Plerumque enim fit, ut littera, quæ initio dictionis mutatur, formæ sensum tollat, ut patet in exemplo mox allato; quæ vero in fine, ipsum *per se* non tollit, sed tantum ex intentione proferentis. Eam ob caussam Zacharias Papa, c. *Retulerunt*, de Consecrat. dist. 4. probavit baptisma hisce verbis a rustico datum: *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spiritua Sancta*, si rusticus ille non voluisset errorem aliquem exprimere: nec mirum; siquidem secundum communem usum, voces in quibus ultima tantum littera mutatur, perinde sumuntur, ac si non contigisset ejusmodi mutatio.

CONCL. 2. Error ministri in forma non expressus, non reddit Sacramentum irritum: immo nec expressus, si sensum non tollat.

Probatur prior pars. Error non expressus non tollit formæ sensum; neque enim verborum sensus sumitur ex mentali proferentis intentione, sed ex usu communi: unde valebat datum ab Arianis baptisma, qui in debita illius forma intelligebant substantiæ Patris a Filii substantia diversitatem. Sic etiam irritum non erat datum per triplicem immersionem, quamvis per eam (ut scribit Gregorius Magnus ad Leandrum Episcopum Hispalensem) ea in Hispaniis uterentur ad stabiliendum suum de triplici in divinis personis substantia errorem.

Probatur altera pars. Error expressus, qui formæ sensum non tollit, non afficit ipsam for-

formæ substantiam; posita nimirum est formæ substantia in sensu verborum ex quibus constat; ergo non reddit sacramentum irritum. Sic valide consecraret, qui Eucharistiam conficiens, post hæc verba: *Hoc est corpus meum*, errorem Calvinisticum subjungeret, dicendo: *Et illud in cælis ad dexteram Patris positum adoramus, cujus figuram tantum in terris nobis prabet*. Confirmatur ea ratio hisce Augustini verbis, lib. 6. contra Donatistas cap. 5. *Afferat etiam, ut fieri solet* (de imperitis Catholicis baptizantibus loquitur) *aliquam precem, in qua loquatur contra regulam fidei: multi quippe irruunt in preces non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatem, non eas valentes discernere, utuntur eis, arbitrantes quod bonæ sint: nec tamen quod in eis perversum est, evacuant illa, quæ ibi recta sunt, sed ab eis potius evacuatur*. Suam sententiam S. Doctor probat a simili: *Sicut* (inquit) *in ipso homine bonæ spei, & probabilis fidei, sed tamen homine, si quid aliter sapit, non inde evacuantur quæ recte sapit, donec ei Deus revelet, & quod aliter sapit*. Eadem ferme ratione loquitur S. Thom. 3. p. q. 61. art. 1.

Quæres 1. Utrum si quis post verba: *Hic est sanguis meus*, quibus vinum consecratur, hæc adderet: *Qui pro vobis non effundetur*, censeretur tollere formæ sensum?

Resp. affirmative. Ratio est, quia eo in casu pronomen *Qui*, esset determinativum termini *sanguis*: proindeque idem terminus *sanguis* de Christi sanguine intelligi minime posset.

Quæres 2. Utrum quis tolleret formæ sensum, si hac ratione baptizaret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Mariæ Virginis?*

Resp. additionem, de qua est quæstio, esse *per se* indifferentem ad significandum sensum Catholicum, & sensum hæreticum, ac proinde, an sic datum baptisma valeat, judicandum est ex intentione baptizantis: *Si sic intelligatur* (inquit S. Thom. 3. par. q. 60. art. 8. in corpore) *in nomine Beatæ Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis, tolleret veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur, quasi nomen Beatæ Virginis aliquid operetur in baptismo, seu ut ejus intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio formæ Sacramenti*.

Quæres 3. Utrum Calvinista, qui sic baptizaret: *Auctoritate mihi per Calvinum facta, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, tolleret formæ sensum?

Resp. negative. Ratio est, quia additio illa non afficit sacramenti formam, sed baptizantis potestatem, quam minister ideo arbitratur se a Calvino accepisse, quod per errorem putet, Calvinum fuisse legitimum Ecclesiæ pastorem.

CONCL. 3. Illicita est ex parte ministri quæcumque mutatio in materia, aut forma Sacramenti, quamvis materiæ substantia, & formæ sensus remaneant.

Probatur. Id est illicitum, quod est contra Ecclesiæ præceptum: atqui mutatio, de qua agitur, est contra Ecclesiæ præceptum: ergo &c. Confirmatur ex eo, quod minister teneatur in sollemni sacramentorum administratione servare præscriptos ab Ecclesia ritus, nec liceat eos aut omittere, aut in novos alios immutare. *Si quis dixerit* (inquit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 13.) *receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari posse, anathema sit*.

Quæres 1. Utrum mutatio, quæ non tolleret sensum formæ, esset peccatum mortale, an vero veniale tantum?

Resp. esse peccatum mortale, 1. si mutatio sit notabilis, ut si quis in Calicis Eucharistici consecratione omitteret hæc verba: *Novi & æterni Testamenti, mysterium fidei*, quæ quidem (ut suo loco dicetur) ad formæ, qua vinum consecratur, substantiam non pertinent. Est 2. peccatum mortale, si mutatio fiat, aut ex contemptu, aut gravi negligentia, aut cum scandalo, quantumcumque levis sit ea mutatio. Ratio est, quia eo in casu contemptus caderet non in rem mutatam, sed in Ecclesiam, quæ ritum præscripsit.

Quæres 2. an modus applicandi materiam, aut proferendi formam, an idioma ab Ecclesia præscriptum censeantur aliquid grave?

Resp. Affirmative: hincque sequitur 1. peccaturum lethaliter sacerdotem Latinum, qui sic cum Græcis baptizaret: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Confirmatur ex Concilio Florentino in decreto unionis, ubi injungitur, ut quisque minister, sive Latinus, sive Græcus, suæ Ecclesiæ ritus observet. Sequitur 2. peccaturum quoque lethaliter sacerdotem, qui in sollemni baptismatis administratione illius formam alio a Latino idiomate proferret: e contra obstetrices & alii, qui in casu necessitatis baptizant, non peccant, si patria lingua utantur; immo si Latinam non intelligant, satius est, ut idiomate vulgari sacramenti formam proferant.

Quæres 3. utrum mutatio, quæ notabilis est, nec tamen corrumpit formæ sensum, possit esse venialis ratione ignorantiæ, qua minister supponitur laborare?

Resp. 1. venialem esse, si minister non ex officio, sed ex caritate in necessitatis articulo baptizet; e contra mortalis est, si mini-

minister ex officio sacramentum aliquod dispenset. Ratio est, quia culpabilis est ea, de qua agitur, ignorantia; nempe quisque minister tenetur ea scire quæ pertinent ad sacramenta, quæ debet ex officio dispensare. Hincque Canonibus cautum est, ne Parochiale ministerium iis committatur, qui nesciunt regulas, ad quas sacramenta debent administrari.

CAPUT IV.

De divisione materiæ Sacramentorum.

Not. 1. MAteria sacramentorum dividitur in remotam, & proximam. Prior est res sensibilis, ex qua sacramentum conficitur; propter eam rationem aqua est materia remota baptismatis; altera est actus, per quem minister materiam remotam applicat subjecto, cui sacramentum confert: sic ablutio in baptismate est materia proxima, quia per ablutionem aqua, quæ illius est materia remota, applicatur catechumeno.

Not. 2. Materia sacramentorum iterum dividitur in certam, & dubiam. Prior est ea, quam certo constat esse rem sensibilem a Christo præscriptam; posterior est ea, de qua dubium est, an sit res sensibilis a Christo præscripta: v. g. liquor, de quo dubium est, an sit aqua naturalis, aut artificialis, est materia dubia Sacramenti baptismatis: sic etiam panis siligineus est materia dubia Eucharistiæ, quia dubium est, an sit ejusdem speciei cum pane, ex quo Christus voluit, ut Eucharistia conficeretur.

Not. 3. De materia remota, aut proxima, nihil hic dicendum occurrit: sed de materia dubia quærendum est, an ea quibusdam in casibus uti liceat.

CONCL. 1. In casu extremæ necessitatis, licet uti materia, & forma dubia ad confectionem sacramentorum, quæ ad iustificationem necessaria sunt necessitate medii.

Probatur. Christus præ summa sua in homines caritate vult, ut hominum saluti etiam cum sacramentorum suorum periculo consulatur; tunc locum habet tritum axioma: Sacramenta sunt propter hominem, non homo propter sacramenta.

Eo principio nixus Augustinus l. 1. de adulterinis conjugiis ad Pollentium c. 28. docuit absolutionem sacramentalem impendi debere fideli jam jam morituro; quamvis propter iniquam illius vitam maxime dubium sit, an habeat veram contritionem, quæ tamen necessaria est sacramenti pœnitentiæ materia. Eadem nituntur regula sacri canones, cum pœnitentiæ ministris injungunt, ut cuilibet fideli in extremis posito, & reconciliationem, vel voce, vel signo petenti, conferatur absolutionis beneficium, quamvis aliquibus pietatis operibus suam contritionem ininime probaverit, ac proinde, quamvis sit maxime dubium an adsit necessaria sacramenti materia.

CONCL. 2. Extra casum extremæ necessitatis non licet uti materia, aut forma dubiis, etiam in sacramentis, quæ necessaria sunt necessitate medii.

Probatur. Augustino teste lib. 1. de baptismo c. 3. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præponeret.* Id quoque non licet extra illum casum, etiamsi probabile sit valere hanc materiam, aut hanc formam. Ita decrevit Innocentius Papa XI. ann. 1679. hanc proscribens recentiorum Casuistarum propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

CONCL. 3. In aliis a Baptismo & Pœnitentia Sacramentis non licet uti materia, aut forma dubiis etiam in casu necessitatis.

Probatur. Si materia, aut forma dubia adhiberentur, Sacramentum exponeretur nullitati; at nullitati exponi non debet, nisi cum alioquin hominis anima exponeretur æternæ damnationis periculo. Hinc concluditur 1. presbytero, ut jam jam moriturum hominem communicet, non licere Hostiam consecrare, de qua cum fundamento dubitat, an sit verus panis. Concluditur 2. eidem presbytero, ut hominem in extremis agentem inungat, non licere uti liquore, de quo prudenter dubitat, an verum sit oleum.

Quæres, an ministro extra casum necessitatis uti liceat materia dubia saltem cum forma conditionali? Ratio dubitandi est, quia conditio apposita impedit, ne forma realiter applicetur, si non sit debita materia.

Resp. Ministro extra casum necessitatis non licere uti materia dubia, etiam cum forma conditionali. Ratio est, quia jus Canonicum, Ritualia, probati Theologi, in solo necessitatis casu concedunt usum materiæ dubiæ: nec mirum; conditionales enim formulæ non fuerunt inventæ, ut cum materiis dubiis conjungerentur, sed tantum ne iteraretur Sacramentum, de quo dubium est, an valide collatum fuerit. Hincque concluditur 1. peccaturum lethaliter ministrum, qui extra casum necessitatis, hoc est, periculum mortis, absolutionem cum forma conditionali impenderet homini, de quo prudenter dubitaret, an esset vere contritus. Concluditur 2. falsissimam esse cujusdam recentioris doctrinam contendentis, toties quoties posse extra casum necessitatis cum forma conditionali conferri absolutionem homini qui mortaliter pecca-

peccavit ex consuetudine; quamvis verbis tantum, non autem operibus suam emendationem probaverit. Nimirum eo in casu dubia est materia, seu contritio: immo (ut agentes de Pœnitentia dicemus) moraliter certum est, in eo homine non esse contritionem. Felix fuit hæc ætas nostra, quæ arcanum invenit patribus omnibus ignotum; ea ad animarum perniciem inventa arte tueri se facile potuissent ii molliores ministri, quos Sanctus Cyprianus tanto zelo, tantaque vi libro de lapsis insectatur.

CAPUT V.

De divisione formæ Sacramentalis.

Not. 1. Forma Sacramentalis dividitur in absolutam, & conditionalem. Prior est ea, quæ absolute enuntiat actionem sacramentalem, ut hæc verba: *Ego te baptizo*: posterior e contra ipsam enuntiat cum conditione, ut hæc verba: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo, in nomine Patris, &c.*

Not. 2. De forma absoluta nihil hic dicemus, sed de conditionali quæremus, utrum, & quando ea in sacramentorum confectione uti liceat.

CONCLUSIO 1. Ministro licet uti forma conditionali in sacramentis, quæ characterem imprimunt, quando prudenter dubitatur, an sacramentum valide collatum fuerit.

Probatur. Quamvis Patres octo priorum sæculorum cum forma absoluta in casu, de quo agitur, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem contulerint (ut commentarii nostri historici & dogmatici de sacramentis paginis 13. & 14. primæ editionis demonstratum est) alius tamen usus post Alexandri Papæ III. tempora invaluit: nempe laudatus Pontifex *Extra. De baptismo* cap. 2. sic loquitur: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.* Prudenter autem dubitatur, 1. cum infans expositus fuit, etiamsi schedulam præseferat, qua fit fides eum baptizatum fuisse: potest enim fieri, ut ii, qui baptizarunt, nescierint baptismatis formulam. Præterea digni non sunt fide, qui tantum scelus perpetrant, ut infantem exponant: ita Concilium Aquense ann. 1588. Prudenter dubitatur 2. cum rusticæ quædam mulieres, etiamsi obstetrices sint ex officio, & calleant baptismatis formulam, infantem baptizarunt: scilicet quando urget necessitas, seu cum infantem urget mortis periculum, mulieres illæ plerumque perturbato sunt animo, ac proinde prudenter dubitari potest, an omnia verba formæ essentialis protulerint. Confirmatur 1. ex Concilio Rotomagensi, quod ann. 1581. definiit, *nec uni mulieri, seu alteri privatim baptizanti credi debere.* 2. Concilium Remense ann. 1583. hæc habet: *Antequam baptizet infantem, inquirat si jam baptizatus fuerit, de quo sufficienti duorum saltem testimonio sacerdoti constare debet.* Prudenter dubitatur, 3. cum testes fide digni asserunt, adhibitam non fuisse legitimam materiam. Hinc Lugduni aliquibus abhinc annis cum forma conditionali baptizatus est monachus, qui postquam monachismo dederat nomen, a viris frugi audiit se, cum in Calvinistarum hæresi versaretur, aqua rosacea baptizatum fuisse.

CONCL. 2. A centum abhinc annis in aliquibus locis usus formæ conditionalis invaluit etiam in aliis a Baptismo, Confirmatione, & Ordine sacramentis.

Probatur. Nonnulli rituales libri usum illum præscribunt: Usus autem ille (inquiunt theologi post Dominicum Soto) usurpari debet duplici in casu. *Primo*, cum dubium est, an subjectum sit capax Sacramenti; sic, addunt, cum forma conditionali absolvi debet is, de quo, postquam sacramentum aut voce, aut alio signo petiit, cum fundamento dubitatur, an vivens, aut mortuus sit. *Secundo*, cum minister, aut propter mentis evagationem, quam passus est, aut aliquam aliam caussam, non est certus, se post pœnitentis confessionem absolutionis formulam protulisse. Verum in eo casu, satius est, ut pœnitens jubeatur iterum confiteri, saltem in genere, peccata quæ mox confessus fuerat in specie: eaque confessione facta, absolvatur cum absoluta, non autem cum conditionali formula.

Hic monendi sunt scrupulosi, semper non esse rationem dubitandi, an forma omissa fuerit, præcise quod minister non meminerit se eam protulisse, præsertim si aliis vacet, quæ ex ritualium præscripto recitari, aut fieri tantum solent post prolatam formam: indeque concluditur, Sacerdotem, qui recitat orationes, quæ consecrationis formam in Missali consequuntur, non debere iterum, etiam sub conditione, proferre consecrationis formam, quamvis tunc non meminerit, se eam protulisse; sed ut suæ anxietati consulat, potest advocare ministrantem, & ab eo quærere, an Hostiam, & Calicem elevaverit.

QUÆSTIO V.

De Auctore Sacramentorum.

Not. Tres hic occurrunt difficultates adducendæ in examen: 1. utrum Christus sit auctor omnium sacramentorum novæ legis: 2. an eorum sit auctor, ut Deus est, vel ut homo: 3. utrum omnia immediate instituerit, an aliqua tantum.

CONCL.

CONCL. 1. Christus instituit omnia sacramenta novæ legis.

Probatur 1. Patres id expresse asserunt: *Auctor Sacramentorum* (ait Ambrosius l. 4. de Sacramentis c. 4.) *quis est nisi Dominus Jesus?* S. Augustinus idem docet epistola 118. quæ est ad Januarium: *Dominus noster Jesus Christus* (ait) *sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit.* Unanimem Patrum traditionem secuta est sacra Tridentina Synodus sess. 7. can. 3. ubi hæc habentur: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.*

Probatur 2. Solus Christus potuit novæ legis Sacramenta instituere: ergo ea de facto solus instituit. Probatur ant. Ad instituenda Sacramenta novæ legis, necesse fuit conjungere gratiæ productionem cum signis sensibilibus; siquidem (ut suo dicetur loco) sacramenta novæ legis producunt gratiam: atqui solus Christus potuit conjungere productionem gratiæ cum signis sensibilibus; nulla enim est signorum sensibilium cum gratia proportio.

CONCLUSIO 2. Christus non ut homo, sed ut Deus, auctor est omnium sacramentorum novæ legis.

Probatur ratione, quæ secundo loco prolata est ad prioris conclusionis probationem; neque enim Christus redeplicative ut est homo, potuit gratiæ productionem cum signis sensibilibus conjungere: nempe ad efficiendam illam conjunctionem requiritur suprema, ac infinita potestas.

Quæres 1. Si Christus, ut homo est, sacramenta non instituit, quam præ ceteris hominibus in ea potestatem habeat?

Resp. cum S. Thoma, Christum, ut homo est, habere in sacramenta potestatem, quæ *Excellentiæ* potestas dicitur, quæque has dotes complectitur: 1. ut sacramenta nonnisi ex Christi meritis operentur: 2. quod illius tantum nomine, hoc est, potestate ab ipso accepta conficiantur, ac dispensentur: 3. quod solo voluntatis actu absque sacramentis gratiam absolute conferre possit.

Quæres 2. Utrum Christus eam in sacramenta excellentiæ potestatem suis Apostolis conferre potuerit?

Resp. 1. Christum id (absolute loquendo) potuisse: *Potuit autem Dominus Jesus Christus, si vellet,* (ait Augustinus tractatu 5. in Joannem) *dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum, tanquam vice sua, & transferre a se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo; & tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim habet baptismus datus a Domino.*

Resp. 2. Quod quamvis Christus id potuerit, non fuerit tamen conveniens, ut id vellet: *Hoc noluit ideo* (ait ibidem Augustinus) *ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo, servum ponere spem in servo; ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in seipso: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?*

CONCLUSIO 3. Christus *immediate* instituit omnia legis novæ Sacramenta.

Probatur. Si Christus immediate non instituisset omnia legis novæ Sacramenta, dedisset Apostolis potestatem aliqua instituendi: atqui eam potestatem Apostolis non dedit: Nam 1. id nullo Scripturæ, aut Patrum testimonio probari potest. 2. Apostoli nusquam dixerunt, se fuisse sacramentorum institutores, sed dispensatores tantum: *Sic nos existimet homo* (ait Paulus 1. ad Corint. 4.) *ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 3. Concilium Tridentinum sessione 21. capite 2. ritus, seu cæremonias opponit substantiæ sacramentorum: *Declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Atqui si Christus facultatem fecisset Ecclesiæ instituendi aliqua sacramenta, inanis esset oppositio, quam Concilium statuit inter ritus, & substantiam sacramentorum; non enim minor in substantiam aliquorum sacramentorum concessa fuisset facultas, quam circa ritus: siquidem includeret ea facultas potestatem mutandi, ac instituendi sacramentorum substantiam, prout Ecclesia judicaret suscipientium utilitati, aut ipsorum sacramentorum venerationi expedire.

Quæres 1. Utrum fide Catholica certum sit omnia novæ legis sacramenta *immediate* fuisse a Christo instituta?

Resp. negative. De industria nimirum Tridentina Synodus iis locis, ubi definiit, Christum instituisse omnia sacramenta novæ legis, temperavit ab iis vocibus; *Per seipsum*; *Immediate*. Prudenti ea œconomia sacra Synodus consuluit famæ Hugonis a S. Victore, qui Extremæ unctionis institutionem Jacobo vindicavit; necnon S. Bonaventuræ, qui asseruit Confirmationem in quodam Concilio Meldensi post Apostolorum tempora institutam fuisse. Verum licet sententia, quam defendimus, fide Catholica certa non sit: vix tamen temeritatis notam effugeret, qui contrarium amplecteretur; neque enim aliquem theologorum reperire est, qui eam post Concilium Tridentinum defenderit.

Quæres 2. Quo tempore instituta fuerint a Christo singula legis novæ sacramenta?

Resp. quæstionem illam pertinere ad ea loca,

ea, in quibus dicetur inferius de auctore cujusvis in specie sacramenti.

QUÆSTIO V.

De Ministris Sacramentorum.

Not. Ministri Sacramentorum sunt, vel ordinarii, vel extraordinarii. Priores sunt ii, qui ex officio, & accepta in ordinatione potestate, secundum legem a Christo præscriptam sacramenta conficiunt, aut dispensant: alteri, qui præter legem illam ordinariam ad ea conficienda, aut dispensanda mitti possunt.

CONCLUSIO 1. Ordinarii sacramentorum ministri sunt homines viatores, sed non omnes, licet sint Christiani.

Probatur prior pars. Ii sunt ordinarii sacramentorum ministri, qui secundum legem a Christo præscriptam ea conficiunt, aut dispensant: atqui ii sunt homines viatores; nempe Christus homines viatores alloquebatur, cum in Evangelio sacramentorum confectionem, aut dispensationem præcipit: ergo &c.

Probatur altera pars. Si omnes homines Christiani essent ordinarii ministri sacramentorum, in Ecclesia ex institutione Christi non esset diversitas graduum, & officiorum, singula Ecclesiæ membra eumdem actum haberent: atqui id falsum est: *Quosdam quidem* (inquit Paulus 1. ad Corint. 12.) *posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* Præterea: Si omnes Christiani essent ordinarii ministri sacramentorum, omnes ad id missi essent a Christo: sed ad id omnes Christiani missi non sunt; neque enim omnibus dictum est: *Docete omnes gentes, baptizantes eos. Hoc facite in meam commemorationem. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo sensu singuli Christiani a Petro dicantur sacerdotes, dicemus agentes de Eucharistiæ ministro.

CONCLUSIO 2. Angeli possunt esse extraordinarii sacramentorum ministri.

Probatur. Ex observatis, ii possunt esse ministri extraordinarii sacramentorum, qui præter legem a Christo præscriptam, a Deo mitti possunt ad conficienda, aut dispensanda sacramenta: atqui Angeli ad id præter legem a Christo præscriptam mitti possunt: Nam sicut Deus suam virtutem non ita alligavit sacramentis, ut sine eis sacramentorum effectum operari non possit, ita etiam hominum ministerio non ita alligavit ipsorummet sacramentorum dispensationem, ut eam Angelis concedere non possit. Eo autem in casu Angeli, assumpto humano corpore, sacramenti formam proferrent.

Quæ mox dicta sunt, de sanctis Angelis intelligi debent: impia nimirum est hæc Lutheri assertio: *Si diabolus in specie hominis irreperet in officium pastoris, verum sacramentum conficeret.*

QUÆSTIO VII.

De requisitis in ministro Sacramentorum.

Not. 1. Ex parte ministri tria requiruntur, ut tum valide, tum licite sacramenta conficiat, aut dispenset, Intentio nimirum, Fides, Sanctitas.

Not. 2. Quæ ad intentionem in sacramentorum ministris requisitam pertinent, ad duo reducuntur: *Primo* quæri potest, an & quæ intentio requiratur: *Secundo*, quodnam debeat esse necessariæ intentionis objectum, seu quid velle debeat minister, qui sacramenta conficit, & confert.

CAPUT PRIMUM.

An & quæ intentio requiratur in Sacramentorum ministris.

Not. Intentio definitur, actus liber quo quis vult rem aliquam. Dividitur in Actualem, Virtualem, Habitualem, Interpretativam. Actualis est præsens rei volitio cum mentis attentione: ea autem attentio potest esse, vel ad rem volitam, vel ad actum, quo voluntas vult rem ipsam. Si primum, actualis intentio dicitur directa; si secundum, dicitur reflexa. Virtualis est, præsens rei volitio, sed absque mentis attentione, orta ex actuali intentione, quæ præcessit, nec fuit revocata, aut per multum tempus interrupta. Habitualis est intentio mere præterita, quæ licet per actum contrarium revocata non fuerit, multo tamen tempore fuit interrupta. Sumitur etiam alio modo pro facilitate, ac propensione ad operandum ex actibus repetitis comparata. Interpretativa est intentio, qua quæ vult rem non in se, sed in caussa. Actualem baptizandi intentionem habet minister, qui dum baptizat, advertit se baptizare: virtualem, qui actu quidem voluit baptizare, sed dum baptizat, propter evagationem mentis, non advertit se baptizare: habitualem qui heri volens baptizare, absque alia intentione hodie baptizat: interpretativam homicidii intentionem habet, qui sciens se in ebrietate solitum esse homines occidere, sese inebriat.

CONCL. In ministris, qui sacramenta conficiunt, & conferunt, requiritur vera, ac sincera intentio.

Probatur. In iis vera, ac sincera intentio requiritur, qui debent humano modo, seu libere conficere, & conferre sacramenta: atqui mini-

ministri debent humano modo, seu libere conficere, & conferre sacramenta: ergo in eis vera ac sincera intentio requiritur. Major constat; quia hoc discrimen est inter actionem humanam, seu liberam, & actionem hominis, seu necessariam, quod ista fiat sine intentione, seu electione, illa vero cum intentione, seu electione fiat. Unde probatur minor. Christus voluit, ut actio, per quam sacramentum conficitur, & confertur, sit actio humana, libera. Hinc majores nostri iterabant baptismum datum ab energumenis, quibus lucida intervalla non fuissent, ut patet ex Firmiliani Episcopi Cæsariensis ep. ad Cyprianum. Irritam quoque judicabant ordinationem a viris temulentis tentatam, ut patet ex Eusebio hist. l. 6. c. 33.

Objicies 1. Alexander Patriarcha Alexandrinus, ex Sacerdotum consilio probavit baptisma datum ab Athanasio puero cum sociis ad maris litus ludente: atqui in Athanasio tunc non fuit vera, ac sincera intentio, sed simulatoria tantum, & jocosa: ergo in sacramentorum ministris non requiritur vera, ac sincera intentio.

Major argumenti propositio constat ex Sozomeno hist. l. 2. c. 17. ubi sic loquitur: *Cumque solus esset Alexander, oculos convertit ad mare, illic visis eminus pueris, qui in litore ludentes, Episcopi officium, sacrosque ritus exprimebant. Quamdiu quidem scenam illam absque periculo esse animadvertit, delectabatur spectaculo: postquam vero arcana quoque mysteria exprimere cœperunt, perturbatus est animo, vocatisque ad se primoribus Cleri, pueros ostendit. Cumque eos comprehensos adduci jussisset, sciscitatus est ex iis, quisnam lusus ipsorum esset, & quid in eo dicerent, quidve agerent. Illi metu perculsi, initio quidem negarunt. Sed cum Alexander quæstioni instaret, confessi sunt, Episcopum, ac præsulem fuisse ipsis Athanasium, & quosdam pueros, qui nondum mysteriis initiati fuissent, ab illo esse baptizatos. Hos Alexander accurate interrogavit, quidnam ipsis dixisset, fecissetve ludi illius Episcopus, & quod ipsi respondissent, quidve edocti essent. Cumque omnia juxta ordinem Ecclesiasticum exacte in illis servata fuisse deprehendisset, communicato consilio cum Sacerdotibus, quos circa se habebat, censuit non rebaptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel percipere meruissent,*

Resp. 1. Sozomenum ex confuso tantum rumore, non autem ex probatis testibus, aut scriptoribus, factum illud referre: *Adhuc impuberi* (inquit) *ei accidisse fertur*. 2. Qua ratione in pueritia tunc versari potuit Athanasius, qui post duodecim annos electus est Alexandrinus Patriarcha, vide pag. 13. primæ edit. commentarii nostri de sacramentis. Sed dato, quod verum sit illud factum, ad argumentum respondeo neg. min. Quamvis enim Athanasius puer oblectationem animi sibi pro fine proposuerit, medium tamen ad illum finem conducens, hoc, est, celebrationem ritus, quo baptisma confertur, non repræsentative, nec jocose, sed vere, ac serio peregit; unde non quosvis pueros, sed catechumenos tantum abluit.

Quæres, an fide Catholica certum sit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, requiri aliquam veram ac sinceram intentionem?

Resp. Fide Catholica certum esse, in sacramentorum ministris requiri intentionem veram, ac sinceram, prout vera, ac sincera opponuntur mimicæ, & jocosæ: *Non debet pœnitens* (inquit Concilium Trid. sess. 14. cap. 6.) *adeo sibi de sua fide blandiri, ut etiamsi nulla ei adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit, putet tamen se propter solam fidem vere, & coram Deo esse absolutum.*

CONCLUSIO 2. Nec habitualis, nec interpretativa intentio satis sunt in ministro, ut sacramentum valeat.

Probatur. Eæ intentiones satis non sunt, ut sacramentum valeat, quibus in ministro suppositis, actio sacramentalis non censetur actio humana: atqui supposita in ministro duplici intentione, de qua agitur, actio sacramentalis non censetur actio humana; ut patet ex utriusque illius intentionis definitione superius tradita: ergo, &c.

Objicies. S. Th. 3. p. q. 64. art. 8. ad 3. docet, ad perfectionem sacramenti satis esse in ministro habitualem intentionem: ergo, &c.

Resp. tempore S. Thomæ omnem intentionem, quæ non erat actualis, vocatam fuisse habitualem; nondum enim virtualis nomen erat in frequenti scholasticorum usu. Confirmatur ex eo, quod S. Doctor habituali intentioni, de qua loquitur, tribuat id omne, quod aliquibus abhinc sæculis virtuali attribuitur; ibidem enim vult, ut illa habitualis intentio influat in actionem sacramentalem, ex vi actualis intentionis, quę præcesserit.

Hinc colligitur 1. discrimen esse inter ministrum, & subjectum sacramenti; in isto enim satis est intentio habitualis, nempe qui voluerit aliquando baptizari, nec propositum revocavit, valide tum in somno, tum in amentia, tum in morbo, in quo non est mentis compos, baptizatur: e contra in illo satis non est habitualis intentio. Colligitur 2. ei sufficientem intentionem non adesse, qui hodie Missam celebrat ex sola voluntate, qua heri statuerat se celebraturum, nempe ea voluntas non aliud est, quam habitualis intentio. Colligitur 3. falsam esse sententiam, qua quidam recentior asserit, valide, ac licite eum consecrare, qui semel tantum post ordinationem habet hanc inten-

tentionem : *Ego quoties in tota mea vita induam sacras vestes, accedam ad altare ut Sacrum aggrediar*; quasi vero intentio, quam aliquis a decem annis habuit, influere possit in consecrationem, quæ hodie tentatur. Præterea ea doctrina, prout asserit, non validam modo, sed etiam licitam esse consecrationem, de qua agitur, opposita est omnino reverentiæ, quæ tam sanctæ actioni debetur.

CONCL. 3. Ad conferendum, & conficiendum sacramentum, nec necessitate medii, nec necessitate præcepti in ministro requiritur intentio actualis, sed satis est virtualis.

Probatur prior pars. Illud non requiritur, quod non est semper in hominis potestate : atqui intentio actualis non est semper in hominis potestate ; neque enim fieri potest, ut diu attendat ad opus quod agit : ea tamen attentio ad actualem intentionem necessaria est, ut dictum est superius : ergo, &c.

Probatur altera pars. Ea intentio satis est in sacramentorum ministro, quæ satis est, ut actio sacramentalis sit humana, seu libera : atqui intentio virtualis ad id satis est; nempe est motus ad conficiendam actionem sacramentalem, ortus ex illius actuali electione. Hinc S. Thomas recte concludit, Sacerdotem, qui *accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia*, valide ac licite baptizare, quamvis in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, quia (inquit) *ex virtute primæ intentionis* perficitur sacramentum. Verum monendi sunt sacramentorum ministri, reverentiam, quam sacramentis debent, ab eis exigere, ut ad actualem intentionem conentur, quamdiu perdurat actio sacramentalis, cui dant operam.

CAPUT II.

De objecto intentionis in Sacramentorum ministris requisitæ.

Not. 1. Intentio in sacramentorum ministris requiritur, vel ut sacramentalis actio valeat, vel ut licita sit.

Not. 2. Tria sunt, quæ possunt esse objectum intentionis in sacramentorum ministro requisitæ ; primum est ritus exterior, seu applicatio formæ supra materiam : secundum est res illa sacra, quæ resultat ex debita applicatione formæ supra materiam ; seu est id, quod sacramentum dicitur : tertium est effectus sacramenti. Itaque minister potest velle 1. applicationem formæ sacramentalis supra materiam : 2. potest velle, ut ex ea applicatione resultet res illa sacra, quæ dicitur sacramentum : 3. potest velle productionem gratiæ, & impressionem characteris in subjecto, cui ritus exterior applicatur.

CONCL. 1. Ut ex parte ministri licita sit confectio, aut collatio sacramenti, requiritur, ut velit 1. ritum externum a Christo præscriptum : 2. ut ex illo ritu resultet sacramentum : 3. ut ritus externus debite applicatus subjecto recte disposito gratiam sanctificantem conferat.

Probatur. Ut minister licite conficiat, aut conferat sacramentum, debet omnia velle, quæ vult Christus, quæ vult Ecclesia ; par nimirum est, ut Christi, & Ecclesiæ minister, Christi & Ecclesiæ intentionem sibi proponat, atqui Christus & Ecclesia volunt, 1. ritum externum, hoc est, applicationem formæ supra materiam : 2. ut ex eo ritu sacramentum resultet : 3. ut ritus ille debite applicatus gratiam sanctificantem subjecto recte disposito conferat ; primum enim ordinatur ad duo posteriora, seu non alio fine Deus & Ecclesia volunt, ac jubent ritum externum, nisi ut ex eo resultet sacramentum, quod gratiam subjecto recte disposito conferat : ergo &c.

CONCL. 2. Ut sacramentum valeat, necesse est, ut minister, Ecclesiæ nomine, vere ac sincere velit celebrare ritum externum a Christo præscriptum.

Probatur 1. Ex Concilio Tridentino sess. 7. ut sacramentum valeat, minister debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia : ergo debet habere intentionem celebrandi ritum extremum a Christo præscriptum ; non enim aliud facit Ecclesia, cum baptizat Catechumenum, confirmat neophytum, consecrat Eucharistiam, absolvit pœnitentem, inungit ægrotum, conjungit marem & feminam. Atqui minister non potest habere intentionem celebrandi ritum externum a Christo præscriptum, nisi vere, ac sincere velit illum celebrare ; nempe intentio, cum sit interior voluntatis actus, necessario est vera ac sincera rei alicujus volitio ; neque enim voluntas potest, saltem efficaciter, interius velle aliquod objectum, quin illud sincere, ac vere velit.

Quæres, quandonam minister Ecclesiæ nomine vere ac sincere velit celebrare externum sacramenti ritum a Christo præscriptum?

Resp. id ministrum velle, quoties exterius serio se gerit tanquam Ecclesiæ ministrum. Sacerdos v. gr. qui a pœnitente postulatus, serio profert absolutionis formulam, vere ac sincere vult Ecclesiæ nomine externum sacramenti ritum a Christo præscriptum celebrare ; eum enim ritum vere ac sincere vult celebrare, quem vere ac sincere celebrat. Nec obest, quod dicat interius : *Nolo Ecclesiæ nomine sincere ac vere externum sacramenti ritum celebrare* : nam ea voluntas non celebrandi ritum illum, est mera velleitas, non autem vera, ac sincera voluntas in eo, qui

actum

actu, & de facto ritum illum serio celebrat. Se haberet minister, de quo agitur, sicut judex, qui dum pro tribunali sedens, & absolutionis aut condemnationis sententiam serio exterius proferens, interius diceret: *Nolo nomine regis sententiam illam serio proferre*: quemadmodum ergo in illo judice voluntas serio non agendi nomine regis, esset mera velleitas; ita etiam voluntas non celebrandi serio, ac nomine Ecclesiæ ritum sacramentalem a Christo præscriptum, esset mera velleitas in ministro, qui se gerens exterius tanquam Ecclesiæ ministrum, serio ritum illum celebrat.

CONCLUSIO 3. Ut valeat Sacramentum non requiritur, ut minister velit subjecto conferre effectum sacramenti, seu, aut characterem aut gratiam sanctificantem.

Probatur. Si ut valeat sacramentum, requireretur, ut minister velit subjecto conferre effectum sacramenti, irritum esset baptisma datum aut a paganis, aut ab hæreticis: atqui irritum non est: ergo, &c. Minor constabit ex iis, quæ dicentur inferius de ministro baptismatis: unde probatur major. Baptisma in systemate, quod impugnamus, irritum est, quando minister non vult effectum sacramenti, hoc est, gratiam sanctificantem subjecto conferre: sed nec pagani, nec hæretici volunt illam conferre; neque enim volunt id per sacramentum conferre, quod negant effectum esse sacramenti: atqui tum pagani, tum hæretici, saltem plerique, negant gratiam sanctificantem esse effectum sacramenti; ut videre est in Lutheranis, & Calvinistis, quibus placet, sacramenta non alium habere effectum, quam ut recipientes confirment in fide, qua credant, se esse in justorum ac prædestinatorum numero.

Confirmatur argumentum 1. auctoritate Augustini, qui epist. 23. sic loquitur: *Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos offerunt, ut gratia spiritali ad vitam regenerentur æternam; sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab ipsis hac intentione offeruntur.*

Confirmatur 2. auctoritate Concilii Rothomagensis, quod habitum est an. 1581. Vetat, ne, etiam sub conditione, iteretur baptisma a Calvinistis datum, quamvis certum sit, eos non baptizare in remissionem peccatorum, hoc est, eo fine, ut per baptismum peccata deleantur: *Antea* (inquit titulo de sacramentis cap. 11.) *in plerisque nostrarum Diœceseon locis baptizati ab hæreticis, præsertim a Calvinistis, redeuntes ad Ecclesiam Catholicam, iterum tingebantur sub hac verborum forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo; quia dubitabant nonnulli de valore baptismi ab hujusmodi hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum. Verum... vetamus ablutionem repeti cum quibuscumque verbis, a Calvinismo, aut aliis hæresibus similiter baptizantibus, ad nostras Ecclesias transeuntibus, ne de anabaptismo redarguamur.*

CONCL. 4. Ut valeat sacramentum, necesse non est, ut minister velit, ut ex externo sacramenti ritu, quem se gerens exterius tamquam Ecclesiæ ministrum, serio celebrat, resultet id, quod sacramentum dicitur.

Probatur. Non est absolute necessarium, ut minister velit resultare sacramentum ex externo ritu, quem, se gerens exterius tamquam Ecclesiæ ministrum, serio celebrat, si independenter ab ejus voluntate resultet: atqui revera resultat; siquidem sacramentum nihil aliud est, quam ipse externus sacramenti ritus a Christo præscriptus; nempe sacramentum est quoddam compositum, constans ex materia & forma: quemadmodum ergo voluntas artificis non potest impedire, quin compositum resultet ex materia & forma debite applicatis; ita nec minister potest impedire, quin ex externo ritu, seu ex debita conjunctione formæ cum materia sacramentum resultet. Velit, nolitve statuarius, imago regis resultat ex certa materiæ partium dispositione: ita etiam, velit nolitve minister, sacramentum resultat ex externo sacramenti ritu, quem, se gerens exterius tanquam Ecclesiæ ministrum, serio & libere celebraverit.

Objicies 1. Si non requireretur, ut minister velit sacramentum resultare ex externo ritu, quem Ecclesiæ nomine serio exterius celebrat, immerito Concilium Tridentinum damnasset Lutheranorum de intentione dogma: atqui falsum est consequens: ergo & antecedens.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia non ideo damnatus fuit Lutherus, quod vellet ad valorem sacramenti non esse necesse, ut minister velit sacramentum resultare ex externo ritu, quem serio celebrat; sed quod contenderet, valere sacramentum, etiamsi minister exterius serio ritum illum non celebret, immo etiamsi exterius mimum agat. Ea responsio confirmatur 1. ex eo, quod inter articulos Lutheri a Leone Papa damnatos iste legatur: *Si sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen pœnitens credat se esse absolutum, verissime est absolutus.* Confirmatur 2. ex Concilio Trid., quod quidem Lutheranum dogma condemnans, sic sess. 14. loquitur: *Nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocose* (exterius nimirum; alioquin enim a pœnitente cognosci non posset) *absolventem cognosceret, & non alium serio* (exterius) *agentem sedulo requireret.*

Objicies 2. Ex Concilio Tridentino, ad sacramentorum valorem requiritur in ministris intentio faciendi, quod facit Ecclesia: atqui non est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, in ministro, qui non vult, ut sacra-

cramentum resultet ex debita applicatione formæ cum materia. Siquidem in eo non est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, qui non habet intentionem Ecclesiæ: atqui minister, de quo agitur, non habet intentionem Ecclesiæ; nempe Ecclesia intendit sacramentum resultare ex conjunctione formæ cum materia: non enim ob aliud eas conjungit, quam ut ex iis sic conjunctis sacramentum resultet.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. maj. In eo non est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, qui nec habet partialem, nec totalem Ecclesiæ intentionem, conc. maj. Qui non habet totalem, sed partialem, neg. maj. Ut sacramentum valeat, non est necesse, ut minister habeat adæquatam, & totalem Ecclesiæ intentionem: alioquin requireretur, ut vellet per sacramentum gratiam sanctificantem producere, hoc est, baptizare v. g. in remissionem peccatorum; id nimirum vult, ac sibi proponit Ecclesia, quoties per suos ministros sacramenta dispensat: id tamen ad sacramenti valorem non esse necessarium, probatum est hujusce articuli conclusione secunda. Satis est ergo ad sacramenti valorem, ut minister habeat inadæquatam, & partialem Ecclesiæ intentionem; seu ut velit aliquid ex iis, quæ vult Ecclesia, dum sacramenta conficit, ac dispensat: quodnam autem ex iis, quæ vult Ecclesia, minister necessario velle debeat, exprimit Concilium Tridentinum, docens, requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: nihil vero aliud facit (quamvis alia sibi proponat) quam externum sacramenti ritum, seu nihil aliud operatur, quam conjunctionem formæ cum materia.

Objicies 5. Ex Concilio Tridentino, requiritur in ministro intentio faciendi, quod facit Ecclesia: atqui Ecclesia facit sacramentum: ergo in ministro requiritur intentio faciendi sacramentum: Sed in ministro non potest esse intentio faciendi sacramentum, nisi velit, ut ex ritu externo sacramentum resultet: ergo &c.

Resp. concesso toto argumento, disting. subsumptum: Sed in ministro non potest esse intentio faciendi, quod facit Ecclesia, nisi velit, saltem indirecte, ut ex ritu externo sacramentum resultet, conc. min. nisi velit directe, neg. min. Minister, qui se gerens exterius tanquam Ecclesiæ ministrum, serio formam cum materia conjungit, semper quidem non vult directe conficere sacramentum; sed id semper vult indirecte, quia vult nomine Ecclesiæ conjungere formam cum materia: ea autem conjunctio ipsummet est sacramentum, ut dictum fuit superius.

CONCLUSIO 4. Valet sacramentum datum a ministro, qui se gerens exterius tanquam Ecclesiæ ministrum, serio peragit ritum a Christo præscriptum, quamvis non tantum non velit interius sacramentum conficere, sed etiam quamvis positive nolit, hoc est, quamvis expresse dicat interius: *Nolo Sacramentum conficere*.

Probatur 1. Si Sacramentum in casu, de quo agitur in conclusione, non valeret, id contingeret, quod ministri voluntas impedire possit, ne sacramentum resultet ex debita, ac seria conjunctione formæ cum materia: atqui id ministri voluntas impedire non potest; nempe (ut sæpius observatum est) sacramentum ex Christi institutione nihil aliud est, quam seria conjunctio formæ cum materia, facta ab eo, qui se gerit exterius tamquam Ecclesiæ ministrum.

Probatur 2. auctoritate Augustini, qui l. 7. de Bapt. contra Donatistas, c. 53. asserit, *fallaces*, in Ecclesia, valide baptizare; eo enim principio utitur, ut solvat casum de mimo, qui initio jocans, postea subito conversus, extra Ecclesiam Catholicam serio recipit sacramentum: *Si nihil interest* (inquit) *ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cur extra sit non video, quando ille, qui accipit, non simulatione palliatur, sed religione mutatus est*. Atqui fallacium nomine S. Augustinus intelligit ministros, qui serio quidem exterius baptizant, sed interius, & apud seipsos dicunt, se nolle baptizare: ergo ex Augustino, valet sacramentum, quamvis minister positive nolit interius illud conficere, modo se gerat exterius tamquam Ecclesiæ ministrum, & formam serio cum materia conjungat. Probatur minor. Augustinus *fallacium* nomine intelligere tantum potuit ministros, aut exterius simulantes, ut in mimo, aut habentes affectum ad mortale, quos scholastici *fictos* vocant, aut serio quidem exterius agentes, sed interius simulantes: atqui duo priora non intelligit: Non primum, quia fallaces opponit baptizantibus in mimo: Non secundum, quia fallaces opponit veracibus, qui etiam extra Ecclesiam reperiantur; at veraces veritate præparationis, seu non habentes affectum ad peccatum mortale, extra Ecclesiam non reperiuntur; ergo intellexit tertium; ac proinde censuit, valere sacramentum datum a ministro, qui serio formam cum materia conjungens, interius positive non vult conferre sacramentum.

Probatur 3. variis argumentis. *Primo*: Si minister per suæ intentionis retentionem, seu, dum exterius serio sacramenti formam cum materia conjungens, dicit interius: *Nolo me gerere tanquam Ecclesiæ ministrum*; aut: *Nolo baptizare*, efficeret, ne valeret sacramentum, Ecclesia non probaret baptismum ab atheis hominibus datum: nempe cum impii illi homines non credant divinam Christi missio-

missionem, semper interius dicunt, se nolle ejus nomine agere. *Secundo*: Nemo posset esse certus de suo baptismate: neque enim sciri potest, an minister suam intentionem interius non retinuerit, dicendo: *Nolo baptizare*. *Tertio*, nemo posset esse certus, se esse in vera Ecclesia, nempe scire non posset, an ii, qui habentur tamquam pastores ac ministri, sint veri pastores, ac veri ministri; ut enim id sciat, necesse esset, ut certus esse posset eos, qui baptizarunt, aut ordinarunt pastores, suam intentionem minime retinuisse, dicendo: *Nolo baptizare: Nolo me gerere tamquam Ecclesiæ ministrum*: id autem quam absurdum sit, nemo non videt.

Objicies 1. Conclusio, qua propugnatur, valere sacramenta collata a ministro, qui se gerens exterius tamquam Ecclesiæ ministrum, & formam debite cum materia conjungens, interius dicit: *Nolo conferre Sacramentum*: *Non intendo quod facit Ecclesia*: *Nolo ut ex conjunctione formæ cum materia sacramentum resultet*, assertio est expresse proscripta ab Inquisitoribus Romanis coram Alexandro Papa VIII. nempe damnarunt propositionem hisce terminis expressam: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit*: *Non intendo quod facit Ecclesia*: ergo non valet sacramentum, de quo agitur in conclusione.

Resp. neg. ant. Scilicet nostra conclusio in duobus differt a propositione damnata. *Primo*, subjectum damnatæ propositionis est indefinitum: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat*, &c. ac proinde propositio est universalis, & intelligitur de baptismo collato a ministro, qui ritum externum, formamque baptizandi quacumque ratione exterius observat, *sive serio, sive mimice*: e contra subjectum nostræ conclusionis definitum est, & restrictum ad baptismum datum a ministro, qui exterius ritum externum, formamque baptizandi *serio* observat. *Secundo*, propositio damnata, cum (ut mox dictum est) æquivaleat universali, potest intelligi de baptismate serio quidem exterius dato, sed a ministro, qui a nulla extrinseca circumstantia determinatur ad agendum Ecclesiæ nomine; & sic falsa est omnino, non enim valeret baptisma domi serio exterius datum a ministro, qui a nemine postulatus, omnem ritum externum, formamque baptizandi observaret, intus vero in corde suo apud se resolveret: *Non intendo quod facit Ecclesia*: e contra nostra conclusio restricta est ad ministrum, qui ex circumstantiis extrinsecis, postulatione v. g. sacramenti, determinatur, ut sese gerat exterius tamquam Ecclesiæ ministrum. Uno verbo, non ob aliud Inquisitores sapientissimi, ac doctissimi proscripserunt propositionem, quæ nobis objecta est, quam quod, *etiam in sensu obvio*, seu in sensu quem præseferunt verba, ex quibus constat, insinuet damnatum in Concilio Tridentino Lutheri de intentione dogma, hoc est, valere sacramentum quod minister non serio, sed jocose exterius contulerit. Quantum autem ab impio illo dogmate aliena sit nostra conclusio, ex iis, quibus constat, terminis evidentissimum est.

CONCLUSIO 6. Ut sacramentum valeat, satis est, ut is qui se gerit exterius tamquam Ecclesiæ ministrum, & est revera, serio externum sacramenti ritum celebret.

Probatur. *Primo*, in ejusmodi ministro reperitur (ut ostensum est conclusione secunda) intentio faciendi, quod facit Ecclesia. *Secundo*, in ministro necesse non est, ut velit sacramenti effectum recipienti conferre: id enim tertia conclusione demonstratum est. *Tertio* (ut ostensum est conclusione 4.) non est necesse, ut minister velit sacramentum resultare ex externo illius ritu, quem, exterius se gerens tamquam Ecclesiæ ministrum, serio celebrat. *Quarto*, Sacramentum resultat ex externo ritu, quem minister se gerens exterius tamquam Ecclesiæ ministrum, serio peragit, quamvis ille minister interius positive nolit aut se gerere tamquam Ecclesiæ ministrum, aut intendere quod intendit Ecclesia, aut Sacramentum ex externo ritu resultare; id nempe probatum est conclusione quarta: ergo satis est ad sacramenti valorem, ut is, qui se gerit exterius tamquam Ecclesiæ ministrum, & revera, serio externum sacramenti ritum ac formam observet.

Confirmatur ex S. Thoma, qui ea omnia, quæ quatuor nostris postremis conclusionibus asserta sunt, docet in 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ubi sic loquitur: *Non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: & ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod contentionem contrariam exprimat*, Catechumenus *baptizatus est*. Senex non mutavit doctrinam, quam junior in sententias scribens docuerat; hæc enim habet in Summa, 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. *Alii melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum*. Eorum qui contra sentiunt, seu qui putant, intentionem serio celebrandi ritum externum satis non esse, ut sacramentum valeat, si minister interius dicat: *Non intendo quod facit Ecclesia*, evasiones præclusimus tom. 1. Commentarii nostri historici & dogmatici de Sacramentis, pag. 26. 27. & 28. primæ edit.

Objicies. Asserere, valere sacramentum ab eo datum, qui exterius se gerens tamquam Ecclesiæ ministrum, ac ritum externum, conjunctionem nempe formæ cum materia, serio celebrans, intus apud se resolvit: *Non intendo quod facit Ecclesia*, est asserere, exteriorem intentionem ministri satis esse, ut sacramentum valeat; atqui exterior intentio satis non est: nempe ubi Concilium Tridentinum definit, intentionem in sacramentorum ministris requiri, proprie, non autem metaphorice intelligi debet: ac proinde de sola intentione interna, siquidem externa non nisi metaphorice dicitur intentio, quia nimirum signum est internæ intentionis.

Resp. ad 1. dist. maj. Est asserere exteriorem intentionem esse sufficiens objectum mentalis intentionis in ministro requisitæ, conc. maj. esse ipsammet intentionem sufficientem in ministro requisitam, neg. maj. Disting. pariter min. Intentio exterior non est ipsamet intentio sufficiens in ministro requisita, conc. min. non est sufficiens objectum mentalis intentionis in ministro requisitæ, neg. min. Exterior intentio, quæ, ut jam observatum est, nihil aliud est, quam conjunctio formæ cum materia, nonnisi metaphorice dicitur intentio, quia nimirum est signum intentionis mentalis, quæ sola proprie dicitur intentio. Utraque est necessaria, ut minister valide sacramentum conficiat: interior quidem per modum principii, exterior vero per modum objecti sufficientis: seu necesse quidem est, ut minister interius velit sincere intentionem exteriorem, hoc est conjunctionem formæ cum materia; sed non requiritur, ut præter illam conjunctionem formæ cum materia, velit aliquid aliud: eam vero conjunctionem minister interius vult semper sincere, quoties deliberate eam serio exterius operatur: nec obest, quod interius dicat: *Nolo sincere operari conjunctionem formæ cum materia*: ea enim voluntas est (ut jam observatum fuit) mera velleitas quæ superatur ab absoluta voluntate efficiendi conjunctionem formæ cum materia, hoc est externum sacramenti ritum a Christo præscriptum. Itaque cum dicitur, *Exterior intentio satis est in ministro, ut sacramentum valeat*, profertur propositio æquivoca; quæ quidem vera est, si hæc verba *Satis est*, intelligantur de objecto sufficiente, falsa vero si de principio sufficiente.

Ex iis quæ toto hoc in articulo dicta sunt, patet, qua ratione solvi debeat casus, qui aliquibus abhinc annis contigisse fertur. Episcopus morti proximus sollemniter declaravit, se nullam unquam habuisse intentionem mentalem sacros ordines conferendi iis, quos serio exterius consecraverat. Quæsitum est, an ministri ab impio illo præsule consecrati sese alteri ordinationi cum formula conditionali recipiendæ subjicere deberent? Nonnullis doctoribus visum est, ea [illegible]ne consuli debuisse ordinatorum anxie[illegible]; aliis vero, e quorum numero fuit Saint [illegible] doctor Sorbonicus, censuerunt iterari [illegible] sub conditione non debuisse consecrati[illegible], qua, ab Episcopo de quo agitu[r] [illegible]ati fuerant. Cum istorum theologorum doctrina cohærent maxime quæ de intentionis objecto hucusque a nobis dicta sunt. Si quando similis casus ad Summum Pontificem deferatur, non aliud a nostro, ut opinamur, judicium feret. Si tamen aliter definiret, standum esset illius declarationi, ac judicio.

CAPUT III.

De fide ministri Sacramentorum.

Not. Fides potest esse necessaria ministro, vel ut sacramentum valeat, vel ut liceat. Hic igitur quærendum est 1. utrum valeant sacramenta ab hæreticis collata: 2. utrum licita sint ex parte hæreticorum conferentium: 3. utrum ex parte recipientium.

CONCL. 1. Valent sacramenta ab hæreticis collata.

Probatur. Ex sacramentis nonnulla characterem producunt, alia vero non producunt: atqui utraque ab hæreticis collata valent: ergo, &c.

Primo. Sacramenta quæ characterem producunt non iterantur in hæreticis qui redeunt ad Ecclesiæ sinum: ergo supponuntur valide in hæresi collata fuisse.

Secundo. Si sacramenta quæ characterem non imprimunt, valide non conferrentur in hæresi, id contingeret, vel defectu consecrationis requisitæ in sacramentorum ministris, vel defectu jurisdictionis; atqui neutrum dici potest: Non primum, siquidem recepta in hæresi consecratio satis est (ut mox observatum est) ut hæretici valide conficiant sacramenta, quæ characterem imprimunt: ergo etiam ut ea conficiant, quæ nullum imprimunt characterem: Non secundum, quia ad validam aliorum a Pœnitentia sacramentorum confectionem non requiritur potestas jurisdictionis, sed tantum potestas ordinis; hincque colligunt theologi, apostatas, schismaticos, excommunicatos valide consecrare Eucharistiam, valide ægrotos inungere, &c.

Tertio. Ipsum etiam pœnitentiæ sacramentum hæretici in casu extremæ necessitatis valide conferunt: nimirum omnibus omnino sacerdotibus Ecclesia eo in casu jurisdictionem concedit; ne, si vel unus sacerdos excipiatur, fideles æternæ damnationis periculo exponantur: *Pie admodum* (inquit Concilium Trident. sess. 13. cap. 7.) *ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio* *in*

in articulo mortis; atque adeo OMNES *Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis casibus, & censuris absolvere possent.*

Quarto. Prob. ri potest conclusio iis omnibus argumentis, quibus agentes de baptismatis ministro, ostendemus valere baptismum ab hæreticis immo & a paganis collatum.

Objicies 1. Illi valide non conferunt sacramenta, qui Ecclesiæ personam gerere non possunt: sed qui carent fide, non possunt Ecclesiæ personam gerere: siquidem ut quis Ecclesiæ personam gerere possit, requiritur, ut cum ea sit aliquo modo conjunctus: atqui ii, qui fide carent, nullo modo sunt conjuncti cum Ecclesia; sunt enim ab ea præcissi aut occulte, aut etiam manifeste: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. mai. neg. min. Ad 2. neg. min. nempe, qui fide carent, sunt cum Ecclesia conjuncti aut per ordinationem, qua secundum formam a Christo præscriptam initiati sunt, aut per intentionem; volunt enim (ut supponimus) id facere, quod facit Ecclesia: *Potestas ministrandi sacramenta* inquit S. Thomas 3. part. q. 64. art. 9. ad 3.) *pertinet ad spiritualem characterem, qui indelebilis est. Et ideo per hoc, quod aliquis ab Ecclesia suspenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi sacramentum, sed licentiam utendi hac potestate: & ideo sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo.*

Objicies 2. Hæc habet canon inter Apostolicos 45. *Episcopum, vel Presbyterum qui hæreticorum baptismum vel sacrificium admiserit, deponi jubemus*: ergo irrita sunt sacramenta ab Hæreticis collata.

Resp. conc. ant. neg. consen. Ratio est, quia canones qui vulgo dicuntur Apostolici, editi non fuerunt ab ipsis Apostolis, sed a variis provincialibus synodis quæ secundo & tertio sæculo in Oriente celebratæ sunt: qui in objectione laudatus est, videtur editus in Concilio Synadensi, in quo rebaptizatio, (quam tamen Ecclesia postea damnavit) a nonnullis Orientalibus Episcopis decreta fuit: unde nullius est ponderis desumptum ex eo canone argumentum.

CONCLUSIO 2. Quamvis qui fide carent valide sacramenta conficiant, illicite tamen conficiunt ac conferunt.

Probatur 1. Ii sacramenta illicite conficiunt & conferunt, qui ea jure nec conficiunt, nec conferunt: sed qui fide carent, jure sacramenta nec conficiunt nec conferunt; nempe conferunt ex Ecclesiæ nomine, a qua tamen ad eorum confectionem aut dispensationem minime mittuntur: unde qui extra Ecclesiam vel per hæresim, vel per schisma versantes, in Sacramenta manus injiciunt, usurpatores, latrones a Patribus appellantur.

CONCLUSIO 3. In casu extremæ necessitatis licitum est ab hæreticis, aliisque ministris extra Ecclesiam positis, Baptismum & Pœnitentiam recipere.

Probatur prior pars auctoritate Augustini, qui lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 11. sic loquitur: *Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace catholica custodita, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit quod erat in ipsa catholica unitate accepturus; si statim etiam de hac vita emigraverit, non eum nisi catholicum deputamus: Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, unde numquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime vereque laudamus, quia præsentem Deum credidit cordi suo ubi unitatem servabat, & sine sancti Baptismi sacramento, quod ubicumque invenit, non hominum, sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare*. In ea Augustini verba, *Not.* 1. loqui eum de solo extremæ necessitatis casu: *Si quem forte coegerit extrema necessitas*: Censuit igitur S. Doctor, extra illum casum minime licere. *Not.* 2. Augustinus asserit, casus, de quo agitur, solutionem, non esse opinionem, de qua qui pro libito disputare possit, sed certam doctrinam: *Securissime vereque laudamus.*

Probatur altera conclusionis pars. Ex dictis conclusione secunda, quilibet sacerdos, etiam hæreticus, potest a quibuslibet peccatis in casu extremæ necessitatis absolvere, idque concessum est ei ab Ecclesia, ne quis Christianus absolutionis defectu pereat; ergo cuique in casu extremæ necessitatis licitum est ab hæreticis petere pœnitentiæ sacramentum; alioquin enim frustra Ecclesia, ne fideles pereant, concessisset hæreticis in casu absolvendi potestatem, si fideles in iis angustiis absolutionem ab hæreticis licite petere non possent.

Objicies. Baptismatis aut Pœnitentiæ susceptio ab hæreticis, etiam in casu extremæ necessitatis, nonnunquam grave scandalum præbet; nempe hæresi, hæreticisque ministris auctoritatem conciliat, pluribus fidelibus est scandalo: ergo, eo saltem in casu, non liceret Baptismum, aut Pœnitentiam ab hæreticis recipere.

Resp. concedendo totum argumentum; nec enim adulto, qui per contritionem, quæ Baptismi aut Pœnitentiæ votum semper includit, suæ saluti potest consulere, sacramenta recipere licet cum damno Ecclesiæ, aut fraternæ salutis dispendio. At posito casu, quod baptizandus esset infans, si non esset alius, quam hæreticus minister, a quo baptizari posset, deberet illi offerri: nec enim alia ratione, quam per actualem bap-



ptismi collationem, potest hominis infantis saluti consuli. Si autem ex ea infantis oblatione oriretur scandalum, esset acceptum, non vero datum.

CONCLUSIO 4. Non licet (etiam secluso scandalo) ab hæreticis alia a Baptismo & Pœnitentia sacramenta recipere.

Probatur 1. Recipere sacramenta ab hæreticis, est cum eis in rebus maxime sacris communicare: atqui id non licet extra casum extremæ necessitatis; nusquam autem est ejusmodi extrema necessitas respectu aliorum sacramentorum a Baptismo & Pœnitentia, nempe præter duo illa sacramenta, nullum aliud est necessarium necessitate medii. Hinc canones, ut videre est in 46. Apostolico, excommunicatione mulctant, qui cum hæreticis oraverint, vel in aliquo spirituali communicaverint.

CAPUT IV.

De sanctitate ministri.

Not. DE sanctitate in Sacramentorum ministris requisita quæremus 1. utrum necessaria sit, ut sacramentum valeat: 2. utrum ministri in peccato mortali conficientes aut dispensantes sacramenta, lethaliter peccent. 3. utrum sacramenta petere liceat a ministris, qui sunt in statu peccati mortalis.

CONCLUSIO 1. Sanctitas, hoc est, status gratiæ, non requiritur in ministris, ut sacramenta valide conficiant.

Probatur 1. Illud non requiritur in ministris ut sacramenta valide conficiant, cujus privatio non potestatem ordinis, nec potestatem jurisdictionis tollit: atqui privatio sanctitatis nec potestatem ordinis, nec potestatem jurisdictionis tollit; ergo sanctitas non requiritur in ministris, ut valide sacramenta conficiant. Probatur min. Privatio sanctitatis non tollit donum gratis datum, hoc est, datum non ad propriam, sed ad aliorum sanctitatem: hinc in judicii extremi die reprobi sic Christum allocuturi sunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* atqui potestas ordinis & potestas jurisdictionis sunt dona gratis data, hoc est, collata ad aliorum salutem: ergo sanctitatis privatio nec potestatem ordinis, nec potestatem jurisdictionis tollit.

Probatur 2. ex SS. Patribus. Se habent sacramenta ex Gregorio Nazianzeno, Orat. 21. in S. Baptisma, sicut annulus insculptam habens Imperatoris imaginem; ex Augustino lib. 3. de Baptismo, c. 10. sicut lux solis quæ per cœnosa diffunditur, ex eodem Augustino Lib. 3. contra Cresconium c. 8. sicut ager qui a colono excolitur: atqui annulus, sive sit argenteus, sive ferreus, æqualiter valet ad Principis imaginem ceræ imprimendam: lux solis quæ per cœnosa diffunditur, non minus illuminat, quam quæ diffunditur per loca minime cœnosa: ager excultus a sordido colono non minus est fertilis, quam excultus a colono mundo: ergo sacramenta ab impiis ministris confecta non minus quoad substantiam & quoad effectum valent, quam quæ a piis confecta fuerint.

Probatur 3. ex Ecclesiæ judicio. *Primo*, Ecclesia Donatistas proscripsit, quod contenderent irrita esse quoad substantiam, & quoad operandi virtutem, sacramenta quæ ab impiis ministris confecta fuissent. Augustinus libris septem, quos de Baptismo contra Donatistas exaravit, totus est in eo errore confutando. *Secundo*, Concilium Constantiense eundem errorem in Wicleffo proscripsit: *Si Episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Tandem Concilium Tridentinum idem definit canone 12. sess. 7. *Si quis* (inquit) *dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit.*

Objicies 1. Ecclesiast. cap. 34. hæc habentur: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid prodest lavatio illius?* atqui minister qui caret sanctitate, coram Deo mortuus est: ergo non prosunt sacramenta quæ contulerit.

Resp. illum locum non intelligi de Baptismi sacramento, sed de purgatione ab immunditia legali contracta ex contactu cadaveris: unde sensus est, quod sicut inutilis est ablutio illa homini qui mox cadaver iterum tangit: ita peccati expiatio nihil ei prosit, qui statim in aliud labitur; unde sequitur: *Sic homo qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?*

Objicies 2. Ex Augustino lib. 3. de Baptismo, cap. 18. mali ministri non conferunt remissionem peccatorum: nec immerito: nec enim conferre possunt sanctitatem, quam non habent: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Non conferunt proprio nomine, conc. ant. Christi & Ecclesiæ nomine, neg. ant. *Remissam tamen peccatorum non dabant* (ait Augustinus de impiis Episcopis, sed in Ecclesia catholica permanentibus), *quæ per orationes sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur, quicumque baptizet, si ad ejus pacem illi pertinent quibus datur.* Ad confirmationem, dist. ant. Impii conferre non possunt sanctitatem, quam non habent aut in se, aut in sacramentis, conc. antec. quam non habent in se, sed habent in sacramentis, neg. ant. Sic

qui

qui domui facem ardentem admovet, comburit domum, quamvis non in se ipso, sed tantum in face qua utitur, ignem habeat.

CONCLUSIO. 2. Ministri qui in statu peccati mortalis sacramenta conficiunt aut dispensant, peccant lethaliter.

Probatur prior pars. Illi peccant, qui indigne sancta pertractant; est enim de jure naturali, ut sancta sancte pertractentur: atqui ministri, qui in statu peccati mortalis sacramenta sollemniter conficiunt aut dispensant, indigne sancta pertractant, cum irreverentia nimirum: ergo peccant. Confirmatur ex Augustino, qui lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 10. sic loquitur: *Omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.*

Probatur altera pars. Qui gravem rebus sacris infert injuriam, lethaliter peccat: atqui ministri qui in statu peccati mortalis sacramenta sollemniter aut conficiunt aut dispensant, gravem rebus sacris injuriam inferunt: *Et quia* (inquit S. Thom. 3. part. qu. 64. art. 6. in corp.) *hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.*

Confirmatur 1. Rituale Romanum Pauli Papæ V. jussu editum, hocce cuique sacramentum ministraturo monitum tradit: *Sacerdos, si fuerit peccati mortali sibi conscius, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam confessoris, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.*

Confirmatur 2. Concilium Aquense celebratum ann. 1574. sic loquitur: *Parochi igitur omnesque alii, ad quos cujusvis sacramenti administratio spectat, quam diligentissime videant, ne lethalis peccati labe infecti, dum aliorum saluti student, sibi æternæ sint damnationis ministri.*

Quæres 1. an sacerdos, qui privatim baptizat in statu peccati lethalis, peccet lethaliter?

Resp. Sacerdotem illum ne venialiter quidem peccare, si necessitas urgeat, & absit contemptus: *Sacerdos vel Diaconus in statu peccati mortalis baptizans, non peccaret in casu, in quo etiam possit laicus baptizare: sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti* (inquit S. Thom. 3. part. quæst. 64. art. 6. ad 3.); *secus in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus.* Notandum est, S. Thomam excipere, in casu de quo agitur, omnia alia a Baptismo sacramenta: *Secus* (inquit) *in aliis sacramentis*: hincque conficitur, parochum, qui in statu peccati mortalis absolutionem impertitur homini jamjam morituro, peccare lethaliter; nempe tenetur sese in eo statu servare, in quo, adveniente casu, tenetur sacramenta conficere.

Quæres 2. utrum qui Eucharistiam, vel a se, vel ab alio confectam, dispensat in statu peccati mortalis, lethaliter peccet?

Resp. affirmative. Ratio est, quia eo in casu sacerdos sese gerit tamquam Ecclesiæ ministrum: ac proinde necesse est, ut digne ministerium illud exerceat.

Quæres 3. an vir & femina, qui matrimonium in statu peccati mortalis contrahunt, peccent lethaliter, non tantum quod indigne sacramentum matrimonii recipiant, sed etiam quod illud sibi invicem ministrent?

Resp. negative in eorum sententia, quibus placet ministrum matrimonii, prout est sacramentum, esse solum sacerdotem, non autem contrahentes; secus vero in eorum opinione qui docent contrahentes sibi invicem Matrimonii sacramentum administrare.

Quæres 4. utrum diaconi, subdiaconi, acolythi, & alii minores ministri peccent lethaliter cum sollemniter obeunt suorum ordinum officia?

Resp. eos non peccare lethaliter in eorum opinione qui contendunt, solum Presbyteratus ordinem esse vere ac proprie dictum sacramentum. Inter eos, qui censent, dictos ordines esse sacramenta, nonnulli docent, propter materiæ levitatem, ministros, de quibus agitur, non peccare lethaliter in casu, de quo est quæstio: unde (inquiunt) si tunc sit sacrilegium, est sacrilegium leve, ei simile quod committeretur ab eo qui denarium in templo furaretur. Aliis e contra placet, ministros illos peccare lethaliter. In eam sententiam laudatur S. Thomas in 4. sent. dist. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 5. in responsione ad 4. ubi sic loquitur: *Quandocumque exhibet se in aliquo actu ut Ecclesiæ ministrum, mortaliter peccat, & toties mortaliter peccat, quoties hujusmodi actum facit . . . Unde quando ministri, in statu peccati mortalis existentes, tangunt res sacras quasi suo officio utentes, mortaliter peccant.*

CONCL. 3. Urgente mortis periculo, licitum est ab impiis ministris, etiam non toleratis, Baptismum & Pœnitentiam petere.

Probatur. Ex dictis capite superiore, licet, urgente mortis periculo, Baptismum & Pœnitentiam ab hæreticis petere & recipere: ergo a fortiori licitum est ea petere ac recipere a ministris, rectam fidem alioquin profitentibus, quamvis tolerati non sint, hoc est, quamvis suspensi, degradati, immo expresse excommunicati fuerint.

CONCL. 4. Licitum est, quævis sacramenta petere a parocho tolerato, quamvis impio, etiam extra mortis periculum, modo non sit alius sacerdos, a quo recipi possint.

Probatur prior pars *primo* auctoritate Martini Papæ V. qui dogma, de quo agitur in con-

conclusione, expresse definiit constitutione, quæ incipit, *Ad evitanda scandala*, quæque in Concilio Constantiensi promulgata est. *Secundo*, auctoritate Nicolai Papæ I. qui responso ad 71. ad consulta Bulgarorum sic loquitur: *Idcirco ab eo* (sacerdote in adulterio deprehenso) *usquequo Episcoporum judicio reprobetur, Communio percipienda est.*

Objicies. Qui ab impio parocho tolerato sacramenta petit, est ei scandalo; nempe inducit illum ad actionem, in qua scit eum mortaliter peccaturum; atqui non licet esse alicui scandalo, saltem extra necessitatis casum: ergo &c.

Resp. dist. maj. Est ei scandalo passivo, conc. maj. activo, neg. maj. Ratio est, quia fidelis petit a parocho rem sibi debitam, quamque parochus potest, si velit, sine peccato ei concedere. Quemadmodum qui ab usurario, urgente necessitatis casu, pecuniam mutuo accipit cum usura, illi non est activo scandalo, sed passivo tantum; ita & parocho, de quo agitur, fidelis non dat scandalum, sed parochus injuste a parochiani petitione scandalum accipit.

Probatur altera conclusionis pars auctoritate S. Thomæ, qui in 4. Sent. dist. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 5. ad 3. sic loquitur: *Quamdiu minister Ecclesiæ, qui est in mortali, ab Ecclesia sustinetur, ab eo sacramentum recipere ejus subditus debet; quia ad hoc est ei obligatus* (eo quod sit parochus): *Sed tamen præter necessitatis articulum non esset tutum; quod eum induceret ad aliquod sui ordinis exequendum, durante tali conscientia, quod ille in mortali peccato esset; quam tamen deponere posset, quia in instanti homo a divina gratia emendatur.*

CONCL. 5. Extra casum necessitatis non licet aliqua sacramenta recipere a ministro, qui scitur esse in peccato mortali, si ille minister non sit parochus, aut parochi vices agat.

Probatur. Vel minister de quo agitur in conclusione paratus non est ad conferendum sacramentum, vel est paratus: atqui in neutro casu licet ab eo sacramenta recipere. Non in priore, nam alias induceretur ad peccatum: nec obstat, quod res bona petatur: nam non est licitum rem bonam & minime debitam, nec absolute necessariam, petere ab eo, qui prævidetur eam rem male, hoc est, cum peccato, concessurum. Non etiam in secundo, quia non est licitum peccare volenti præbere occasionem peccatum exterius committendi: sic homini volenti se inebriare non licet suppeditare vinum, quo sese inebriaturus esset.

Objicies. Qui a ministro, de quo agitur in conclusione, sacramenta non reciperet, sæpe longo esset tempore absque sacramentorum participatione; ac proinde dispendium pateretur gratiæ, quam ex sacramentorum usu perciperet; ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est. 1. quia is cui abest sincera voluntas recipiendi sacramentum, nec recipit tamen, ut fraternæ in ministrum caritati consulat, non privatur gratia, quam alioquin per sacramenti usum recepturus esset.

QUÆSTIO VIII.

De subjecto Sacramentorum.

Not. NOmine subjecti sacramentorum intelliguntur ii, qui possunt sacramenta recipere. De iis autem quæri potest 1. quinam sint, 2. quænam in eis dispositiones requirantur.

CONCL. 1. Homines, & quidem soli, sunt subjectum capax sacramentorum.

Probatur 1. Ii soli sunt capax sacramentorum subjectum, quibus solis Christus voluit, ut sacramenta conferrentur: atqui Christus voluit, ut sacramenta solis hominibus conferrentur, nempe misit Apostolos, ut homines, non autem alias creaturas sacramentis initiarent; nec mirum, cum propter solos homines Verbum humanam carnem induerit, erexeritque Ecclesiam pretiosi sui sanguinis effusione divitem.

Objicies. Monstra, quæ exeunt ex mulieris sinu, nonnunquam baptizantur: atqui monstra non sunt homines: ergo alii ab hominibus sunt subjectum sacramentorum capax.

Resp. dist. majorem. Baptizantur cum dubitatur, an sint homines, conc. maj. cum certum est non esse homines, neg. maj. *Monstrum* (inquit S. Carolus in instructionibus Baptismi) *quod hominis speciem non præ se fert, non baptizetur, nisi primum Archiepiscopus vel Episcopus consulatur. Si autem dubitetur, an sit homo, baptizari debet sub conditione, dicendo: Si tu es homo, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

CONCL. 2. Rationis impotes valide possunt aliqua Sacramenta recipere, non autem omnia.

Probatur. Infantes, amantes qui nusquam sua ratione fruiti sunt, valide recipiunt Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, & Ordinem, non autem alia sacramenta. Ratio est, quia ad valide recipiendum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam & Ordinem, non requiruntur proprii suscipientium actus; secus vero in Pœnitentia, cum pœnitentis actus sint illius materia; secus etiam in Matrimonio, cum fiat per utriusque contrahentis partis consensum; secus denique in Extrema-Unctione, cum in subjecto præsupponat actualium peccatorum reliquias: neque enim dari potest iis, qui nunquam actualiter peccarunt.

CONCL.

CONCL. 3. Ut adulti, qui rationis sunt compotes, sacramenta recipiant, requiritur quidem aliqua intentio: sed nec actualis, nec virtualis requiruntur, immo satis est habitualis, & nonnunquam interpretativa.

Probatur prior pars. *Primo*, nusquam Ecclesia cuiquam adulto, qui suæ rationis compos fuisset, sacramenta contulit, nisi voluntatem ea recipiendi significasset, dum rationis usu frueretur: ergo credidit, aliquam in eo intentionem requiri; ea enim voluntas non aliud est, quam intentio. *Secundo*, par fuit, ut sacramenta non conferrentur iis, qui saltem exterius non testati fuissent se velle ea recipere: alioquin dari possent nolentibus, ac proinde Sanctum, contra Christi mandatum, nonnunquam canibus daretur.

Probatur altera pars. Ex dictis superius, intentio actualis est præsens rei volitio, cum attentione mentis ad rem, quam volumus; virtualis vero est præsens rei volitio sine mentis ad rem, quam volumus, attentione, sed non multum interrupta: atqui ex iis volitionibus neutra necessaria est, ut subjectum valide sacramenta recipiat: nimirum constans est Ecclesiæ praxis, ut sacramenta, uno excepto Matrimonio, & Eucharistia, propter irreverentiæ periculum, in casu necessitatis conferantur iis qui actu rationis usu destituti sunt, si ea aut viva voce, aut aliquibus aliis signis petierint: id patet in phreneticis, amentibus, & præ subito morbo ob stupescentibus, quibus Baptisma, Pœnitentia, Extrema-unctio conferuntur.

Probatur tertia conclusionis pars. Intentio habitualis est præteritæ rei alicujus volitio, quæ revocata non fuit: atqui præterita ea volitio satis est, ut subjectum valide sacramenta omnia, uno excepto matrimonio, recipiat, ut patet ex eo quod dormientibus, amentibus, phreneticis valide (ut mox dictum est) conferantur; dormientes autem, amantes, phrenetici non aliam habent quam habitualem intentionem, cum nec actualis nec virtualis sint capaces.

Probatur quarta Conclusionis pars. Intentio interpretativa definitur, volitio rei non in se immediate, sed in caussa: atqui ut subjectum valide quædam sacramenta recipiat, satis est ut ea voluerit in caussa: sic valide baptizaretur phreneticus, qui ante suam phrenesim testatus fuisset, se velle omnia Christi præcepta servare.

Quæres: quodnam debeat esse objectum intentionis in subjecto sacramentorum requisitæ?

Resp. 1. non requiri, ut habeat pro objecto, effectum a sacramento producendum; indeque colligitur, eum valide baptizari, qui nollet effectum Baptismatis, gratiam nimirum, aut caracterem recipere: inde etiam colligitur, valide nubere qui ex nuptiis nollet nexum indissolubilem contrahere.

Resp. 2. non esse necesse, ut intentio subjecti feratur explicite ad rem illam sacram, quæ resultat ex conjunctione formæ cum materia. Hincque colligitur, valide eum baptizari, qui libere se subjiciens ablutioni, quæ cum debita verborum prolatione catechumenis confertur ab Ecclesia Christiana, non intenderet rem sacram recipere. Ratio est, quia (ut dictum est cum egimus de intentione ministri) nolit velitve recipiens, ablutio, quam catechumenis confert Ecclesia Romana, res est omnino sacra.

Resp. igitur 3. satis esse ad sacramenti validitatem, ut is, qui sacramentum recipit, libere ac serio recipiat externum sacramenti ritum a Christo præscriptum. Ratio est, quia externus ille ritus, debita nimirum forma cum materia conjunctio, res est illa sacra quæ sacramentum appellatur; ac proinde qui libere ac serio se exterius tamquam Ecclesiæ catechumenum gerens, ritum illum recipit, velit nolitve, rem illam sacram recipit quæ sacramentum appellatur.

Confirmatur ex Innocentio Papa III. qui cap. *Majores*, definiit, valide in Hispania baptizatos fuisse Judæos, quamvis aliquanto post tempore contestati fuissent, se Baptismatis sibi dati receptioni *interius*, dum actu baptizarentur, contradixisse: ergo ex Innocent. III. satis est, ut ii qui sacramenta recipiunt, libere ac serio velint ritum externum a Christo præscriptum recipere: volunt autem illum libere ac serio recipere, quoties actu libere & serio exterius illum recipiunt: & si quam dicant se habere contrariam voluntatem, ea contraria voluntas non est absoluta voluntas, sed velleitas tantum, ei similis quæ reperiretur in homine, qui dum actu ac serio exterius loquitur, diceret interius: *Ego nolo loqui*. Consuli possunt quæ de hoc argumento scripsimus tom. 1. nostri Commentarii Historici & Dogmatici de Sacramentis, paginis 37. 38. 39. & 40. primæ editionis.

CONCL. 4. Ut sacramenta mortuorum licite recipiantur, requiruntur in adultis fides, spes, caritas saltem imperfecta: ut vero licite recipiantur sacramenta vivorum, requiritur in subjecto status gratiæ sanctificantis.

Probatur prior pars. Sacramenta mortuorum sunt duo tantum, Baptismum & Pœnitentia, quia ea duo tantum licite dantur hominibus coram Deo mortuis, hoc est, gratia sanctificante destitutis: atqui, ut licite baptismus recipiatur, trium virtutum theologicarum actus in catechumenis requiruntur, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. Ut autem etiam valide recipiatur Pœnitentiæ sacramentum, necessarius est actus caritatis, saltem imperfectæ, Dei super o-

 mnia:

mnia: nempe contritio est sacramenti Poenitentiæ materia: contritio autem (ut dicemus agentes de Poenitentia) essentialiter includit actum caritatis, saltem imperfectæ, Dei super omnia, hoc est, necesse est, ut dolor de peccatis concipiatur ex motivo imperfectæ caritatis Dei super omnia.

QUÆSTIO IX.

De effectibus Sacramentorum.

Not. DUo sunt sacramentorum effectus, Gratia quæ ab omnibus producitur, & Character qui ab aliquibus tantum. De duplici illo sacramentorum effectu hac in quæstione disseremus.

CAPUT PRIMUM.

De gratia, quam Sacramenta producunt.

Not. DE gratia, quam sacramenta novæ legis producunt, quæri potest 1. utrum re ipsa eam producant: 2. quænam sit illa gratia: 3. utrum producatur ex opere operato: 4. utrum physice vel moraliter.

ARTICULUS I.

Utrum Sacramenta novæ legis producant gratiam.

Not. OMnes hæretici recentiores negant, sacramenta novæ legis gratiam producere: nempe contendunt, ea non habere alium effectum, quam ut confirment fidem, seu persuasionem, qua fideles certo credant sibi peccata non imputari: unde ab iis definiuntur, fidei, non generalis quidem qua creditur Evangelium, sed specialis qua cuique fideli persuasum est, sibi per Christum remissa esse peccata, signa ac sigilla: *Sacramentum* (inquit Calvinus) *externum est symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo & Angelis, quam apud homines testamur*. Econtra Catholici omnes docuerunt semper, ac docent modo, omnia ac singula novæ legis sacramenta gratiam producere.

CONCL. Sacramenta novæ legis gratiam producunt.

Probatur 1. ex Scriptura. Ea gratiam producunt, quæ remittunt peccata, quæ conferunt Spiritum sanctum, quæ dant jus ad vitam æternam, quæ salvos faciunt recipientes: atqui ex Scriptura sacramenta novæ legis remittunt peccata, conferunt Spiritum sanctum, dant jus ad vitam æternam, salvos faciunt recipientes: ergo sacramenta novæ legis producunt gratiam.

Major propositio constat: neque enim aliud quam gratia remittit peccata, dat jus ad vitam æternam, salvos facit recipientes; unde probatur minor. De Baptismo hæc habentur Actor. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: hæc iterum ad Ephesios 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*: hæc etiam ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. De Confirmatione hæc leguntur Actorum 8. *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. De Eucharistia Joann. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. De Poenitentia Joannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. De Extrema Unctione Jacobi 5. *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*. De Ordine 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri*: Ergo Scriptura sacramentis novæ legis tribuit vim remittendi peccata, conferendi Spiritum Sanctum, dandi jus ad vitam æternam, salvos faciendi recipientes.

Probatur 2. auctoritate Patrum. *Primo* docuerunt, per Baptismum remitti peccatum originale. *Secundo*, asseruerunt sacrilegos esse, qui cum affectu ad peccatum mortale sacramenta novæ legis reciperent. *Tertio*, in eo mirati sunt Dei potentiam, quod per res corporeas hominis spiritum sanctificet. *Quarto*, statuerunt, vim producendi gratiam esse specialem sacramentorum novæ legis characterem: *Sacramenta Novi Testamenti* (inquit Augustinus in Ps. 67.) *dant salutem. Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem*. Lib. 19. contra Faustum asserit idem S. Doctor, sacramentis vim inesse inenarrabilem. *Quinto*, Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum, sui de sacramentorum efficacia ævi fidem hisce verbis proponit: *Illa* (loquitur de sacramentis Mosaicis) *non caussabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*. Ea patrum unanimi traditione nixum Concilium Tridentinum, hocce in Lutheranos intorsit anathema sess. 7. can. 6. De sacramentis in genere: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit*. Eo canone clare proponitur Ecclesiæ catholicæ fides de sacramentorum efficacia; clare etiam aperitur vana ac falsa Lutheranorum aliorumque sectariorum de iisdem sacramentis idea.

Objicies. Si novæ legis sacramenta gratiam pro-

producerent, seu justificarent impium, inanis esset Christi passio, cui tamen uni nostram debemus justitiam: Ergo, &c.

Resp. dist. major. si sacramenta novæ legis gratiam producerent tanquam caussa principalis, inanis esset passio Christi, conc. ant. si tanquam caussa instrumentalis; neg. ant. Christus sacramentis utitur, ut nos justificet: proindeque sacramenta sunt tantum caussa instrumentalis gratiæ, unde Apostolus ad Titum scribens, hac ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Præterea caussa principalis habet ex se virtutem operandi: Sacramenta vero eam habent aliunde, nempe ex una Christi passione: unde Patres scripserunt ea manasse ex Christi mortui latere. *Vigilanti* (inquit Augustinus Tract. 120. in Joannem) *verbo usus est Evangelista, ut non diceret*: Latus ejus percussit, aut vulneravit, *sed* aperuit, *ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita materque vivorum: magnum quippe significavit bonum ante magnum prævaricationis malum.*

Objicies 2. Quod gratiam præsupponit, non est illius caussa; nam caussa prior est suo effectu: atqui sacramenta novæ legis præsupponunt gratiam in subjecto, cui conferuntur; nempe a SS. Patribus dicuntur signa ac sigilla gratiæ: signa vero ac sigilla in subjecto præsupponunt id quod signant atque sigillant.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Dicuntur signa ac sigilla gratiæ, quod significent, & quasi sub sigillo exteriori contineant gratiam, conc. ant. quod eam tantum significent, aut fidem obsignent, seu subjectum (ut hæreticis placet) in fide speciali de accepta justificatione confirment, neg. ant.

ARTICULUS II.

Quænam sit gratia quæ producitur per sacramenta novæ legis.

Not. 1. GRatia dividitur a theologis in actualem & habitualem. Prior est motus transiens, quo anima ad pietatis opus excitatur; altera vero est forma, quæ animæ permanenter inhærens, ipsam sanctificat seu reddit Deo gratam.

Not. 2. Forma illa quæ dicitur gratia habitualis, seu sanctificans, vel est prima vel secunda: prima quidem, si aliam in subjecto non præsupponat, hoc est, si conferatur homini jacenti in peccato mortali: Secunda vero, si aliam in subjecto præsupponat, hoc est, si detur homini justo, id est, jam habenti gratiam sanctificantem.

Not. 3. Quædam est gratia omnibus sacramentis communis, quædam vero cuique sacramento peculiaris. Prior non alia est a gratia sanctificante, ab omnibus enim (ut superiori capite dictum est) sacramentis producitur; altera vero est jus quoddam ad auxilia actualia, quæ necessaria sunt ad consequendum cujusque sacramenti finem.

CONCLUSIO 1. Sacramenta non producunt gratiam actualem.

Probatur. Sacramenta non movent, non excitant animam ad pietatis opera: neque enim motus ejusmodi reperitur in infantibus qui Baptismate donantur; nec eos experiuntur adulti cum sacramenta recipiunt.

CONCLUSIO 2. Gratia, quæ per sacramenta producitur, est gratia habitualis.

Probatur. Illa gratia est habitualis, quæ sicut habitus permanenter inhæret subjecto, permanenter inhæret animæ: atqui gratia, quæ per sacramenta producitur, permanenter inhæret animæ, sicut habitus subjecto; in ea nimirum permanet, eamque reddit sanctam, donec per peccatum mortale deleatur: ergo gratia, quæ per sacramenta producitur, est gratia habitualis.

CONCLUSIO 3. Aliqua legis novæ sacramenta primam gratiam per se conferunt, alia vero secundam tantum.

Probatur. Ex observatis, prima gratia est ea, quæ confertur homini jacenti in statu peccati mortalis: atqui nonnulla sacramenta per se conferunt gratiam homini jacenti in statu peccati mortalis; nimirum Baptismus & Pœnitentia, quæ quidem ob id a scholasticis sacramenta mortuorum appellantur. Iterum ex observatis, gratia secunda est ea, quæ datur homini jam justificato; ob id enim dicitur secunda, quod aliam in subjecto præsupponat: atqui quædam novæ legis sacramenta producunt gratiam quæ datur homini jam justificato; ea vero sunt quinque, Confirmatio nimirum, Eucharistia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium, quæ ob eam rationem a theologis dicuntur sacramenta vivorum.

Quæres, utrum sacramenta vivorum, saltem per accidens, nonnunquam primam gratiam subjecto conferant?

Resp. sacramenta vivorum nonnumquam *per accidens* primam gratiam subjecto conferre: nempe cum impius liber ab affectu peccati ad ea accedit bona fide, seu inculpabiliter, ignorans se esse in statu peccati mortalis: *Qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet* (inquit S. Thomas 3. part. quæst. 79. artic. 3.), *forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote & reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati*. Observet lector, non esse fidei

fidei dogma, sed scholæ placitum, quod sacramenta vivorum per accidens nonnunquam primam gratiam subjecto conferant.

CONCL. 4. Quodlibet novæ legis sacramentum peculiarem sibi gratiam producit.

Probatur. Quodlibet sacramentum producit gratiam convenientem fini, ad quem ordinatur: *Divisiones gratiarum* (ait Bernardus sermone de cœna Domini) *diversis sunt tradita Sacramentis*. Sed unumquodque sacramentum ordinatur ad finem specialem: ergo gratiam sibi peculiarem producit.

In quo autem posita sit illa specialis gratia, diximus in hujusce capitis nota tertia, seu est jus quoddam ad auxilia specialia ad consequendum sacramenti finem. Sic Baptismus dat jus ad auxilia, quibus baptizatus christiani hominis officia exequi possit. Confirmatio dat jus ad ea quæ necessaria sunt, ut, data occasione, fidem christianam exterius coram tyrannis confiteatur. Eucharistia dat jus ad ea quæ requiruntur, ut quis in Christo manere possit; ad perseverantem enim eam mansionem Eucharistia specialiter ordinatur, juxta illud ipsiusmet Christi in Evangelio: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Pœnitentia dat jus ad auxilia, quæ necessaria sunt, ut homo peccata ac eorum occasiones fugiat, Deoque (ut par est) satisfaciat. Extrema unctio dat jus ad ea, quæ requiruntur, ut ægrotus patienter perferat morbi incommoda. Ordo dat jus ad ea, quæ necessaria sunt, ut quis sancte sacras functiones obeat. Matrimonium denique dat jus ad auxilia, quibus conjugum concupiscentia temperetur, quibus mutuam sibi ipsi servent fidem, patienti animo sese invicem tolerent, ac prolem sancte ac religiose instituant.

Quæ hucusque dicta sunt de gratia, quæ cuique sacramento specialis est, desumpta sunt ex S. Thoma, qui 3. part. q. 62. art. 2. sic loquitur: *Addit autem gratia sacramentalis super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem*.

ARTICULUS III.

Utrum Sacramenta novæ legis producant gratiam ex opere operato.

Not. Concipi potest, sacramenta producere gratiam duobus modis, nimirum aut *ex opere operato*, aut *ex opere operantis*. Priore modo eam producunt, si producant vi operis quod a ministro legitimo exterius exercetur, hoc est, vi conjunctionis formæ cum materia, & applicationis utriusque ad subjectum; e contra posteriore modo eam producunt, si agant ex vi probitatis ministri conferentis, aut ex dispositione subjecti recipientis.

Not. 2. Donatistæ contenderunt olim, sacramenta novæ legis producere gratiam *ex opere operantis*; id est, totam eorum efficaciam refundebant in sanctitatem ministri & dispositionem subjecti: Lutherani & Calvinistæ docent (ut articulo præcedente dictum est) ea nihil ad justificationem conferre, quippe (inquiunt) mera sunt signa, quibus fideles suam de data sibi per Christum justificatione persuasionem confirmant.

CONCL. Sacramenta novæ legis producunt gratiam *ex opere operato*.

Probatur 1. Ex observatis, illud producit gratiam ex opere operato, quod eam producit ex vi operis, quod a legitimo ministro exterius exercetur: atqui sacramenta sic eam producunt; nempe scripturæ ipsimet actioni sacramentali, hoc est, conjunctioni formæ supra materiam, & utriusque applicationi ad subjectum, gratiæ productionem tribuunt, ut videre est iis in locis, quæ præcedente articulo laudata sunt.

Probatur 2. Patres docuerunt sacramenta producere gratiam ex opere operato: siquidem ii docuerunt sacramenta producere gratiam ex opere operato, qui gratiæ productionem adscripserunt materiæ & formæ, ex quibus constant: atqui Patres gratiæ productionem adscripserunt materiæ & formæ ex quibus sacramenta constant: *Primo*, Justinus in apologia ad Antoninum imperatorem asserit nos baptizari, *ut remissionem ante commissorum peccatorum consequamur aqua*. 2. Tertul. lib. de Baptismo cap. 3. scribit, Baptismatis aquam vitam nobis conferre: *Primus liquor* (inquit), *quod viveret, edidit, ut mirum sit in Baptismo, si aquæ animare noverunt*. 3. S. Gregorius Nyss. Oratione in Baptismum Christi hæc ait: *Baptisma peccatorum expiatio, est remissio delictorum, renovationis, & regenerationis causa*. 4. S. Joannes Chrysostomus hom. 24. in Joann. hæc habet: *Quod est mater embrioni, hoc est fideli aqua; siquidem in aqua fingimur & reformamur*. 5. August. lib. 4. contra Cresconium cap. 16. asserit: *Non eorum meritis, a quibus ministratur, constare Baptismum, sed propria sanctitate atque veritate, propter eum a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem*. 6. Ecclesia quovis sæculo fideles docuit, Baptismum parvulis, etiam ab impiis ministris datum, conferre remissionem originalis peccati; atqui Baptismus ille non agit ex opere operantis, seu ex vi probitatis ministri conferentis, aut ex vi dispositionis subjecti recipientis: ergo agit ex vi sibi intrinseca, ex vi suæ institutionis, ex vi operis quod exterius exercetur, seu *ex opere operato*. 7. Tandem articulum, de quo

est hic quæstio; Concilium Tridentinum sub anathematis poena credendum præcipit Sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anathema sit.*

Objicies 1. Quod agit ex opere operato, non supponit aliquas dispositiones in subjecto: atqui tamen eas sacramenta supponunt; alioquin dicendum esset sacramenta iis prodesse, qui ea cum affectu ad peccatum mortale recipiunt.

Resp. neg. maj. Quamvis enim philosophi doceant, ignem per se ex operato agere, ea tamen loquendi ratione non negant, aliquas in subjecto, cui applicatur, dispositiones requiri, ut ignis effectum suum producat. Hinc licet Concilium Tridentinum definierit novæ legis sacramenta gratiam producere ex opere operato, sedulo curavit docere fideles, eas in subjecto prærequiri dispositiones, quas sigillatim recenset sess. 6. cap. 6. Lutheranos, qui ex eo, quod Ecclesia doceret sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato producere, eam calumniabantur quasi contenderent, sacramenta gratiam absque bono motu suscipientium conferre, damnavit sess. 14. c. 4. *Quamobrem* (inquit) *falsò quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: Quod nunquam Ecclesia Dei docuit ac sensit.*

Objicies 2. Voces istæ *ex opere operato*, novæ sunt, & præterea peccant contra grammaticæ regulas: nam operari est verbum deponens; ac proinde nonnisi per ignorantiam pro verbo passivo sumi potuit a Tridentinis patribus.

Resp. dist. maj. novæ sunt quoad syllabas, transeat major, quoad sensum, neg. maj. Consuevit Ecclesia pro casibus occurrentibus novas usurpare voces, ut antiqua exprimat dogmata: sic in Concilio Nicæno 1. adhibita est primum vox *Consubstantialis*, ut Verbi divinitas contra Arianos, verba quibus antea utebatur, in hæreticum sensum detorquentes, exprimeretur. Si quis vero scire voluerit, quo tempore voces illæ primum usurpari cœperint, consulat pag. 44. primæ edit. commentarii nostri historici & dogmatici de sacramentis, legat Innocentium Papam III. lib. *De officio Missæ*, cap. 5. legat quoque S. Thomam in IV. Sentent. dist. 1. q. 1. art. 5. Hoc in cap. Concilium Tridentinum ideo non habuit rationem regularum grammatices, quod cum Augustino judicarit, melius esse a Grammaticis reprehendi, quam a populis non intelligi.

Objicies 3. Scriptura fidei, non autem sacramentis adscribit gratiæ productionem: *Justus autem* (ait Apostolus ad Hebr. 10.) *ex fide vivit*: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Scriptura gratiæ productionem adscribit fidei tamquam dispositioni effectui sacramentali prærequisitæ, conc. ant. tamquam caussæ efficienti, neg. ant. id enim proprium est non fidei, sed sacramentis, juxta illud ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*; nec non juxta illud Christi apud Jo. c. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

ARTICULUS IV.

Utrum sacramenta novæ legis producant gratiam physicè, an vero moraliter.

Not. 1. Caussa duobus modis potest operari, vel moraliter, vel physice. Operatur moraliter, cum ipsa quidem non producit effectu, sed movet aliam caussam ad illum producendum: sic schedula dicitur operari moraliter, quia movet mercatorem, ut pecuniam numeret offerenti. Operatur physice, cum ipsamet effectum producit: propter eam rationem ignis operatur physice in appositum sibi pulverem, quia ipsemet ignis pulverem accendit.

Not. 2. circa quæstionem, *An novæ legis sacramenta physice, an vero moraliter, gratiam producant*, duplex est in scholis opinio. Scotistæ contendunt, eorum in gratiam & characterem actionem esse moralem tantum; Thomistæ vero docent esse physicam. Quid nos de ea controversia scholastica sentiamus, duplici conclusione dicemus.

CONCL. 1. Sacramenta novæ legis nec gratiam, nec characterem *physice* producunt.

Probatur 1. Ut sacramentum physice gratiam producat, necesse est, ut existat physice eo instanti, quo supponitur eam physice producere: atqui sacramentum non existit physice eo instanti, quo supponitur gratiam physice producere: Siquidem sacramentum supponitur gratiam physice producere tantum post prolationem ultimæ ex syllabis, ex quibus constat illius forma: Sed sacramentum tunc physice non existit: nam ut physice existeret, omnes illius partes tunc physice deberent existere: Atqui omnes illius partes tunc physice non existunt: neque enim cum profertur ultima formæ syllaba, existunt priores ejusdem formæ partes: sic cum in forma Baptismatis proferuntur hæc verba: *Spiritus Sancti*, physice non existunt præcedentia: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, &c.*

Confirmatur argumentum 1. ex Baptismate quod homini ficto, hoc est, habenti affectum ad peccatum mortale, datum est; nempe ejusmodi Baptisma tunc tantum producit gratiam, cum per contritionem affectus ad peccatum mortale tollitur: nonnumquam vero af-

affectus ille non tollitur, nisi post plures annos: evidens est autem tunc Baptisma physice non existere, ac proinde ipsum, in ea saltem suppositione, non posse physice operari.

Probatur 2. Ut sacramenta physice in animam operentur, necesse est ut animæ sint physice præsentia: neque enim caussa potest physice agere, ubi non est physice præsens: atqui sacramenta non sunt animæ physice præsentia; tum quia aliquando nec ipsummet hominis corpus physice afficiunt, ut patet in absolutione quæ datur homini moraliter tantum præsenti: tum quia sacramenta sint signa quædam materialia, quæ proinde spiritualem animæ substantiam afficere non possunt.

Confirmatur argumentum 1. ex eo, quod si sacramenta physice producerent gratiam, id fieret vel per generationem, vel per creationem: atqui neutrum dici potest. Non primum, quia generatio solis corporibus convenit; non secundum, quia ad creandum requiritur virtus infinita, nempe superanda est distantia infinita, ea nimirum quæ inter ens & nihilum reperitur: sed sacramentis, cum sint aliquid creatum, virtus infinita non convenit: ergo non producunt gratiam sanctificantem per actionem creativam.

Objicies 1. Scriptura docet, gratiam per sacramenta produci: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*; atqui præpositio *per* denotat actionem physicam, ut patet ex Joannis cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: ergo sacramenta producunt physice gratiam sanctificantem.

Resp. dist. min. Præpositio *per* denotat *aliquando* actionem physicam, quando nimirum caussæ, cui tribuitur, convenit physicus agendi modus, conc. min. Denotat *semper* actionem physicam, neg. min. neque enim physica actio intelligi deberet in hoc regis sermone: Totum exercitum *per* breviorem Epistolam moveo. Aliunde igitur quam ex præpositione *per* judicandum est, quandonam actio physica, aut moralis tantum intelligi debeat.

Objicies 2. Ex dictis superius articulo tertio, sacramenta novæ legis producunt gratiam ex opere operato: atqui producere gratiam ex opere operato, est eam producere physice: siquidem est eam producere vi applicationis formæ supra materiam, & utriusque ad subjectum: ergo quemadmodum illa applicatio est physica, ita etiam effectus qui sequitur ex illa applicatione, debet produci per actionem physicam.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia actio, per quam caussa existit, potest esse physica, quamvis actio, per quam effectus ab illa caussa producitur, non sit physica: id patet in schedula in qua continetur Regis de exercitu movendo mandatum, nempe ea schedula sit per actionem physicam, quamvis illius effectus, hoc est, motio exercitus, fiat tantum per actionem moralem.

Objicies 3. Concilium Tridentinum sess. 7. definiit, sacramenta novæ legis continere, & producere gratiam: atqui ille loquendi modus importat actionem physicam, ergo, &c.

Resp. neg. min. Ratio est, quia illi termini ex se sunt indifferentes ad significandam actionem physicam, aut actionem moralem: de schedula, ad cujus exhibitionem mercator ex pacto, quod iniit cum alio mercatore, præsentem pecuniam numerat offerenti, recte dicitur, quod pecuniam contineat, quod eam tribuat offerenti.

CONCL. 2. Sacramenta novæ legis gratiam & characterem moraliter tantum producunt.

Probatur 1. Duplex est tantum realis modus producendi gratiam & characterem, physicus nimirum & moralis: atqui modus physicus non convenit sacramentis novæ legis: ergo solus moralis convenit.

Probatur 2. Ex observatis, caussa tantum moraliter producit suum effectum, cum nihil aliud efficit, quam movere caussam a se distinctam ad illius productionem: atqui sacramenta nihil aliud respectu gratiæ & characteris efficiunt, quam movere caussam a se distinctam ad ejusdem gratiæ & characteris productionem: ergo sacramenta moraliter tantum gratiam & characterem producunt. Probatur min. Ex SS. Patribus sacramenta non attingunt ipsam gratiæ efficientiam: ergo illius respectu nihil aliud agunt, quam ut Deum moveant ad illius productionem. Probatur ant. August. Epist. 23. ad Bonifacium sic loquitur: *Aqua extrinsecus exhibens sacramentum gratiæ, & Spiritus Sanctus operans intrinsecus beneficium gratiæ*. Idem S. Doctor lib. 15. de Trinitate cap. 26. sic loquitur: *Neque enim aliquis discipulorum Christi dedit* (physice scilicet) *Spiritum Sanctum: orabant, ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant*.

Objicies 1. Si sacramenta novæ legis moraliter tantum gratiam continerent, ac producerent, non erat cur Concilium Tridentinum damnaret Lutheranos & Calvinistas; neque enim negabant ea continere gratiam eo modo quo schedula mercatoris continet pecuniam, quæ ex pacto numeratur exhibenti: atqui falsum est consequens: ergo & antecedens.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia Lutherani & Calvinistæ nullam neque physicam neque moralem, respectu gratiæ sanctificantis, efficientiam sacramentis tribuunt; neque enim concedunt, sacramenti collationem per se immediate aut gratiam producere, aut Deum movere, ut illam producat in iis qui sacramenta recipiunt. Nec id mirum est, quippe (ut superius ostensum est) con-

contendunt, sacramenta nullam aliam efficaciam habere, quam ut iis utamur tamquam exterioribus signis, quibus nostram de accepta independenter a sacramentis justificatione persuasionem confirmemus.

Objicies 2. Si sacramenta novæ legis gratiam moraliter tantum producerent, non differrent quoad operandi modum a sacramentis legis Mosaicæ: atqui falsum est consequens: ergo & antecedens. Probatur maj. Sacramenta legis Mosaicæ Deum movebant, ut gratiam conferret recipientibus: alioquin enim fideles absque spe alicujus fructus ea recepissent, quod est absurdum.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia sacramenta novæ legis, licet physice non producant gratiam, per se tamen, hoc est, ex sua institutione, eam moraliter producunt, seu eorum collatione Deus certissime ac infallibiliter ex lege sibi præscripta movetur ac determinatur ad eam subjecto, ut par est, disposito conferendam: e contra sacramenta veteris legis per se, seu ex sua institutione, non movebant Deum ad conferendam gratiam. Nec mirum; erant enim nuda ac mera signa extrinseca, quibus Judæi suam in Deum fidem profitebantur. Non major eis virtus inerat, quam fidei, quæ per ea exterius manifestabatur.

CAPUT II.

De charactere, quem Sacramenta producunt.

Not. Characteris nomine intelligitur signum quoddam spirituale & indelebile, ratione cujus sacramenta, per quæ producitur, iterari non possunt. De eo autem indelebile signo tria quæri possunt: 1. utrum per aliqua novæ legis sacramenta producatur; 2. in quo posita sit illius natura; 3. quænam sint illius proprietates.

ARTICULUS I.

Utrum aliqua novæ legis Sacramenta characterem imprimant.

Not. Lutherus, Zuinglius, Calvinus, aliique omnes recentiores hæretici negarunt, characterem per aliqua novæ legis sacramenta produci; e contra Ecclesia catholica docet characterem per tria sacramenta, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, produci.

CONCLUSIO. Aliqua, sed non omnia, novæ legis sacramenta producunt characterem.

Probatur prior pars. Ex observatis, producere characterem & producere signum indelebile idem sunt: atqui nonnulla sacramenta producunt signum indelebile, nempe per nonnulla sacramenta Deus *signat* eos, quibus conferuntur: *Unxit* nos Deus (inquit Apostolus 2. ad Corinth. 1.) *qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

Probatur 2. eadem prior pars auctoritate Basilii, qui Homil. 13. quæ est exhortatio ad Baptismum, comparat Deum cum duce exercitus, aitque quod quemadmodum exercitus dux suis militibus tesseram dat, ut ab hostibus discernantur; ita Deus iis, qui per Baptismum fiunt Christi milites, characterem imprimit, per quem discernuntur ab iis, qui per Baptismum nondum facti sunt milites Christi: *Tesseram* (inquit) *duces sub se militibus dant, ut amici facilius invicem se noscentes exhortentur, & si cum hostibus commisceantur, eo facilius discerni ac separari possint. Nemo te, quarum, nostrarum, an adversarii partium sis, noverit, nisi mysticis signis familiaritatem præ te ferat. Nisi characterem in te agnoscat angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?* Assertionem suam Basilius confirmat exemplo petito ab Ægyptiis, aitque, quod sicut Angelus Israelitarum domibus pepercit, quod signatæ essent, & e contra Ægyptiorum primogenitos occiderit, quod signati non essent, ita Deus iis tantum parcat, qui spirituali signo consignati fuerint: *An ignoras, quemadmodum signatas domos in Ægypto Exterminator præterit, in non signatis vero primogenita peremit?* Addit quoque comparationem ex thesauro, ex ove: *Thesaurus non obsignatus, furibus facile patebit. Ovis item absque nota, insidiis protinus est obnoxia.*

Probatur 2. auctoritate Augustini, qui variis in locis non solius rei per characterem significatæ, sed ipsius etiam characteris nominis meminit.

Primo, in Epistola 23. ad Bonifacium Episcopum, asserit, Baptismum ab impiis in Ecclesia datum ideo valere, quod characterem imprimat; idque probat ex eo, quod illum imprimat & apud hæreticos datum. *Si* (inquit) *Christiani Baptismi sacramentum, quando unum atque idipsum est etiam apud hæreticos, valet, & sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat: quæ consecratio reum quidem facit hæreticum extra Domini gregem, habentem Dominicum characterem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum consecrandum: quanto potius in Catholica Ecclesia etiam per stipula ministerium frumenta purganda putantur, ut ad massæ societatem mediante area perducantur?* Persuasum igitur fuit Augustino, Baptismum sive in hæresi, sive in Ecclesia datum, characterem imprimere.

Secundo. Idem S. Doctor Epistola 30. quæ est ad Bonifacium Comitem, probat, ideo pastorem sollicitum esse debere de ove, quæ

quæ schismaticorum artibus abducta est ex ovili, quòd character in ea etiam aberrante remanserit: *An (ait) non pertinet ad diligentiam pastoralem etiam illas oves, quæ non violenter ereptæ, sed blande leniterque seductæ, a grege aberraverint, & ab alienis cœperint possideri, inventas ad ovile Dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare, præsertim quoniam si apud fugitivos servos & prædones fecunditate multiplicentur, plus habet juris, quod in eis Dominicus character agnoscitur, qui in eis quos suscepimus, nec tamen rebaptizamus, non violatur?* Plura similia loca ibidem legere est, sed istud satis sit. Quærenti Donatistæ: *Quare ergo me non baptizas, ut abluis a peccatis?* respondet S. Pater: *Quia non facio injuriam characteri Imperatoris, cum errorem corrigo desertoris.*

Tertio. Idem S. Augustinus libro 2. contra Epistolam Parmeniani capite 13. quod seorsim de Baptismo dixerat, de eodem dicit conjunctim cum Ordine, hoc est, neutrum ex duobus illis sacramentis iterari posse, quod utrumque per quamdam detur consecrationem, quæ a subjecto, cui semel inhæserit, auferri non potest: *Illud quod quidam veritate convicti dicere cœperunt, Baptismum quidem non amittit, qui recidit ab Ecclesia, sed jus tamen dandi amittit, multis modis apparet frustra & inaniter dici. Primo, quia nulla ostenditur caussa, cur ille qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere: utrumque enim sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari.*

Quarto. Lib. 2. contra Litteras Petiliani, capite 104. confert Confirmationem cum Baptismo, atque, eam æque sacrosanctam esse, hoc est, æque consecrantem, ac ipse Baptismus; ac proinde eam non minus, quam Baptismus, in recipientibus characterem producere: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut & Baptismus.*

Quinto. Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, patet quam merito Concilium Tridentinum hocce contra Lutheranos intorserit anathema sess. 7. canone 9. *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spiritale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Objicies. Quod potest iterari, non producit characterem: atqui Confirmatio & Ordo possunt iterari; nempe de facto duo illa sacramenta quondam iterata sunt (Morino teste in libro de administratione sacramenti Pœnitentiæ, & in libro de sacris Ordinationibus), saltem si extra Ecclesiam ab hæreticis, aut schismaticis data fuissent: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. De facto duo illa sacramenta, invalide data, iterata fuerunt, conc. ant. valide data, neg. ant. Morinus contendit, duplex illud sacramentum, etiam secundum ritum a Christo præscriptum, extra Ecclesiam datum, fuisse invalidum, eo quod (inquit) Ecclesia editis a se canonibus ministros extra Ecclesiæ castra existentes reddidisset inhabiles ad ea conferenda, licet formam a Christo præscriptam adhiberent; eadem (addit) ferme ratione, qua consanguineos intra quartum consanguinitatis gradum reddidit inhabiles ad contrahendum matrimonium.

Responderi præterea potest, Morinum non fuisse assecutum Ecclesiæ mentem, cum asseruit eam editis a se regulis ministros extra illius sinum existentes reddidisse inhabiles ad conferendam Confirmationem & Ordinem: nempe agentes de Confirmatione & Ordine probabimus, duo illa sacramenta, etiam extra Ecclesiam data, nusquam iterata fuisse. Hic satis est lectorem monere, ut consulat Augustinum iis in locis, quæ hoc in articulo relata sunt.

Probatur altera conclusionis pars. *Primo.* Si omnia novæ legis sacramenta characterem imprimerent, illud dogma in Scriptura, aut in traditione reperiretur; sunt enim soli fontes, ex quibus erui possunt christianæ religionis dogmata; atqui illud dogma nec in Scriptura, nec in traditione reperitur; scilicet cum characteris meminerunt, tria tantum sacramenta, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem recensent. *Secundo.* Ea tantum sacramenta producunt characterem, quæ iterari non possunt: atqui tria tantum iterari non possunt, quia dantur per quamdam consecrationem, non autem cetera. *Tertio.* Decuit, ut ex Christi institutione alia a Baptismo, Confirmatione & Ordine, sacramenta iterarentur, quia per totam hominis vitam perdurant infirmitates, quæ iis sacramentis curantur; quippe non una vice, sed multoties committunt peccata, contra quæ quatuor sacramenta Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio & Matrimonium instituta fuerunt.

ARTICULUS II.

De natura characteris.

Not. Circa naturam characteris qui per nonnulla sacramenta producitur, triplex est scholasticorum sententia. Durandus asserit esse meram denominationem extrinsecam, ortam ex eo, quod homo ad aliquid aut recipiendum, aut agendum, a

Deo

Deo sit electus. Scotus contendit, characterem esse relationem realem, quam homo de novo accipit ad quædam agenda, aut recipienda. Sanctus Thomas docet, characterem esse accidens absolutum simile gratiæ sanctificanti, quæ ab omnibus legis novæ sacramentis producitur.

CONCLUSIO 1. Character non est mera denominatio extrinseca.

Probatur. Quod animæ imprimitur, non est mera denominatio extrinseca; neque enim denominationes extrinsecæ imprimuntur subjecto cui tribuuntur, ut patet ex denominatione consulis in eo qui aliquando consulatum gessit: atqui character, ex Concilio Tridentino, imprimitur animæ: ergo non est mera denominatio extrinseca.

CONCLUSIO 2. Character non est ens relativum.

Probatur. Ens relativum non producitur, sed ex fundamento ac termino resultat: atqui character producitur, nimirum oritur ex reali actione sacramenti in animam: ideo enim anima charactere insignitur, quod per quamdam sui consecrationem, Baptismum, Confirmationem & Ordinem recipiat.

CONCL. 3. Character est accidens absolutū.

Probatur. Character est ens reale, cum sit effectus, qui sequitur ex actione reali: atqui illud ens reale non est ens relativum, ut mox ostensum est: ergo est ens absolutum.

Objicies 1. Homo per characterem habet relationem ad quædam sacramenta; per eum enim redditur capax ad quædam recipienda, & ad alia conferenda: ergo character est ens relativum.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Ratio est, quia licet ex charactere quædam in homine relatio resultet, non sequitur, quod character sit ens relativum: neque enim necesse est, ut fundamentum, ex quo relatio resultat, sit ens relativum.

Objicies 2. Character nihil aliud est, quam quædam animæ modificatio: atqui ea modificatio non est ens absolutum: ergo neque character.

Resp. 1. negari posse min. Ratio est, quia qualitates absolutæ, ut patet in calore, non minus modificant subjectum, cui inhærent, quam qualitates relativæ.

Resp. 2. neg. maj. quia modificatio animæ, seu aptitudo ad aliqua sacramenta recipienda, & ad alia ministranda, est effectus characteris, qui per sacramenta producitur, non vero ipsemet character.

ARTICULUS III.

De proprietatibus characteris.

Not. TRes sunt characteris proprietates: *Primo*, est indelebilis: *Secundo*, subjecto quamdam confert idoneitatem: *Tertio*, creaturis tantum, non autem Christo, convenit. Sed hæc sigillatim explicanda sunt.

CONCL. 1. Character est indelebilis. Ita Concilium Tridentinum.

Probatur. Si character deleretur, id contingeret, vel ratione subjecti quod posset desinere, vel ratione sui ipsius; atqui neutrum dici potest. Non primum, nam characteris subjectum est anima, quæ cum sit immortalis ab intrinseco, nusquam potest desinere. Non secundum, quia character nihil habet contrarium; neque enim fingi potest aliquod peccatum, quod ipsi contrarium sit, cum (ut dictum est superius) in hæreticis, apostatis, desertoribus remaneat.

Confirmatur argumentum. Se habet character animæ impressus, sicut imago principis impressa monetæ: atqui indelebilis est ea imago, quamdiu moneta integra remanet: ergo, &c. Augustini est illa comparatio; sic enim loquitur lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13. *Si aliqui furtim & extra ordinem in monetis publicis aurum, vel argentum, vel æs percutiendo signaverint: cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis, aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus congeretur? . . . An forte minus hærent sacramenta christiana, quam corporalis hæc nota, cum videamus nec apostatas carere Baptismo, quibus utique per Pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur?*

Objicies. Character, qui per sacramenta producitur, deletur ex anima, saltem cum per mortem a corpore separatur: ergo non est omnino indelebilis. Probatur ant. Tunc character desinit, cum desinit finis ad quem imprimitur animæ: atqui cum anima per mortem a corpore separatur, desinit finis, ad quem imprimitur animæ, nimirum exterior cultus divinus; neque enim in altera vita Deus coletur per quorumdam sacramentorum receptionem, aut administrationem; ad quem tamen cultum his in terris character ordinatur.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. dico characterem ordinari non tantum ad exteriorem Dei cultum, sed etiam ad gloriam & dignitatem subjecti quod illo insignitum est: *Et ideo* (inquit S. Thomas 3. part. quæst. 63. art. 5. ad 3.) *post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam: sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, & in his qui vicerunt, ad gloriam, & in his qui sunt victi, ad pœnam.*

CONCLUSIO 2. Character quamdam subjecto ad externum Dei cultum confert idoneitatem.

Probatur. Illud quamdam ad externum Dei cultum idoneitatem confert, quod ipsum reddit

reddit aptum ad alia sacramenta, tum recipienda, tum ministranda: atqui character subjectum suum reddit aptum ad alia sacramenta tum recipienda, tum ministranda: in Baptismate v. gr. character hominem reddit aptum ad alia sacramenta recipienda, ita ut (una excepta Eucharistia) irrita sint sacramenta, quæ quis non baptizato conferre tentaverit: in Confirmatione neophytus redditur idoneus, quo fidem catholicam, etiam publice, coram infidelibus, aut hæreticis confiteatur: in Ordine consecratur, ut fideli populo sacramenta dispenset.

Confirmatur a simili. Se habet Ecclesia (servata tamen debita propportione) sicut respublica terrena: quemadmodum igitur in republica terrena aliud est signum, quo nonnulli in civium numerum cooptantur, aliud quo adscribuntur militiæ, aliud tandem quo publicis obeundis muneribus deputantur: ita in Ecclesiâ alius est character, quo catechumeni Christi familiæ cooptantur, alius quo militiæ, alius denique quo sacris functionibus obeundis deputantur; prior est Baptismus, alter est Confirmatio, tertius vero est Ordo.

CONCL. 3. Sola creatura capax est characteris sacramentalis.

Probatur. Illud ens tantum est capax characteris, quod imperfecte tantum potest habere ministerium ecclesiasticum: atqui sola creatura potest imperfecte habere ministerium ecclesiasticum: ergo, &c. Major constat, quia character non est ipsum substantiale ministerium, sed illius tantum participatio, ac proinde imperfectionem includit in suo conceptu formali. Hinc patet, characterem non fuisse in Christo sacerdote: perfectum scilicet est Christi sacerdotium, quippe oritur non ex participata aliqua qualitate, sed ex principio substantiali intrinseco, quod quidem non aliud est, quam hypostatica Verbi unio cum humana natura; per eam enim unionem Christus est (ut loquuntur) formaliter sacerdos.

QUÆSTIO X.

De proprietatibus Sacramentorum.

Not. DUæ sunt sacramentorum in genere proprietates, Dignitas nimirum & Necessitas.

CAPUT PRIMUM.

De dignitate Sacramentorum.

CONCL. SAcramenta novæ legis non sunt æqualis inter se dignitatis.

Probatur 1. auctoritate Concilii Tridentini, quod quidem sic habet sessione 7. canone 8. *Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita inter se esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

Probatur 2. Sacramenta considerari possunt, vel quoad substantiam, vel quoad effectum, vel quoad ministerium, vel quoad mysterium seu significationem: atqui ex nullo ex iis capitibus sacramenta sunt æqualis inter se dignitatis. Nam *primo* Eucharistia secundum substantiam præstantior est ceteris sacramentis. *Illud* (inquit Concil. Trid. sess. 13. c. 3.) *in ea excellens & singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: At in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est.* In aliis sacramentis continetur quidem gratia sanctificans, sed in Eucharistia continetur ipsemet sanctitatis auctor. *Secundo.* Baptismus ratione effectus cetera omnia sacramenta superat, cum non tantum peccati culpam, sed etiam totam pœnam deleat. *Tertio.* Confirmatio dignior est aliis sacramentis quantum ad jus gratiæ, quæ necessaria est ad confitendam coram tyrannis fidem: in eum enim finem ab ipsomet Christo fuit instituta. *Quarto.* Pœnitentia aliis præeminet quantum ad delendum peccata post Baptismum commissa. Extrema autem Unctio quantum ad depellendas & abstergendas peccatorum reliquias. *Quinto.* Ordo ratione ministri præstantior est aliis sacramentis, quia a solo Episcopo conferri potest; alia vero a simplici sacerdote, saltem tamquam extraordinario ministro. *Sexto.* Tandem Matrimonium ceteris quantum ad significationem præeminet, nempe exhibet unionem Christi cum Ecclesia: *Sacramentum hoc magnum est* (inquit Paulus ad Ephes. 5.) *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

CAPUT II.

De Necessitate Sacramentorum.

Not. 1. NEcessitas duplex est, alia absoluta, alia convenientiæ. Prior est ea, per quam res ita ad aliquem finem requiritur, ut sine ea finis, quacumque facta suppositione, comparari non possit. Altera est ea, per quam res absolute quidem potest haberi, sed non eo modo qui imbecilli nostræ naturæ congruat.

Not. 2. Certum est sacramenta homini lapso non esse priori modo ad salutem necessaria: Deus enim alia via quam per sacramenta nostræ saluti consulere potuisset. Difficultas igitur est tantum de necessitate convenientiæ, seu quæritur, an habita ratione imbecillis nostræ naturæ, sacramenta sint ad salutem necessaria.

Not. 3. Necessitas convenientiæ duplex est; medii & præcepti. Prior est ea, per quam facta

facta aliqua suppositione, Dei v. gr. institutione, res aliqua ita necessaria est ad finem, ut sine ea finis haberi non possit; posterior est ea, per quam res præcipitur quidem, sed tamen sine ea finis comparari potest.

CONCLUSIO 1. Duo sunt in nova lege sacramenta necessaria necessitate medii ad salutem, Baptismus nimirum & Pœnitentia.

Probatur. Ex observatis, ea sunt ad salutem necessaria necessitate medii, sine quibus, ex institutione Christi, æterna salus comparari non potest: atqui sine Baptismo in nova lege æterna salus a nemine comparari potest, juxta illud Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: A nullo pariter, qui post Baptismum lapsus sit, sine Pœnitentiæ sacramento comparari potest: nam alioquin frustra Christus Apostolis fecisset potestatem remittendi peccata: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

CONCLUSIO 2. Ordo & Matrimonium sunt Ecclesiæ necessaria necessitate medii, sed non singulis in individuo fidelibus.

Probatur prior pars. Illud est Ecclesiæ necessarium necessitate medii, sine quo Ecclesia deficeret: atqui sine Ordine & sine Matrimonio Ecclesia deficeret; neque enim sine Ordine posset habere patres, nec sine Matrimonio filios: at deficeret Ecclesia, si aut deessent patres, aut filii, nempe definitur plebs adunata pastori.

Probatur altera pars. Quisque fidelis in particulari potest sine Ordine & Matrimonio habere gratiam sanctificantem, per Baptismum nimirum & per Pœnitentiam: ergo nec Ordo, nec Matrimonium cuiquam fideli necessaria sunt necessitate medii ad salutem.

CONCLUSIO 3. Confirmatio, Eucharistia, omnibus adultis necessariæ sunt necessitate præcepti divini affirmativi.

Probatur. Illud est omnibus adultis necessarium necessitate præcepti divini affirmativi, cujus receptionem omnibus fidelibus adultis Christus injunxit: atqui Christus omnibus fidelibus adultis injunxit usum Confirmationis & Eucharistiæ, ut agentes de illis in specie sacramentis dicemus: ergo, &c.

CONCL. 4. Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium aliquibus, sed non omnibus fidelibus, necessaria sunt necessitate præcepti divini.

Probatur. Extremæ Unctionis præceptum iis impositum est, qui periculose ægrotant: *Infirmatur quis in vobis? inducat* (ait Spiritus Sanctus apud Jacobum cap. 2.) *presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Ordo iis præceptus est, quos Ecclesia per suos pastores vocat ad Ecclesiæ ministerium: quemadmodum ergo peccant, qui illum absque divina vocatione usurpant: ita & peccant ii qui ad illum (ut par est) vocati, illum accipere detrectant. Matrimonium iis tantum præcipitur qui absque illius usu castitatem servare non possunt: Unusquisque nimirum suum donum habet a Deo: qui igitur, nisi tamen aliunde prohibeantur, in eo casu non nuberent, peccarent contra præceptum divinum. Quæ hucusque breviter de singulorum sacramentorum necessitate dicta sunt, fuse, de singulis in specie differentes, exponemus.

QUÆSTIO XI.

De Cæremoniis ad Sacramenta spectantibus.

Not. 1. CÆremonia definitur externus ritus ab Ecclesia ad Dei cultum institutus: in hoc autem differt ab ipsa sacramentorum confectione, quod sacramentorum confectio ab ipsomet Christo instituta ac præcepta fuerit; cæremoniæ vero ab Ecclesia, aut per Apostolos tamquam pastores, aut per episcopos, qui sunt Apostolorum in pastoratu successores.

Not. 2. De cæremoniis, quatuor quæri possunt: 1. utrum quovis sæculo in sacramentorum administratione adhibitæ fuerint: 2. utrum utilis sit earum usus: 3. an Ecclesia eas suis ministris præscribere potuerit: 4. quale sit peccatum earum omissio.

CAPUT PRIMUM.

Utrum in Sacramentorum administratione cæremoniæ semper adhibitæ fuerint.

Not. 1. NOn est hic quæstio de quavis sacramentorum administratione, sed tantum de sollemni. Nempe certum est, sacramenta, urgente necessitate, Baptismum præsertim, absque cæremoniis aliquibus confecta ac dispensata fuisse.

Not. 2. Non est etiam quæstio, utrum eædem cæremoniæ ubique semper adhibitæ fuerint; neminem enim latet, varios fuisse, salva sacramentorum substantia, eorumdem sacramentorum conficiendorum, aut dispensandorum ritus, tum in Occidente, tum in Oriente: In quo autem posita sit ea rituum varietas, fuse disseruimus in nostro commentario Historico & Dogmatico de sacramentis.

CONCL. In sollemni sacramentorum administratione cæremoniæ semper adhibitæ fuerunt.

Probatur. Id semper in administratione sacramentorum adhibitum est, cujus quovis sæculo Patres meminerunt: atqui quovis sæculo Patres meminerunt cæremoniarum adhibitarum in sollemni sacramentorum administratione: ergo semper adhibitæ fuerunt.

Probatur min. *Primo*, ex Tertulliano, qui floruit labente II. sæculo: is libro de Corona militis sigillatim recenset plerasque ex cæ-

ex cæremoniis quæ suo tempore in sollemni Baptismatis administratione adhibebantur: *Aquam adituri ibidem* (ait) *sed & aliquando prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo & pompæ & Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus, ex quo ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus*. Subjicit & ritus, quibus Eucharistia dispensabatur: *Eucharistiæ* (ait) *sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam Præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis, annua die facimus*. Totus ille Tertulliani de Corona militis liber est de cæremoniis, quæ illius ævo erant in usu.

Secundo, S. Cyprianus epist. 76. ad Magnum meminit ritus quo Exorcistæ, antequam cathecumeni baptizarentur, dæmonem adjurabant, ut liberas dimitteret eorumdem catechumenorum animas: *Quod* (inquit) *hodie etiam geritur, ut per Exorcistas voce humana & potestate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus*. Idem S. Martyr in Epist. ad Cæcilium recenset & explicat ritum, quo Ecclesia vinum Eucharisticum aqua temperabat, & nunc etiam temperat.

Tertio, S. Cyrillus Hierosolymitanus, totus est in suis Catechesibus Mystagogicis, ut Baptismatis, Confirmationis, & Eucharistiæ, quæ tunc catechumenis simul conferebantur, cæremonias proponat, ac explicet. Catechesi 1. meminit ritus quo ante Baptismum catechumeni abrenunciabant diabolo & pompis ejus. Catechesi 2. fuse describit eorumdem catechumenorum inunctionem: *Deinde vero jam exuti, exorcizato oleo, a summis capillis ad infimos usque peruncti estis, & participes effecti fructiferæ illius Oleæ Jesu Christi*. Catechesi 4. recenset vestem albam, quam recenter baptizati per aliquot dies deferre tenebantur: *Ita sane exutis vestibus antiquis, & iis, quæ sunt secundum spiritum alba, indutis, perpetuo jam in albis incedere oportet*. Catechesi 5. sigillatim refert ritus in Missæ sacrificio adhiberi consuetos: eæ autem cæremoniæ ita sunt eædem cum iis quas nunc usurpamus, ut a Præfatione usque ad Missæ finem nostræ ex Cyrillo de verbo ad verbum descriptæ esse videantur; *Clamat Sacerdos: sursum corda; vere enim circa illam maxime tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est. Vos deinde respondetis, Habemus ad Dominum: Nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat: Habemus ad Dominum: mente vero circa hujus vitæ curas vagetur. Dicit deinde Sacerdos: Gratias agamus Domino*: & ita de reliquis, quæ etiam nunc usque ad Missæ finem usurpantur.

Quarto, Qui vel a limine salutarunt antiquos canones, norunt, Pœnitentiæ sacramentum non sine sollemni ritu administratum fuisse. Nam 1. pœnitentes variis in classibus probabantur, antequam absolverentur a peccatis: 2. Absolutionem præcedebant variæ orationes, quas sacerdos una cum plebe fundebat; 3. ipsam absolutionem comitabatur manuum impositio, quæ quidem ob id ab Augustino ceterisque Patribus passim reconciliatoria aut in Pœnitentiam dicitur.

Quinto, Gregorius Magnus, a quo, ineunte septimo sæculo, editum est Sacramentarium, recenset ritus varios, qui sua ætate in Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & aliorum sacramentorum administratione servabantur.

Sexto, tandem, demonstrari potest ex monumentis cujusvis sæculi, Ecclesiam a suis incunabulis ad hæc usque tempora, nusquam sine cæremoniis sollemniter administrasse novæ legis sacramenta. Consuli possunt, quæ de singulorum ritibus scripta sunt a nobis *in Commentario Historico & Dogmatico de Sacramentis*.

Quæres, quinam in Ecclesiam christianam primi cæremonias invexerint.

Resp. ipsosmet Apostolos in Ecclesiam christianam cæremonias invexisse. Nam 1. Augustinus Epist. 118. quæ est ad Januarium cap. 6. docet, Paulum præscripsisse morem quo fertur, ut Eucharistia extra casum necessitatis nonnisi a jejunis sumatur. 2. Constat, usum exorcismorum in conferendo Baptismate, ineunte tertio sæculo, usurpatum fuisse, nec non & aliorum rituum, quos jamjam ex Tertulliano retulimus; tunc autem ii ritus adhiberi non cœperunt: *Harum* (inquit mox laudatus Tertullianus) *& aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix*: igitur illorum rituum institutio, cum eorum initium in aliquibus plenariis conciliis non legatur, in ipsos Apostolos refundi debet, juxta hanc Augustini regulam Epist. 118. ad Januarium: *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata atque statuta retineri*.

CAPUT II.

Utrum utilis sit cæremoniarum usus.

Not. 1. CAlvinus a sacramentorum administratione exclusit omnes cæremonias, quarum scriptura non meminit, caussatus eas esse Judaismi ac paganismi reliquias, quibus sacramentorum virtus obscuretur.

Not. 2. Non agitur de omnibus cæremoniis, sed de iis tantum, *quæ* (ut ait Concilium Tridentinum sess. 22.) *ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint*. Quæ enim a privatis quibusdam hominibus requisita ad ferendas leges auctoritate destitutis invectæ fuerint, rejiciendæ sunt a publico Ecclesiæ cultu; ac præsertim ab administratione sacramentorum: *Quod autem* (inquit August. Epist. 119.) *instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum, etiamsi multa ejusmodi propter nonnullarum vel sectarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo*.

CONCLUSIO. Utilis est in sacramentorum administratione cæremoniarum usus.

Probatur 1. Illud est utile, quod Patres ab Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora ubique terrarum usi sunt: neque enim nisi impie asseri potest, totam Ecclesiam rebus vanis ac inutilibus a sui exordio ad hoc usque sæculum usam fuisse: atqui (ut præcedenti capite demonstratum est) Ecclesia a suis incunabulis ad hæc usque tempora ubique terrarum cæremoniis usa est in sollemni sacramentorum administratione: ergo utilis est earum usus.

Probatur 2. enumeratione fructuum qui ex externis cæremoniis colligi possunt. *Primo*, aliquæ juvant intellectum, ut facilius sacramenti vim ac effectum cognoscat; sic ex exorcismis qui baptismati præmittuntur, intelligitur baptisma delere peccatum originale. Usus est nimirum eo argumento Augustinus, ut tum peccati originalis existentiam, tum baptismi virtutem adversus Pelagianos assereret. *Sed* (inquit lib. 6. contra Julianum cap. 5.) *etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur; verum tamen est, quod antiquitus veraci fide catholica prædicatur & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum & a principe mortis erueret: quod in libro meo, cui velut respondes, a me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi qua princeps mundi & a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses*. Eadem ratione argumentatur lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 34. lib. 2. cap. 26. *Secundo*, iidem Patres ritibus usi sunt, ut populos in mysteriorum fide confirmarent. Ambrosius termino *Amen*, quem fideles respondebant sacerdoti, qui dum Eucharistiam ministraret, dicebat, *Corpus Christi*, utitur, ut fideles confirmet in fide de reali Christi præsentia in Eucharistia: *Tu* (inquit lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. 9.) *dicis, Amen, hoc est, verum: quod os loquitur, mens interna fateatur*. Tandem *tertio*, Patres ex cæremoniis argumentati sunt, ut fidelium veluti ponerent ob oculos mysteria quæ in sacramentis reconduntur. Cyprianus mixtione aquæ cum vino Eucharistico usus est, ut creditum sibi populum doceret, non solum Christum, sed totam cum ipso Ecclesiam Deo Patri in Eucharistiæ sacrificio offerri: *Quando autem* (inquit in Epistola ad Cæcilium) *in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur, & jungitur*.

Objicies 1. Cæremoniæ sunt quædam aut Judaismi aut etiam Paganismi reliquiæ: ergo ab Ecclesia christiana debent exsulare. Probatur ant. Judæi exorcismis utebantur, hincque factum est, ut in Ecclesiam invecti sint: gentiles inunctionibus quibusdam suos initiabant, adgeniculationibus, aliisque ritibus inter sacrificandum utebantur: ergo videtur, quod ex iis ad Christianos cæremoniæ fluxerint.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Judæi, & gentiles cæremoniis utebantur in finem diversum ab eo, propter quem iis utimur, conc. ant. in eumdem finem, neg. ant. Judæi suis ritibus Christum futurum prænuntiabant, Christiani vero præsentem adorant: gentiles suis cæremoniis dæmonibus cultum exhibebant, Christiani autem Deo vero & viventi. An rejiciendi aut retinendi sint aliqui ritus, non ex eorum substantia judicandum est, sed ex fine, ad quem adhibentur; ac proinde cum sanctus sit is, propter quem Christiani iis utuntur, apud Christianos sancti sint oportet.

Nec obstat, quod fere iisdem Judæi aut gentiles quondam usi sint: nempe jam olim Patres observarunt, diabolum suis æmulis illusisse ritibus, qui ad nostros propius accederent: *Diabolus cujus sunt partes intervertendi veritatem* (inquit Tertullianus lib. de Præscriptionibus Hæreticorum cap. 11.) *ipsos quoque res sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam utique credentes & fideles suos, expositionem delictorum de lavacro repromittit; & si adhuc memini, mithra signat illic in frontibus milites suos. Celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit. Quod & summum Pontificem unius nuptiis statuit, &c.* Videri potest de eodem argumento S. Augustinus lib. 20. contra Faustum, capite 21.

Objicies 2. Nonnullæ sunt in sacramentis

cæremoniæ, quæ nihil conferunt ad docendos fideles sacramentorum aut effectum, aut mysterium: ergo ex saltem rejiciendæ sunt.

Resp. dato anteced. neg. conseq. Ratio est, quia ritus non tantum instituti sunt ad facilius intelligendum sacramentorum aut effectus aut mysteria, sed etiam, ut per eos tum ministrorum, tum recipientium excitentur pietas ac reverentia. *Maxime decuit* (inquit Catechismus Romanus cap. de sacramentis in genere §. 8.) *sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur... Deinde vero mentes illorum qui eas intuentur, & diligenter observant, fidem in eis & caritatem excitant.*

Objicies 3. Cæremoniæ distrahunt animam a contemplatione sacramentorum: ergo rejici debent ab eorum administratione. Præterea satius est, nuda mysteria fidelibus proponere, quam ea ritibus exterioribus involvere: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. propter rationes quæ ad conclusionis probationem allatæ sunt: Ad 2. nego pariter ant. Rationem hisce verbis reddit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 5. *Cum natura hominis ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero clariore, in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, luminaria, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione, quo & majestas tanti sacrificii commendetur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

CAPUT III.

An Ecclesia cæremonias præcipere potuerit.

Not. HEterodoxi fatentur, Ecclesiam tum in Occidente, tum in Oriente quovis sæculo plures adhibuisse cæremonias in sacramentorum administratione: verum ex iis nonnulli contendunt, Ecclesiam nusquam eas cæremonias ministris præcepisse: addunt alii, nec potuisse præcipere: hincque concludunt, adhiberi quidem posse nonnullos ritus in administratione sacramentorum, sed contendunt ministros pro libito posse vel eos omittere, vel in alios, ut libuerit, immutare.

CONCLUSIO 1. Ecclesia potuit cæremonias in sollemni sacramentorum administratione servandas præcipere.

Probatur 1. Ecclesia (ut dicetur in tractatu de legibus) potest leges ferre, quæ non solum in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ christianos ligent; juxta illud Christi in Evangelio: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis*: ergo potuit quosdam ritus in confectione & collatione sacramentorum adhibendos præcipere: cum enim ii ritus ad divinum cultum pertineant, sunt debita legis ac præcepti materia.

Confirmatur argumentum 1. ex controversia de Paschate inter Victorium Papam & Orientales Episcopos. Illis Victor minatus est excommunicationis pœnam, si Pascha deinceps cum Judæis celebrarent, hoc est, Luna 14. Martii, in quamcumque hebdomadæ diem incideret. Irenæus Lugdunensis Episcopus Papam hortatus est quidem, ut schismatis vitandi caussa temperaret ab actuali in Orientales excommunicatione: sed non usus est principio quod docent heterodoxi, *nimirum Ecclesiam non posse præscribere ritus aliquos*; ex quo tamen principio facile conclusisset iniquas fuisse excommunicationis minas, quas Victor Orientalibus intentaret. Concilium Nicænum I. eosdem Orientales qui adhærerent ritui, quem Victor Papa damnarat, mulctavit excommunicatione, eosque sub Quartodecimanorum nomine, hæreticis accensuit.

Confirmatur 2. idem argumentum ex innumeris Conciliorum canonibus, summorum Pontificum decretis, quibus anathema in eos intorquetur, qui certos quosdam ritus non servaverint. Iis igitur Conciliis, iis Pontificibus persuasum fuit, Ecclesiam rituum aliquorum observationem posse præcipere; alioquin enim iniquum fuisset anathema, quo prioribus etiam sæculis rituum præscriptorum omissionem castigavit.

Probatur 2. Licet (ut suo loco dictum est) Christus omnium ac singulorum novæ legis sacramentorum materiam & formam, etiam in specie, determinaverit; non determinavit tamen modum, quo aut forma proferri, aut materia applicari debeat. Sic quamvis in baptismo ablutionem præceperit, non præcepit tamen modum quo illa ablutio fieri debeat, per aspersionem nimirum, aut infusionem, aut immersionem; sic etiam in Eucharistia determinavit quidem panem pro materia, sed non determinavit, an ille panis debeat esse azymus, an fermentatus: Eum igitur modum quo forma proferri debet, indicative vel deprecative; quo materia subjecto debet applicari, Ecclesiæ determinandum reliquit: *Et ideo* (inquit Augustinus Epistol. 118.) *non præcepit quo deinceps ordine* (Eucharistia) *sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum: nam si monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset.* Atqui modus proferendi formam, aut applicandi materiam, est id quod cæremoniam dicimus: ergo Christus Ecclesiæ suæ fecit potestatem cæremonias ad usum sacramentorum præcipiendi.

Obji-

Objicies. Antiqua Ecclesia nonnullos ritus sub gravibus pœnis, anathemate v. g. & depositione, præcepit quidem: verum id juris injuste sumpsit sibi: ergo ex præteritis factis male colligitur, Ecclesiam posse præscribere, ut ritus aliqui in administratione sacramentorum adhibeantur.

Resp. neg. ant. Ratio est 1. quia jus, de quo agitur, nititur Evangelii verbis: *Quæcumque ligaveritis, &c. Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* 2. Adversariorum argumentum reos facit usurpatæ potestatis non ignaram & parum piam plebem, sed martyres sanctissimos, doctissimos præsules, omnium conciliorum patres: ii nimirum martyres, præsules, ac patres, leges aut privatim aut in Conciliis de ritibus in sacramentorum administratione servandis, promulgarunt.

CONCL. 2. Ecclesia non tantum potuit ritus præcipere, sed etiam reipsa præcepit.

Probari potest 1. conclusio canonibus, legibus, statutis, quæ agentes de cujusvis in specie sacramenti tum antiquis tum novis ritibus, retulimus in nostro Commentario Historico & Dogmatico de sacramentis, ex quo lector in hoc ceterisque capitibus desumere poterit, quæ brevitati studentes hisce theologicis Institutionibus non possumus inserere.

Probatur 2. speciali exemplo desumpto ex baptismate. Ecclesia præcepit olim, ut baptisma per triplicem immersionem conferretur: *Si quis Episcopus vel presbyter* (inquit canon quinquagesimus ex iis qui passim Apostolici dicuntur, quique continent disciplinam tribus prioribus sæculis servari solitam in Oriente) *non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur*: ergo Ecclesia præcepit nonnullos sacramentorum ritus. Idem dici debet de vino Eucharistico aqua temperando, de quo loquitur Cyprianus in Epistola ad Cæcilium.

Respondent adversarii, liberum fuisse cuique baptismatis ministro, triplicem adhibere mersionem, vel unam tantum.

Sed quantum aberrent, demonstratur 1. ex eo quod canon Apostolicus omissionem trinæ mersionis, depositione plectat: tanta vero pœna non infligitur pro omissione rerum quæ stricte (ut loquuntur scholastici) præceptæ non fuerint. 2. Leander Episcopus Hispalensis, ineunte septimo sæculo, Gregorium Magnum consuluit de ministris quibusdam catholicis, qui per unam immersionem in Hispaniis baptizabant, ne darent locum Arianis qui triplici immersione utebantur, ut triplicem in Trinitate substantiam adstruerent: atqui frustra de eo facto Leander Gregorium consuluisset, si cuique baptismatis ministro liberum fuisset, aut trinam, aut unam tantum immersionem adhibere. 3. Summi Pontifices pluries quidem de fide & moribus consulti fuerunt ab Episcopis, sed multo sæpius de ritibus interrogati sunt: atqui immerito de iis toties fuissent a viris alioquin doctissimis interrogati, si ritus ab Ecclesia imperati non fuissent.

CAPUT IV.

An peccent qui in administratione Sacramentorum non servant præscriptos ritus.

Not. 1. Non est hic quæstio de sacramentorum administratione, cum urget necessitatis casus: constat enim tunc rituum omissionem licere: satis est, ut iis in circumstantiis ea adhibeantur, quæ sacramento sunt essentialia; sed quæstio est de administratione sollemni, hoc est, quæ fit extra necessitatis casum.

Not. 2. Non est quoque quæstio, an peccent ii qui ex contemptu, aut cum scandalo ritus, de quibus agitur, prætermittunt: quippe certum est illicitum esse cujuscumque rei sacræ contemptum; nusquam licere id quod fidelibus est scandalo: sed quæstio est, utrum peccent qui etiam absque contemptu & scandalo cæremonias ab Ecclesia in sollemni sacramentorum administratione præscriptas omittunt.

CONCLUSIO. Peccant, qui etiam citra scandalum & contemptum, præscriptos ab Ecclesia ritus in sollemni sacramentorum administratione prætermittunt.

Probatur 1. Ii peccant, qui Ecclesiæ præceptum infringunt: sed ii, qui etiam citra scandalum & contemptum, omittunt ritus, de quibus agitur, præceptum Ecclesiæ infringunt: ergo, &c. Major constat ex hujusce quæstionis c. 3. ubi ostendimus, Ecclesiam posse sub pœna peccati præcipere, ut ritus aliqui in administratione sacramentorum adhibeantur. Minor quoque patet ex canonibus, ac ritualibus libris, in quibus ritus ad sacramentorum administrationem spectantes præscribuntur.

Probatur 2. auctoritate Concilii Tridentini. Sacra Synodus anathemate damnavit Lutheranos, quod contenderent, non peccare ministrum, qui in sollemni sacramentorum administratione præscriptos ab Ecclesia ritus non servaverit: eos nimirum hæreticos ferit canon 13. sess. 7. *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari posse, anathema sit.*

Quæres 1. Quandonam omissio rituum sit peccatum mortale.

Resp. rituum omissionem *per se* esse peccatum mortale, sed *per accidens* esse peccatum ve-

veniale: cum scilicet id contingit vel defectu non multum culpabili, aut attentionis aut scientiæ, vel ratione levitatis materiæ: hinc concluditur, ministrum qui has orationes: *Misereatur tui &c. Indulgentiam, absolutionem & remissionem &c.* absolutioni sacramentali præmitti solitas omitteret, non peccaturum lethaliter: nec enim sunt materia gravis; immo nec levis, in iis saltem diœcesibus, ut in Lingonensi, ubi conceditur, ut prætermittantur eorum pœnitentium respectu qui sæpius sua peccata confitentur.

Quæres 2. Quinam sint in specie ritus quos ministri servare debent in sacramentorum administratione.

Resp. eos in specie servari debere qui præscribuntur ritualibus libris diœcesis, in qua minister sacramenta conficit aut dispensat; locorum nimirum, in quibus degit, legibus tenetur: nititur illud responsum Augustini auctoritate, qui Epist. 118. sic loquitur: *Nec disciplina ulla est in eis melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque forte devenerit.*

Excipiendi tamen sunt ab ea regula ritus tum Græci tum Latini; præcepit enim Ecclesia ut quisque tum Græcus tum Latinus Presbyter suæ Ecclesiæ ritus observet: hinc non licet Latinis per immersionem nunc baptizare, nec panem fermentatum consecrare, nec Ordines conferre per nudam manuum impositionem, licet ea omnia a Græcis fiant; nec vicissim Græcis nostrarum Ecclesiarum cæremonias licitum est adhibere. Confirmatur ex Concilio Florentino, ubi statuitur, *sacerdotes in altari ipsum Domini Corpus conficere debere: unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem.*

Quæres 3. Quo ritu laici ad sacramenta accedere debeant.

Resp. pendere quæstionis solutionem ex iis quæ suo loco dicentur de dispositionibus, tum externis, tum internis, ad quodvis in specie sacramentum recipiendum: hic ergo satis sint hæc verba Concilii Aquensis, quod habitum est anno 1585. *Sedulo Parochi videbunt, ne ad Sacramenta quævis aliquem admittant, nisi armis depositis, modestoque habitu, ac composito corporis gestu aliquod reverentiæ interioris indicium exteriori cultu præ se ferat, & fidei nostræ saltem initia recitare noverit.*

DISSERTATIO SECUNDA.

De Baptismo.

Not. BAptismus vox est Græca, quæ Latine per *immersionem* redditur. In Scripturis variis nominibus appellatur. *Primo*, ad Titum 3. dicitur *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*, quia homo carnaliter natus, per baptismum spiritualiter renascitur. *Secundo*, ad Hebræos 6. vocatur *Illuminatio*: nec mirum, scilicet fide quæ recipitur in baptismate, catechumenus illuminatur. *Tertio* ad Rom. 6. appellatur *Sepultura*, eo quod per ipsum sepultura Christi Salvatoris adumbretur. Dicitur *quarto* a SS. Patribus *Sacramentum fidei*, ut patet ex Augustini epist. 22. quæ est ad Bonifacium Episcopum: ratio est, quia catechumeni in ipso Baptismi ritu fidem profitentur. Dicitur *quinto*, primum omnium sacramentorum: *Inde* (ait Cyprianus ad Jubajanum scribens) *incipit omnis fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio, & purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio.*

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Baptismatis.

Not. NOn est hic quæstio de baptismatis essentia physica: certum est enim, non esse aliquid distinctum a partibus physicis, materia & forma, ex quibus constat: sed quæstio est de essentia metaphysica, quam logici definitionem vocant.

CONCLUSIO. Baptismus recte a theologis definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Explicatur definitio. *Primo*, Baptismus est *sacramentum*, quia est signum sensibile ad nostram justificationem divinitus institutum. *Secundo*, est sacramentum *regenerationis*, quia dat vitam spiritualem per modum generationis, cum e contra sacramentum Pœnitentiæ det eam per modum suscitationis a mortuis. *Tertio*, est sacramentum regenerationis *per aquam in verbo*, quia aqua & verbum sunt duæ res sensibiles, per quas Deus in baptismate hominem regenerat, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Sic explicata conclusio probatur. Admitti debet definitio, quam tradit Evangelium: atqui eam, de qua in conclusione, tradit Evangelium; nam Jo. 3. Christus docet hominem in baptismo renasci ex aqua & Spiritu sancto: *Nisi quis* (inquit) *renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. De baptismo intelligi eam Christi sententiam, ostendemus contra Calvinum, agentes de baptismi necessitate.

Objicies. S. Thomas post Magistrum Sententiarum sic definit Baptismum: *Baptismus est ablutio corporis exterior, sub forma præscripta verborum*: ergo minus apte definiri videtur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

Resp. neg. conf. Ratio est, quia quæ a nobis tradita est definitio, resultat ex ea quam S. Thomas tradidit; unde nostra est metaphy-

taphysica, definitio vero S. Thomæ est physica: hæc autem est fundamentum alterius, quia regenerationis sacramentum resultat ex ea ablutione exteriori, de qua S. Thomas loquitur.

QUÆSTIO II.

De Baptismi materia.

Not. 1. Baptismi materia duplex est, remota & proxima. Prior est elementum, seu aqua ex qua baptismus constat; altera vero est ejusdem aquæ ad catechumeni corpus applicatio, seu illius ablutio.

Not. 2. Materia remota dividitur in eam, quæ simul est necessaria & licita, & in eam, quæ necessaria quidem est, sed non est licita: sic extra casum necessitatis non licet uti aqua, quæ ab Ecclesia benedictione sollemni consecrata non fuerit.

CAPUT I.

De remota Baptismi materia.

CONCL. 1. AQUA est remota, & quidem necessaria baptismi materia.

Probatur 1. Id est necessaria baptismi materia, cujus usum Christus præcepit; quod ad baptismum conferendum adhibuerunt Apostoli: atqui Christus aquæ usum præcepit: aquam adhibuerunt Apostoli ad baptismum conferendum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto* (ait Christus Jo. 3.) *non potest introire in regnum Dei.* Actor. 10. hac habentur; *Respondit Petrus: Numquid aquam quis probibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?*

Probatur 2. auctoritate Patrum, qui damnarunt Cainitas, Manichæos, Seleucianos, Paulicianos, quod contenderent, baptismum aqua dari non debere. Patrum loca retulimus pag. 58. primæ edit. Comm. nostri Hist. de Sacram.

CONCLUSIO 2. Sola aqua *naturalis* est necessaria baptismi remota materia.

Prob. 1. Illa solum aqua est necessaria baptismi remota materia, cujus solius meminerunt Scriptura & traditio, cum de baptismate loquuntur; ex alio enim fonte probari non possunt, aut materia aut forma sacramentorum: atqui Scriptura & traditio solius aquæ naturalis meminerunt, cum de baptismate loquuntur. *Primo* de aqua naturali intelliguntur hæc Act. verba: *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid probibet me baptizari?* Non alia quam naturali aqua uti potuit Petrus, cum una die tria hominum millia, & altera quinque millia tinxit. De ea sola intelligi quoque debent Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto:* quoties enim secundum logicos, simpliciter & sine addito profertur nomen analogum, debet sumi pro præcipuo analogato, hoc est, præcipua analogi specie: aqua vero naturalis perfectior est aquæ species; unde statim venit in mentem, cum vox aquæ auditur. *Secundo*, Justinus in altera sua pro Christianis apologia, Tertul. lib. de Baptismo, Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto c. 2. & tandem alii omnes Patres loca novi testamenti, quæ mox relata sunt, interpretati sunt de sola aqua naturali. *Tertio*, hinc patet, quam merito Concilium Trid. anathema dixerit contrarium sentientibus: *Si quis* (inquit sess. 7. can. 2. de Baptismo) *dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi . . . anathema sit.*

Objicies 1. Matthæi 3. Baptismus Christi in eo opponitur baptismo Joannis, quod iste datus sit in aqua, ille vero dandus esset in igne: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*: ergo ignis, non autem aqua, est materia baptismatis Christi Salvatoris.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. Evangelii textum: Ille vos baptizabit *spiritualiter* in Spiritu sancto & igni, conc. ant. baptizabit *materialiter*, neg. ant. Ratio est, quia Joannes loquitur de modo peculiari, quo Spiritus sanctus sub ignis specie conferendus erat Apostolis die sacra Pentecostes; non loquitur vero de modo ordinario, quo per baptismum materialem Spiritus sanctus confertur. Solutionem confirmant Christi verba: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

Objicies 2. Stephanus Papa II. in responsis ad monachos monasterii Britannici, cap. 2. definiit 1. ministrum qui in casu necessitatis vino ad baptizandum usus fuerat, nullam admisisse culpam. 2. infantem sic baptizatum, iterum non debere baptizari: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa, infantes sic permaneant in baptismo;* unde sic arguitur: ille censuit aquam non esse solam materiam baptismatis, qui probavit baptisma vino datum: atqui (ut ex laudata sententia patet) Stephanus II. probavit baptisma vino datum; ergo, &c.

Resp. ad argumentum neg. min. ad cujus probationem, neg. quod Stephanus definierit, baptizari iterum non debuisse infantes vino baptizatos, sed tantum definiit id, de quo consultus fuerat, nempe ministrum, qui ex simplicitate vino baptizarat, non peccasse: dat rationem, asserens ipsum, cum aliam non haberet materiam, in caussa non fuisse, quod absque baptismo aquæ infantes, quos vino baptizarat, mortui fuissent. Patebit clarius solutio, si eo quo par est modo,

hoc nimirum, disponatur Stephani responsum: *Nulla ei adscribitur culpa, si infantes sic permaneant*: sic autem disponi debere, probant quæ præcedentibus laudatus Papa subjungit. *Nam si præsens adfuit aqua, ille presbyter excommunicetur, & Pœnitentiæ submittatur, quia contra canonum sententiam agere præsumpsit*.

Quæres 1. Cur Christus baptismum aqua naturali constare voluerit.

Resp. Christum voluisse, ut Baptismus *aqua* constaret, quo aquæ ablutio maxime sit apta ad significandum baptismi effectum, interiorem nimirum ablutionem animæ. Voluit quoque, ut constaret *aqua naturali*, eo quod aqua naturalis ubique reperiatur; ac proinde ubique homo donari potest sacramento ad salutem necessario necessitate medii. Alias rationes legere est apud Tertul. lib. de Baptismo, apud Cyprianum epist. 76. apud August. lib. 12. contra Faustum, apud Ambrosium lib. 4. in Lucam, apud S. Thom. 3. part. q. 66. art. 3.

Quæres 2. Quænam aqua censeri debeat aqua naturalis.

Resp. eam omnem, quæ opponitur artificiali: hincque colligitur 1. valere baptismum datum aqua maris, fluminis, pluviæ, resoluta ex nive, glacie, grandine, pruina transfusa per cineres, per balnea sulphurea, aut alia loca mineralia, adhibita ad carnes, pisces, aliaque alimenta decoquenda; nisi tamen aqua ista tantam spirituum copiam contraxerit, ut mutarit speciem. Colligitur 2. e contra irritum esse baptismum datum aqua quæ ex rosis, herbis, vite expressa sit: unde in casu extremæ necessitatis, non licet iis uti, etiam cum forma conditionali. Colligitur 3. si dubium sit, an aliquis liquor sit aqua naturalis, in casu extremæ necessitatis licitum esse eo uti cum hac forma conditionali, *Si materia hæc idonea est ad baptizandum, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* ubi autem postea occurrerit liquor quem constiterit esse aquam naturalem, eo baptizandus est is qui in casu necessitatis baptizatus fuit cum materia dubia, sed sub hac conditione: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

CONCL. 3. Quamvis quælibet aqua naturalis sit materia sufficiens ad baptismum, tamen extra casum necessitatis non licet alia uti, quam ea quæ pridie Paschatis, aut Pentecostes consecrata fuerit.

Probatur, quia id vetant *primo*, antiqua Patrum statuta, ut patet ex Greg. Nazianz. Oratione de baptismo, ex vetere Ordine Romano in Officio Sabbati sancti. *Secundo*, omnia ferme Concilia Provincialia quæ post Tridentinum habita sunt. *Tertio*, singula particularium diœceseon statuta. Ea autem cæremonia ideo præscripta est, ut majori cum reverentia baptismus & conferretur, & reciperetur.

Quæres, quænam circa sacrum fontem cautiones servari debeant.

Resp. S. Carolum in Instructionibus præscribere 1. ut si casu aliquo baptismalis aqua corruptionem contraxerit, projiciatur in sacrarium, ac fons sacer nitida aqua purgetur. Præscribit 2. ut quamprimum ex alia Ecclesia parochiali deferatur aqua quæ debito tempore consecrata fuerit. Præscribit 3. ut si paucior fuerit, admisceatur non consecrata, sed in longe minori quantitate. Præscribit 4. ut si præ frigore congelata fuerit, aut nimis frigida, alterius aquæ naturalis calidæ permixtione liquefiat, & apta ad baptizandum infantem sine aliquo sanitatis periculo. Præscribit 5. ut fons baptismalis sera claudatur, cujus clavem apud se presbyter perpetuo custodiat.

CAPUT II.

De proxima Baptismi materia.

Not. Certum est, proximam baptismi materiam esse ablutionem, quia per ablutionem aqua, quæ est remota materia, catechumenis applicatur.

Not. 2. Ablutio tribus modis fieri potest, aspersione, infusione, immersione. De eo autem triplici abluendi modo quæritur, quinam adhiberi debeat, ut tum valida, tum licita sit baptismatis collatio.

CONCL. 1. Valet baptismus, sive infusione, sive aspersione, sive immersione collatus.

Probatur 1. Valet baptismus, in quo catechumeni corpus vere abluitur: qui enim catechumeni corpus vere abluit, facit satis Christi præcepto: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*; nempe Christus iis verbis nihil aliud præcipit, quam ablutionem: atqui in baptismo qui datur, sive infusione, sive aspersione, sive immersione, catechumeni corpus vere abluitur: ergo valet baptismus, sive infusione, sive aspersione, sive immersione datus fuerit.

Probatur 2. Valet ille baptismus, quem Ecclesia quovis sæculo probavit; nempe Ecclesia quæ columna est ac firmamentum veritatis, errare non potest: atqui Ecclesia quovis sæculo probavit baptismum datum, sive aspersione, sive infusione, sive immersione.

Primo, nemo dubitat, quin Ecclesia probaverit baptismum per immersionem datum, quippe per tredecim priora sæcula apud Occidentales non alio modo, quam per immersionem, ordinarie baptismum contulit: *Communiter* (inquit S. Thom. 3. part. q. 66.) *observatur in baptismo trina immersio, & ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans*. Apud Orientales etiam nunc mos ille servatur, ut videre est in eorum Euchologiis.

Se-

Secundo, dubitari quoque non potest, quin Ecclesia semper probaverit baptismum per effusionem, aut aspersionem datum, nempe probavit baptismum datum clinicis, hoc est, præ infirmitate jacentibus in lectulo mortis: atqui baptismus non alia ratione conferebatur clinicis, quam per infusionem, aut per aspersionem: ergo Ecclesia semper probavit baptismum infusione, aut aspersione datum.

Confirmatur 1. ex Cypriano, qui epist. ad Magnum fuse argumentum illud pertractat. Confirmatur 2. ex responso Stephani Papæ II. qui interrogatus, an liceret concha, vel manibus infundere aquam in caput infantis de vita periclitantis, hisce verbis respondit: *Hoc Baptisma, si in nomine sanctæ Trinitatis peractum fuerit, firmiter permanebit, præsertim cum & necessitas exposcit, ut & ille, qui ægritudine detentus est, hoc modo renatus particeps regni Dei efficiatur.*

Objicies. Qui baptizat alio modo, quam per immersionem, non adimplet Christi præceptum, *Baptizantes eos*: nam illa verba proprie significant ablutionem, quæ per immersionem fiat: ergo valide non baptizat.

Resp. equidem vi nominis, verbo *Baptizare* significari ablutionem quæ per immersionem fiat: eum tamen abluendi modum Christum non ita præscripsisse, ut alios excluserit, docemur ex unanimi Patrum traditione, ac constanti Ecclesiæ praxi. Urgeri quidem possunt eo argumento Lutherani, & Calvinistæ, qui negant Ecclesiam in tradendo sensu scripturarum esse infallibilem; cum enim vox *Baptizo* immersionem proprie significet, probare non possunt eos facere satis Christi præcepto, *Baptizantes eos*, qui per aspersionem, aut effusionem baptizant: nempe non est certum, sed tantum probabile argumentum quod pro aspersione, aut effusione ducitur ex Actis, ubi dicitur, Petrum una die quinque hominum millia baptizasse: cum enim ad quotidianas purificationes apud Judæos obviæ essent amplissimæ hydriæ, fieri potuit, ut Petrus per immersionem una die quinque hominum millia baptizarit. Ad argumentum igitur respondendum est, neg. ant. ad probationem, dist. ant. Verbum *Baptizo* in se sumptum immersionem tantum significat, conc. ant. sumptum in sensu Christi, neg. ant.

CONCLUSIO. 2. Illicite baptismum conferret, qui in Ecclesia Latina ipsum per immersionem, aut aspersionem administraret; peccaret quoque qui in Græca extra casum necessitatis ipsum alio modo, quam per immersionem, dispensaret.

Probatur. Ii baptismum illicite conferunt, qui ipsum non conferunt ad normam præscriptam in Ritualibus Ecclesiæ cui adscripti sunt: nempe (ut ostendimus in dissertatione de sacramentis in genere) quilibet minister in sollemni sacramentorum administratione tenetur ritus ab Ecclesia, cujus est minister, præscriptos observare: atqui ii de quibus agitur in conclusione, præscriptos ab Ecclesia, cujus sunt ministri, ritus non observarent: ergo illicite conferrent baptismum.

Quæres 1. Quot vicibus nunc in Ecclesia Græca, & olim in Latina catechumenus in aquam immergi debuerit.

Resp. Ecclesiam Latinam olim triplicem immersionem præscripsisse, & nunc Græcam præscribere. Nititur responsio *primo*, canone 50. apostolico: *secundo*, auctoritate Tertulliani: *Dehinc* (inquit lib. de corona militis, cap. 3.) *ter mergitamur*. Illius usus meminit Gregorii Magni Sacramentarium. *Tertio*, recensetur a S. Thoma: *Communiter* (inquit) *observatur in baptismo trina mersio*. Eam quoque præscribunt, tum antiqua, tum hodierna Græcorum Euchologia. Ea autem triplici immersione significabantur, tum triduum quo Christi corpus jacuit in sepulcro, tum tres personæ SS. Trinitatis. Adumbratur quoque duplex illud mysterium per triplicem infusionem quæ in Ecclesia Occidentali labente sæculo 14. cœpit usurpari.

Quæres 2. Quænam ablutio debeat censeri sufficiens.

Resp. 1. eam non censeri sufficientem, quæ fit per unam & alteram aquæ guttulam. Ratio est, quia per modicam illam aquæ quantitatem homo non censetur ablutus; quod tamen requiritur, ut sacramentum valeat, juxta illud Christi in Evangelio: *Baptizantes eos*, &c. 2. Ea ablutio non censetur sufficiens, quæ infantis aut vestes, aut involucrum, aut crines tantum attingit: unde ritualia præscribunt, ut cum crinitus baptizatur, minister manu crines hinc & inde vertat, ut aqua ad cutem usque pertingat. 3. Non est sufficiens, quæ fit tantum in manu, aut pede catechumeni; nec immerito, quamvis enim eæ partes sint ablutæ, homo simpliciter & absolute non dicitur ablutus, sed tantum secundum quid; requiritur ergo, ut ablutio fiat in capite, quod præcipua sit hominis pars: unde in praxi servanda est regula quam hisce verbis tradit S. Th. 3. part. quæst. 68. art. 11. ad 4. *Expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Eamdem regulam tradit S. Carolus in instructionibus, titulo, *De Baptismatis administratione.*

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Baptismi forma.

Not. QUæ pertinent ad Baptismi formam, tribus capitibus absolvemus; Quæremus nimirum 1. quænam sit: 2. utrum verba quibus exprimitur ablutio, sint ipsi essentialia; 3. an expressa & distincta invocatio trium personarum SS. Trinitatis necessario ad ejus validitatem requiratur.

CAPUT PRIMUM.

Quænam sit Baptismi forma.

Not. NIhil hic dicemus de Baptismi formis, quibus olim usi sunt hæretici, sed tantum de iis quæ apud catholicos adhibentur.

Not. 2. Forma qua Catholici ad baptizandum utuntur, potest considerari, vel in Ecclesia Latina, vel in Ecclesia Græca: de ea juxta utriusque illius Ecclesiæ praxim hic agemus.

CONCL. 1. Forma, qua Græci Baptismum conferunt, his terminis constat, *Baptizatur servus, vel serva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Amen.

Probatur. Ea verba sunt apud Græcos Baptismi forma, quæ ministri proferunt, dum catechumenum abluunt; nempe forma comitatur proximam sacramenti materiam: atqui ministri apud Græcos, dum catechumenum abluunt, proferunt verba, de quibus in conclusione, id nimirum videre est in Euchologio quo Græci a mille & amplius annis utuntur.

Quæres, utrum valeat illa Græcorum forma.

Resp. Affirmative. Nam *primo* exprimit actionem sacramentalem, *Baptizatur:* exprimit *secundo* personam quæ baptizatur, *Servus vel serva Dei:* exprimit *tertio* distinctam invocationem trium personarum SS. Trinitatis.

Confirmatur responsio ex Eugenio Papa IV. qui in decreto pro Armenorum instructione sic loquitur: *Non negamus, quin & per illa verba: Baptizetur talis servus Christi, in nomine Patris &c. vel, Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, &c. verum perficiatur Baptisma.* In ea Eugenii verba notandum est, referri quidem quoad substantiam Græcorum formam, sed non quoad omnes terminos: neque enim in Euchologiis ablutio externa illis vocibus exprimitur *Baptizetur*, vel *Baptizatur manibus meis*, sed ista tantum *Baptizatur.* Si autem quis roget, unde Eugenius desumpserat formam quam refert, dicendum erit desumpsisse eam ex scholasticis, qui aut Euchologia non legerant, aut integra præ manibus non habuerant.

CONCL. 2. Forma, qua Latini Baptismum conferunt, his terminis constat: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

Probatur. Baptismi forma iis terminis constat, quos minister profert, dum catechumenum abluit: atqui minister Latinus profert istos: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti. Amen.* Ergo baptismi forma apud Latinos iis terminis constat.

Confirmatur responsio *Primo*, ex Gregorio Magno, qui illam formam refert in suo Sacramentario: *Secundo*, ex Eugenio Papa IV. qui eam recenset in decreto pro instructione Armenorum: *Tertio*, ex Rituali quod Pauli Papæ V. jussu editum est: in eo nimirum iisdem plane terminis descripta præcipitur. Cum autem Gregorius eam tamquam usu communi apud Occidentales receptam referat, invicte colligitur, eam esse Gregorii temporibus antiquiorem.

CAPUT II.

Utrum hæc verba: Ego te baptizo, *sint essentialia forma Baptismi.*

Not. 1. NOnnulli sunt auctores, qui censent hæc verba: *Ego te baptizo*, vel *baptizatur servus Christi*, non semper fuisse adhibita a ministris baptismum conferentibus; sed ista tantum: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Inde vero concludunt, eadem verba: *Ego te baptizo*, non esse de essentia formæ baptismi, ac proinde valuisse aliquando baptismum absque eis collatum.

Not. 2. Aliis scriptoribus placet, verba de quibus est quæstio, semper quidem adhibita fuisse, sed negant inde sequi, quod sint essentia formæ, quia (inquiunt) ea Christus non præcepit, sed actionem tantum, seu ablutionem externam, quæ iisdem verbis exprimitur. Contendunt tamen, a quinque saltem abhinc sæculis non valere baptismum sine eis datum, quia (ajunt) Ecclesia, ut minister magis attenderet ad rem quam facit, ea præscripsit per modum conditionis sine qua non, ea ferme ratione qua præcepit, ut forma Pœnitentiæ, quæ olim proferebatur deprecative, nunc sic indicative proferatur: *Ego te absolvo &c.*

CONCL. 1. Hæc verba, aut æquivalentia, *Ego te baptizo*, semper adhibita sunt in administratione Baptismi.

Probatur. Ea semper adhibita fuerunt, quæ ubique sunt in usu, nec prima eorum institutio reperitur, juxta hanc Augustini sententiam libro 4. de Baptismo capite 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

CONCL. 2. Irritum est baptisma, quod absque

quae his verbis, *Ego baptizo*, aut aequivalentibus datur.

Probatur 1. ex Alexandro Papa III. qui *Extra. De Baptismo & ejus effectu*, capite *Si quis*, sic loquitur: *Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen, & non dixerit, Ego te baptizo, puer non est baptizatus*. Probatur 2. ex Alexandro Papa VIII. a quo die 7. Decembris anno 1690. proscripta est haec propositio: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, &c. praetermissis illis: Ego te baptizo*. An autem sic datum baptisma sit jure divino irritum, an Ecclesiastico tantum, quod Alexander Papa III. primum promulgarit, quaestio est, quae nihil confert ad praxim. Vide Morinum nostrum de administratione sacramenti Poenitentiae libro 8. capite 16. vide etiam Commentarium nostrum Historicum & Dogmaticum pag. 70. primae editionis.

Quaeres 3. Utrum pronomen *Te* necessario requiratur.

Resp. affirmative, non minus enim ipsum requirit Alexander Papa III. quam expressionem ablutionis externae: *Et si non dixerit, Ego te baptizo, puer non est baptizatus:* Idem dici non debet de pronomine *Ego*: ratio est, quia virtualiter continetur in verbo indicativo, *Baptizo*; non potest tamen absque culpa praetermitti, sicut nec terminus, *Amen*, cum utrumque ab Ecclesia praescribatur. Advertendum est, non fore mutationem substantialem, si quis loco horum pronominum, *Ego*, *Te*, his, *Nos*, *Vos*, uteretur, dicendo: *Nos baptizamus vos*. Ratio est, quia ea mutatio sensum formae non tolleret. Idem ferri debet judicium de eo, qui loco verbi *Baptizo*, his synonimis uteretur, *aqua immergo*, *abluo*, *lavo*: quamquam tamen (ut de caeremoniis agentes diximus) eae mutationes studiose sine peccato fieri non possint.

Quaeres 2. utrum haec verba, *Ego te baptizo*, necessario proferri debeant ab eo, qui abluit catechumenum.

Resp. affirmative: Ratio est, quia qui catechumenum non abluit, & dicit, *Ego te baptizo*, mentitur: neque enim baptizat, qui catechumenum uno lavat. Hinc irritum esset baptima, uno ablutionem externam exercente, & alio dicente: *Ego te baptizo*.

CAPUT III.

Utrum haec omnia verba: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, *sint essentialia forma Baptismi*.

Not. 1. Magister sententiarum docuit, valere baptisma datum his verbis: *In nomine Patris*, vel *In nomine Filii*, vel, *In nomine Spiritus sancti*, hoc est datum in nomine unius personae SS. Trinitatis, non appellando ceteras.

Not. 2. Cajetanus sensit baptismum datum, *In nomine Christi*, hoc est absque his verbis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, valuisse semper, & nunc etiam valere.

CONCL. 1. Non valet baptismus sine his verbis datus: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*.

Probatur 1. Non valet baptismus sine verbis a Christo praescriptis datus: cum enim sacramentorum natura ex Christi voluntate pendeat, valere non possunt, nisi eo ritu, quem Christus praescripsit, ut conferantur: atqui Christus praescripsit verba, de quibus est quaestio: sic enim in Apostolorum persona omnes baptismatis ministros allocutus est, Matthaei cap. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*.

Probatur 2. Patres docuerunt 1. absque verbis de quibus agitur, irritum esse baptismum: *Quis nesciat* (inquit Augustinus lib. 6. de baptismo contra Donatistas cap. 25) *non esse baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* Docuerunt 2. ideo valere datum ab haereticis baptismum, quod utantur verbis Evangelicis: *Si* (inquit l. 3. de baptismo c. 15.) *per Evangelica verba: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum*. Eadem utitur ratione Tridentinum Concilium sess. 7. can. 4. de baptismo: *Si quis* (inquit) *dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit*.

Objicies 1. Ut baptismus valeat, satis est, ut nomen Christi invocetur: ergo valet absque his verbis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Probatur ant. Illud satis est, ut baptismus valeat, quo solo usi sunt Apostoli baptismum conferentes: nempe non alia est hoc saeculo baptismi forma, quam fuerit Apostolorum aetate, cum sacramentorum formae sint omnino immutabiles: atqui Apostoli baptismum conferentes, usi sunt solius Christi invocatione: id nimirum probant varia loca quae in Actis leguntur. Cap. 2. Petrus haec ait: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*. Cap. 8 haec habentur: *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres*. Cap. 19. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu*: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. loca quae ex scriptura laudata sunt: *Baptizabantur in nomine Jesu Christi*, *in nomine Domini Jesu*, hoc est, baptismate instituto a Christo, conc. ant. invocato solo Christi nomine, neg. ant. Augustini est illa responsio libro 2. contra Maximinum cap. 27. ibi enim exponens loca quae nobis objecta sunt, sic loquitur: *Si autem non nominatis Patre & Spiritu sancto, in nomine*

Jesu

Jesu Christi jussi sunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, cur non sic audis de Filio Dei: Omnia per ipsum facta sunt. ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum sanctum?

Instabis. Scriptura exponi debet eo sensu, quo eam exposuerunt summi Pontifices: atqui summi Pontifices Actorum loca, de quibus agitur, exposuerunt de sola invocatione nominis Christi: siquidem Nicolaus Papa I. capite *A quodam*, de Consecrat. dist. 4. respondet Bulgaris, baptizatos a Judæo vere esse baptizatos, si aut in nomine Trinitatis, aut solum in Christi nomine baptizati fuissent: *Hi profecto* (inquit) *si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in actibus Apostolorum legitur) baptizati sunt, (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius) rebaptizari non debent*: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Scriptura eo sensu debet exponi, quo eam *ex professo* exposuerunt summi Pontifices, conc. maj. quo eam exposuerunt *obiter* tantum, neg. maj. Nicolaus Papa I. consultus non fuerat de forma baptismatis, sed tantum de illius ministro; ac proinde dedita opera & ex professo non tractavit quæstionem de forma baptismatis, sed tantum obiter. Quæ autem non ex professo, sed obiter tractantur a summis Pontificibus, in jus non transeunt: unde ex iis pro fide confirmanda duci non potest argumentum: *A quodam Judæo, nescitis, utrum christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis.*

Objicies 2. Ambrosius docuit satis esse, ut baptismus valeat, quod una sola ex tribus personis SS. Trinitatis invocetur: ergo valet baptismus datus absque distincta trium personarum invocatione. Probatur ant. S. Doctor lib. 1. de Spiritu Sancto capite 3. hanc sibi proponit quæstionem: *Nunc consideramus, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum, ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desinit ad mysterii plenitudinem?* Sic autem eam quæstionem solvit: *Qui unum dixerit Trinitatem significavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum, qui unctus est, Filium, & Spiritum quo unctus est, designasti*: ergo Ambrosius censuit, satis esse ad baptismum, ut una tantum ex personis SS. Trinitatis invocetur.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Qui unum dixerit, Trinitatem significavit quantum ad effectum baptismi, conc. ant. quantum ad formam baptismi, neg. ant. Ambrosius eo loci non agit de forma baptismi, sed tantum de illius effectu, quem contendit intelligi attributum singulis personis SS. Trinitatis, quamvis Scriptura eum aliquando uni personæ, non appellando ceteras, adscribat. Ratio solutionis est, quia Ambrosius loco, qui in argumento relatus est, intendit probare, quod quando operatio ad extra, in scripturis tribuitur uni personæ, aliæ non excludantur, sed e contra subintelligi debeant: *Ubi* (inquit) *operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritu sancti designatur, non solum ad Spiritum sanctum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium: nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur & Spiritum.*

Objicies 3. S. Bernardus Epist. 340. probat baptismum datum *in nomine Dei & sanctæ & veræ crucis*: ergo falso asseritur, necessario requiri distinctam invocationem trium personarum SS. Trinitatis.

Resp. dist. ant. Et in hoc Bernardus privatim suam opinionem proposuit, conc. ant. *Breviter* (inquit) *vobis de proposita quæstione respondemus, sine præjudicio tamen sanius sentientis*: proposuit Ecclesiæ traditionem, neg. ant. Solutio patet ex iis argumentis, quæ in conclusionis probationem relata sunt.

CONCL. 2. Irritus esset baptismus 1. collatus *In nominibus Patris, &c.* 2. Irritus esset quoque, si quis omitteret præpositionem *In*. 3. non valeret etiam datus *In nomine SS. Trinitatis.*

Ratio primæ partis est, quia voces istæ, *In nomine*, designant substantiæ unitatem; istæ vero *In nominibus*, significant substantiæ diversitatem, ac proinde tollunt formæ sensum. Ratio partis alterius est, quia præpositio *In* non designat tantum auctoritatem qua minister baptizat, sed virtutem & operationem personarum SS. Trinitatis: ea vero significatio non staret, omissa præpositione de qua est quæstio. Ratio tertiæ partis petitur ex Christi institutione, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Quæres utrum per interruptionem formæ baptismus reddatur irritus: v. gr. si quis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus sancti.*

Resp. interruptionem per quam oratio non censeretur moraliter eadem, tollere sensum formæ: at in casu de quo agitur, id non contingit, immo repetito verborum *Ego te baptizo*, nihil aliud est, quam eadem forma quæ ex parte bis proferretur.

Confirmatur responsio ex Stephano Papa II. qui probavit baptismum sic a rustico presbytero datum: *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus sancti mergo.*

QUÆSTIO IV.

De auctore Baptismi.

Not. 1. Certum est, Christum esse baptismatis auctorem: nempe ipsemet

Apo-

Apostolis injunxit, ut baptizarent: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; sed difficultas est de tempore quo ipsum instituit.

Not. 2. Circa eam difficultatem tres sunt auctorum sententiæ. Nonnullis placet, Christum non instituisse baptismum ante passionem, sed tantum post resurrectionem, cum nimirum sic Apostolos allocutus est: *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Alii censent, Christum instituisse baptismum ante suam passionem; quo autem præcise tempore id contigerit, non conveniunt. Aliqui volunt id factum fuisse, cum Christus Nicodemum alloquens, baptismi necessitatem hisce verbis commendavit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Aliqui vero contendunt, sacramentum, de quo agitur, institutum fuisse, cum ipse Christus a Joanne baptizatus est.

CONCL. 1. Christus baptismum ante suam mortem instituit.

Probatur 1. Apostoli plures Judæos baptizarunt ante Christi mortem: *Quamquam* (inquit Joannes cap. 4.) *Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*: ergo jam tunc institutus erat baptismus. Nec audiendus est Tertullianus respondens Apostolos ante Christi mortem baptizasse baptismo Joannis, non autem baptismo Christi. Nam *Primo*, si aliud a Joannis baptismate non contulissent, nulla de baptismate æmulatio inter ipsos & Joannis discipulos orta fuisset: *Facta est autem quæstio* (ait Joannes cap. 3.) *ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione. Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat* (per discipulos, ut dicitur c. 4. ℣. 2.) *& omnes veniunt ad eum*. *Secundo*, qui Joannis baptismate baptizati sunt, iterum (ut habetur Actorum 19.) post Christi passionem baptizati sunt; non autem ii, quos Apostoli baptizarunt, ac proinde non Joannis, sed Christi baptisma contulerunt. *Tertio*, ea responsio adversatur Augustino, qui Tractatu 5. in Joannem sic loquitur: *Quos baptizavit Judas, non sunt iterum baptizati: & quos baptizavit Joannes, iterum baptizati sunt: quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit: quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit.*

CONCL. 2. Christus baptismum non instituit, cum ipse a Joanne baptizatus est.

Probatur. Baptisma Joannis nihil habuit commune cum Christi baptismate: ergo ex eo quod Christus Joannis baptismum receperit, immerito colligitur, Christum tunc, suum baptismum instituisse.

Objicies 1. Tunc institutus fuit Christi baptismus, quando aquæ acceperunt vim conferendi gratiam sanctificantem: atqui eam vim acceperunt, cum Christus in Jordane a Joanne baptizatus est, juxta illud Ambrosii lib. 2. in Lucam, cap. 83. *Baptizatus est ergo Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent.*

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. antec. Et illa verba Ambrosii, aliaque similia quæ in aliquibus Patribus leguntur, sumi debent metaphorice, conc. ant. proprie, neg. ant. seu, non significant tunc aquas accepisse vim sanctificandi: neque enim eam accipiunt, nisi cum per SS. Trinitatis invocationem applicantur catechumeno: sed significant, tunc adumbratam fuisse virtutem, quam aliquando ex Christi meritis accepturæ erant.

Objicies 2. Cum Christus in Jordane baptizatus est, SS. Trinitas suam præsentiam declaravit: nam 1. vox Patris audita est. 2. aderat Filii persona. 3. Spiritus sanctus descendit in columbæ specie: atqui tunc institutus est baptismus, cum hæc contigerunt: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ea nimirum SS. Trinitatis præsentia, cæli qui aperti sunt, adumbrarunt quidem Christi baptisma, quod in nomine SS. Trinitatis dandum erat, quodque apertum erat cælum; sed non probant, a Christo tunc ipsum baptisma fuisse institutum.

CONCL. 3. Christus baptismum instituit, cum Matth. 10. Marc. 3. Luc. 9. misit Apostolos, ut Judæos adventum Messiæ docerent: *Euntes autem prædicate dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum.*

Probatur. Tunc Christus baptismum instituit, cum Apostolos misit ad baptizandum: neque enim (ut superius ostensum est) Apostoli aliud a Christi baptismate contulerunt: atqui Christus misit Apostolos ad baptizandum, cum eos misit ad docendum Judæos, *quia appropinquavit regnum cælorum*; nempe constat ex Joannis cap. 3. Apostolos baptismum contulisse, *Quamquam ipse non baptizaret, sed discipuli ejus*: ergo ad illud munus obeundum missi fuerant: nullum vero tempus ad eam missionem aptius fuit, quam cum missi sunt ad docendum Judæos appropinquare regnum cælorum, seu advenisse Messiæ in lege promissi tempus: ergo tunc Christus baptismum instituit.

Objicies. Antequam Christus discipulos ad baptizandum mitteret, jam (ut patet ex Joannis tertio capit.) Nicodemum docuerat baptismi necessitatem: sic enim eum allocutus fuerat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:*

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Christus solitus fuit præcipuorum sacramentorum necessitatem commendare, antequam ea institueret: sic Eucharistiæ necessitatem commendavit, Joannis 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.*

quam-

quamvis tamen multo post tempore eam instituerit: sic etiam ante mortem claves pollicitus est Apostolis, quamvis eas ipsis non nisi post suam resurrectionem tradiderit.

QUÆSTIO V.

De ministro Baptismi.

Not. BAptismi minister vel est ordinarius, vel extraordinarius. Prior est ille, qui vi sui ordinis baptismum administrat; posterior vero, qui non ex vi sui ordinis, sed ex caritate tantum illum in casu necessitatis dispensat.

CAPUT PRIMUM.

De ministro ordinario Baptismi.

CONCL. I. SOli sacerdotes primi & secundi ordinis, seu, soli Episcopi & Presbyteri sunt ordinarii ministri baptismatis.

Probatur 1. Ii soli sunt baptismatis ministri ordinarii, quos Christus alloquebatur, cum baptismi administrationem præcepit: atqui tunc Christus solos Episcopos & Presbyteros alloquebatur; nempe non aliis quam suis Apostolis, proindeque non aliis quam in Episcopatu & sacerdotio futuris illorum successoribus, dedit in mandatis, ut docerent omnes gentes, *Baptizantes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Probatur 2. Ii soli sunt ordinarii ministri baptismatis, quibus solis Ecclesiæ regimen commissum est; convenit enim, ut ii tantum admittantur in Ecclesiæ sinum, quibus Ecclesiæ cura jure ordinario competit: atqui solis Episcopis ac presbyteris Ecclesiæ regimen commissum est, nempe ad eos tantum spectant Evangelii verba: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.*

Objicies 1. Presbyteri non sunt ministri ordinarii baptismatis: nam illi non sunt ordinarii ministri baptismatis, qui per quinque priora sæcula ipsum ex commissione tantum contulerunt: atqui presbyteri per quinque priora sæcula baptismum ex commissione tantum contulerunt; iis nimirum temporibus ipsum non conferebant, nisi ex speciali Episcoporum mandato: *Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus* inquit Tertullianus lib. de Baptismo cap. 17.); *dehinc presbyteri, non tamen sine Episcopi auctoritate*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. Tertulliani verba: Non tamen sine Episcopi auctoritate, idque jure ecclesiastico, conc. jure divino, neg. Ecclesiæ disciplinæ causa usum illum olim præscripserat in Episcopatus honorem, & ut fideles intelligerent, Episcopos esse in sua diœcesi principes ac præcipuos pastores: *Propter Ecclesiæ honorem* (ait ibidem Tertullianus), *quo salvo, salva pax est.*

Objicies 2. Diaconi videntur esse ordinarii ministri baptismatis: nam iis illud jus competit, qui ex vi sui ordinis baptizant: atqui diaconi ex vi sui ordinis baptizant; nam in ordinatione hæc audiunt ab Episcopo: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. ant. Diaconum oportet baptizare *extraordinarie*, conc. ant. *ordinarie*, neg. ant. Ratio desumitur ex cap. *Diaconos*, dist. XCIII. ubi hæc habentur: *Diaconi absque Episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat.*

Instabis. Ex mox data responsione sequitur, Diaconos non plus juris in Baptismum habere quam habeant laici, siquidem urgente necessitate laici baptizare possunt: sed hoc est falsum, cum (ut jam observatum est) Episcopus Diaconos in ordinatione moneat, baptismi collationem esse unum ex officiis, quæ illorum ordini sunt annexa: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia Diaconi, non autem laici, ab Episcopo, aut parocho committi possunt, ut sollemne baptisma conferant, si ipsi, aut Episcopus, aut parochus, legitime impediti fuerint, idque licet puer de vita non periclitetur.

Quæres 1. Quis intelligatur nomine Presbyteri, quem canones definiunt esse ordinarium baptismi ministrum?

Resp. intelligi parochum, aut qui vicarii titulo vices illius agit in parochia: unde canones vetant, ut baptisma (excepto necessitatis casu) alio in templo quam in parochia conferatur; jura tamen permittunt, ut filii regum, ac principum, qui sub aliis non sunt constituti, in privato oratorio baptizentur.

Quæres 2. An Regulares extra necessitatis casum committi possint ad sollemne baptisma conferendum.

Resp. negative, id enim vetant sacri canones: unde licet tunc contra jus parochi non peccent, peccant tamen contra Ecclesiæ præceptum.

Quæres 3. An Diaconus qui sollemnem baptismum confert sine parochi licentia, lethaliter peccet.

Resp. peccare eum lethaliter, quia (Augustino teste l. 2. contra epistolam Parmeniani c. 13.) in re gravi jus alienum usurpat. Ejusdem peccati rei sunt laici, qui extra casum necessitatis, etiam sine sollemnitate baptizant.

CAPUT II.

De extraordinariis Baptismi ministris.

Not. DE extraordinario baptismi ministro quæri potest: 1. an quis *extraordinarie*,

narie, hoc est, in extremæ necessitatis casu possit seipsum baptizare: 2. an non baptizati valide possint alios baptizare: 3. utrum id quoque possint hæretici: 4. utrum omnes laici catholici, tum valide, tum licite id possint in casu necessitatis: 5. quis ordo servari debeat inter extraordinarios baptismi ministros.

CONCL. 1. Nemo, ad quamcumque necessitatem redactus supponatur, valide potest se ipsum baptizare.

Probatur. Se habet baptizans sicut generans, cum baptismus sit sacramentum regenerationis: ergo quemadmodum nemo potest se ipsum generare, ita nec se ipsum baptizare.

Confirmatur ex Innocentio Papa III. Extra. *De baptismo & ejus effectu*, Cap. *Debitum*, ubi sic Episcopo Metensi respondet: *Sane intimasti, quod quidam Judæus in mortis articulo constitutus, cum inter Judæos tantum existeret, in aquam se ipsum immersit, dicendo: Ego baptizo me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Respondemus quod cum inter baptizatum debeat esse discretio ... memoratus Judæus est denuo ab alio baptizandus, ut ostendatur, quod alius est qui baptizatur, & alius qui baptizat.*

CONCL. 2. Homines non baptizati, sive sint pagani, sive Judæi, valide baptizare possunt.

Probatur auctoritate Nicolai Papæ I. qui cap. *A quodam*, respondens ad consulta Bulgarorum, sic loquitur: *A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano an pagano, multos in vestra patria baptizatos asseritis, & quid de eis sit agendum, consulitis. Hi profecto, si in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi baptizati sunt, constat eos non esse de novo baptizandos.* Idem docet Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum, *In casu necessitatis etiam paganus baptizare potest.* Ante eos summos Pontifices idem visum fuerat Augustino, ut colligitur ex l. 7. de Bapt. c. 53.

Objicies. Nonnulli sunt canones qui jubent, ut a paganis baptizati denuo baptizentur: *Quos* (inquit Gregorius Papa III. epist. 1. ad Bonifacium Episcopum) *a paganis baptizatos esse asseruisti, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus:* Idem definitur lib. 5. Capitularium c. 94. *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes quos prius baptizavit*: ergo &c.

Resp. ad 1. Gregorium loqui de paganis qui usi non fuerant debita baptismatis forma: unde jubet, ut ab iis baptizati, denuo baptizentur *in nomine Trinitatis*. Ad 2. dicendum est, ultimam hanc clausulam: *Et omnes quos prius baptizavit*, in capitulum irrepsisse: unde nec Gratianus, nec Decretalium collectores, eam suis collectionibus inseruerunt, quamvis capituli meminerint.

CONCL. 3. Valet baptismus ab hæreticis datus.

Probatur *Primo* auctoritate Stephani Papæ I. *Si quis ergo* (inquit ad Cyprianum rescribens) *a quacumque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentia. Secundo.* Concilium Nicænum 1. & Arelatense 1. idem definiunt. *Tertio*, Augustinus in suis adversus Donatistas operibus totus est in asserendo hæreticorum baptismate. Lib. 5. cap. 7. de industria solvit omnia argumenta, quæ Cyprianus contra eam veritatem objecerat. *Quarto*, Conc. Trid. sess. 7. can. de baptismo, idem sub anathematis pœna credendum definiit. *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.*

Confirmatur argumentis Augustini. S. Doctor asserit 1. baptismum in hæresi datum, non esse hæreticorum, sed ipsius Ecclesiæ: *Ecclesia* (inquit lib. 1. de Bapt. cap. 14.) *omnes per baptismum parit, sive apud se, id est, ex utero suo; sive extra se, de semine viri sui.* Asserit *secundo*, idem ferri debere judicium de sacramentis, ac de Evangeliorum libris: *Sacramenta* (ait lib. 3. cap. 15.) *si eadem sunt, ubique integra sunt, sicut Scriptura ipsius Evangelii, si eadem ipsa est, ubique integra est.* Asserit *Tertio*, Ecclesiam Liæ & Rachelis esse adinstar, quæ viro suo Jacob filios per ancillarum uterum genuerunt: *Lia quidem vel Rachel* (ait lib. 1. cap. 16.) *jure conjugali eos, sed per ancillarum uterum parit.*

Objicies. Cyprianus, Firmilianus, plures synodi, tum Orientales, tum Africanæ, Basilius, Athanasius, Cyrillus Jerosolymitanus, pluresque alii patres docuerunt, baptisma ab hæreticis datum esse irritum: ergo revera non valet.

Resp. Laudatos Patres id quod objicitur asseruisse adversus (ut ait August. lib. 4. de bapt. cap. 6.) *totius orbis morem*: unde in Concilio Plenario, quod habitum est ante Augustini ortum, rejecta est rebaptizantium praxis.

Brevitas, cui in his Theologicis institutionibus studemus, non patitur, ut fusius rebaptizationis argumentum tractemus; sed quæ hic desunt, lector pertractata reperiet in Commentario nostro Historico a pag. 80. ad pag. 102. primæ editionis.

CONCL. 4. Omnes Catholici laici valide baptizant, immo & licite, si necessitas urgeat.

Probatur prior pars. Infideles, seu homines non baptizati, valide baptizant, ut ostensum est superiori capite: ergo a fortiori laici catholici valide baptizant.

Probatur altera pars. *Primo*, ex Tertulliano, qui lib. de bapt. cap. 17. sic loquitur: *Dandi quidem* (baptismi) *etiam laicis jus est*: Si autem jus illud habeant laici, non pec-

peccant, cum eo utuntur, ut infantis de vita periclitantis æternæ saluti consulant. *Secundo*, idem asserit Hieronymus: *Baptizare* (inquit, contra Luciferianos agens), *si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis*. Hinc arguendi sunt schismatici in Moscovia & Russia, qui (Arcudio teste) malunt permittere, ut infantes sine baptismate moriantur, quam facere, ut laici eos abluant. Idem visum est Calvino, lib. 4. Instit. cap. 15. ac proinde eadem illi censura debetur.

Objicies 1. Canones arcent laicos & præsertim mulieres a baptismatis ministerio: *Mulier* (inquit Concilium Carthag. IV.) *baptizare non præsumat*. 2. Concilium Eliberitanum canone 38. non omnibus laicis, etiam in casu necessitatis, concedit potestatem baptizandi, sed iis tantum, qui non subierint pœnitentiam publicam, & sint monogami. *Posse* (inquit) *fidelem qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus*.

Resp. ad 1. Concilium Carthaginiense loqui de baptismo sollemni, non autem de non sollemni qui detur in necessitatis casu. Ratio est: quia de baptismo loquitur eodem modo, ac de docendi potestate: *Quamvis* (ait ibidem) *docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat*: ergo sicut mulieri non adimitur potestas docendi privatim si necessitas urgeat; ita nec baptizandi. Resp. ad 2. Concilium Eliberitanum intelligi in casu, in quo adsunt plures laici qui catechumenum de vita periclitantem baptizent: In eo autem casu jubet, ut is qui pœnitentiam publicam non subiit, nec pluries nupsit, aliis qui aut pœnitentiam publicam subierint, aut fuerint polygami, præferatur. Ratio quæ patres Eliberitanos movit, ut eam disciplinam sancirent, est, quia collatio baptismatis est, etiam in casu necessitatis, quædam sacerdotalis functionis species; a qua arcendi sunt qui aut ex pœnitentia publica, aut ex polygamia irregularitatem contraxerunt. Vide Albaspineum in notis ad Concilium Eliberitanum.

CONCLUSIO. 5. Ubi in necessitatis casu plures sunt qui baptizare valeant, alii aliis præferendi sunt.

Probatur auctoritate S. Caroli, qui in Instructionibus baptismi sic loquitur: *Illud cavendum est, ut ne femina viro præsente, neque Clericus præsente subdiacono, hicque itidem coram diacono, nemoque præterea eorum coram sacerdote baptizare audeat: ipse autem norit sibi licere baptizare, etiam præsente suo episcopo*. Id vero non esse de consilio tantum, sed etiam de præcepto stricte sumpto, monet idem S. Præsul: *Et quoniam* (ait) *si vel a muliere, vel a laico secus fit, grave peccatum admittitur, id etiam* (parochus) *moneбit*. Observandum est tamen, tres esse casus, in quibus mulier præ laico baptizare debet: 1. cum ille laicus est publicus peccator, ut sunt comœdi omnes, aut alii qui per sententiam judicis ejusmodi esse declarati sunt: 2. cum mulier, v. g. obstetrix, peritior est ac aptior ad conferendum baptisma: *Obstetricibus quidem* (inquit ibidem S. Carolus) *quæ baptizare consueverunt, formamque baptismi retinent, baptizare quidem necessitate urgente permittitur, etiam præsente laico, qui hujus sacramenti conficiendi plane ignarus, rudisque sit*: 3. cum, nisi mulier præ laico baptizet, pudori parturientis non erit consultum.

Quæres, utrum pater, aut mater pueri de vita periclitantis, possit eum baptizare, si non adsint alii, qui calleant baptizandi ritum?

Resp. affirmative, nec tunc contrahunt cognationem spiritualem; ac proinde qui in eo casu baptizavit, potest a compatre petere conjugale debitum: ita decernitur in jure c. *Ad limina*. Id autem intelligitur de filio propriæ conjugis: *Filium* (inquiunt jura) *ejusdem suæ conjugis*, non autem de filio concubinæ: unde qui filium concubinæ etiam in casu necessitatis baptizarit, eam post mortem legitimæ conjugis ducere non potest in uxorem.

QUÆSTIO VI.

De subjecto Baptismi.

Not. 1. Certum est, omnem hominem, qui sua ratione fruitur, cujuscumque sit sexus ac religionis, esse subjectum baptismi capax: omnes enim, nullo excepto, complectitur hæc Christi sententia: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti*.

Not. 2. Quæstio est igitur de iis qui sua ratione non fruuntur, seu quæri potest, utrum baptizari possint. Difficultas intelligi potest 1. de infantibus sive sint filii fidelium, sive infidelium: 2. speciatim de filiis infidelium: 3. de amentibus, furiosis, energumenis: 4. denique de dispositionibus quæ ad recipiendum baptismum in hominibus adultis requiruntur.

CAPUT PRIMUM.

An & quando infantes baptizari debeant.

CONCL. 1. Infantes sunt capaces baptismatis.

Probatur 1. Illi sunt capaces baptismatis, qui capaces sunt regni cælestis; neque enim sine baptismo aliquis potest esse capax regni cælestis, dicente Domino: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum*: atqui infantes sunt

sunt capaces regni cælestis, juxta illud Christi Luc. 18. *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.*

Illud argumentum probabiliter quidem thesim suadet, sed non convincit: unde quæstio de baptismo parvulis conferendo, ex iis est articulis qui sola traditione probari possunt: hinc Lutherani & Calvinistæ qui divinam traditionis auctoritatem negant, certi non sunt fide divina, valere datum infantibus baptismum; ac proinde non possunt credere, se esse in Ecclesia Christi, cum nullus ei nisi per baptismum inferatur.

Probatur 2. ex traditione. *Primo*, Cyprianus in epistol. ad Fidum expresse probat, infantes esse capaces baptismi. *Secundo*, Augustinus lib. 10. de Genesi c. 23. docet, consuetudinem baptizandi parvulos esse ex Apostolica traditione: *Nec* (inquit) *omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Idem docet multis aliis in locis contra Pelagianos agens, ex eaque consuetudine colligit peccati originalis propagationem in parvulos, quam illi hæretici negabant, licet confiterentur parvulos baptizari debere.

Objicies 1. Ii non sunt capaces baptismi, qui credere non possunt; nam jure divino doctrina, ac proinde fides, præmitti debet baptismati, juxta illud Christi in Evangelio: *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* atqui parvuli credere non possunt.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Doctrina præmitti debet baptismati in iis qui doctrinæ sunt capaces, conc. ant. in iis qui doctrinæ non sunt capaces, neg. ant. unde sensus textus evangelici est, ut baptizentur omnes, sed ii soli doceantur qui doceri possunt. Præterea infantes credunt non quidem propria fide, sed aliena, Ecclesiæ nimirum quæ illos offert baptizandos. *Docet* (inquit Augustinus serm. 14. de verbis Apost. cap. 7.) *ut ad aliena verba sanentur, qui ad factum alienum vulnerantur.*

Objicies 2. Ii non possunt baptizari, quibus imponi non potest debitum servandi legem Evangelicam, ac obtemperandi Ecclesiæ mandatis: atqui parvulis debitum illud imponi non potest; ut enim aliquis contrahat debitum servandi legem aliquam, debet eam libere acceptare: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. præsertim si lex illa sit divina, ut est evangelica: cui proinde quilibet homo factus adultus, post sufficientem illius cognitionem sese debet subjicere.

CONCL. 2. Infantes baptizari non possunt in utero matris.

Probatur. *Primo*, aqua non potest attingere corpus infantis existentis in utero materno, quod tamen (ut suo loco dictum est) ad baptismum requiritur. 2. Baptismus est sacramentum regenerationis; at regenerari non potest, qui nusquam generatus est: *Nec renasci quisquam potest* (inquit Augustinus epist. 57. quæ est ad Dardanum) *antequam natus sit.* Nomine autem nativitatis intelligi non debet conceptio in utero matris, sed egressio ex illius sinu: *Quod si quis dicat* (ait ibidem Augustinus) *jam natum esse hominem, etiam cum adhuc est in utero matris: Numquidnam huic nativitati accedit secunda nativitas? Renatum non dicimus, quem mater pepérit, tanquam iterum natus sit qui jam semel natus fuerat in utero. Sed illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci & aqua & Spiritu.*

Quæres 1. qua ratione debeat se gerere obstetrix, sive alius minister, cum infantis corpus per partes prodit ex utero matris? Resp. baptizari debere illam partem quæ prodit, si mortis periculum immineat: si autem non immineat, expectanda est totalis egressio ex matris sinu. Quod si caput fuerit pars illa quæ prodiit, & in qua facta est ablutio, iterari non debet baptismus post totalem egressionem, etiam cum forma conditionali: si e contra fuerit pes, aut quævis alias pars, iterari debebit sub conditione. Ita S. Thomas 3. p. q. 68. art. 2. ad 4.

Quæres 2. An cum & infans & mater de vita periclitantur, liceat ventrem matris exsecare, ut ex eo extrahatur infans, qui alioquin absque baptismate moreretur?

Resp. negative: ita S. Thomas 3. p. q. 68. art. 11. ad 3. *Dicendum* (inquit) *quod non sunt facienda mala, ut veniant bona; & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.*

CONCL. 3. Graviter peccant parentes qui multo tempore suorum puerorum baptisma differunt.

Probatur. Ii de quibus in conclusione, in re magni momenti infringunt Ecclesiæ præceptum, quod quidem nititur jure naturali vetante, ne quis æternæ damnationis periculo exponatur. *Ex antiquorum Christianorum more & traditione præcipimus* (inquit Concilium Rotomagense, quod habitum est ann. 1582.) *quamprimum commode fieri potuerit, natos pueros ad baptismum deferri propter necessitatem. Aliter sine justa caussa agentes, cum curatis seu vicariis id fieri non improbantibus, excommunicatione & suspensione dignos judicamus.* Idem statuitur in Concilio Rhemensi, Titul. *De Baptismo.*

Quæres, num differri possit baptismus, ut expectetur patrinus.

Resp. 1. ultra unum, aut alterum diem differri non debere. Nempe tot improvisis casibus obnoxia est infantis ætas, ut nulla fere de illius vita securitas haberi possit. Resp.

2. peccare graviter, tum sacerdotes, tum laicos, qui propter eam caussam domi baptizant infantem, quem deinceps in templum opportuno tempore deferant, ut in eo cæremoniæ baptismi suppleantur. Ratio est, quia *primo* vetant canones, ne quis extra mortis periculum domi baptizetur: *Secundo*, iidem canones prohibent, ne extra necessitatis casum collatio baptismatis a cæremoniis sollemnibus sejungatur.

CAPUT II.

Utrum infantes infidelium, energumeni, amentes, furiosi, baptizari possint.

Not. NOn est hic quæstio, an valeat baptisma datum pueris infidelium invitis eorum parentibus: certum est enim, ipsum valere; sed quæstio est, utrum ex parte conferentis liceat.

CONCL. 1. Ordinarie filii infidelium baptizari non debent invitis parentibus: possunt vero extraordinarie, seu, aliquibus in casibus.

Probatur prior pars. Vel baptizarentur relinquendo eos sub cura parentum, vel illos ab ea subtrahendo: atqui in neutro casu licite baptizari possunt: Non in primo, siquidem moralis est certitudo, quod in infidelitate permansuri sint, ac proinde summam recepto sacramento injuriam illaturi: Non etiam in secundo, nempe est contra legem naturalem infantes parentum curæ subtrahere: *Et ideo* (inquit S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12.) *contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur.*

Probatur altera pars. *Primo*, infantes, de quibus agitur, invitis parentibus baptizari possunt, cum eis imminet vitæ periculum: eo scilicet in casu nec subtrahuntur curæ parentum, nec est morale periculum, quod polluturi sint baptismum. *Secundo*, baptizari possunt altero ex parentibus consentiente, licet renuat alter: *Filii* (inquit Concilium Toletanum III. agens de iis, qui ex homine Judæo & matre christiana nati erant) *qui ex talibus nati existunt, fidem atque conditionem matris sequantur.* Idem quoque definiit Gregorius IX. Extr. *De Conversione Infidelium*, Cap. Ex Litteris, *Tertio*, baptizari quoque possunt, si eorum parentes sint servi christianorum. Ratio est, quia eo in casu infantes non sunt sub regimine parentum, sed subjacent dominorum potestati. *Quarto*, id quoque fieri potest, cum infantes ita a parentibus distant, ut verisimile sit, eos, antequam adoleverint, non futuros sub infidelium parentum potestate. Nec mirum, in eo enim casu, filii non subtrahuntur curæ parentum, nec est morale periculum baptisma per futuram infidelitatem polluendi. *Quinto*, ubi primum infantes incipiunt frui ratione, invitis parentibus induci possunt ad baptismum, & reipsa licite possunt baptizari: ratio est, quia tunc in iis quæ ad salutem spectant, sunt sui juris.

Quæres, utrum filii infidelium, qui invitis parentibus baptizati fuerint, relinqui debeant sub parentum cura & potestate?

Resp. eos relinqui non debere: *Judæorum filios vel filias* (inquit Toletanum Concilium IIII. canone 60.) *ne parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus.*

CONCL. 2. Amentes, furiosi, aliquando baptizari possunt, aliquando vero non possunt.

Probatur. *Primo*, valide & licite baptizari possunt, si nusquam sua ratione fruiti fuerint, seu, si a nativitate perpetuo fuerint aut amentes aut furiosi. Ratio est, quia eis tanquam infantibus satis est fides Ecclesiæ, ac eorum intentio a quibus offeruntur. *Secundo*, baptizari quoque possunt, si ratione fruentes petierint baptisma, aut antequam in eum statum inciderent, aut dum habuerunt intervalla libera. *Tertio*, e contra baptizari nec valide nec licite possunt, si ratione fruentes nusquam baptisma petierint. Confirmantur ea omnia auctoritate Innocentii Papæ III. qui *Extr. de Baptismo* cap. *Majores* sic loquitur: *Dormientes autem & amentes, si priusquam amentiam incurrerunt, aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, & si fuerint sic emersi, characterem non suscipiunt sacramentis. Secus autem si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare.* Ea autem est, quæ ubique observatur disciplina.

CONCL. 3. A nativitate energumeni, quibus nulla fuerunt lucida intervalla, baptizari debent in necessitatis articulo: qui vero dum ratione fruerentur, noluerunt baptizari, etiam in necessitatis casu baptizari non debent: qui e contra petierunt baptismum, urgente mortis periculo, etiamsi tunc ratione non fruantur, tum valide tum licite baptizari debent.

Probatur *Primo* iis omnibus argumentis, quæ ad præcedentis conclusionis probationem allata sunt. *Secundo*, ita jura decernunt: *Energumenis catechumenis* (inquit Concilium Arausicanum 1. canon. 15.) *quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de baptismate consulendum.* Idem quoque definitum fuit in Conciliis, quæ post mox laudatum Arausicanum habita sunt. Vide Commentarii nostri paginas 109. 110. primæ editionis.

CAPUT III.

De dispositionibus ad recipiendum baptismum requisitis.

Not. NOnnullæ ex parte subjecti dispositiones requiruntur, ut baptismus valide recipiatur: eæ vero possunt esse Intentio, Libertas, Fides. Alia requiruntur, ut baptismus licite recipiatur; ut sunt Spes, Caritas, Contritio.

CONCL. 1. Vera ac sincera intentio requiritur in adulto, ut valide possit baptismum recipere.

Probatur. *Primo*, ut aliquis valide possit baptismum recipere, requiritur, ut velit eum recipere; nemo enim nisi volens ingredi potest in Ecclesiam; unde baptismo præmittitur interrogatio: *Vis baptizari?* & reipsa non confertur, nisi cum baptizandus responderit, *Volo*. Sed ut quis velit baptismum recipere, debet habere intentionem eum recipiendi, quia voluntas & intentio idem sunt: ergo, &c. *Secundo*, idem probant quæ præcedenti capite de amentibus, furiosis & energumenis dicta sunt. *Tertio*, ita definiit Innocentius Papa III. *Extr. de Baptismo & ejus effectu*, c. *Majores*, ubi hæc habentur: *Id est religioni christianæ contrarium, ut semper invitus & penitus contradicens, ad recipiendam & servandam christianitatem aliquis compellatur*.

Objicies 1. Valet baptismus datus homini qui exterius petit baptismum, & illi serio se subjicit, quamvis interius dicat, *Nolo baptizari*: ergo in suscipiente baptismum non requiritur vera, ac sincera intentio recipiendi baptismum.

Resp. concesso ant. neg. conseq. Ratio est, quia baptismus positus est in debita conjunctione formæ cum materia, & utriusque applicatione ad subjectum: qui ergo exterius serio & libere ejusmodi applicationi se subjicit, veram ac sinceram habet intentionem recipiendi baptismum: interior vero actus, quo tunc dicit *Nolo baptizari*, est simplex velleitas, quæ per contrariam efficacem voluntatem superatur. Vide Commentarii nostri paginas 38. & 39. primæ editionis.

Objicies 2. Valet baptisma datum adulto dormienti; qui ante somnum illud petiit: atqui in adulto dormiente non est intentio recipiendi baptismum: ergo ex parte subjecti non requiritur intentio, ut baptismus valide suscipiatur.

Resp. conc. maj. dist. min. Non est intentio actualis, aut virtualis, conc. min. habitualis, neg. min. Actualis aut virtualis intentio requiruntur quidem ex parte ministri, ut sacramenta valeant, quia ministri sunt, Christi respectu, instrumenta animata; sed non requiruntur ex parte subjecti: unde (ut ex conclusionis probationibus constat) subjecto satis est habitualis intentio.

CONCLUSIO 2. Libertas requiritur in adulto ad recipiendum baptismum: hoc est, valide non recipitur, nisi recipiatur libere.

Probatur. *Primo*, in adulto (ut ex dictis patet) requiritur vera ac sincera intentio recipiendi baptismum: atqui ad eam intentionem requiritur libertas, cum intentio sit electio objecti quod intenditur, hoc est, quod voluntas sibi proponit. *Secundo*, Innocentius Papa III. c. *Majores*, requirit consensum, ut quis valide baptismum recipiat: *Ille vero, qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti*.

Objicies. Innocentius III. c. *Majores*, probat baptisma, quod in Saxonia, & in Hispania nonnulli terroribus atque suppliciis violenter attracti susceperant: atqui in iis hominibus non fuit libertas: ergo libertas in subjecto non requiritur, ut baptismum valide recipiat.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia is qui terroribus, ac suppliciis violenter attrahitur ad recipiendum baptismum, licet *absolute* non velit illum recipere, vult tamen *conditionate*, nempe cum non est aliud medium, quo supplicia declinentur. *Ipse* (inquit Innocentius) *tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam legis christianæ*. Ea etiam ratione, hoc est, conditionaliter, vult idolis immolare qui iis de facto thus adolet, ut intentata sibi supplicia declinet.

Quæres, an conveniens sit, suppliciis violenter infideles attrahere, ut baptismum suscipiant.

Resp. Visigothos in Hispania suppliciis coegisse Judæos, ut baptismum susciperent: *Horum omnium transgressor* (verba sunt legis) *centum flagella decalvatus suscipiat, & debita mulctetur exsilii pœna*. Praxim probarunt Conc. Toletanum XII. & XIII. Verum dicendum est, alienam fuisse a Majorum praxi eam Hispanorum disciplinam. *Nova* (inquit Grego. Magnus lib. 2. Epist. 52.) *atque inaudita est ista prædicatio, quæ vulneribus exigit fidem*. Idem videre est in Conc. Toletano IV. *De Judæis* (inquit can. 57.) *hæc præcipit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre*. Idem etiam in Clemente Papa III. Extra. *De Judæis*, Capite *Sicut Judæi*, ubi hæc habentur: *Statuimus, ut nullus invitos vel nolentes Judæos ad baptismum venire compellat*. Ea disciplina cohæret cum Evangelio, quod vetat, ne sanctum detur canibus, aut margaritæ ante porcos projiciantur.

CONCL. 3. Fides non est in subjecto necessaria, ut baptismus valide recipiatur.

Probatur auctoritate Augustini: *Non interest* (inquit l. 3. de Bapt. cap. 14.) *cum de sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum*. Confirmatur ex praxi

Ecclesiæ, quæ quovis sæculo admisit baptisma, quod ab hæreticis datum fuisset adultis hæresim profitentibus. Vide primæ edit. Comment. nostri Hist. pag. 41. & 42.

Objicies. August. lib. 7. de Baptismo c. 53. docet, valere baptismum *cum aliqua fide* receptum: ergo supponit illum non valere, quem quis sine omni prorsus fide receperit. Resp. dist. ant. Sine fide improprie sumpta, conc. ant. sine fide proprie sumpta, neg. ant. hoc est, requiritur quidem, ut adultus sciat, ritum qui sibi applicatur, esse sacramentum a Christo institutum, aut saltem pro tali haberi a societate quæ a nonnullis vera Ecclesia existimatur: sed non requiritur ut adultus vere credat, ritum illum esse rem vere & a parte rei sacram: unde numquam iteratum est baptisma quod iis datum est, qui dum ipsum reciperent, a parte rei athei essent, hoc est, qui tantum abest, ut crederent Christianæ religionis mysteria, quin Dei ipsius existentiam negarent.

CONCL. 4. Fides, Spes, inchoatus Dei amor super omnia, Contritio; in adulto requiruntur, ut sacramenta mortuorum, hoc est, baptismum & pœnitentiam licite recipiat.

Probatur ex Concilio Trid. quod quidem sess. 6. c. 6. eas, de quibus in conclusione, dispositiones requirit: *Fidem* (inquit) *ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt .... In spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccatum per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.*

Quæres 1. Qua ratione Majores nostri probarunt, an in iis, qui baptisma petebant, essent fides, spes, caritas, contritio?

Resp. Majores nostros in variis classibus probasse catechumenos, antequam extra necessitatis casum ipsis baptisma conferrent. Tres autem instituerant catechumenorum classes. Prima, vocabatur classis *Audientium*, eorum nimirum qui nondum dederant suum nomen, & quibus liberum erat, aut adesse synaxibus, aut ab eis abesse. Altera dicebatur classis *Catechumenorum* proprie dictorum, eorum nempe qui nomen suum dederant, iis temporibus baptizandi, quibus sollemne baptisma conferebatur. Supra horum capita omnibus in synaxibus plures ab Episcopis orationes fundebantur. Tertia vocabatur classis *Electorum*, seu competentium, eorum scilicet qui a reliquis post diligens examen segregati, judicati fuerant idonei ad recipiendum baptisma in proxima Paschatis aut Pentecostes sollemnitate. Vide August. lib. de catechizandis rudibus cap. 3. Lib. de fide & operibus cap. 10. Vide & Commentarium nostrum pag. 108. 109. 110. primæ edit.

Quæres 2. Qua ratione his temporibus explorari debeat, an necessariæ ad recipiendum baptismatis effectum dispositiones reperiantur in catechumenis?

Resp. 1. ordinarie per quadraginta dierum spatium probari eos, qui Christianæ fidei per baptismum nomen dare cupiunt. 2. Non confertur baptisma nisi iis qui ex bona conversatione probarunt, se pristinis vitiis, ac criminibus renunciasse, moresque Christianos induisse. 3. Ecclesia catechumenis, quantumvis emendationem vitæ spondeant, non adhibet fidem, nisi suam conversionem operibus demonstraverint. Vide instructiones maxime piorum ac doctissimorum Episcoporum Petri Berytensis, & Francisci Hesiopolitani, quibus damnarunt Missionarios quosdam, qui in Oriente obvium quemque sine delectu abluebant, modo baptismum peteret, non curantes, an iniquæ vitæ nuntium remisisset.

QUÆSTIO VII.

De Baptismi effectibus.

Not. 1. Duplex est baptismatis effectus, Gratia, & Character. De charactere diximus agentes de Sacramentis in genere: hic ergo differamus oportet de gratia, quæ baptismate producitur.

Not. 2. De gratia baptismali, quæri potest 1. utrum includat remissionem peccatorum: 2. utrum votum baptismatis aut martyrium eam, defectu baptismatis, peccatorum remissionem operentur: 3. an olim circumcisio, & Joannis baptismus remiserint peccata, quæ nostro baptismate remittuntur: 4. in quo posita sit gratia, quæ baptismate producitur.

CAPUT I.

Utrum Baptismus remittat peccata.

Not. In peccato duo sunt, culpa & pœna. Culpa est reatus, quo anima constituitur Deo inimica: pœna vero est vel temporalis vel æterna. Hic igitur quærendum est, utrum baptisma peccatum deleat tum quoad culpam, tum quoad pœnam.

CONCL. 1. Baptismus delet cujuscumque peccati culpam.

Probatur 1. ex Scriptura. Petrus Actor. 2. sic Judæos alloquitur: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Paulus 1. ad Corint. 6. post amplissimam peccatorum enumerationem sic loquitur: *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis; sed sancti-*

stificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Unde sic arguitur: Quod confertur in remissionem peccatorum, quod abluit immania scelera, delet peccati culpam: atqui baptismus, &c. ergo, &c.

Probatur 2. ex traditione. *Primo*, in symbolo profitemur, per baptismum remitti peccata, *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Secundo*, Cyprianus in Epist. ad Fidum ait, ideo baptismum dari parvulis, quod contractum in nativitate peccatum deleat. *Tertio*, Aug. l. 3. de Bapt. cap. 3. hæc habet, *Baptismus abluit peccata omnia.* Tamdem *quarto*, articulus ille definitus est in Conc. Trid. sess. 5. can. 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema sit.*

Objicies. Ex Augustino, peccatum originale & concupiscentia idem sunt: atqui baptismus non tollit concupiscentiam, cum in baptizatis remaneat: ergo non tollit peccatum originale.

Resp. quidquid sit de antecedente, de quo fuse diximus agentes de peccato originali, dist. min. Baptismus non tollit concupiscentiam quoad actum, conc. min. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam* (verba sunt Concilii Trid. sess. 5. can. 5.) *hac sancta Synodus fatetur & sentit:* Non tollit quoad reatum, neg. min. Peccatum originale non est positum in concupiscentia secundum actum sumpta, sed tantum secundum reatum, hoc est, prout in hominis anima dominatur: ille vero reatus, in quo positum est peccatum originale, in infantibus oritur ex primorum parentum inobedientia.

CONCL. 2. Baptismus non tollit pœnam omnem temporalem peccato debitam, sed tollit æternam.

Probatur prior pars. Pœnæ peccato originali debitæ in hac vita, sunt eæ quas theologi pœnalitates appellant; atqui baptismus non tollit eas pœnalitates: nempe in baptizatis remanent concupiscentia, infirmitas corporis, morbi, dolorum sensus, moriendi necessitas, aliæque ejusmodi temporales miseriæ, idque Deus providit: *Ut* (ait August. Enchiridii c. 66.) *intelligamus, totum quoad salutaribus agitur sacramentis, magis ad fidem venturorum bonorum, quam ad retentionem, vel ad adeptionem præsentium pertinere.*

Probatur altera pars. Si aliqua post baptismum pœna in futuro sæculo persolvenda remaneret, Ecclesia baptizatis satisfactionis onus imposuisset olim, & imponeret modo, sicut olim imposuit, & imponit modo post baptismum lapsis: tota enim ratio, cur sic se gerat erga lapsos, petitur ex eo quod per sacramentum pœnitentiæ non tollatur pœna temporalis in altero sæculo persolvenda: atqui Ecclesia pro peccatis ante baptismum commissis nullam unquam satisfactionem imposuit, nec imponit modo: Ergo baptismus non solum tollit peccati culpam, sed & omnem pœnam in altero sæculo alioquin persolvendam. Vide primæ edit. comment. nostri Hist. p. 15. multiplicem oppositionem, quæ reperitur inter disciplinam, qua Ecclesia quondam usa est in catechumenos, & eam quam adhibuit in fideles lapsos, quibus per potestatem clavium sacramentalem absolutionem impendit.

Objicies. Pœnitentiæ sacramentum non remittit peccata tum quoad culpam, tum quoad omnem pœnam in altera vita subeundam; ergo nec baptismus.

Resp. conc. ant. neg. cons. Ratio disparitatis est, quia per baptismum homo fit membrum Christi: unum cum ipso corpus constituitur: ac proinde eodem modo, immo magis, prodest ipsi Christi passio, ac si eam in proprio suo corpore pertulisset: *An ignoratis* (inquit Apost. ad Rom. 6.) *quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.*

CAPUT II.

Utrum Baptismi votum & martyrium illius effectum operentur.

Not. 1. NON est hic quæstio de baptismi voto, quod reperitur in homine destituto dominante in Deum caritate: certum est enim baptismi votum in eo homine non operari remissionem peccatorum: sed quæstio est de baptismi voto, quod reperitur in homine qui flagrat dominante in Deum caritate.

Not. 2. Ex observatis superiori capite, in peccato duo sunt, nimirum reatus culpæ & reatus pœnæ tum æternæ tum temporalis: hæc, dimisso quoad culpam peccato, in altera vita perferenda est iis qui licet justificati, plene in ista non satisfecerunt: Quærendum est igitur, utrum baptismi votum aut martyrium deleant utramque illam peccati pœnam.

CONCL. 1. Baptismi votum, saltem in ultima vitæ periodo, delet peccati culpam, non vero totam pœnam peccato debitam.

Probatur prior pars. *Primo*, Cyprianus in Epistola ad Jubajanum docet, eos, qui baptizati sunt in hæresi (in qua supponit validum baptismum non conferri) & sincero animo redierunt in Ecclesiam, ex voto veri baptismatis (quod quidem contendit in sola Ecclesia catholica reperiri) justificationem consecutos fuisse: *Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine*

sine baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos, qui simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesia sua muneribus non separare. Unde sic conficitur argumentum: Ex Cypriano, qui ex hæresi revertentes, mortui sunt sine baptismate, justificationem consecuti sunt: atqui eam consecuti non sunt, nisi ex baptismi voto, cum (ut inferius dicetur) baptismus aut in re, aut in voto susceptus, ad salutem, ac proinde ad justificationem, necessarius sit necessitate medii.

Secundo, Ambrosius idem docet in oratione funebri de obitu Valentiniani, qui catechumenus obiit: *Dudum* (inquit) *hoc votum habuit* . . . . . *Non habuit ergo gratiam, quam desideravit?*

Tertio, idem demonstratur ex Ecclesiæ praxi, quæ pro catechumenis ante baptismum mortuis preces obtulit, ac sacrificia; ac proinde supposuit eos ex voto baptismatis obiisse in statu gratiæ; non enim orat, nisi pro iis quos pie censet in statu gratiæ extremam clausisse diem.

Quarto, idem docet August. l. 4. de Bapt. c. 22. Idem Conc. IV. Carthag. can. 79. Idem etiam altera Arausicana Synodus can. 12. Idem Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Quæ autem pœnitentiæ sacramenti, de quo Conc. laudato loco loquitur, eadem est baptismatis sacramenti ratio; utrumque enim ad justificationem necessarium est necessitate medii.

CONCL. 2. Baptismi votum *per se* non remittit totam pœnam temporalem peccato quoad culpam dimisso debitam in altera vita.

Probatur. Si baptismi votum remitteret totam pœnam temporalem, de qua agitur, Majores nostri non fudissent preces pro catechumenis, qui ante actualem baptismi susceptionem obierant: neque enim ob aliud oramus pro mortuis, quam ut eis in altera vita remittatur pœna temporalis, quæ plerumque peccato quoad culpam dimisso debetur: atqui (ut jam observatum est) Ecclesia oravit pro catechumenis, qui ante actualem baptismi susceptionem obierant: ergo supposuit baptismatis votum non remisisse totam pœnam temporalem in altera vita perferendam.

Quæres, cur in conclusione dictum sit, baptismi votum *per se* non remittere totam pœnam temporalem peccato quoad culpam dimisso debitam in altera vita?

Resp. addita fuisse verba, de quibus est quæstio, quod *per accidens* votum baptismatis totam, de qua agitur, pœnam aliquando dimittat, cum nempe conjunctum est cum ardentissima seu maxime intensa caritate: unde Majores nostri (ut patet ex Conc. Nicæno I.) pœnas satisfactorias minuebant, aut augebant pro majori vel minori pœnitentium caritate.

CONCL. 3. Martyrium operatur integrum baptismatis effectum, seu delet peccatum, tum quoad culpam, tum quoad totam pœnam in altera vita perferendam.

Probatur. Caritas, tum intensive, tum extensive perfecta, hoc est, quæ est Dei super omnia amor multum acris, vehemens ac incensus, delet, saltem per modum proximæ dispositionis, tum culpam, tum pœnam peccati, ut mox observatum est ex Conc. Nicæno I. atqui martyrium caritatem tum extensive, tum intensive perfectam includit, juxta illud Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Confirmatur argumentum ex praxi Ecclesiæ, quæ nullas unquam pro martyribus mortuis preces fudit; unde celebre est illud Augustini effatum serm. 17. de verbis Apostoli: *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.*

Objicies. Si martyrium peccata deleret, id ageret, aut ex opere operantis, aut ex opere operato: atqui neutrum dici potest: Non primum, neque enim martyrium operatur peccatorum remissionem propter meritum personarum, a quibus infertur; nempe qui martyrium inferunt, homines sunt maxime impii: nec etiam propter martyrum meritum; nullum enim est in infantibus nondum baptizatis, qui interficiuntur in odium fidei. Alterum dici quoque non potest, alioquin martyrium esset sacramentum, quippe proprium est sacramentis novæ legis, peccata remittere ex opere operato.

Resp. martyrium remittere peccata ex opere operato; nec inde tamen sequitur quod sit sacramentum: non enim satis est ad sacramentum actio quæ sit ex opere operato, sed præterea (ut suo loco dictum est) requiritur ritus externus a Christo institutus ac præscriptus, quod quidem (ut patet) martyrio non convenit. Hic obiter notandum est, Dominicum Soto contendere martyrium alio modo in infantibus, & alio in adultis operari: in istis (inquit) agit tantum ex opere operantis, in illis vero (sed ex singulari Dei privilegio) agit ex opere operato. Vide primæ edit. Comment. nostri pag. 120.

CAPUT III.

Utrum Circumcisio, aut Baptismo Joannis, Baptismi Christiani effectum operarentur.

Not. 1. Certum est, circumcisionem parvulis collatam remisisse peccatum originale: nam Scriptura hominem incircumcisum, sive sit infans, sive sit adultus,

tus, excludit a societate populi fidelis: *Masculis* (inquit Deus Genesis 17.) *cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum* (cum Adamo initum, ut interpretatur Augustinus) *irritum fecit*.

Not. 2. Licet theologi conveniant circa eum circumcisionis effectum, dissident tamen inter se circa modum, quo effectum illum producebat. Estius scribens in Sententias, censuit circumcisionem in parvulis remisisse peccatum originale ex opere operato: alii vero passim docent, ipsum remisisse tantum ex opere operantis, hoc est, ex vi fidei, aut offerentium, aut conferentium, aut synagogæ, in Christum venturum, cujus fidei (inquiunt) circumcisio erat signum protestativum.

CONCL. 1. An circumcisio peccata remiserit ex opere operato, aut solum ex opere operantis, quæstio est, quæ ad fidem non spectat.

Probatur. Ea quæstio ad fidem non spectat, quæ nec in Scriptura, nec in traditione expresse definitur: atqui ejusmodi est ea de qua agitur: ergo &c.

Objicies. Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum docet, sacramenta novæ legis in eo differre à sacramentis veteris legis, quod ista significarent gratiam, illa vero eam producant. Concilium Tridentinum sess. 7. can. 2. anathemate damnat eos qui dixerint, *sacramenta novæ legis a sacramentis veteris legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus*: atqui id falsum esset, si circumcisio quondam ex opere operato produxisset gratiam sanctificantem; neque enim inter modum quo circumcisio produxisset gratiam, & eum quo nostra sacramenta eam producunt, aliquod discrimen reperiretur: ergo, &c.

Resp. neg. min. Ratio est, quia cum Eugenius & Concilium Tridentinum sacramenta novæ legis opponunt sacramentis legis veteris, sumunt sacramenta veteris legis stricte, hoc est, pro iis quæ Deus per Moysem instituerat, non autem pro iis quæ ante legem Mosaicam in statu legis naturæ fuerant in usu. Circumcisio autem (dicente Evangelio) non est ex Moyse, sed ex Patribus.

Quæres. Quænam sit probabilior ex duabus sententiis, quarum una affirmat, circumcisionem produxisse gratiam ex opere operato, altera vero id negat?

Resp. 1. negativam sententiam his niti rationibus. *Primo*, videtur, quod circumcisio instituta fuerit tantum ad distinctionem extrinsecam Judaicæ gentis ab aliis populis; unde nemini data est toto eo tempore, quo Judæi in deserto versantes commixti non erant cum ceteris nationibus. *Secundo*, Scriptura V. T. non aliud ipsi tribuit quam ut esset signum fœderis, quod Deus cum Abrahæ posteris inierat. *Tertio*, Apostolus qui in epist. ad Romanos præcipua circumcisionis jura recenset, ne verbum quidem profert de illius in gratiam sanctificantem efficacia.

Resp. 2. pro affirmativa sententia has proferri rationes. *Primo*, Scriptura Genesis 17. deleri jubet ex Dei populo eos omnes qui circumcisi non fuerint. *Secundo*, Augustinus lib. 2. de nupt. & concup. capite 11. asserit, circumcisionem valuisse ad delendum peccatum originale, *sicut* nunc valet baptismus. Libro 4. de Bapt. contra Donatistas cap. 24. hæc scribit: *Ipsum per seipsum sacramentum multum valebat:* Valere vero *per se ipsum* est valere ex opere operato. *Tertio*, si circumcisio non produxisset gratiam ex opere operato, nulli fere parvuli in antiqua lege recepissent remissionem peccati originalis; nempe cum Judæi fere omnes fuerint homines carnales, pauci extiterunt ministri circumcisionis, qui essent in statu gratiæ sanctificantis; ac proinde pauci erant, quorum intuitu Deus per circumcisionem peccatum originale dimitteret. Vide Scotum & Estium in 4. Sent.

CONCL. 2. Joannis baptisma non producebat gratiam sanctificantem.

Probatur. Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. Jo: 1. ipse Joannes Baptista ex eo probat se non esse Messiam in lege promissum, quod Messiæ baptismus collaturus esset Spiritum sanctum, cum e contra is, quem ipse Joannes conferebat, nudum esset ministerium in aqua, expers cujuslibet effectus spiritualis. *Ego* (ait apud Marcum cap. 1.) *baptizo vos in aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto*.

Quæres 1. Num aliqua alia essent discrimina inter Christi & Joannis Baptismum.

Resp. fuisse triplex aliud discrimen: 1. Joannis baptisma nullum producebat caracterem; unde Actorum 19. qui baptizati fuerant Joannis baptismate, iterum baptizati sunt baptismo Christi: 2. Joannes inter baptizandum nulla utebatur forma, cum e contra in Christi baptismo SS. Trinitas invocetur: 3. Joannis baptisma solis adultis conferri poterat; erat enim baptismus pœnitentiæ, seu exhortatio ad pœnitentiam, cujus proinde capaces non sunt, qui sua ratione nondum fruuntur.

Quæres 2. Cur Christus a Joanne baptizari voluerit?

Resp. Christum triplici de caussa baptizari voluisse a Joanne. *Primo*, quidem ut sui præcursoris baptismum ac divinam illius missionem probaret. *Secundo*, ut (inquit Augustinus) doceremur quanti debeamus facere baptismum Domini, cum ipse Dominus tanti fecerit baptismum servi. *Tertio*, ut suæ mundissimæ carnis contractu vim regenerandi aquis tribueret. Vide Tertulliani librum de Baptismo, qui tamen caute legen-

dus est : nempe multa de Joannis baptismo continet, quæ cum veritate non cohærent. Vide etiam Augustinum lib. 2. contra litteras Petiliani c. 33. ubi insulsum ejus de baptismo Joannis commentum confutat. Vide Magistrum Sentent. lib. 4. Dist. 4. Videri etiam potest Commentarius Histor. pag. 55. primæ editionis, ubi varii de Joannis baptismate, tum antiquorum, tum recentiorum, errores referuntur.

CAPUT IV.

In quo posita sit gratia quæ baptismate producitur.

Not. EX iis quæ diximus agentes de sacramentis in genere, constat, gratiam quæ per sacramenta producitur, esse gratiam sanctificantem, ac proinde sequitur eam baptismate produci : sed hic quæstio est, quænam sint proprietates gratiæ quæ per baptisma producitur.

CONCL. Gratia sanctificans quæ baptismate producitur, hominem regenerat, illuminat, ei cælorum januam aperit.

Probatur prior pars. Quod homini novam nativitatem tribuit, ipsum regenerat : atqui gratia sanctificans quæ baptismate producitur, novam ei nativitatem tribuit, juxta illud Evangelii : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, juxta etiam illud 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite*. In quo autem ea nova nativitas posita sit, exponit S. Joannes Evangelii c. 3. *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est: Non mireris, quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuo*. Itaque nova nativitas efficit, ut ii qui ante carnales erant, per inhabitantem spiritum fiant spirituales ; ac proinde deposito homine vetere cum vitiis & concupiscentiis, Christum cum illius donis ac virtutibus induant, juxta illud ad Gal. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*.

Probatur altera pars. Scriptura & Patres baptismum vocant sacramentum illuminationis: ergo censet baptismum illuminare recipientes. Probatur ant. Hæc habet Paulus de baptismo agens ad Heb. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt* (in baptismate) *illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam* (quæ fiat per alterius baptismatis collationem). Hæc etiam habentur 1. Petri 2. *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*. Qua vero ratione baptismus nos illuminet, patet tum ex eo, quod doctrina seu instructio baptismo ordinarie præmittatur; tum etiam quod conferat Spiritum sanctum, qui interius per actualem gratiam docet & movet baptizatos.

Probatur tertia pars. Non ob aliud, cum Christus a Joanne baptizatus est, cæli visi sunt aperti, quam ut doceremur, ipsos Christi baptismate aperiri: nec mirum; nam per baptisma homo efficitur filius Dei, ac proinde cælum ei tamquam hereditas debetur : *Si autem filii & heredes* (inquit Paulus ad Roman. 8.) *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*.

Quæres 1. Utrum sola gratia sanctificans per baptismum catechumenis conferatur?

Resp. his Concilii Trident. verbis sess. 6. cap. 7. *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem :* Cur autem illæ virtutes dicantur infusæ, quove sæculo is loquendi modus invaluerit, fuse explicuimus Commentarii nostri Historici pag. 121. 122. primæ editionis.

Quæres 2. Utrum baptismus ficte susceptus, recedente fictione, suos effectus producat?

Resp. fictionis nomine scholasticos intelligere carentiam dispositionum requisitarum, ut catechumenus gratiam baptismalem recipiat: hoc posito, dicendum est, baptismum ficte susceptum, recedente per contritionem fictione, producere suos effectus. Id nimirum docuit August. l. 1. de Baptism. contra Donatistas c. 12. l. 3. c. 13. Ex eo autem Augustini principio immerito colligitur, alia a baptismo sacramenta, ea præsertim quæ characterem non imprimunt, sublata fictione, cum qua recepta fuerant, reviviscere seu effectum suum producere. Unde miramur casuistas recentiores, qui ex eo principio concludunt homini qui per multos annos mortaliter peccavit ex consuetudine, & toties, quoties ab imperitis ministris absolutus est, satis esse, ut confiteatur peccata quæ ab ultima confessione admisit ; nec opus esse, ut iterum confiteatur, quæ jam in aliis confessionibus aperuerat, quia (inquiunt) quæ prius defectu contritionis irritæ fuerant absolutiones, effectum suum recedente per contritionem fictione operantur. Sed de eo figmento ad animarum perniciem excogitato, redibit sermo in nostra de Pœnitentia dissertatione.

QUÆSTIO VIII.

De proprietatibus Baptismi.

Not. 1. DUæ sunt præcipuæ baptismi proprietates, unitas & necessitas. Unitatem baptismi profitemur in symbolo : *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum :* posita est autem baptismi unitas in eo quod semel sive in hæresi, sive in Ecclesia valide collatus, iterari minime possit. Vide Chrysostomum hom. 9. in epistolam ad Hebræos, Augustinum in epist. ad Romanos : vide & eumdem Patrem in suis contra Donatistas operibus. Cum hæc de uni-

unitate baptismi quæstio reducatur ad quæstionem, an baptismus characterem producat, & ea de baptismatis charactere quæstio jam superius pertractata fuerit, nihil hic superest de baptismatis unitate dicendum.

Not. 2. Necessitas duplex est, medii & præcepti: quærendum est ergo, utrum duplici ea necessitate necessarius sit baptismus.

CONCL. 1. Baptismus ad salutem omnibus adultis necessarius est necessitate divini præcepti.

Probatur 1. Illud est necessarium necessitate præcepti divini, quod Christus præcepit; atqui Christus baptismum præcepit omnibus hominibus adultis; is enim omnibus hominibus adultis baptismum præcepit, qui jussit Apostolis, ut omnes baptizarent: atqui Christus id jussit Apostolis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. 2. Illud est adultis necessarium necessitate præcepti, quod omnibus omnino hominibus est ad salutem necessarium necessitate medii: atqui (ut dicetur proxime sequenti conclusione) baptismus est ejusmodi: ergo, &c.

Quæres 1. quo præcise tempore obliget adultos divinum de baptismate recipiendo præceptum?

Resp. adultos eo præcepto teneri per sufficientem cognitionem evangelicæ legis: illius tamen executionem aliquandiu differre possunt, donec docti sint fidei mysteria, quorum cognitio ad salutem requiritur, donec præteritæ vitæ emendationem pietatis operibus probaverint: ea enim de caussa (ut superius dictum est) Majores nostri tres classes seu gradus instituerant, in quibus non exiguo tempore probandi erant catechumeni, antequam baptismate consecrarentur.

CONCL. 2. Baptismus omnibus omnino hominibus, sive parvulis, sive adultis, ad salutem necessarius est necessitate medii.

Probatur 1. Illud est ad salutem necessarium necessitate medii, sine quo, etiam absque culpa omisso, nemo potest intrare in regnum Dei: atqui sine baptismo, aut illius voto, nemo potest introire regnum Dei, juxta illud Christi, Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*.

Respondet Calvinus, verba illa non debere sumi *proprie*, seu pro externa corporis ablutione quæ fit in baptismi sacramento, sed *metaphorice*, hoc est, pro renascentia interna, ita ut aqua & Spiritus sanctus idem significent.

Sed contra est. *Primo*, voces istæ, *Aqua*, *Spiritus sanctus*, expresse in laudata Christi sententia distinguuntur: ergo per eodem non sumuntur. *Secundo*, si aqua eo loci metaphorice sumatur, dici poterit, eam metaphorice sumi in omnibus aliis locis, ubi fit mentio baptismatis; ac proinde probari non poterit esse aliquod baptisma, quod ex aqua naturali physice constet. *Tertio*, quotquot a Christo ad Calvinum usque extitere patres, locum illum de baptismi sacramento intellexerunt. Vide Tertullianum l. de Baptismo, Cyprianum in epistola ad Fidum, Augustinum in suis de baptismo libris adversus Donatistas. Hincque concluditur, Concilium Tridentinum antiquam Ecclesiæ fidem Christianis proposuisse cum sess. 7. can. 2. *de Baptismo* hunc canonem edidit: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit*.

Probatur 2. Ecclesia quovis sæculo credidit neminem posse sine baptismo salvari; indeque semper conclusit, parvulos qui sine baptismo moriuntur, non consequi vitam æternam. *Primo*, Cyprianus nomine Concilii Carthaginiensis Fido jubet, ne ad conferendum infantibus baptisma octavum diem expectet, eo quod periculum sit, ne si ante octavum diem moriantur, in æternum pereant. *Secundo*, tota Ecclesia quinto sæculo damnavit Pelagianos, quod contenderent, infantes sine baptismo morientes vitam æternam consequi: vide Augustin. lib. de hæresib. hæresi 88. *Tertio*, quovis sæculo præceptum fuit, ut infantibus in periculo constitutis statim baptismus conferretur, adultisque omnibus qui illum, aut voce, aut signo, aut testibus petiissent: ideo autem id præceptum fuit, quod Ecclesiæ persuasum fuerit, baptismum infantibus esse ad salutem necessarium necessitate medii: vide Augustin. epist. 180. quæ est ad Honorat.

Objicies. Filii fidelium parentum sancti sunt Apostolo teste 1. ad Cor. 7: *Nunc autem sancti sunt*: ergo eorum respectu baptismus non est ad salutem necessarius.

Resp. dist. ant. Sancti sunt sanctitate futura, quia præsumitur, alterum e conjugatis, fidelem nimirum, daturum operam, ut nati baptismum aliquando recipiant; quo sensu etiam dicitur; *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*, conc. ant. Sancti sunt sanctitate præsenti, seu præcise quod sint e fidelibus parentibus nati, neg. ant. alioquin dicendum esset, Esau natum fuisse sanctum, & omnes reprobos qui ex fidelibus parentibus ortum ducunt. Vide Augustinum lib. 1. de peccat. meritis & remissione, c. 26. vide Estium, in hunc Apostoli locum.

Instabis. Licet omnes pueri qui ex fidelibus parentibus nascuntur, non sint sancti, aliqui tamen revera sancti sunt, ii nempe qui pertinent ad pactum, quod Deus iniit cum Abrahamo, Genes. 17. *Ero Deus tuus & seminis tui*: ergo omnibus ad salutem necessarius non est baptismus.

Resp. dist. ant. Aliqui pertinent ad pactum quod Deus

Deus iniit cum Abrahamo, & illud pactum incipit mandari executioni per baptismum, conc. ant. incipit mandari executioni sine baptismo, neg. ant. Ratio est, quia tunc illud pactum incipit mandari executioni, cum is qui ad ipsum pertinet, incipit credere, juxta illud Apostoli: *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ, & benedicentur cum fideli Abraham*: infantes vero tunc tantum credunt fide infusa, cum actu baptizantur: *Quis enim nesciat* (inquit Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, c. 17.) *credere, esse infantibus baptizari; non credere autem, non baptizari?* Confirmatur ex hoc celebri Tertulliani effato Apologetici cap. 17. *Fiunt enim, non nascuntur Christiani*.

Objicies 2. Antiqua Ecclesia orabat pro catechumenis absque baptismo mortuis: ergo censebat baptismum non esse ad salutem necessarium: si enim id credidisset, non magis pro illis catechumenis quam pro diabolo orare potuisset; quippe certa fuisset, eos mortuos fuisse in statu peccati mortalis.

Resp. concesso ant. dist. conseq. Ergo Ecclesia censebat baptismum in re susceptum, non fuisse ejusmodi catechumenis necessarium, conc. conseq. in voto susceptum, neg. cons. nempe contritio semper in nova lege conjuncta esse debet in catechumenis cum explicito baptismatis voto. Vide Ambrosium oratione funebri de obitu Imperatoris Valentiniani.

Ex his patet 1. quantum rei sint parentes, qui in multum tempus differunt infantium baptisma: *Non procrastinetur baptismus quocumque prætextu*; (inquit Concilium Bituricense, quod ann. 1585. habitum est) *sed quam citissime fieri poterit, baptizentur infantes*. Concilium Aquense plecti vult excommunicatione eos qui infantium suorum baptisma ultra octavum diem distulerint. Præcipiunt alia Concilia, ne etiam sub obtentu expectandorum patrinorum differatur: *Ne differant eorum baptismum* (inquit Synodus Lingonensis habita ann. 1404.) *pro expectanda paternos vel maternos*.

Colligitur 2. maxime reos esse parochos, qui dum in parochia aliquæ sunt mulieres prægnantes, ab ea voluntarie absunt. Vide Augustinum epist. ad Honoratum; vide etiam Concilium Rhemense, quod habitum est anno 1583. *Conferant illud* (inquit loquens de baptismate) *cum primum fuerint rogati, ne propter moram puer incidat in periculum*.

QUÆSTIO IX.

De Cæremoniis Baptismi.

Not. Cæremoniæ baptismi, aliæ sunt in usu apud Græcos, aliæ apud Latinos. De illis vide Græcorum Euchologium, Goarii in idem Euchologium notas, Arcudium, Commentarii nostri Historici paginas 131. 132. primæ editionis. Istæ vel fuerunt olim in usu, & jam non sunt; vel sunt & fuerunt semper. De utrisque in specie consideratis, vide Gregorii Magni Sacramentarium, Catechismum Romanum, a quo fuse describuntur, Canisium & Bellarminum, a quibus vindicantur a recentiorum hæreticorum dicteriis. Consuli quoque potest noster Commentarius Historicus locis mox laudatis. Satis hic sit de iis in genere spectatis quærere 1. quis sit earum auctor: 2. quis minister: 3. quodnam subjectum: 4. quinam sint eorum effectus: 5. denique quid minister post baptismum collatum agere debeat.

CAPUT PRIMUM.

De auctore, ministro, subjecto, effectibus Cæremoniarum.

CONCL. 1. Ecclesia baptismi cæremonias instituit.

Probatur, *Primo*, illud est discrimen inter baptismi cæremonias, & illius materiam & & formam, quod hæ a Christo institutæ sint, illæ vero ab Ecclesia: ita enim de omnibus sacramentorum cæremoniis docet Concilium Tridentinum sessione 21. *Secundo*, id Ecclesia instituit, de quo dispensat: atqui nonnumquam de cæremoniis baptismatis dispensat: quippe (ut habet Romanum Rituale) hæreticis extra Ecclesiam baptizatis suppleri non debent, si ita rationabili de causa Episcopus expedire judicaverit: ergo, &c. *Tertio*, cæremoniæ baptismatis ubique eædem non fuerunt semper, nec sunt modo: ergo non sunt juris divini: quæ enim sunt divini juris, ubique semper eadem ratione observantur.

CONCL. 2. Ministri cæremoniarum baptismatis sunt soli episcopi aut parochi, aut ii quibus id muneris expresse commiserint.

Probatur auctoritate Concilii Aquensis, quod ann. 1585. c. 78. hisce verbis Ecclesiæ Latinæ disciplinam explicuit: *Nemo nisi parochus, aut is, cui ille, Episcopusve nominatim concesserit, in baptismo ministrando statas illas sollemnesque cæremonias adhibeat, etiamsi ob necessitatem ministret. Quo in ministerio stola non alterius cujusquam, sed albi coloris, si fieri possit, utatur*.

CONCL. 3. Subjectum cæremoniarum baptismi sunt ii omnes qui baptizantur.

Probatur. Ii omnes sunt subjectum cæremoniarum baptismi, circa quos ex Ecclesiæ præscripto ejusmodi cæremoniæ adhiberi debent: atqui debent adhiberi circa eos omnes qui baptizantur: neque enim (ut præcedente dissertatione dictum est) licitum est ministro, ritus ab Ecclesia præscriptos, in sollem-

sollemni sacramentorum administratione omittere.

Objicies 1. Ii saltem qui absque cæremoniis baptizantur in mortis periculo, ab iis cæremoniis ubi convaluerint, dispensantur: ergo falso asseritur, quod ii omnes qui baptizantur, sint earum subjectum.

Resp. neg. ant. Nempe Rituale Romanum præscribit, ut si ii de quibus agitur, supervixerint, deferantur ad Ecclesiam, ut illis cæremoniarum usus adhibeatur. Idem quoque decernunt concilia provincialia, quæ post Tridentinum in Galliis habita sunt: *At* (inquit Concilium Remense ann. 1583.) *si valetudo pueri permittat, ad Ecclesiam postea deferatur, ut illi cæremoniarum usus adhibeatur.*

Objicies 2. Baptismi cæremoniæ non supplentur in hæreticis, qui extra Ecclesiam baptizati, postea in illius sinum redeunt: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Scilicet Rituale Romanum jubet, ut in casu de quo agitur, suppleantur, *nisi* (inquit) *rationabili de caussa aliter Episcopo videatur.* Is tamen usus non obtinet in Galliis Calvinistarum respectu.

CAPUT III.

Quid post Baptismum collatum parochus agere debeat.

CONCL. MUlta sunt, quæ post baptismum, eo quo par est, ritu celebratum, agenda sunt a parocho.

Probatur enumeratione. *Primo*, ex Concilio Remensi quod habitum est anno 1583. moneat patrinos, *fidei pro suscepto sponsores esse; itaque eos obligari, cum infans ad adultam ætatem pervenerit, eum docere fidei rudimenta, seu symbolum, ut saltem ejus verba memoria tenere & recitare valeat, nisi id a parentibus præstari possit.* Iterum monere debet, ex Concilio Tridentino, eos cum baptizato ac illius patre & matre spiritualem cognationem contraxisse, quæ contrahendum matrimonium impedit, & dirimit contractum. De illo impedimento sermo redibit in tractatu de Matrimonio.

Secundo, ex Concilio Rothomagensi, quod habitum est anno 1581. parochus debet 1. in librum referre baptizati, parentum ex quibus natus est, nec non susceptorum, nomina cum nota diei & anni, sive baptismus collatus fuerit in Ecclesia cum sollemnibus cæremoniis, sive in domo propter necessitatis casum. 2. In Galliis ex edicto Blesensi, articulo 181. tenetur idem Parochus librum, in quo descripsit baptizatorum nomina, singulis annis ad Proximum Prætorem aut Seneschallum deferre, ut in publicis Tabulariis conservetur.

Tertio, monere debet, ne mater, aut nutrix, aut quævis alia mulier, aut vir aliquis, infantem ante expletum ætatis annum in eodem secum lecto teneant: scilicet periculum est, ne parentibus aut aliis suffocetur. Eos qui legem illam infregerint, excommunicatione mulctat Concilium Mediolanense IV. Casum illum sibi passim reservant nostrates Episcopi. Circa praxim, quam tota hac dissertatione protulimus, vide Concilia Mediolanensia sub S. Carolo: vide Concilia Provincialia, quæ post Tridentinum habita sunt in Galliis: vide Bochelli librum de decretis Ecclesiæ Gallicanæ titulo de *Baptismo*.

DISSERTATIO TERTIA.

De Confirmatione.

Not. SAcramenti, de quo agitur in hac dissertatione, varia sunt nomina. *Primo*, vocatur *Confirmatio*, quia vim roburque fidelibus tribuit, ut fidem, etiam cum vitæ dispendio, palam confiteantur. *Secundo* appellatur *Impositio manuum*, eo quod ex ea tamquam materia aut essentiali aut accidentali constet. *Tertio* dicitur *Chrismatis sacramentum*, quia chrisma in illius collatione adhibetur.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Confirmationis.

Not. CUm rei cujuslibet essentia illius definitione contineatur, necesse est ad explicandam confirmationis essentiam, ut hic illius definitio tradatur.

CONCLUSIO. Confirmatio recte definitur: Sacramentum novæ legis, quo præter gratiam sanctificantem datur jus ad auxilia specialia, quæ necessaria sunt, ut quis fidem intrepide confiteatur.

Probatur prior pars. Ad sacramentum novæ legis tria requiruntur: cæremonia sensibilis; institutio divina; productio gratiæ sanctificantis: atqui tria illa in Confirmatione reperiuntur. *Primo* quidem est *cæremonia sensibilis*, nimirum impositio manuum, & chrismatis unctio: 2. *Institutio divina*, (enim (ut dicetur) sensibilis ea cæremonia gratiam producat, necesse est, ut a Christo vim illam habeat; neque enim res sensibilis potest nisi per institutionem divinam, cum effectum producere. 3. *Gratia sanctificans*, juxta illud Actorum 8. *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*: nempe quoties vox illa *Spiritum sanctum* simpliciter profertur in Scripturis, non intelligitur de dono aliquo gratis dato, ut sunt donum linguarum, donum miraculorum, sed intelligitur de gratia sanctificante, ut patet ex his verbis Actorum 6. *Elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto.* Ad prolixiorem eorum, quæ mox dicta sunt, probationem, vide

quæ

quæ dicentur de hujusce sacramenti materia, forma, effectu: iis nempe locis ostendemus, impositionem manuum, unctionem chrismatis, orationem quæ ab Episcopo confirmante funditur, vim habere producendi Spiritum sanctum.

Probatur altera conclusionis pars. Id per confirmationem confertur, ad quod primario instituta est a Christo: atqui confirmatio primario instituta est a Christo ad conferendum jus ad auxilia specialia, quæ necessaria sunt ad fidem exterius confitendam; in eo nempe speciale illius a ceteris sacramentis discrimen positum est: ergo, &c.

Quæres quinam hæretici negaverint, confirmationem esse verum ac proprie dictum sacramentum novæ legis.

Resp. 1, Lutherum & Calvinum id elapso proxime sæculo negasse: unde anathemate damnati sunt in Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. *De Confirmatione*. Resp. 2. ante Lutherum nullum Christianum confirmationem expunxisse ex albo sacramentorum novæ legis. Vide Commentarii nostri Historici paginas 133. 134. 135. primæ editionis.

QUÆSTIO II.

De materia Confirmationis.

Not. Circa essentialem confirmationis materiam triplex est auctorum sententia. Prior est Sirmondi, Sambovii & aliquorum aliorum, qui contendunt, solam impositionem manuum esse materiam essentialem confirmationis. Altera est plurium scholasticorum, quibus placet solam unctionem chrismatis eam essentialiter constituere. Tertia denique quæ a multis quoque defenditur, docet, utrumque ritum esse huic sacramento essentialem.

CONCL. 1. Impositio manuum est inadæquata materia essentialis confirmationis.

Probatur prior pars. Illud est essentialis materia sacramenti confirmationis, quo Apostoli usi sunt, ut neophytis Spiritum sanctum conferrent: atqui Apostoli usi sunt impositione manuum, ut neophytis Spiritum sanctum conferrent. Hæc nimirum habentur Actor. 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Eum vero locum intelligi de sacramento confirmationis, ostenditur tum ex eo, quod sic eum intellexerunt Cyprianus Epist. 73. Chrysostomus in eum de quo agitur Scripturæ locum, Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 26. tum etiam ex eo quod si locus ille de confirmatione non explicetur, ex Scriptura probari non poterit adversus hæreticos, confirmationem esse novæ legis sacramentum.

Confirmatur. Patres qui post Apostolos scripserunt, eamdem quoque manuum impositionem adhibuerunt quovis sæculo, eique tribuerunt vim conferendi Spiritum sanctum. Tertullianus lib. de Bapt. cap. 7. sic loquitur. *Dehinc manus imponitur* (egressis de lavacro) *per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum*. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos: *Hæc est* (inquit) *consuetudo Ecclesiarum, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti, manum impositurus excurrat*. Gregorius Magnus in suo Sacramentario officium sabbati sancti describens, ubi recensuit baptismatis ritum, refert ritum impositionis manuum ab Episcopo faciendum cum oratione, qua Spiritum sanctum invocat ad robur, eum quoque refert hodiernum Pontificale Romanum: ergo Patres quovis sæculo usi sunt impositione manuum, ut neophytis Spiritum sanctum conferrent.

Objicies 1. Materia essentialis sacramento, debet esse in usu in omnibus Ecclesiis, cum ea quæ sunt ex Dei institutione ac præcepto, sint prorsus immutabilia; atqui impositio manuum non est in usu in omnibus Ecclesiis: siquidem euchologia, quibus Græci a mille annis & amplius utuntur, nullam, cum describunt confirmationis conferendæ ritum, recensent manuum impositionem: ergo &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Nullam recensent *explicite*, conc. ant. *implicite*, neg. ant. Ratio est, quia Græcorum Euchologia præscribunt orationem, qua super baptizatos Spiritus sanctus ad robur invocetur: ea autem oratio implicite dicit conjunctam manuum impositionem, Augustino teste: *Manus impositio nihil aliud est, quam oratio*. Præterea dici potest, ab aliquot sæculis Græcos ritum impositionis manuum cum unctione chrismatis conjunxisse; qui enim inungit (inquit Bellarminus) utique & manum imponit: eum tamen ritum olim apud ipsos, sicut nunc apud Latinos, separatum fuisse, multis monumentis probavimus Commentarii Historici paginis 139. 140. primæ editionis.

Objicies 2. Quod distinguitur ab ipsa confirmatione, non est illius essentialis materia, etiam inadæquata: atqui impositio manuum distinguitur a confirmatione, hæc enim illi successit Eugenio IV. teste, qui in decreto pro instructione Armenorum sic loquitur; *Loco manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio*.

Resp. dist. min. Manuum impositio distinguitur a confirmatione nomine tenus, conc. min. re ipsa, neg. min. Hoc igitur tantum voluit Eugenius ut sacramentum, quod olim vocabatur impositio manuum, nunc vocetur confirmatio. Ratio est, quia Eugenius a ritu confirmationis excludere nec potuit nec voluit ritum, qui illius tempore, & nunc etiam (ut Pontificalia probant) in ea conferenda ubique apud occidentales servabatur.

CON-

CONCLUSIO 2. Unctio chrismatis in fronte est etiam essentialis inadæquata materia sacramenti confirmationis.

Probatur. Patres chrismati, quo baptizatorum frons inungitur, adscripserunt productionem Spiritus sancti. *Primo*, id videre est in Patribus Græcis. Concilium Laodicenum can. 47 hæc habet: *Quod oportet eos qui illuminantur* (hoc est, baptizantur) *inungi supercælesti chrismate, & esse regni Christi participes*. Hæc etiam habet Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 3. mystagogia: *Corpus isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto vivificoque Spiritu sanctificatur*. Nunc Græci, cum neophytos inungunt, his verbis utuntur, *Signaculum doni Spiritus sancti*, quasi dicerent, *Hac unctione datur Spiritus sanctus*. Secundo Patres Latini idem docuerunt: Vide Tertullianum lib. de Baptismo cap. 3. Cyprianum Epist. 70. *Ungi* (inquit) *necesse est, eum qui baptizatus est, ut habere in se gratiam possit*. Vide etiam Augustinum lib. 3. de Baptism. cap. 20. Vide etiam Commentarium nostrum pag. 142. 143. & 144. primæ editionis.

Objicies 1. Illud non est materia essentialis confirmationis, quo Apostoli usi non sunt in conferenda confirmatione: atqui Apostoli usi non sunt chrismatis unctione; nempe Scriptura Actorum 8. solum recenset manuum impositionem: *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Scriptura refert impositionem manuum, & non excludit chrismationem, concedo ant. & excludit chrismationem, neg. ant. Ex scriptura concludi quidem non potest, Apostolos in conferenda confirmatione usos fuisse chrismatione; sed non potest quoque colligi, illam ab iis adhibitam non fuisse: unde de eo facto consuli debet traditio: traditione vero docemur, chrismationem quovis sæculo tum in occidente, tum in oriente adhibitam fuisse, hincque recte concluditur, ab Apostolis fuisse commendatam Ecclesiæ, juxta illud Augustini principium lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum, rectissime creditur*.

Ex iis quæ hucusque dicta sunt, colligitur 1. Episcopo confirmationem conferenti curæ esse debere, ne neophytus cui manus impositæ non fuerint, sese chrismandum exhibeat. Colligitur 2. in neophyto cui manus impositæ non fuerint, aut qui non fuerit chrismatus, caute supplendum esse ritum, qui illius respectu adhibitus non fuerit: *In talibus* (inquit Innocentius Papa III. Capite. *Pastoralis*, Extr. de Sacramentis non iterandis) *non est aliquid iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerit prætermissum*. Censent aliqui totum confirmationis ritum iterari debere cum forma conditionali, cum incertum est, an prius invalide datum fuisset.

Quæres 1. utrum aliquæ conditiones requirantur in chrismate, ut eo ad conferendam confirmationem minister uti possit.

Resp. duplicem conditionem præsupponi, ut licitus sit chrismatis usus. *Primo* requiritur, ut balsamum admixtum fuerit oleo ex olivis expresso, quo confirmatio confertur. *Secundo*, ut chrisma, seu compositum illud ex oleo & balsamo, ab Episcopo consecratum fuerit. Utramque illam conditionem Eugenius IV. injunxit in decreto pro instructione Armenorum, utramque pariter tum Euchologia Græca, tum Pontificalia Latina præscribunt.

Quæres 2. utrum ambæ illæ conditiones requirantur in oleo confirmatorio, ut sacramentum valeat.

Resp. negative. Nam 1. mistionis olei cum balsamo nullus auctor ante Gregorium Magnum meminit; non est igitur essentialis sacramento, cum essentialia semper adhibita fuerint. 2. Benedictio seu consecratio adhiberi solita, nihil aliud est, quam cæremonia, per quam Ecclesia oleum deputat ad confirmationem, illiusque virtutem neophytis apprecatur, non absimili ratione, qua per aquæ consecrationem catechumenis apprecatur baptismatis effectum. Contrarium tamen plerique scholastici propugnant, sed nullo fundamento nituntur.

QUÆSTIO III.

De forma Confirmationis.

Not. Circa formam confirmationis triplex est theologorum sententia. Prior asserit, esse solam orationem, per quam Episcopus neophyto manum imponens, in eum invocat septiformem Spiritus sancti gratiam: ita Sambovius, Alexander Dominicanus, non paucique alii censent. Altera docet, formam confirmationis esse hæc verba, quæ proferuntur a ministro, dum neophytum inungit in fronte: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Tertia denique docet, utrumque ritum esse essentialem sacramento, de quo agitur.

CONCLUSIO 1. Oratio quæ ab Episcopo funditur, dum neophyto manus imponit, fuit per septem priora sæcula essentialis forma confirmationis.

Probatur. Ea oratio fuit per septem priora sæcula essentialis forma confirmationis, quæ ubique adhibita est: quæ clare exprimit confirmationis effectum: cui Patres adscripserunt vim producendi Spiritum sanctum ad robur: atqui orationi, de qua agitur, ea omnia

nia conveniunt. Nam 1. apud Latinos & Græcos iis temporibus fuit in usu: neque enim assignari potest tempus, quo in Euchologia Græcorum aut Ritualia Latinorum referri (ut nunc in eis est) inceperit; 2. In ea invocatur septiformis gratia Spiritus sancti, ac proinde clare in ea exprimitur confirmationis effectus, cum non sit aliud ab illa septiformi gratia: 3. Patres illi adscripserunt vim producendi Spiritum sanctum; hæc nimirum habet Cyprianus Epist. 73. *Quod nunc quoque apud nos geritur* (loquitur de facto Petri & Joannis, qui a Philippo diacono baptizatis in Samaria confirmationem contulerunt) *ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem, Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur*. Vide Hieronymum in dialogo adversus Luciferianos, Ambrosium lib. 3. de Sacrament. cap. 3. Augustinum l. 15. de Trinitate, cap. 26. Commentarii nostri paginas 158. 159. primæ editionis. Favet quoque scriptura: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; tunc imponebant manus super illos, &c.*

CONCL. 2. His etiam temporibus oratio, per quam Episcopus extensis versus confirmandos manibus invocat Spiritum sanctum ad robur, est essentialis forma confirmationis.

Probatur. Ea oratio est, his etiam temporibus, essentialis formæ confirmationis, quæ per septem priora sæcula fuit illius essentialis forma: siquidem (ut diximus agentes de sacramentis in genere) nec materiæ nec formæ sacramentorum, cum in specie a Christo determinatæ sint, possunt esse, saltem quoad substantiam, mutabiles: Atqui (ut ostensum est conclusione prima) oratio, de qua est quæstio, fuit ubique per septem priora sæcula essentialis forma confirmationis: ergo, his etiam temporibus, est essentialis illius forma.

Objicies. Illud his temporibus non est essentialis forma confirmationis, cujus non meminit Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum; neque enim verisimile est quod laudatus Papa docens Armenos, qua ratione conferatur confirmatio, prætermiserit formam illius essentialem: Atqui Eugenius IV. orationis, de qua agitur, non meminit, sed horum tantum verborum, quæ docet esse confirmationis formam, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia Eugenii scopus fuit Armenos adducere ad disciplinam ac ritus Latinorum; proindeque satis illi fuit referre formam integralem, seu accidentalem, quæ a Latinis adhibebatur; nec necesse, ut loqueretur de oratione quæ comitatur manuum impositionem; cum, apud ipsos etiam Armenos, esset in usu.

CONCLUSIO 3. Sex prioribus sæculis hæc verba indicativa: *Signo te signo crucis; & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non fuerunt, etiam inadæquata forma confirmationis.

Probatur. Ea verba non fuerunt, etiam inadæquata, forma confirmationis per sex priora sæcula, quæ iis sæculis non fuerunt in usu: atqui verba, de quibus agitur, sex prioribus sæculis non fuerunt in usu. Nam 1. nullus e sanctis Patribus, qui de confirmatione locuti sunt, eorum meminit. 2. Gregorius Magnus qui labente sexto sæculo scripsit, ea in suum Sacramentarium non retulit: hæc enim sunt Sacramentarii verba: *Pontifex tincto pollice in chrismate facit crucem in fronte uniuscujusque, similiter per omnes singillatim. Quibus expletis, jussi incipiunt in Ecclesiam Lytaniam ternam.*

Respondent nonnulli, non ideo verba illa non referri in antiquorum libris, quod non sint essentialis forma confirmationis; sed quod veteres sollicite caverint, ne mysteria in prophanorum notitiam devenirent.

Sed contra est. *Primo*, licet tertio & quarto sæculo veteres reticentiis usi sint; sexto sæculo, cum pauci tunc essent ethnici, eas non adhibebant. *Secundo*, Gregorius in Sacramentario docebat Ecclesiæ ministros: par igitur erat, ut nullum eos administrandorum sacramentorum ritum celaret. *Tertio*, in eodem Sacramentario Gregorius descripsit omnium aliorum sacramentorum ritus, tam essentiales, tum accidentales: cur ergo eum, qui ad confirmationem essentialiter, ex adversariis, tunc pertinebat, omisisset?

CONCLUSIO 4. Hæc verba indicativa: *Signo te signo crucis, &c.* non sunt his temporibus essentialis forma, etiam inadæquata, sacramenti confirmationis.

Probatur. Ex dictis, ut aliquid sit essentiale sacramento, debet semper fuisse in usu, cum (ut sæpius observatum est) ea quæ essentialia sunt sacramentis, sint quoad substantiam ex immediata Christi institutione, ac proinde immutabilia: Atqui (ut conclusione tertia probatum est) verba indicativa: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*, non fuerunt semper in usu; ergo, &c.

Confirmatur. Nec omnia, nec aliqua verba ex iis de quibus agitur, sunt de essentiali forma confirmationis: Non quidem omnia simul, id enim ipsi adversarii fatentur: Nec etiam aliqua in specie: nam *primo* ista, *Signo te signo crucis*, non requiruntur absolute, nempe exprimunt characteris impressionem; at ea characteris impressio non debet necessario exprimi in forma sacramenti, ut patet

patet in baptismo & ordine. *Secundo*, hæc a'ii, *Chrismate salutis*, non sunt quoque formæ essentialia: siquidem ad sacramenti validitatem non requiritur, ut materia ex qua constat exprimatur in illius forma, ut videre est in formis, tum baptismi, tum ordinis. *Tertio*, scholastici quos hic impugnamus, fatentur, invocationem SS. Trinitatis non debere necessario exprimi in hujusce sacramenti forma, eo quod (inquiunt) neophyti, dum confirmationem recipiunt, non edant fidei confessionem, ut solent catechumeni dum baptizantur; ac proinde (addunt) necesse non est, ut fiat invocatio SS. Trinitatis, ad quam reducuntur præcipua symboli capita. *Quarto*, ex iis autem (ipso etiam Estio fatente) sequitur, hæc sola verba, *Confirmo te*, esse adæquatam confirmationis formam. Sed id plane falsum est: na ideo ad essentialem formam pertinerent, quod exprimant actionem ministri: atqui (ut recte Sambovius observat) expressio actionis ministri, seu actionis, per quam subjecto applicat materiam sacramenti, non est in quolibet sacramento necessaria, ut sacramentum valeat: neque enim in ipsa etiam confirmatione exprimitur apud Græcos, nec in aliquo sacramento (uno excepto baptismate) apud Latinos: ergo nulla verba ex istis indicativis: *Signo te signo crucis*, *confirmo te*, *&c.* sunt essentialia formæ sacramenti confirmationis.

Objicies. Ea verba sunt forma essentialis, saltem inadæquata, confirmationis, quæ comitantur applicationem essentialis materiæ inadæquatæ: atqui hæc sola, *Signo te signo crucis*, *&c.* comitantur apud Latinos applicationem essentialis materiæ inadæquatæ sacramenti confirmationis, chrismationem nimirum in fronte: ergo, &c. Probatur major paritate desumpta ex aliis a confirmatione sacramentis; nempe in iis forma comitatur applicationem materiæ: nec id mirum est, cum forma materiam determinet ad spiritualem sacramenti effectum producendum: ergo, &c.

Resp. dist. maj. In sacramentis quæ ex una tantum materia constant, transeat major: in iis quæ, sicut confirmatio, constant ex duplici materia, neg. maj. Ratio est, quia applicatio duplicis illius materiæ, licet physice sit multiplex actio, est tamen una tantum moraliter, cum ad eumdem finem spectet; ac proinde forma seu oratio, per quam invocatur Spiritus sanctus ad robur, quæque in confirmatione comitatur manuum impositionem, moraliter quoque chrismatis unctionem comitatur. Solutioni robur additur ex eo, quod necesse non sit formam physice existere, ut materiam ad effectum sacramentalem determinet: alioquin enim nulla verba possent esse alicujus sacramenti forma, cum plura verba, immo nec unius verbi plures syllabæ, simul physice existere possint: satis est ergo, cum materia applicatur subjecto, ut forma moraliter existat.

Quæres 1. quid facto opus esset, si in confirmationis collatione Episcopus latinus omisisset hæc indicativa verba: *Signo te signo crucis*, *& confirmo te chrismate salutis*, *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*.

Resp. 1. illum Episcopum censeri debere reum ingentis sacrilegii: ratio est, quia exposuit sacramentum nullitati; quamvis enim (ut nobis videtur) probabilius sit, ista indicativa verba, *Signo te*, *&c.* non esse essentialia; tamen id non est omnino certum, cum gravissimi theologi contrarium affirment. Cum autem agitur de valore sacramenti, non licet in praxi sequi opinionem probabilem, quantumcumque probabilis sit, saltem extra casum extremæ necessitatis, relicta tutiore: ita nimirum judicavit Innocentius Papa XI. a quo proscripta est hæc propositio: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.*

Resp. 2. eo in casu iterari debere totum sacramenti ritum cum formula conditionali: ratio est, quia incertum esset, an his omissis verbis, *Signo te*, *&c.* confirmatio valide prius collata fuisset.

Quæres 2. quo præcipue tempore in Ecclesiam Latinam invecta fuerit indicativa formula, *Signo te signo crucis*, & quænam in illius usu fuerit postea Latinarum Ecclesiarum praxis.

Resp. eam quæstionem fuse pertractatam esse Commentarii nostri Historici pag. 156. 157. primæ editionis. Eas, si libuerit, lector consulat.

Quæres 3. utrum eadem sit apud Græcos confirmationis forma, quæ apud Latinos.

Resp. affirmative, seu apud Græcos non minus quam apud Latinos, est oratio per quam confirmationis minister Spiritum sanctum ad robur invocat; sic autem ea oratio incipit in Euchologiis Græcorum: *Ipse Domine Rex &c.* vide Commentarii Historici pag. 154. 155. primæ editionis.

QUÆSTIO IV.

De auctore Confirmationis.

Not. CUm (ut patet ex dictis quæstione prima) confirmatio sit verum, ac proprie dictum sacramentum novæ legis, necesse est, ut ipsummet Christum auctorem habeat: neque enim (ut ostendimus agentes de sacramentis in genere) sacramenta alium auctorem habere possunt.

Not. 2. Incertum est apud catholicos, quo præcise tempore Christus confirmationem instituc-

stituerit. Nonnullis placet, eam institutam fuisse die sacra Pentecostes, quæ Christi mortem proxime secuta est: Aliis videtur instituta in ultima cœna, quam Christus cum suis Apostolis habuit: Alii denique censent factam fuisse illius institutionem iis diebus, qui inter Christi Resurrectionem & Ascensionem fluxerunt.

CONCLUSIO 1. Christus non instituit confirmationem die sacra Pentecostes.

Probatur. Ea die instituta non fuit confirmatio, in qua nullum fuit vestigium materiæ ac formæ confirmationis: atqui die de qua agitur, nullum fuit vestigium materiæ ac formæ confirmationis, seu nihil visum est, quod aut impositionem manuum, aut frontis chrismationem, aut invocationem Spiritus sancti ad robur, designaverit: ergo, &c.

Objicies. Apostoli die sacra Pentecostes receperunt effectum confirmationis, seu Spiritum sanctum: ergo ea die receperunt ipsam confirmationem.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Dei potentia non est ita sacramentis alligata, quin sine sacramentis, eorum effectum, cui voluerit, conferre possit.

CONCL. 2. Christus confirmationem non instituit in ultima cœna, quam cum suis Apostolis habuit.

Probatur. Christus in ultima cœna nihil dixit egitve, quo, vel implicite, designata fuerit confirmatio: ergo tunc eam non instituit.

Objicies. Fabianus Papa epistola 2. c. 2. sic de ultima Christi cœna loquitur: *Illa die Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis, sicut a sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit*: unde sic arguitur. Ea die Christus confirmationem instituit, qua docuit modum conficiendi chrisma, quod est illius materia: atqui, &c. ergo &c.

Resp. neg. min. Ratio est, quia ratum est apud doctos omnes, eam epistolam falso adscribi Fabiano Papæ: illius auctor octavi est sæculi, sicut & plurium aliarum, quarum non meminerunt veteres, quas tamen, re non satis discussa, Gratianus in suum Decretum retulit.

Instabis. Die sacra cœnæ chrisma consecratur ab episcopis; atqui id fit, quod Christus ipsum in ultima cœna consecraverit: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Nempe a mille annis, & amplius obtinuit ea consuetudo, ut episcopi sanctum chrisma mitterent ad parochos, qui sabbato sancto baptisma sollemne, ex præscripto canonum, conferre debebant.

CONCLUSIO 3. Christus confirmationem instituit eo tempore, quod inter resurrectionem & ascensionem fluxit.

Probatur. Institutioni, de qua agitur, aptissimum videtur illud tempus: *Iis enim diebus* (ut ait Leo Magnus Sermone 1. de Ascensione) *magna confirmata sunt sacramenta, magna revelata mysteria.*

QUÆSTIO V.

De ministro Confirmationis.

Not. 1. Agentes de baptismo, duplicem ipsi assignavimus ministrum, ordinarium nimirum & extraordinarium: sic investigandum est, an duplex quoque confirmationi assignari debeat.

Not. 2. Catholici omnes conveniunt, solum Episcopum esse hujus sacramenti ministrum ordinarium, sed circa extraordinarium dissentiunt inter se. S. Thomas & omnes illius discipuli dicunt, simplicem presbyterum posse tanquam ministrum extraordinarium delegari ad conferendam confirmationem: e contra S. Bonaventura, Estius, Sambovius contendunt, nullum esse sacramenti, de quo agitur, extraordinarium ministrum.

CONCL. 1. Soli Episcopi sunt ordinarii ministri confirmationis.

Probatur 1. Ii soli sunt ordinarii ministri confirmationis, qui soli eam in Scriptura ac quatuor priorum sæculorum traditione contulisse leguntur: atqui ii sunt soli Episcopi. Nam *Primo*, Act. 8. Petrus & Joannes Samaritanos a Philippo diacono baptizatos confirmarunt; Act. 19. Paulus iis quos baptizari jusserat, manus imposuit: Atqui Petrus, Joannes, Paulus erant episcopi: ergo, &c. *Secundo*, nullum potest proferri monumentum quo probetur, alios quam Episcopos, per quatuor priora sæcula confirmationem neophytis contulisse.

Probatur 2. Si qui alii præter Episcopos essent ministri ordinarii confirmationis, essent maxime presbyteri: atqui presbyteri non sunt; siquidem quoties jus illud sibi tribuere ausi sunt, damnati sunt ab Ecclesia. Sic Innoc. Papa I. in epist. ad Decentium proscripsit Eugubianos presbyteros: qui sibi jus illud arrogarant: sic etiam Gregor. Magnus l. 3. epist. 6. damnavit Calaritanos presbyteros, quod contenderent, penes se ipsos esse jus, de quo est quæstio: *Presbyteri* (inquit) *baptizatos infantes signare in fronte sacro chrismate non præsumant: sed presbyteri baptizatos infantes tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte*. Eo quidem in loco Gregorius explicite non meminit manuum impositionis, quæ non minus, quam sacrum chrisma, essentialis est materia confirmationis, sed implicite de ea quoque loquitur: neque enim aliquando, saltem apud Latinos, sine prævia manuum impositione facta est in fronte chrismatis unctio. Hinc patet Conc. Trid. in Lutheranos & Calvinistas merito hoc anathema intorsisse, sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit, sancta confirmationis ordinarium ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.*

CONCLUSIO 2. Simplices presbyteri possunt esse ministri extraordinarii sacramenti confirmationis.

Probatur. Illi possunt esse ministri extraordinarii confirmationis, qui delegari possunt ad eam conferendam; atqui simplices presbyteri delegari possunt. Nam *primo*, apud Græcos a mille annis & amplius simplices presbyteri (ut ex eorum euchologiis patet) statim post baptismum neophytos in fronte chrismant, ac supra eos invocant Spiritum sanctum ad robur: Illum autem Græcorum ritum Ecclesia Romana probavit semper, cum nusquam iterarit confirmationem a Græcis presbyteris collatam. *Secundo* Gregorius Magnus, œconomiæ caussa presbyteris Calaritanis epist. 16. permisit, quod vetuerat nona: *Si omnino* (inquit) *hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus*. *Tertio*, Eugenius Papa IV. ad illud Gregorii aliquorumque aliorum summorum Pontificum factum alludit, cum in decreto pro Instructione Armenorum sic loquitur: *Legitur tamen aliquando per sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili & urgenti admodum caussa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum*.

Objicies. Nec Apostoli, nec priorum sæculorum patres delegarunt aliquando simplices presbyteros ad conferendam confirmationem; ergo signum est, id eos non potuisse. Prob. conf. Si id Apostoli ac priorum sæculorum patres potuissent, ea potestate uti debuissent, sæviente præsertim persecutione, iis saltem in locis, ubi non erant Episcopi: atqui tunc ea potestate usi non sunt, nec enim proferri potest exemplum, quo id probetur.

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conf. Ad 2. neg. maj. Ratio est, quia cum confirmatio non sit necessaria necessitate medii, & aliunde neophytos reddat perfecte christianos, par fuit ut dandæ ejusmodi perfectionis jus Episcopi sibi solis Ecclesiæ initio servarent.

Quæres 1. Utrum solus Papa ad id muneris sacerdotes committere possit.

Respondent nonnulli id quoque posse quemlibet Episcopum in sua diœcesi: nempe (inquiunt) Græci non ab aliis quam a suis Episcopis eam potestatem accepisse videntur. Sed consuetudo contrariam legem apud Latinos invexit: unde Eugen. IV. cum meminit dispensationis factæ ad confirmandum, non aliam recenset, quam ab Apostolica Sede concessam. Ea etiam Apostolica dispensatione nititur Græcorum praxis: cum enim eam praxim Romani Pontifices nusquam damnaverint, licet eam noverint, ipsi consensisse videntur.

Quæres 2. Utrum omnes Orientales Ecclesiæ per simplices presbyteros confirment, quo sæculo ea disciplina usurpari cœperit, quodnam de ea praxi judicium tulerint graviores theologi.

Resp. ad 1. Græcos non confirmasse per Presbyteros ante Chrysostomi tempora. Resp. ad 2. eam disciplinam apud eos obtinuisse multo ante schisma Photii; seu ante nonum sæculum. Resp. ad 3. Petrum Aurelium non admittere tanquam validam confirmationem, quam Græci presbyteri conferunt. Sed immerito: nusquam enim Ecclesia Romana iterum confirmavit eos, quos Græci presbyteri confirmarant. Rationes, quibus eæ responsiones nituntur, vide primæ edit. Comment. Hist. pag. 168. 169.

QUÆSTIO VI.

De subjecto Confirmationis.

Not. DUO hic quæri possunt 1. quinam sint recipiendæ confirmationis capaces: 2. quænam neophyti confirmandi partes inungi debeant.

CONCLUSIO 1. Omnes & soli homines baptizati confirmationem valide recipere possunt.

Probatur. Ii possunt valide recipere confirmationem, qui sunt capaces perfectionis christianismi: atqui omnes & soli homines baptizati, sunt ejusmodi perfectionis capaces; unde omnes catechumenos, licet infantes, statim post baptisma Græci confirmant, & olim per duodecim priora sæcula, ubi aderat Episcopus, Latini confirmabant.

CONCLUSIO 2. Ut chrismatio confirmatoria valide fiat, satis est unctio in fronte.

Probatur. Ea unctio satis est quam solam adhibuit olim, & nunc etiam adhibet Ecclesia Romana: atqui Ecclesia Romana solam olim adhibuit unctionem in fronte, & nunc etiam adhibet. Ejusmodi chrismationis, & non alterius meminerunt Innoc. Papa I. in epist. ad Decentium; Gregorius Magnus, tum epist. 26. ad Januarium Episcopum Calaritanum, tum in suo Sacramentario; Pontificale Romanum, aliaque Latinorum monumenta.

CONCLUSIO 3. Apud Græcos præter frontis unctionem plures aliæ fiunt, sed sola frontis unctio est essentialis sacramento.

Prob. prior pars ex Euchologio, ad cujus normam Græci sacramenta dispensant: hæc enim habet, *Baptizatum sancto unguento inungit, crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus, dicens: Signaculum doni Spiritus sancti*. An autem ubique ea praxis apud orientales observetur, vide primæ edit. Comment. Hist. pag. 172.

Prob. altera pars. Unctio essentialis sacramento, ubique debet observari; alioquin enim irritum erit sacramentum: atqui sola unctio in fronte ubique observatur; nempe ritus

Græcorum qui alias a fronte partes inungunt, nusquam observatus est apud Latinos, nec observatur modo.

Quæres, cur frons præ ceteris corporis partibus inungi debeat.

Resp. cum ritum majores nostros ab Apostolis accepisse, & Apostolos ab ipsomet Christo, qui (ut suo loco dictum est) ea omnia determinavit in specie, quæ ad sacramentorum essentiam pertinent; ea vero corporis pars præ ceteris determinata est, ut confirmatus discat se non debere Evangelium erubescere: *Non sine caussa* (inquit Aug. enarratione 4. in Ps. 30.) *signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tamquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat.*

QUÆSTIO VII.

De effectibus Confirmationis.

Not. TRES sunt confirmationis effectus, gratia sanctificans, jus ad auxilia quædam specialia, & character: de iis hac in quæstione dicendum est.

CAPUT PRIMUM.

De gratia, quæ Confirmatione producitur.

Not. QUæri potest hic 1. utrum confirmatio producat gratiam: 2. quænam sit illa gratia: 3. an per verticalem baptizatorum unctionem suppleri possit.

CONCLUSIO. Confirmatio producit gratiam sanctificantem.

Probatur. Conferre Spiritum sanctum, est conferre gratiam sanctificantem: atqui confirmatio confert Spiritum sanctum: *Tunc* (ait Luc. Act. 8.) *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum:* ergo, &c.

Resp. Spiritus sancti nomine non intelligi gratiam sanctificantem, sed dona gratis data, ut sunt dona linguarum, prophetiæ, miraculorum, quæ nascente Ecclesia aliquibus fidelibus per Apostolorum manus impositionem conferrebantur.

Sed contra. *Primo*, quoties sine addito ac simpliciter in Scriptura dicitur, quod Spiritus sanctus detur alicui, aut in eo habitet, toties sumitur pro gratia gratum faciente. 2. Id Apostoli per manuum impositionem conferebant, quod ipsis Apostolis Christus promiserat: atqui promiserat non tantum dona gratis data, sed etiam uberiorem gratiam sanctificantem: *ego rogabo Patrem* (ait Christus Joan. 4.) *& alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* 3. Si per manuum impositionem data fuissent sola dona gratis data, ubi in Ecclesia desierunt illa dona, desinere quoque debuisset impositio manuum, de qua Lucas Actor. 8. loquitur: atqui non desiit, quovis enim sæculo eam adhibuerunt patres, asseruerunt que se per eam dare Spiritum sanctum, seu gratiam sanctificantem. Vide quæ superius dicta sunt de hujusce sacramenti tum materia, tum forma, tum ministro. Vide etiam Comment. Histor. pag. 183. 184. primæ edit.

Quæres 1. Utrum confirmatio per se, hoc est ex vi suæ institutionis, producat primam gratiam, an vero secundam tantum.

Respondet Sambovius in suo tract. de Confirmatione, confirmationem producere primam gratiam, hoc est, quæ ex impio justum faciat: nititur autem hoc principio, nimirum quod confirmatio sit baptismatis perfectio, ejusque veluti appendix; ac proinde (inquit) cum baptisma per se producat primam gratiam, eam quoque confirmatio debet producere.

Respondemus nos cum aliis passim Theologis, confirmationem producere per se secundam tantum gratiam, hoc est, augere receptam. Ratio est, quia si (ut vult Sambovius) primam gratiam confirmatio produceret, falsum esset, quod definiit Conc. Trid. neminem post promulgatum Evangelium justificari posse, nisi per baptismum; ex suppositione enim, quod aliquis baptismum cum affectu ad peccatum mortale recepisset, posset independenter a baptismo, postea per confirmationem justificari.

Quæres 2. Utrum effectus confirmationis per verticalem baptizatorum unctionem suppleri possit?

Respondent nonnulli affirmative: Sed immerito, quia unctio verticalis, est ex institutione humana: quæ vero sunt ex institutione humana, non possunt effectum spiritualem producere; neque enim humana potestas satis est, ut gratiæ productionem cum signis sensibilibus conjungat. Circa duplicem, quæ mox proposita est, quæstionem, vide Comment. Hist. pag. 185. 186. 187. primæ edit.

CAPUT II.

De charactere, qui confirmatione producitur.

Not. 1. COnfirmatio potest dari vel in Ecclesia, vel extra Ecclesiam, in hæresi nimirum aut in schismate. Omnes catholici fatentur, datam in Ecclesia secundum ritum a Christo præscriptum, impressisse quondam & nunc etiam imprimere characterem; subscribunt nimirum anathemati quo Conc. Trid. sess. 7. can. 10. mulctavit Lutheranos & Calvinistas, qui articulum, de quo agitur, pertinaciter negarunt.

Not. 2. Catholici omnes non conveniunt inter se, an idem ferendum sit judicium de confirmatione extra Ecclesiam data. Maldonato, tom. 1. de Sacramentis quæst. 2. visum est, datam in eo casu confirmationem fuisse irri-

irritam antiquitus. In eam sententiam propendet Morinus noster in suo Comment. Hist. de administratione sacramenti pœnitentiæ: e contra aliis omnibus Theologis persuasum est, confirmationem datam in hæresi, non minus valuisse antiquitus, quam quæ data fuisset in Ecclesia.

CONCLUSIO 1. Confirmatio in Ecclesia data producit characterem: ita Catholici omnes contra Lutheranos, & Calvinistas.

Probatur. Paulus ad Hebr. cap. 6. asserit impositionem manuum non magis iterari posse quam baptisma: *Fieri non potest, ut qui semel fuerint illuminati* (per baptismum, ait Chrysostom. in hunc locum) *& participes facti Spiritus sancti* (per manuum impositionem, cujus Apostolus paullo ante meminit) *rursus revocari ad pœnitentiam;* priorem scilicet, quæ in baptismo, & manuum impositione, seu confirmatione consistit. Atqui ideo confirmatio in Ecclesia data iterari non potest, quod characterem imprimat: ergo &c. Vide August. contra Epist. Parmeniani, Gregorium Magnum lib. 12. epist. 31. ubi expresse asserit, tunc tantum iterari debere confirmationem, cum dubium est, an recte, hoc est, secundum ritum a Christo præscriptum collata fuerit.

Objicies. Euchologium Græcum adscriptum S. Methodio jubet, ut apostatæ redeuntes ad Ecclesiam Catholicam confirmentur; illi autem apostatæ confirmati fuerant in Ecclesia Catholica, antequam ab ea discederent; nam olim & nunc etiam apud Græcos confirmatio infantibus statim post baptismum confertur: jubentur tamen iterum confirmari redeuntes ad Ecclesiam: ergo, &c.

Respondent nonnulli post Morinum, & Arcudium, illud Euchologium non esse S. Methodii, qui S. Ignatium in Constantinopolitana sede præcessit, sed cujusdam Methodii schismatici qui vixit circa annum 1240. Respondent alii, quibus subscribimus, regulam quæ in Euchologio legitur esse S. Methodii; verum in titulum irrepsit mendum; loco enim *apostatarum*, legendum est, *hæreticorum*, qui in sua secta confirmati non fuerant.

CONCLUSIO 2. Confirmatio etiam extra Ecclesiam data impressit antiquitus characterem, & nunc etiam imprimit.

Probatur. Quod nusquam fuit iteratum, nec iteratur modo, impressit antiquitus, & nunc etiam imprimit characterem: atqui confirmatio, etiam extra Ecclesiam data, nusquam iterata fuit, nec iteratur modo: neque enim hæretici, qui in sua secta confirmati fuerant, iterum confirmati sunt, cum ad Ecclesiæ sinum redierunt: ergo, &c.

Objicies. Concilium Constantinop. I. can. 7. præscribit, ut Ariani, multique alii, quos recenset, confirmentur, seu inunguntur in fronte cum his verbis, *Signaculum doni Spiritus sancti*, & cum oratione qua idem Spiritus sanctus invocetur: atqui illi hæretici confirmati fuerant in sua secta, cum apud antiquos, sive essent hæretici sive Catholici, confirmatio a baptismate non separaretur: ergo, &c.

Respondent nonnulli, hæreticos, quos canon recenset, non fuisse in sua secta confirmatos: conjunguntur enim cum Novatianis, quos, teste Theodoreto, certum est, in suo schismate confirmatos non fuisse. Respondent alii, quibus adhæremus, ritum de quo Conc. Constantinop. I. can. 7. loquitur, non esse sacramentum confirmationis: in eo nimirum ritu deest impositio manuum, deest quoque invocatio Spiritus sancti ad robur, licet invocetur ad pœnitentiam: unde dicendum est, illum ritum esse cæremonialem, non autem sacramentalem. De charactere confirmationis datæ tum intra, tum extra Ecclesiam, vide Morinum, vide etiam nostrum Comment Hist. a pag. 173. ad pag. 183. primæ edit.

QUÆSTIO VIII.

De necessitate Confirmationis.

Not. 1. CErtum est, confirmationem nemini ad salutem esse necessariam necessitate medii: nempe constat; catechumenum per baptismum, & lapsum per pœnitentiam recipere gratiam sanctificantem, seu fieri Dei filium; si autem filius, & heres: tota igitur quæstio est de necessitate præcepti.

Not. 2. Fidelis vel permansurus est in statu laicali, vel futurus est clericus; vel est iis in locis, ubi aut infidelium aut hæreticorum sævit persecutio; vel iis in locis, ubi nulla in fidem viget persecutio: hinc patet, quæri hic posse 1. utrum initiandi clericali tonsura, teneantur confirmationem recipere: 2. an eo debito ligetur quisque fidelis urgente persecutione: 3. denique an etiam extra locum ac tempus persecutionis.

CONCL. 1. Qui initiandi sunt clericali tonsura, tenentur prius confirmationem recipere.

Probatur. Initiandi tonsura clericali, ad id tenentur, quod ipsis injungunt sacri canones: atqui sacri canones ipsis injungunt, ut confirmationem recipiant ante tonsuram clericalem: *Prima tonsura* (inquit Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4.) *non initientur, qui sacramentum confirmationis non receperint.*

Quæres 1. Utrum ea Concilii Tridentini lex obliget sub pœna mortalis peccati.

Resp. affirmative: Ratio est, quia lex illa rem magni momenti præcipit: nimirum status clericalis perfectos tantum Christianos admittit, at, ut mox dicetur, nemo sine confirmatione perfectus est Christianus in sensu Patrum.

Quæres 2. an is, qui non accepta prius

confirmatione, initiatus est clericali tonsura, sit irregularis.

Resp. negative. Ratio est quia jus canonicum nec in Decreto Gratiani, nec in Gregorii IX. Decretalibus, nec in Extravagantibus, aut Bullis aliorum summorum Pontificum, nec in aliquibus Conciliis, eam, de qua agitur, irregularitatem statuit: non sunt tamen inducendæ irregularitates, nisi expresse in jure reperiantur, cum (ut jura definiunt) odia sint restringenda, & favores ampliandi.

CONCLUSIO 2. Jure divino quisque fidelis tenetur sæviente persecutione recipere confirmationem.

Probatur. Ad id jure divino fideles tenentur, cujus effectu indigent: atqui persecutionis tempore fideles indigent effectu confirmationis, robore nimirum quo constantes sint in fide, & quo, si interrogentur, fidem Catholicam palam coram infidelibus aut hæreticis, etiam cum vitæ periculo, confiteantur. Hinc Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum, Novatiani coram tyrannis lapsum merito tribuit privationi confirmationis; hinc etiam Cyprianus Epist. 71. sic loquitur: *Necesse est ungi eum qui baptizatus sit*.

Objicies: Per Eucharistiam fidelis potest consequi confirmationis effectum, robur nimirum ad fidem coram tyrannis confitendam: ergo ad id necessaria non est confirmatio.

Resp. neg. ant. nempe robur, quod per Eucharistiam fideles assequuntur, per se non ordinatur ad fidem coram tyrannis etiam cum vitæ periculo confitendam, sed ad spiritualem animæ refectionem: unde per Eucharistiam non confertur armi spiritualis, sed alimenti tantum adinstar: hincque fit ut, qui in casu, de quo agitur, eam omittit, Deum veluti tentet; scilicet omittit medium, quod a Deo institutum est ad robur illud comparandum.

CONCLUSIO 3. Extra persecutionis tempus quisque fidelis tenetur jure divino recipere confirmationem.

Probatur. Quisque fidelis tenetur ad id, quo redditur perfectus Christianus; quemadmodum enim natura tendit ad id, quo suum opus ad perfectionem sibi debitam perducitur: ita Christianus ad id debet tendere, quo perfectionem suo esse spirituali debitam assequatur; atqui confirmatio est id quo quisque fidelis redditur perfectus Christianus; siquidem Patres Concilii Laodiceni aliique veteres, quorum loca retulimus agentes de hujusce sacramenti tum materia, tum forma, tum ministro, tum effectu, christianismi perfectionem adscribunt confirmationi. His patrum monumentis nixa facultas theologica Parisiensis tamquam falsam, temerariam, unanimi Patrum sententiæ contrariam, & in contemptum confirmationis prolatam, hanc propositionem damnavit: *Chrismate uncti in baptismo, licet ab Episcopo non confirmati, perfecti sunt Christiani in sensu patrum*.

Quæres 1. Quandonam, extra persecutionis tempus, obliget confirmationis recipiendæ præceptum.

Resp. obligare 1. quando Episcopus est præsens ac paratus confirmationem dare; ita definiit Concilium Senonense, quod anno 1524. celebratum est; 2. data opportunitate, licet præsens non sit Episcopus, immo quamvis non sine labore conveniri possit: ita judicarunt Theologi Parisienses, cum hanc larvati Danielis a Jesu propositionem damnarunt: *Omnes Theologi dicunt, Confirmationem non præcipi, nisi cum commodo haberi potest; vel (ut alii dicunt) commodissime, quando sine ullo vel minimo prorsus incommodo*.

Quæres 2. quænam parentum in filios debeat esse sollicitudo pro procuranda eis confirmatione.

Resp. 1. parentes teneri adducere natos ad Episcopum, ubi confirmationi recipiendæ idoneam ætatem attigerint: *Cujus filius* (verba sunt canonum pœnitentialium ad 5. præceptum Decalogi) *sine confirmationis sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agent annos tres*. 2. Episcopi tenentur sacramentum, de quo agitur, conferre infirmis illud postulantibus: *Infirmis* (inquit Concilium Parisiense VI. lib. 1. c. 33.) *& morte periclitantibus, sicut baptismatis gratia succurrendum est, ita incunctanter donum Spiritus sancti est tradendum*. Ex præcepto recipiendi confirmationem omnibus fidelibus imposito colligitur, quam gravis peccati rei sint Episcopi, qui raro suas diœceses invisunt: licet enim non aliæ essent caussæ diœcesim sæpius perlustrandi, hæc sola, seu debitum confirmationem iis conferendi, qui in pagis ac villis degant, satis esset. Vide de confirmationis necessitate, Concilia Provincialia, quæ post Tridentinum in Galliis habita sunt, titulo *De Confirmatione*: vide etiam quartum & quintum Concilium Mediolanense sub S. Carolo: vide etiam Commentarii Historici paginas 190. 191. 192. 193. primæ editionis.

QUÆSTIO IX.

De dispositionibus ad Confirmationem recipiendam requisitis.

Not. Aliquæ dispositiones sunt necessariæ, ut sacramentum valeat, aliæ vero ut liceat. De prioribus nihil hic dicemus: nempe constat, baptismum, cum sit omnium sacramentorum janua, in subjecto prærequiri, ut confirmatio valide recipiatur. Constat quoque, in adulto requiri intentionem recipiendi sacramentum, saltem interpretativam, ut diximus agentes de sacramentis in genere. De posterioribus igitur est hic agendum.

Ex ve-

Eæ vero dispositiones reduci possunt ad ætatem, jejunium, statum gratiæ.

CONCLUSIO 1. Habita ratione solius juris divini, quælibet ætas recipiendæ confirmationi idonea est.

Probatur 1. Christus nullam a receptione confirmationis ætatem exclusit. 2. Quacumque in ætate detur confirmatio; potest id operari, ad quod est instituta; nimirum gratiam baptismalem potest perficere.

CONCLUSIO 2. Habita ratione juris Ecclesiastici, diversa fuit disciplina circa confirmandorum ætatem.

Probatur, *Primo*, in Ecclesia Græca quovis sæculo data fuit, & nunc etiam immediate post baptismum datur infantibus: eam enim praxim præscribunt Græcorum Euchologia. *Secundo*, in Ecclesia Latina per duodecim priora sæcula eadem vigebat praxis, quæ apud Græcos; id patet ex Gregorii Magni Sacramentario, quod refert praxim præcedentium sæculorum, & continet eam quæ posterioribus fuit observata. *Tertio*, post decimum tertium sæculum mos obtinuit, ut iis tantum daretur, qui rationis usu fruuntur; nondum enim obtinebat tempore S. Thomæ, ut videre est 3. p. q. 77. art. 8. *Quarto*, qua præcise ætate conferri conveniat, docet Catechismus Romanus: *Quare* (inquit) *si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit.*

CONCL. 3. Duodecim prioribus sæculis confirmatio non dabatur, nisi jejunis: postea vero usus invaluit, ut etiam non jejunis daretur.

Probatur prior pars. Confirmatio iis sæculis conferebatur post baptismum, ubi aderat Episcopus, eamque immediate subsequebatur Eucharistica communio: id docet Gregorii Magni Sacramentarium: id quoque adultorum respectu, docet Magister Sententiarum, cujus hæc sunt verba: *Hoc sacramentum tantum a jejunis accipi, & jejunis tradi debet.*

Probatur altera pars auctoritate S. Thomæ, qui 3. p. q. 73. art. 2. ad 2. rationes profert, cur toleret Ecclesia, ut non jejunis hominibus confirmatio dispensetur. Huic S. Doctoris regulæ in praxi est adhærendum: *Ubi congrue observari potest, convenientius est, ut a jejunis detur & accipiatur.*

CONCLUSIO 4. In subjecto requiritur status gratiæ sanctificantis, ut licite & cum fructu confirmationem recipiat.

Probatur. Ut sacramenta vivorum licite, & cum fructu recipiantur, requiritur in subjecto status gratiæ; in hoc enim differunt a a sacramentis mortuorum: atqui (ut diximus agentes de hujusce sacramenti effectu) confirmatio est sacramentum vivorum: ergo, &c. Hinc colligitur confessionem sacramentalem confirmationi præmitti debere ab iis, qui sibi peccati mortalis conscii sunt: *Ad tantum sacramentum non accedant* (inquit Burdigalense Concilium habitum anno 1581.) *nisi præmissa peccatorum confessione.* Nec est, quod quis contritioni suæ innixus se ipsum lege confessionis actualis eximat; nempe nullus certo scire potest, an illa perfecta caritate flagret, quæ conjuncta cum sacramenti voto lapsum justificat; proindeque, qui non confitetur, exponit se sacrilegii periculo. De argumento, quod in hac quæstione IX. pertractavimus, vide Sacramentarium Gregorii Magni, Catechismum Romanum, Concilia provincialia, quæ post Tridentinum in Galliis habita sunt, Dominicum Soto, Morinum nostrum in suo Commentario Historico de administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO X.

De Cæremoniis Confirmationis.

Not. Apud Græcos, nulla adhibita cæremonia confirmatio immediate post baptismum confertur, ut videre est in eorum Euchologio; quod quidem sacerdoti, qui catechumenum baptizavit, præscribit 1. ut oratione quæ incipit: *Benedictus es, Domine Deus omnipotens*, Spiritum sanctum invocet ad robur: præscribit 2. ut hocce ritu neophytum inungat: *Baptizatum sancto unguento inungit, crucis signum faciens in fronte & in oculis & in naribus & in utraque aure & in pedibus, dicens: Signaculum doni Spiritus sancti.* Præscribit 3. ut nonnullis tum ex Epistola ad Romanos, tum ex Evangelio secundum Matthæum recitatis, recitet preces, quibus Deus exoretur, quo gratiam per baptismum, & confirmationem collatam in neophyto conservet. Apud Latinos e contra multo plures ritus adhibentur, de quibus hac in quæstione disserendum est.

CONCLUSIO. Apud Latinos aliquæ cæremoniæ præcedunt confirmationem, aliquæ illius collationem comitantur, nonnullæ eam subsequuntur.

Probatur, *Primo*, confirmandi a patrinis offeruntur Episcopo: Ab eo autem patrini officio excluduntur ii, qui nondum sunt confirmati; ii quoque, qui munus illud in baptismo obire non possunt; contrahunt enim eamdem quam in baptismo cognationem spiritualem. *Secundo*, Episcopus extensis versus confirmandos manibus, invocat Spiritum sanctum ad robur; tum neophytorum frontem chrismate in crucis figuram inungit dicendo: *Signo te*, &c. *Quarto*, post frontis unctionem Episcopus confirmatum leviter in maxilla cadit, tum eidem confirmato pacem impertitur, ac tandem frontem vitta linea circum ligat: ea autem vitta quondam per septem a confirmatione dies ferebatur: *Quanto autem tempore* (inquit antiquus Ordo Romanus) *generaliter ab Ecclesia celebratur* adven-

adventus Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos, tanto tempore debet ſervari unctio chriſmatis. Tandem *quinto*, licet hoc ſacramentum quovis anni die conferri poſſit, antiquitus tamen non ſolebat ſollemniter conferri in urbe Epiſcopali, niſi pridie Paſchatis & Pentecoſtes; nec mirum: tunc enim tantum conferebatur ſollemne baptiſma, a quo, ubi aderat Epiſcopus, confirmatio ſeparari non ſolebat.

Quæres 1. Utrum ritus, qui confirmationis collationem præcedunt, comitantur, & ſubſequuntur, ſint valde antiqui.

Reſp. de ea quæſtione conſuli poſſe Gregorii Magni Sacramentarium, Ordinem Romanum qui editus eſt paullo poſt Gregorii tempora, & Bellarminum in controverſia de confirmatione.

Quæres 2. Quænam ſit eorum rituum myſtica ſignificatio.

Reſp. de ea quæſtione conſulendum eſſe S. Thomam 3. part. quæſt. 72. art. 9. Concilium Mediolanenſe V. ſub S. Carolo, & tandem Catechiſmum Romanum. Nos ad alia properantes, hic eas ſimileſque quæſtiones non ſolvimus.

DISSERTATIO QUARTA.

De Euchariſtia.

Not. 1. Euchariſtia ſic appellatur a verbo Græco *Euchariſtein*, quod ſignificat gratiarum actionem; nec immerito, cum in illius uſu, (ut docet Juſtinus in Apologia 2.) Deo gratiarum actiones agantur. Vocatur etiam *Cœna Domini*, tum a Paulo 1. ad Corinth. 15. tum a Tertulliano lib. de Spectaculis; nec mirum, eam enim Chriſtus poſt habitam cum ſuis Apoſtolis cœnam inſtituit. Dicitur quoque *Communio*, quod per eam Chriſto tanquam capiti, & fidelibus tanquam illius membris communicemus. A Cyrillo Alexandrino in epiſt. ad Neſtorium vocatur *Eulogia*, ſive benedictio, quia per benedictionem, hoc eſt conſecrationem, conficitur. Appellatur denique *Viaticum*, eo quod ex hac vita profecturis detur in ſubſidium adverſus inviſibiles noſtræ religionis hoſtes.

Not. 2. Euchariſtia non habet ſolum rationem Sacramenti, ſed etiam veri Sacrificii: Unde de ea ſub illo duplici reſpectu conſiderata, eſt in hac Diſſertatione diſputandum.

QUÆSTIO I.

De Euchariſtia prout eſt novæ legis Sacramentum.

Not. IN Euchariſtia prout eſt novæ legis ſacramentum, decem conſiderari poſſunt, eſſentia, materia, forma, miniſter, ſubjectum, res contenta, effectus, proprietates, diſpoſitiones, cæremoniæ, de iis igitur omnibus hic eſt differendum.

CAPUT I.

De eſſentia ſacramenti Euchariſtiæ.

Not. Eſſentia rei (ut jam ſuperius obſervatum eſt) illius definitione continetur: perſpectam igitur habebit Sacramenti Euchariſtiæ eſſentiam, qui noverit illius definitionem.

CONCLUSIO. Euchariſtia eſt ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini, ad ſpiritualem fidelium nutritionem ab ipſo Chriſto inſtitutum.

Probatur ac ſimul explicatur definitio. *Primo*, Euchariſtia dicitur *Sacramentum*, quia ſignum eſt externum, conſtans nimirum ſenſibilibus panis & vini ſpeciebus, quo gratia ſanctificans ſignificatur & producitur, juxta illud Joannis 3. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. *Secundo*, dicitur *Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti*, non quod merum ſit illorum ſignum, ſed quod ea ſubſtantialiter contineat. *Tertio*, dicitur inſtitutum ad ſpiritualem fidelium nutritionem, quia datur & accipitur per modum alimenti: id nimirum Euchariſtia efficit in anima, quod in corporibus alimenta, juxta illud Cypriani ſermone de Cœna Domini: *Sicut panis communis quem quotidie edimus, vita eſt corporis: ita panis iſte ſuperſubſtantialis, vita eſt animæ & ſanitas mentis.*

Quæres 1. quid ſit id, quod in Euchariſtia habet rationem ſacramenti, an pars externa, ex qua conſtat, ſeu panis & vini ſpecies; an pars interna, hoc eſt, ipſummet corpus & ipſe ſanguis Chriſti.

Reſp. id quod in Euchariſtia proprie dicitur ſacramentum, eſſe ipſummet corpus & ipſummet ſanguinem Chriſti, non abſolute quidem conſiderata, ſed prout ſub panis & vini ſpeciebus exiſtunt. Ratio prioris partis eſt, quia ſacramentum Euchariſtiæ latriæ cultu a fidelibus adoratur. *Nullus dubitandi locus relinquitur* (inquit Concilium Tridentinum ſeſſione 13. cap. 5.) *quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant*: ergo ſacramentum, eſt ipſummet Chriſti corpus & ipſemet illius ſanguis; neque enim aliud eſt in Euchariſtia, cui Latriæ cultus exhiberi poſſit. Ratio alterius partis eſt, quia cuilibet ſacramento eſſentiale eſt, ut ſit aliquid ſenſibile: atqui corpus & ſanguis Chriſti non ſunt per ſe ſenſibilia: ergo in eis in ſe ſolum conſideratis non conſiſtit id quod in Euchariſtia proprie dicitur ſacramentum; in utraque igitur Euchariſtiæ parte, interna nimirum & externa, ratio ſacramenti poſita eſt.

Quæres 2. an Euchariſtia, quæ ex duplici mate-

materia ac duplici forma constat, sit unum tantum, an etiam duplex sacramentum.

Resp. Eucharistiam unum esse tantum, non autem multiplex sacramentum. Ratio est, quia in lege nova ad multiplicitatem sacramenti non sufficit multiplicitas partium, sed præterea requiritur multiplicitas finium, qui specie diversi sint: Verum illi fines diversi non reperiuntur in Eucharistia: scilicet unicum habet finem adæquatum, qui positus est in animi refectione; cujus quidem refectionis integritas constat ex cibo & potu, sumpta metaphora a corporali refectione, ad quam cibus & potus requiruntur.

CAPUT II.

De materia Sacramenti Eucharistiæ.

Not. Duplex est partialis materia Eucharistiæ, panis scilicet & vinum: De utraque illa parte subsequentibus articulis est agendum.

ARTICULUS I.

De pane Eucharistico.

Not. De pane Eucharistico quæremus. 1. utrum sit Eucharistiæ materia: 2. utrum debeat esse azymus, an vero fermentatus; 3. quænam sint panis consecrandi conditiones.

§. I. Utrum panis sit Eucharistiæ materia.

CONCLUSIO. Panis triticeus est necessaria Eucharistiæ materia.

Probatur. *Primo*, panem esse materiam, ex eo patet, quod Christus pane usus sit, cum primum Eucharistiam instituit. *Cœnantibus autem eis* (inquit Matthæus cap. 26.) *accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum.* Idem videre est apud alios Evangelistas. *Secundo*, locus ille intelligitur de solo pane triticeo, quia solus panis triticeus intelligitur, cum vox illa, *Panis*, simpliciter profertur; alii nimirum panes non dicuntur panes simpliciter, sed tantum cum expressione materiæ, ex qua constant: sic panis ex hordeo confectus, dicitur non panis simpliciter, sed hordeaceus. *Tertio*, panis ille, seu triticeus, est materia necessaria: nempe Christus cum tantum speciem panem adhiberi voluit, quo solo usus est, quemque solum adhiberi jussit, cum dixit: *Hoc facite*; hoc est, quemadmodum consecravi panem triticeum, ita & vos panem triticeum consecrate.

Objicies. Panis non est materia necessaria Eucharistiæ: nam olim ad altare offerebantur uvæ, spicæ, lac, & Agnus Paschalis.

Resp. dist. ant. Offerebantur ad pios quosdam usus, conc. ant. ad consecrationem sacramentalem, neg. ant. Uvarum, spicarum, aliorumque terræ fructuum oblatione, majores nostri Deum tamquam rerum omnium auctorem venerabantur: sed eos terræ fructus minime consecrabant.

Objicies 2. Sanctus Thomas 3. part. q. 74. art. 4. docet, panem siligineum esse sufficientem Eucharistiæ materiam: ergo falso asseritur, esse solum panem triticeum.

Resp. dist. ant. Idque Sanctus Doctor asserit ex suppositione, quod siligo non differat specie a tritico, conc. ant. ex suppositione, quod ab eo specie differat, neg. ant. Angelico Doctori visum est siliginem non differre specie a tritico, quod triticum jejunæ terræ commendatum degeneret in siliginem. Quod S. Thomæ visum est certum, seu siliginem a tritico non differre specie, maxime dubium est: unde nullo in casu licet siliginem consecrare: neque enim (ut sæpius dictum est) aliquando licet uti materia dubia in conficiendis sacramentis, quæ ad salutem necessaria non sunt necessitate medii.

§. II. Utrum panis azymus, an vero fermentatus consecrari debeat.

Not. 1. Hic quæri potest 1. an Christus cum Eucharistiam instituit, consecrarit azymum, an fermentatum: 2. an in utroque pane consecratio valeat: 3. an cuique pro libito liceat azymum, aut fermentatum consecrare.

Not. 2. Græci contenderunt semper, Christum consecrasse panem fermentatum. Michael Cærularius Constantinopolitanus Patriarcha contendit inter Orientales primus, irritam esse azymi consecrationem, Latinosque, quod azymum panem adhiberent, vocavit Azymitas. Lutherani & Calvinistæ docent, liberum esse cuique uti aut azymo, aut fermentato pane.

CONCLUSIO 1. Christus, cum instituit Eucharistiam, panem azymum consecravit.

Probatur. Ille consecravit panem azymum qui Eucharistiam instituit prima die azymorum: atqui Christus Eucharistiam instituit prima die azymorum: ergo Christus panem azymum consecravit. Major videtur certa; siquidem prima dies azymorum erat vespera diei XIV. mensis primi: nempe apud Judæos festi dies incipiebant a vespera: ea vero die Judæis adhibere non licebat fermentatum, immo nec in domibus servare, proindeque si Christus, legis alioquin observantissimus, Eucharistiam prima die azymorum instituerit, necesse est, ut consecraverit azymum panem. Minor, in quam difficultas vertitur, sic ostenditur. Ea die Christus Eucharistiam instituit, qua discipuli ab eo petierunt, ubinam vellet parari sibi pascha; nam Evangelistæ referunt institutam fuisse Eucharistiam, ubi ex Christi mandato pascha paraverant: *Et fecerunt discipuli* (inquit Matthæus cap. 26.) *sicut constituerat illis Jesus, & paraverunt pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim*

discipulis suis... Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite & manducate, Hoc est Corpus meum. Atqui discipuli prima die azymorum a Christo petierunt, ubi vellet sibi parari Pascha: *Prima die azymorum* (verba sunt Matthæi cap. 26.) *accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* ergo Christus prima die azymorum Eucharistiam instituit.

Objicies 1. Christus Eucharistiam instituit ante diem festum Paschæ: ergo usus est fermentato pane. Probatur ant. Tunc Christus Eucharistiam instituit, cum lavit discipulorum pedes, eos nimirum abluit in ultima cœna, in qua certum est eum Eucharistiam instituisse: atqui Christus lavit discipulorum pedes ante diem festum Paschæ: hæc enim habentur Joannis cap. 13. *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus... cœpit lavare pedes discipulorum.*

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. Joannis verba: Ante diem *naturalem* Paschæ, conc. ant. ante diem *legalem*, neg. ant. Dies naturalis festorum apud Judæos incipiebat ab ortu solis, desinebatque in ejus occasu; e contra dies legalis incipiebat a vespera diei naturalis, juxta illud Levit. 23. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*: eam autem vesperam Scriptura nonnumquam significat nomine diei naturalis, in quam incidit, nonnunquam vero nomine diei legalis: *Mense primo* (verba sunt Levitici 23.) *quarta decima die mensis ad vesperam, Phase Domini est. Et quinta decima die mensis hujus sollemnitas Azymorum Domini est*: quo quidem ex loco patet, diem decimam quintam assignari pro festo azymorum, licet illud festum decima quarta ad vesperam jam incœpisset.

Objicies 2. Dies veneris, qua Christus cruci affixus est, erat Paschatis privilegium, ac proinde mensis primi dies decima quarta: ergo cum Christus pridie diei, qua cruci affixus est, Eucharistiam instituerit, uti debuit fermentato pane; neque enim azymus adhibebatur ante Paschæ diem. Probatur ant. aliquot Joannis Evangelii locis. Scribit cap. 18. Judæos matutinis horis diei, qua Christus affixus est cruci, nondum manducavisse Agnum Paschalem: ac proinde nondum tunc incœpisse festum azymorum; incipiebat enim a manducatione Agni Paschalis: *Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Cap. 19. asserit diem, qua Christus obiit, fuisse præparationem ad Pascha: *Erat Parasceve Paschæ.* Matthæus cap. 26. narrat, Judæos in Concilio decrevisse Christum non esse morti tradendum ipsa Paschatis die: *Dicebant autem, Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*: in die tamen festo, Paschatis nimirum, Christum occidissent, si dies, qua Christus passus est, fuisset luna 15. primi mensis.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. priorem Joannis textum: Ut manducarent Pascha. Et nomine *Pascha* non intelligitur Agnus Paschalis, conc. ant. Et intelligitur Agnus Paschalis, neg. ant. nempe sumitur pro victimis quæ diebus azymorum immolari debebant, & quartam partem ipsi laici, si contaminati non essent, edebant: *Immolabisque* (inquit Scriptura Deuteronomii cap. 16.) *phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus.* Distinguo pariter alterum ejusdem Joannis textum: Erat Parasceve Paschæ, hoc est, quod contingebat intra dies Paschales, conc. ant. quod contingebat ante primum diem Paschalem, neg. ant. Quisque ex septem diebus azymorum vocabatur Pascha, ut videre est Actorum 12. unde Parasceve, quod aliqua ex iis diebus contingebat, vocatur Parasceve Paschæ: mirum igitur non est, quod prima dies azymorum, seu dies Veneris, qua Christus passus est, a Joanne vocata fuerit Parasceve Paschæ.

Confirmatur ex eo, quod solum sabbatum apud Judæos indigeret Parasceve, hoc est, præparatione; aliis nimirum festis, ipsis etiam azymorum diebus, licebat, quæ ad esum erant necessaria, præparare; *Nihil operis facietis in eis* (inquit Scriptura Exod. 12.) *exceptis his quæ ad vescendum pertinent.* Distinguo quoque tertium ejusdem Joannis textum: Dicebant autem: Non in die festo: & postea nacta opportunitate, a Juda nimirum tradito Christo, mutarunt consilium, conc. ant. Et non mutarunt consilium, neg. ant. Judæi non religionis caussa dixerant, *Non in die festo*, sed carnalis prudentiæ caussa, scilicet, *Ne forte* (ajunt apud Joannem) *tumultus fieret in populo*; mirum igitur non est, quod data opportunitate, Christum Pilato præsidi Romanisque militibus die sollemni crucifigendum tradiderint.

CONCLUSIO 2. Valet consecratio, sive in pane azymo, sive in fermentato peragatur.

Probatur 1. In eo valet consecratio, quod substantialiter non mutat materiam a Christo præscriptam: atqui nec azymus, nec fermentatus mutant substantialiter materiam a Christo præscriptam; sive enim panis sit azymus, sive fermentatus, est substantialiter panis: contrarium quidem XI. sæculo sensit Michaël Cærularius, Constantinopolitanus Patriarcha: sed insuperabilibus argumentis superatus est ab Humberto Cardinale. Vide laudati Cardinalis dialogum ad calcem tomi XI. annalium Ecclesiasticorum Baronii. 2. Nostra conclusio definita est in Concilio Florentino: *Definimus* (verba sunt ipsius Concilii) *In azymo, sive in fermentato pane triticeo, Christi corpus veraciter confici.*

CON-

CONCLUSIO 3. Nec Latinis fermentatum, nec Græcis azymum consecrare licet.

Probatur. Nemini licet Ecclesiæ, cui adscriptus est, legem infringere: atqui Ecclesiæ Latinæ lex fert, ne presbyteri Latini fermentatum consecrent; fert quoque lex Ecclesiæ Græcæ, ut Græci bresbyteri consecrent fermentatum: ergo, &c. Confirmatur argumentum ex Concilio Florentino, ubi definitur, *sacerdotes in altari ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive occidentalis, sive orientalis, consuetudinem.*

Quæres, an Græci semper fermentatum, & Latini semper azymum consecraverint.

Resp. ad primum, Græcos semper adhibuisse panem fermentatum; non enim potest assignari tempus, quo, relicto azymo, fermentatum adhibere cœperint. Resp. ad secundum, per sex priora sæcula Latinos fermentatum & azymum indifferenter consecrasse: 2. circa septimum, aliquas Ecclesias occidentales adhibere cœpisse solum azymum: 3. illarum Ecclesiarum usum alias occidentales ante nonum sæculum ubique amplexas fuisse. De eo argumento vide Cardinalem Bona, lib. 1. rerum Liturgicarum, cap. 23. Doctissimum Mabillonium, Dissertatione de pane Eucharistico Azymo & Fermentato, eruditum Sirmondum, Disquisitione *De Azymo*. Vide etiam Historicum nostrum Commentarium a pag. 208. ad pag. 215. primæ editionis.

§. III. *De conditionibus in pane consecrando requisitis.*

Not. Conditiones panis consecrandi sunt: 1. quantitas: 2. moralis illius præsentia: 3. integritas; 4. ut farina, ex qua constat, aqua naturali permixta sit. De singulis iis conditionibus nonnulla, quæ ad praxim spectant, hic subjicienda sunt.

CONCL. 1. Quamtumcumque magna fuerit panis quantitas, valide potest consecrari; licite vero ea tantum quæ sumi potest a fidelibus, antequam species computrescant.

Probatur prior pars. Ea panis quantitas valide potest consecrari, quæ designari potest per pronomen, *Hoc*, seu, de qua dici potest quod sit Christi corpus: atqui panis, quamtumcumque magna sit ejus quantitas, designari potest per pronomen, *Hoc*, de eoque dici potest, quod sit Christi corpus: ergo, &c.

Probatur altera Pars. Eucharistia prout est sacramentum, instituta fuit in esum fidelium: ergo ea tantum quantitas consecrari debet, quæ a fidelibus suscipi possit. Præterea qui tam ingentem panis quantitatem consecraret, ut ante specierum alterationem sumi non posset, sacramento summam inferret injuriam: nempe ex illius culpa reverenter a fidelibus suscipi non posset. Propter eamdem rationem graviter peccat Parochus, qui Hostias consecratas non consumit antequam in Sacra pyxide computrescere incipiant.

CONCL. 2. Ut panis valide consecretur, debet esse sacerdoti moraliter præsens.

Probatur. Ut panis valide consecretur, necesse est, ut designari possit per pronomen *Hoc*: atqui designari non potest, nisi sit moraliter præsens; hoc est, ea præsentia, per quam secundum usum communem res dicitur alicui præsens: ergo, &c.

Hinc colligitur 1. consecrari non posse Hostias quæ clausæ sunt in Tabernaculo, nec eas quæ sunt a tergo sacerdotis. Colligitur 2. e contra eas omnes consecrari quæ sub aliis in altari latitant; quæ sunt in pyxide, licet clausa sit; modo tamen sacerdos sciat eas esse præsentes, velitque eas consecrare. Monendus est obiter sacerdos, præcipere Missalis Romani Rubricas, ut pyxidem in qua sunt Hostiæ consecrandæ, & Calicem, in quo est vinum consecrandum, discooperiat. Monendus est iterum, non esse necesse, ut illius intentio feratur in certum numerum hostiarum; satis est enim, ut omnes præsentes velit indeterminate consecrare: *Sacerdos* (inquit Conc. Senonense ann. 1624.) *plures Hostias consecraturus, intentionem consecrandi referat super omnes, non se referendo ad certum numerum hostiarum.*

CONCLUSIO. 3. Panis consecrandus debet esse integer.

Probatur 1. Integritas posita est in immunitate a quavis corruptione: atqui illa immunitas requiritur in pane consecrando: Nam 1. si incœperit corruptio, illicita erit consecratio, propter irreverentiam in sacramentum: 2. si sit majori ex parte, hoc est, si sit solutio continuitatis, saporis, aliorumque accidentium, irrita erit; quia tunc erit substantialis mutatio, quæ panis naturam destruit omnino.

Probatur 2. Integritas panis posita est non tantum in immunitate a corruptione, sed etiam in eo quod sit nitidus ac studio præparatus: atqui ea integritatis species in pane consecrando requiritur; ita nimirum definiit Concilium Toletanum XVI. can. 6. ubi hæc habentur: *Id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus; neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.*

CONCL. 4. Panis confectus ex farina, cui aqua rosacea, aut alius ab aqua naturali liquor admixtus fuerit, consecrari non potest.

Probatur. *Primo*, in sententia S. Thom. panis qui alio ab aqua naturali liquore confectus est, non est substantialiter panis: ac proinde irrita est illius consecratio. Favet Cyprianus epist. 63. ubi hæc habet: *Nec Corpus Domini*

ni potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum. Nomine autem aquæ Sanctus Martyr intelligit aquam naturalem, juxta illud logicorum axioma: *Analogum simpliciter prolatum, sumitur pro præcipuo analogato, hoc est, pro præcipua analogi specie. Secundo,* licet sententia Cajetani contendentis, panem de quo agitur, remanere substantialiter panem, supponeretur multum probabilis; ad praxim tamen reduci non posset, quia, ex Innocentio Papa XI. non licet sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.

ARTICULUS III.

De vino, quod altera est Eucharistiæ materia.

Not. DE vino Eucharistico quæri potest, 1. utrum sit necessaria Eucharistiæ materia: 2. utrum aqua temperari debeat: 3. quænam in eo conditiones prærequirantur.

§. I. *An vinum sit Eucharistiæ materia.*

CONCLUSIO. Vinum altera est Eucharistiæ materia.

Probatur 1. ex Scriptura. Illud est Eucharistiæ materia, quod Christus in ultima cum Apostolis cœna consecravit: atqui Christus in ultima cum Apostolis cœna vinum consecravit: Id nempe consecravit, quod erat in calice, quo tunc usus est: sed in eo calice vinum erat: *Amen dico vobis* (ait Christus apud Marcum cap. 14.) *non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.* Cyprianus in Epistola ad Cæcilium utitur eo argumento: *Unde* (inquit) *apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici: nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum respondeant passioni.*

Probatur 2. ex traditione. Illud est necessaria Eucharistiæ materia, quo qui usi non sunt, damnati sunt ab Ecclesia: sed qui ad Eucharistiam conficiendam vino usi non sunt, damnati fuerunt ab Ecclesia; ob id nimirum proscripsit Aquarios, qui (Epiphanio teste hæresi 30. & hæresi 47.) solam aquam adhibebant: Eadem de caussa Cyprianus in Epistola ad Cæcilium multis argumentis impugnavit nonnullos (alioquin Catholicos) qui sola aqua in matutinis sacrificiis utebantur, ne si summo mane redolerent vinum, in Christianæ religionis suspicionem venirent apud Gentiles.

§. II. *De aqua vino Eucharistico permiscenda.*

CONCLUSIO. Aqua vino consecrando misceri debet.

Probatur. Id debet fieri, quod Ecclesia quovis sæculo & egit & præcepit; potest enim (ut suo loco dictum est) leges ferre quæ tum pastores, tum oves in conscientia ligent: atqui Ecclesia quovis sæculo aquam vino consecrando miscuit, præcepitque, ut misceretur: Justinus Apologia 2. testatur, sua ætate, hoc est, secundo sæculo fideles in synaxibus solitos fuisse *participare de pane Eucharistico & vino & aqua.* Usum illum præscribunt omnes orientalium liturgiæ. Illius etiam meminerunt Cyprianus in Epistola ad Cæcilium, nec non omnia occidentalium Sacramentaria.

Objicies. Nulla est ratio aquam vino Eucharistico miscendi: ergo immerito praxis illa præscripta fuit ab Ecclesia.

Resp. neg. ant. Nam *primo*, Christum aquam miscuisse vino, quod in ultima cœna consecravit, traditio est Apostolica. *Secundo*, ea mixtione recolitur mysterium expressum in aqua & sanguine; quæ fluxerunt de Christi mortui latere. *Tertio*, exhibetur unio populi fidelis cum Christo capite, seu Ecclesiam simul cum eo in Eucharistiæ sacrificio offerri Deo Patri. Rationes illas tradidit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. Eas tertio sæculo jam tradiderat Cyprianus in epistola ad Cæcilium:

Quæres 1. Qua in quantitate & quando aqua vino Eucharistico misceri debeat.

Resp. ad 1. modicissimam aquam vino Eucharistico misceri debere: ita præscribit Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum. Resp. ad 2. aquam misceri debere vino ante calicis oblationem, quæ hisce verbis apud Latinos incipit: *Offerimus tibi Domine calicem &c.* Si sacerdos forte tunc non miscuerit, debet, si meminerit ante consecrationem, immiscere, si vero tantum post consecrationem, immiscere non debet; ne (inquit S. Thomas) pro aliqua saltem parte sequatur sacramenti corruptio.

Quæres 2. utrum aqua mixta vino in Christi sanguinem transubstantietur.

Resp. Innocentium Papam III. noluisse definire quæstionem illam sibi ab Archiepiscopo Lugdunensi propositam: Id patet ex capite *Cum Martha, de Celebratione Missarum.* Post Innocentii tempora nullibi quoque definita legitur; unde neutra sententia, seu affirmans, seu negans, pertinet ad fidem.

Resp. 2. probabiliorem esse sententiam quæ asserit, aquam vino Eucharistico mixtam transubstantiari in Christi sanguinem, propius enim accedit ad modum, quo Patres de hocce mysterio locuti sunt: *Vinum* (inquit Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5.) *cum aqua in calice mixtum, fit sanguis consecratione Verbi cælestis.* Hæc etiam habet Hieronymus in cap. 14. Marci: *Formant sanguinem suum in calice, vino & aqua mixtis.*

Resp. 3.

Resp. 3. sententiam quæ docet, aquam *immediate* transsubstantiari in sanguinem Christi, videri probabiliorem ea, quam plurimi Thomistæ propugnant, contendentes, eam mutari primo in vinum, & postea in sanguinem Christi. Ratio est 1. quia si prius mutaretur in vinum, non ipsa aqua, sed vinum tantum mutaretur in sanguinem; antequam enim fieret consecratio, aqua non esset aqua, utpote jam in vinum conversa; ac proinde falso patres a nobis laudati asseruissent, aquam converti in Christi sanguinem. Nec obest, quod Innocentius III. Cap. *Cum Martha*, mutationis aquæ in vinum meminerit; non enim eam refert ex propria mente, sed ex quorumdam scholasticorum opinione, quam nec probat nec rejicit. Ratio est 2. quia peritiores physici negant aquam, vel modicissimam, in vinum converti posse: confirmantque ex eo, quod mixta post plures dies e vino pura per artem chymicam educatur.

Quæres 3. utrum permixtio aquæ cum vino Eucharistico sit de jure divino. Resp. negative. Ratio est, quia licet traditio sit Apostolica, Christum consecrasse calicem aqua mixtum, non sequitur eum ejusmodi mixtionem præcepisse: neque enim omnia quæ ipse egit, præcepit Ecclesiæ; alioquin dicendum esset eum præcepisse, ut Eucharistia post cœnam consecraretur, ut solus azymus panis adhiberetur. Ratio est 2. quia, cum Concilium Tridentinum meminit praxis, de qua agitur, eam refert, non ad divinum, sed ad solum Ecclesiæ præceptum: *Monet sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant*. Hinc evidenter colligitur, aquæ cum vino permixtionem non requiri ut consecratio valeat, sed tantum ut adimpleatur Ecclesiæ præceptum. De aqua vino permiscenda vide Cyprianum in epist. ad Cæcilium. De ejusdem aquæ transsubstantiatione in Christi sanguinem, vide epistolam Gaufredi Monachi ad Cardinalem Albanensem apud Baronium tomo 12. Vide totum caput in jure canonico, *Cum Martha, de celebratione Missarum*: vide etiam Commentarium nostrum Historicum & Dogmaticum a pagina 217. ad paginam 227. primæ edit.

§. III. *De conditionibus in vino consecrando requisitis.*

CONCLUSIO. In vino Eucharistico variæ conditiones requiruntur.

Probatur enumeratione. *Primo*, ut valeat consecratio, non debet esse in vino substantialis corruptio: hinc acetum consecrari non potest. Nec obstat Innocentius III. lib. 4. *De sacro Altaris Mysterio*, cap. 21. asserens, vinum acidum, quod appellatur acetum, esse posse materiam Eucharistiæ: Nam intelligi debet de vino, quod incipit acescere, non autem de eo, quod omnino acetum fuerit. Illi expositioni favet S. Thomas 3. part. q. 74. art. 5. ubi asserit, Eucharistiam confici posse de vino acescente, sicut & de pane qui est in via ad corruptionem, licet conficiens peccet. Hinc etiam consecrationi ineptus est succus, qui ex acerba uva fuerit expressus.

Requiritur *secundo*, ut sit potabile. Ratio est, quia Eucharistia consecratur in ordine ad sumptionem per modum cibi & potus: *Manducate* (inquit Christus) *Bibite*. Inde vero colligitur 1. vinum congelatum consecrari non posse, quamdiu congelatum est; immo multi cum fundamento contendunt, nec post resolutionem consecrari posse, si diu congelatum permanserit, quia (inquiunt) eo in casu vini substantia non remansit. Si quis vero roget, quid facto opus sit, cum vinum paullo ante vel post consecrationem in calice congelatur: Respondendum erit calicem involvi debere pannis calefactis: si autem id satis non sit ad solvendam glaciem, calix immittendus est in aquam ferventem, modo tamen caveatur, ne aquæ illius pars in calicem ingrediatur; vide Missalis Romani Rubricas, Titulo: De defectibus in *Missa occurrentibus*. Colligitur 2. consecrari non posse uvam, ex qua nondum expressum sit vinum; neque enim eo in casu vinum est potabile.

Requiritur *tertio*, ad decentem, sed non ad validam consecrationem, ut vinum aliquam maturitatem assecutum sit: hinc nonnisi urgente necessitate mustum consecrari debet. Confirmatur ex S. Thoma, qui 3. p. q. 74. art. 5. laudat Canonem, *Cum omne*, dist. 2. *De consecratione*, ubi hæc habentur: *Nam quod de expresso botro, id est, de uvarum granis populus communicatur, valde est confusum: sed si necesse sit, botrus in calicem comprimatur, & aqua misceatur*.

Quæres 1. quid facto opus sit, cum post peractam utrique speciei consecrationem, sacerdos advertit, loco vini aquam aut alium liquorem immissum fuisse calici?

Resp. eo in casu sacerdotem teneri 1. vinum aqua temperatum infundere calici, ipsumque consecrare, incipiendo ab his canonis verbis: *Simili modo*. Si id post sumptionem corporis cognoverit, tenetur 2. etiam Hostiam consecrare, & deinde vinum, incipiendo ab his verbis canonis: *Qui pridie, quam pateretur*. Ratio est, quia alioquin non cohærent, quæ aut recitantur aut fiunt in canone: nonnulla enim & dicuntur & fiunt, quæ supponunt præsentem Hostiam consecratam. Tenetur 3. utramque panis & vini speciem sumere, quamvis jejunus non sit, propter aquæ, quæ erat in calice, sumptionem. Ratio est, quia sumptio utriusque speciei in sacrificio, juris est divini, cum e contra jejunium communioni præsuppositum, sit juris

tan-

santum Ecclesiastici. 4. Si propter frequentem populum, scandalum timeatur, præscribunt Rubricæ, ut nova Hostia non consecretur, sed vinum solum, facta tamen prius secreta illius oblatione; consecratum autem sumatur statim, sicque sacrum perficiatur.

Quæres 2. an pœnitentia peragenda sit a sacerdote, in cujus calicem ex sola sui aut ministrantium ignorantia, aqua pro vino immissa est.

Resp. affirmative: id nimirum docet S. Bernardus Epist. 69. ad Guidonem Abbatem Trium Fontium; ubi sic de eo casu loquitur: *Et ne forte malum hoc mali cujuspiam gravioris latentis in monasterio fuerit commonitio; pro pœnitentia tibi injungimus septem Psalmos Pœnitentiales quotidie usque ad Pascha, septies prosternendo te, decantare, septem disciplinas accipere. In hunc modum satisfaciat & ille qui tibi ad hanc Missam ministravit. De illo autem qui sibi ante apparaverat, & oblitus est mittere vinum in calicem, cujus & majorem in hoc æstimamus culpam, si tamen & tu putas, tuo arbitrio delinquimus. Sane si sermo exiit inter fratres, & ipsi omnes singuli singulas accipiant disciplinas, ut fiat quod legitur, alter alterius onera portate.* Quænam vero pœnæ iis injungendæ sint, quorum negligentia effusæ fuerint aliquæ vini consecrati guttulæ, definiunt Caput *Si per negligentiam* 27. Caput *Si quis* 28. De consecratione dist. 2. Ii autem canones, licet quoad litteram sumpti non vigeant, vigent tamen eo sensu, quod subeundæ sint pœnæ, quæ proportionem aliquam habeant cum iis quæ per laudatos canones impositæ sunt.

Quæres 4. quid facto opus sit, cum musca vel aranea in calicem inciderint, aut cum suspicatur, venenum ipsi immixtum fuisse.

Resp. 1. si ea, de quibus est quæstio, ante consecrationem advertantur, reponi debere vinum illud in vas aliquod, ac deinde projiciendum in ignem. Resp. si post consecrationem deprehendantur, animalia caute debent extrahi, diligenter lavari, ac postea comburi. Resp. 3. si immissum sit venenum, servari debere species consecratas, donec corruptæ fuerint: facta vero earum corruptione, projici debere in ignem. Ne autem sacrificium remaneat imperfectum, aliud vinum consecrari debet eo, quo superius dictum est, modo.

CAPUT III.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

Not. Circa Eucharistiæ formam multiplex difficultas occurrit: quæri nimirum potest 1. utrum Christus absque omni verborum forma Eucharistiam in ultima cum Apostolis cœna consecraverit: 2. utrum sacerdotes consecrent panem per hæc sola verba, *Hoc est corpus meum*: 3. utrum ea omnia, quæ in nostro canone leguntur pro consecratione calicis, requirantur, ut consecratio valeat: 4. quænam mutationes in Eucharistiæ forma tollant illius veritatem.

ARTICULUS I.

An Christus Eucharistiam aliquibus verbis consecraverit.

Not. 1. Innocentius Papa III. l. 4. *De Mysterio Altaris* c. 6. docuit 1. Christum absque omni verborum forma, sed per solum internum divinæ voluntatis actum, Eucharistiam consecrasse. Docuit 2. ipsum Eucharistia jam consecrata quædam protulisse verba, quibus sacerdotes futuris temporibus Eucharistiam conficerent.

Not. 2. E contra Magister Sententiarum, S. Thomas ac passim Theologi docent, Christum aliquibus verbis, istis nimirum: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, Eucharistiam consecrasse. Cui ex illis opinionibus subscribamus, conclusio subsequens aperiet:

CONCLUSIO. Christus non consecravit Eucharistiam absque omni verborum forma.

Nonnulli conclusionem probant ex Scriptura, quæ testatur, Christum, cum Eucharistiam instituit, hæc verba protulisse: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Verum non valet illud argumentum; nempe (ait Innocentius III.) Christus iis verbis testatus est quidem se suum corpus ac sanguinem Apostolis dedisse, ita ut eorum hic sit sensus: *Quæ porrigo vobis, sunt meum corpus & meus sanguis: per actum enim potentissima meæ voluntatis panem in meum corpus, & vinum in meum sanguinem mutavi.*

Probatur itaque conclusio ex Patribus. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 40. hæc ait: *Acceptum panem & distributum Discipulis, corpus suum illum effecit, Hoc est corpus meum dicendo.* S. Joannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa c. 15. sic loquitur: *Sicut Deus dicendo, fiat lux, fecit tamen: ita dicendo: Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, perfecit hoc sacramentum*; unde sic conficitur argumentum. Ille Eucharistiam per aliqua verba consecravit, qui panem & vinum fecit suum corpus & suum sanguinem, dicendo: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: atqui, ex Tertulliano & Damasceno, Christus panem & vinum fecit suum corpus & suum sanguinem, dicendo: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: ergo Christus per aliqua verba consecravit Eucharistiam.

Objicies 1. Innocentius Papa III. docuit, Christum absque aliqua verborum forma Eucharistiam consecrasse: ergo, &c.

Resp. cum S. Thoma, dist. ant. Innocentius docuit *opinative*, Christum absque aliqua verborum forma Eucharistiam consecrasse;

se, conc. ant. docuit *determinative*, neg. ant. Ratio est, quia cum Innocentius libros scripsit *De Mysterio Altaris*, nondum erat summus Pontifex; ac proinde quæ tunc scripsit, opiniones sunt privati Theologi, non autem determinationes summi Pontificis.

Objicies 2. Christus panem & vinum consecravit per benedictionem, quam illis impertitus est: atqui ea benedictio impertita fuit absque ullis verbis; si enim panem & vinum benedicendo, protulisset aliqua verba, maxime ista: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*: sed ea tunc non protulit, nempe post illam benedictionem a Christo prolata referuntur in Evangelio: *Cœnantibus autem eis* (inquit Matthæus capite 26.) *accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum*. Major vero propositio, seu Christum Eucharistiam consecrasse per benedictionem, quam pani & vino impertitus est, ostenditur 1. ex eo, quod alioquin ea benedictio fuisset inutilis; 2. ex Concil. Trident. quod quidem sess. 13. cap. 1. docet, Christum post panis benedictionem testatum fuisse, se suis discipulis præbere suum corpus & suum sanguinem.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad cujus priorem probationem nego, benedictionem, de qua agitur, fuisse inutilem, etiamsi per eam panis & vinum consecrata non fuerint: fuit enim vel destinatio panis & vini ad mox futurum sacramentum; vel preces quædam, per quas Christus divinam Patris potentiam invocavit, quemadmodum eam invocare solitus erat, cum patraturus erat insignia quædam miracula, ut in Lazari e mortuis suscitatione videre est. Ad alteram ejusmodi majoris propositionis probationem dicendum est, Christum post panis benedictionem fuisse quidem testatum, se præbere Discipulis suum corpus & suum sanguinem, quia post benedictionem, per hæc verba: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*, panem & vinum mutavit in suum corpus & in suum sanguinem: sed id independenter a mox relatis verbis testatus non est; ac proinde non sequitur, quod per solam benedictionem consecraverit.

ARTICULUS II.

Quibus verbis Sacerdotes panem consecrent.

Not. 1. CAlvinus lib. 4. Institutionum cap. 17. negat, aliquibus verbis panem Eucharisticum consecrari. Vult quidem, ut a ministro proferantur Evangelica verba: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*, sed per modum historiæ ac instructionis, non autem per modum consecrationis.

Not. 2. Lutherus libro de abroganda Missa privata contendit, non sola verba Evangelica: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*, requiri ad consecrationem Eucharistiæ; sed totam ipsam Liturgiam.

Not. 3. Aliquibus scriptoribus, alioquin Catholicis, visum est, Evangelica verba quæ mox relata sunt, requiri quidem ad consecrationem, sed contendunt ea satis non esse: nempe volunt præterea necessariam esse narrationem eorum quæ Christus fecit, cum Eucharistiam instituit; idque (inquiunt) ut sacerdos, cum hæc verba profert, *Hoc est corpus meum*, in persona Christi loquatur: unde concludunt, ea omnia quæ ab his verbis incipiunt in nostro canone, *Qui pridie, quam pateretur*, requiri ut panis valide consecretur.

Not. 4. Nonnulli Græci schismatici contendunt, oblata non consecrari per Evangelica verba, sed tantum per operationem quæ in Liturgia Chrysostomi subsequitur, quæque incipit: *Fac panem hunc pretiosum Corpus Christi, & quod est in calice isto, pretiosum sanguinem Christi tui*.

CONCL. 1. Panis in Eucharistia consecratur per hæc verba: *Hoc est Corpus meum*.

Probatur 1. ex Patribus. Chrysostomus Hom. de Proditione Judæ, sic loquitur: *Hoc est corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur*. Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. hæc habet: *Consecratio igitur cujus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu*. Eugenius Papa IV. in decreto pro Instructione Armenorum, hæc docet: *Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum: Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum*. Ex iis textibus sic arguitur. Panis ex Ambrosio, ex Eugenio consecratur per Christi verba: atqui ea Christi verba non alia sunt, quam ista: *Hoc est Corpus meum*: ergo, &c.

Probatur 2. ratione theologica. Per ea verba panis consecratur, quibus transubstantiatio clare exprimitur: nempe sacramentorum formæ sic institutæ sunt, ut id significent, quod operantur: atqui (ut inferius contra Calvinistas & Lutheranos ostendetur) Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, clare exprimunt transubstantiationem: ergo &c.

Objicies 1. In Liturgia Chrysostomi sacerdos post prolata Evangelica verba: *Hoc est corpus meum*, petit panis & vini mutationem in Christi corpus & sanguinem, per hanc orationem: *Fac quidem panem hunc pretiosum Corpus Christi tui*: ergo ea liturgia supponit, verbis istis: *Hoc est corpus meum*, Eucharistiam non esse consecratam: neque enim consecratur, nisi per transubstantiationem.

Resp. dist. ant. Petit mutationem moralem, conc. ant. mutationem physicam, neg. antec. Ea oratione sacerdos non petit, ut panis & vinum absolute mutentur; sed respective tantum, hoc est fidelibus; seu petit, ut

panis

panis & vinum quæ per Evangelica verba jam physice mutata sunt, iis prosint, qui adsunt sacrificio, ut qui iis per communionem pascendi sunt. Vide Acta ultimæ sessionis Concilii Florentini.

Objicies 2. Patres asserunt, Eucharistiam consecrari per sacerdotum preces: ita docet Justinus Apologia secunda, ita etiam Hieronymus qui in Epistola ad Evagrium sic loquitur: *Ad quorum* (de sacerdotibus loquitur) *preces, Christi corpus sanguisque conficitur*: atqui his verbis, *Hoc est corpus meum*, nullæ preces continentur: ergo iis verbis panis Eucharisticus non consecratur.

Resp. conc. maj. dist. min. Nullæ preces continentur explicite, conc. min. implicite, neg. min. Ratio est, quia verba, de quibus est quæstio, implicite continent invocationem divinæ potentiæ, per quam ex Christi promissione fit transubstantiatio panis in ipsum Christi corpus. Ubi enim sacerdos agit, quod egit Christus, perinde se gerit ac si explicite diceret: Memineris, Domine, te pollicitum fuisse, quod operaturus sis transubstantiationem, quoties tanquam minister Ecclesiæ prolaturus sum verba, per quæ tu ipse panem in ultima cœna consecrasti.

CONCLUSIO 2. His solum verbis, *Hoc est corpus meum*, panis Eucharisticus consecratur.

Probatur. Si ad panis consecrationem præter hæc verba, *Hoc est corpus meum*, aliqua alia requirerentur, essent vel ea, quæ in canone præcedunt, vel quæ subsequuntur: atqui neutrum dici potest. Non primum, nam *primo* Christus ea non imperavit: quippe quæ sint ex sola Ecclesiæ institutione. *Secundo*, non significant aut effectum sacramenti, aut transubstantiationem, sed meram eorum narrationem, quæ Christus Eucharistiam instituens gessit. *Tertio*, id aperte docet Ambrosius: *Per reliqua omnia* (inquit lib. 4. de Sacram. cap. 4. postquam retulit Evangelica verba) *quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro ceteris: Ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi: ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.* Alterum quoque dici non potest, tum quod statim post prolata Evangelica verba adorentur sacræ species; tum quod in iis quæ Evangelica verba subsequuntur in canone, nihil sit quod transubstantiationem significare ac operari possit.

Objicies. Quæ in liturgiis immediate præcedunt Evangelica verba, *Hoc est Corpus meum*, necessaria sunt, ut sacerdos, cum profert hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, non in propria persona, sed in persona Christi loquatur: per nihil enim aliud determinari potest, ut tunc in persona Christi loquatur: atqui §. ut consecratio valeat, necesse est, ut sacerdos in Christi persona loquatur: ergo, &c.

Resp. sacerdotem determinari ad loquendum in persona Christi, ex eo quod agens in Altari tamquam minister Ecclesiæ, velit id agere, quod agunt ejusdem Ecclesiæ ministri, ac proinde intentionem habeat verba, de quibus est quæstio, proferendi non suo, sed Christi nomine: Vide S. Thom. 3. p. q. 78. art. 1. ad quartum.

ARTICULUS III.

Quibus verbis vinum in Eucharistia consecretur.

Not. Circa verba, quibus vinum in Eucharistia consecratur, duplex est Theologorum Catholicorum sententia. Plures Thomistæ contendunt, hæc omnia verba: *Hic est calix sanguinis mei novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, necessaria esse, ut vini Eucharistici consecratio valeat: Alii, etiam Thomistæ, ut videre est in Cajetano & Contensonio, docent, hæc sola, *Hic est calix sanguinis mei*, aut (ut habet Marcus) *Hic est sanguis meus*, satis esse ad vini Eucharistici consecrationem.

CONCLUSIO 1. Hæc sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, requiruntur, ut vinum valide consecretur. Ita S. Bonaventura, Scotus, & Estius docent.

Probatur 1. Quando Patres scribunt vinum fieri sanguinem Christi, asserunt id fieri Christi verbis, nec alia laudant, quam ista: *Hic est sanguis meus*: ergo censuerunt iis tantum verbis calicem consecrari. Probatur ant. ex Ambrosio, qui lib. 4. de Sacram. cap. 4. sic loquitur: *Inde verba sunt Christi: Accipite, bibite ex eo omnes: Hic est enim sanguis meus: Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus. Ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.*

Prob. 2. Hæc verba, *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, non magis sunt necessaria, ut valeat calicis consecratio, quam ista, *Quod pro vobis datur*, quæ his aliis, *Hoc est Corpus meum*, apud Lucam subjiciuntur, necessaria sunt, ut panis consecratio valeat; utraque enim finem, ad quem instituta est Eucharistia, significant, hoc est, pro fidelibus, tum panem, tum vinum consecrari. *Secundo*, hæc alia, *Mysterium fidei*, nec a Christo prolata sunt, nec in Græcorum liturgiis reperiuntur. *Tertio*. ista, *Novi & æterni Testamenti*, significant, per Christi sanguinem patere nobis introitum ad cælestem beatitudinem: atqui necesse non est, ut is effectus sanguinis Christi exprimatur, ut consecratio valeat, quemadmodum non requiritur, ut valeat panis consecratio. *Quarto*, tandem hæc sola verba:

Hæc

Hic est calix Sanguinis mei, aperte significant transsubstantiationem vini in Christi sanguinem: ergo satis sunt; ut consecratio valeat.

Objicies 1. Si verba omnia, quæ apud Latinos ad calicis consecrationem adhibentur, non sint necessaria, ut vini consecratio valeat, cur Ecclesia ea imperavit potius, quam ista: *Quod pro vobis datur*, aut (ut habetur apud Paulum) *Quod pro vobis traditur*, cum a Christo non minus in ultima cœna prolata sint, quam hæc alia: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?*

Resp. Ecclesiam imperasse prolationem verborum, de quibus agitur, ut tum pastores, tum oves meminerint, se non corpore & sanguine Christi simpliciter & absolute sumptis redemptos esse, sed sanguine ut effuso, seu, morte quam Christus in cruce passus est.

Objicies 2. S. Thom. 2. p. 73. art. 3. docet omnia ac singula verba, quæ in Latinorum liturgiis recitantur, dum consecratur vinum, pertinere ad substantiam formæ: ergo ex S. Thoma, vinum his solis verbis: *Hic est calix sanguinis mei*, non consecratur.

Resp. S. Thomæ discipulos digladiari inter se quid de argumento, de quo est hic quæstio, S. Doctor senserit. Probabilius eum exponunt, qui respondent, intelligendum esse de *Substantia formæ* sumpta secundum illius explicationem, non autem præcise secundum illius essentiam. De forma per quam, tum apud Latinos, tum apud Græcos, sive panis, sive vinum consecrantur, fuse disseruimus in nostro Comment. Hist. a pag. 227. ad pag. 238. primæ edit.

CONCLUSIO 2. Quamvis hæc sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, satis sint, ut vini consecratio valeat, gravis tamen peccati reus esset qui prætermitteret alia quæ in canone præscribuntur: *Novi & æterni Testamenti*, *Mysterium fidei*; *qui pro vobis*, *&c.*

Probatur. Primo, minister ille in re gravi Ecclesiæ præceptum infringeret: 2. Sacramentum exponeret nullitati, quia in praxi sequeretur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, licet (ut nobis videtur) minus probabili: quod quidem illicitum esse, cum agitur de sacramentorum valore, declaravit Innocentius Papa XI. a quo proscripta est hæc propositio: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

ARTICULUS IV.

Quænam mutationes in Eucharistiæ forma tollant ejusdem formæ substantiam.

Not. EX iis quæ agentes de sacramentis in genere dicta sunt, omnis mutatio quæ formæ sensum tollit, tollit quoque illius substantiam: hic igitur investigandum est, quænam mutationes tollant sensum formæ, per quam in Eucharistia, sive panis, sive vinum consecrantur.

CONCLUSIO. Nonnullæ sunt mutationes quæ tollunt sensum formæ, per quam Eucharistia consecratur. Nonnullæ etiam sunt aliæ, quibus minime tollitur.

Probatur prior pars enumeratione variorum casuum. *Primo*, si sacerdos horum verborum loco: *Hoc est corpus meum*, diceret: *Fiat hoc corpus meum*, tolleretur debitæ formæ sensus: neque enim instantanea illa, quæ fit vi verborum, transsubstantiatio iis verbis exprimeretur: nempe prolatis hisce verbis, *Accipite & manducate*, si hæc imperativa, *Fiat hoc corpus meum*, subjicerentur; dubitari posset, an statim completo sermone, panis in Christi corpus transsubstantiaretur. *Secundo*, tolleretur quoque, si pronomen *hoc* omitteretur, quia in propositione nullum esset subjectum, nec proinde sensus. *Tertio*, tolleretur pariter, si loco pronominis *Meum*, diceretur *Christi*, hoc modo: *Hoc est corpus Christi*; nempe eo in casu minister non in Christi persona, sed in propria tantum loqueretur: sicque non efficeret transsubstantiationem, quam tamen tamquam caussa instrumentalis efficit, cum loquitur in Christi persona. *Quarto*, secundum Sylvium, irrita esset consecratio, si quis diceret: *Hoc est caro mea*, quia hæc verba *caro mea* tantam non habent amplitudinem quantam ista *Corpus meum*; siquidem corpus præter carnem dicit ossa, multasque alias partes.

Probatur quoque enumeratione altera conclusionis pars. *Primo*, si quis per pronomen *Hic*, quod adhibetur in calicis consecratione, cum Lutheranis intelligeret adverbium *Hic*, quo designatur præsentia sanguinis in loco, seu in vino, non tolleret sensum formæ, quia (ut agentes de forma sacramentorum in genere notavimus) error ministri in forma non expressus, non tollit sensum quem in Evangelio, aut in traditione verba formæ præ se ferunt. *Secundo*, formæ per quam calix consecratur, substantia non tollitur per omissionem horum verborum, *Novi & æterni Testamenti*, *mysterium fidei*, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Ratio est, quia (ut observatum est articulo superiore) non pertinent ad essentiam formæ; nempe majoris explicationis

caussa

caussa ab Ecclesia præscripta sunt. *Tertio*, valeret quoque, tum panis, tum vini consecratio, si particula, *Enim*, omitteretur: scilicet quamvis conjungat formam cum iis quæ præcedunt in canone, ad ejusdem tamen formæ substantiam non pertinet, quia absque ea satis exprimitur transubstantiatio, quæ est effectus formæ, per quam sive panis, sive vinum consecrantur. *Quarto*, rata pariter esset consecratio, si verbum, *Est*, prætermitteretur, & diceretur solum, *Hoc corpus meum*. Ratio est, quia verbum illud subintelligeretur: unde, sive Latine, sive Græce, sive Hebraice loquentibus familiare est, elegantiæ ac majoris energiæ caussa, illud in plerisque orationibus omittere. Confirmatur ex Græco Lucæ textu, ubi in consecratione calicis omittitur. *Quinto*, irrita non esset consecratio, si loco pronominis, *Hoc*, aliquis nomen panis substitueret, dicendo: *Hic panis est meum corpus*; vel *Hoc vinum est sanguis meus*. Ratio est, quia esset subjectum determinatum, quod per pronomen *Hoc*, indeterminate significatur: at non tollitur propositionis sensus, cum subjectum determinatum substituitur indeterminato, quod supponebat pro determinato: sic idem fuisset sensus, si Christus ostendens aquam, quam in nuptiis Cana mutavit in vinum, dixisset: *Hoc est vinum*, aut: *Hæc aqua est vinum*. De iis similibus aliis mutationibus vide Silvium in 3. partem, quæst. 78. art. 2.

CAPUT IV.

De Eucharistiæ ministro.

Not. EUcharistia potest considerari, vel ratione consecrationis, seu confectionis, vel ratione dispensationis, seu administrationis. Agentes inferius de Eucharistia prout est sacrificium, explicabimus, quis minister possit eam consecrare ac conficere: hic igitur erit solum quæstio de ministro, cui credita est Eucharistiæ dispensatio, seu administratio: is vero cum sit, vel ordinarius, vel extraordinarius, de utroque disseramus oportet.

CONCL. 1. Soli Episcopi & sacerdotes sunt ordinarii dispensandæ Eucharistiæ ministri.

Probatur 1. Illi sunt ordinarii dispensandæ Eucharistiæ ministri, quibus solis præscripta est a Christo illius dispensatio: atqui solis Episcopis ac presbyteris præscripta est a Christo Eucharistiæ dispensatio: ille enim præcepit solis Apostolis, ac proinde eorum in sacerdotio successoribus, ut id agerent, quod ipse egerat: *Hoc facite*: atqui ipse Eucharistiam in ultima cœna dispensarat, ut testantur hæc ipsiusmet Christi verba apud Matthæum cap. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus.*

Probatur 2. Ii soli sunt ordinarii dispensandæ Eucharistiæ ministri, quorum est eam ex officio conficere: siquidem confectio refertur ad dispensationem. Hinc in Ecclesia (ut advertit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8.) mos semper fuit, ut laici a sacerdotibus communionem reciperent.

CONCLUSIO. 2. Diaconi, minores clerici, immo & laici, fuerunt olim extraordinarii dispensandæ Eucharistiæ ministri.

Probatur prior pars. Illi quondam fuerunt extraordinarii dispensandæ Eucharistiæ ministri, quibus tum in Ecclesia Græca, tum in Latina commissum est illud officium: atqui commissum est diaconis, & quidem in Ecclesia orientali: *Qui apud nos Diaconi dicuntur* (inquit Justinus martyr Apologia secunda) *dant unicuique eorum, qui adsunt, panem, vinum, & aquam*. Commissum est pariter in Ecclesia occidentali, ut probant hæc Cypriani verba lib. *De Lapsis*, *Ubi vero sollemnibus adimpletis, calicem Diaconis offerre præsentibus cœpit, &c.*

Probatur altera pars ex Adone, qui in suo Martyrologio refert, Tharsitium Acolithum, sacramenta corporis Domini deferentem, a paganis occisum fuisse, quod Sancta noluisset eis prodere.

Probatur tertia pars ex usu, qui dum sæviret persecutio, obtinuerat: tunc nimirum laici acceptum de sacerdotum, aut diaconorum manibus panem consecratum privatas in domos deferebant, ut eo se contra tyrannos munirent.

Objicies 1. Si laici, clerici minores, Eucharistiam ex commissione quondam dispensarint, Diaconi nullo, quoad illud caput, jure laicos, & minores clericos superassent: atqui id absurdum est: ergo &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia diaconi sollemniter in templis Eucharistiam dispensabant: id vero privilegii nusquam laicis indultum est; ubi enim illud ausu temerario sibi sumere tentarunt, ab Ecclesia, præsertim si mulieres essent, redacti sunt in ordinem; *Quidam* (verba sunt Synodi Pariensis, quæ celebrata est anno 829. lib. 1. cap. 45.) *nostrorum verorum virorum relatu, quidam etiam visu didicimus, in quibusdam Provinciis contra legem divinam, canonicamque institutionem, feminas sanctis Altaribus se ultro ingerere, sacrataque vasa impudenter contingere, & indumenta sacerdotalia administrare: & quod his majus, indecentius, ineptiusque est, corpus & sanguinem Domini populis porrigere, & alia quæque, quæ ipso dictu turpia sunt, exercere. Miranda sane res est, unde is illicitus in Christiana religione irrepserit usus, ut quod viris sæcularibus illicitum est, feminæ, quarum sexui nullatenus competit,*

petit, aliquando contra fas sibi licitum facere potuerint.

Objicies 2. Diaconi olim quidem in synaxibus dispensarunt Christi sanguinem, sed non dispensarunt corpus, nisi in necessitate: neque enim ipsis ordinarie licuit ipsa dona sacra contingere, sed mediate tantum: unde dispensarunt sanguinem, sed qui calice continetur: ita ratiocinatur Sanctus Thomas 3. p. q. 72. art. 3. ad 1. ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ad 2. dico, S. Thomam explicari debere de disciplina quæ sua ætate vigebat, non autem de ea quæ prioribus sæculis obtinuerat. Patet responsio ex Justino, quem superius laudavimus; patet etiam ex praxi quæ ferebat, ut ipsi etiam laici sacrum Christi Corpus in privatas domos deferrent.

CONCL. 3. His temporibus, Diaconi in necessitatis casu possunt fidelibus Eucharistiam dispensare: non possunt vero Subdiaconi, nec minores clerici.

Probatur prioris pars. Canones Diaconi Eucharistiæ dispensationem non prohibent, nisi extra casum necessitatis: ergo tunc licite possunt eam fidelibus dispensare. Ubi adest presbyter, sed canonice impeditus, ad id muneris indigent illius speciali mandato: *Ut Diaconus* (inquit Concilium Carthaginiense IV. can. 38.) *præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Si vero absit presbyter, & ægroto præsens immineat vitæ periculum, Diaconus absque speciali presbyteri mandato potest ægroto illi Eucharistiam dispensare; *Si necessitas evenerit* (inquit Alcuinus) *& presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem, & det sanctam communionem.*

CONCL. 4. Minores clerici, immo & laici, possunt cum dispensatione Pontificia sibi ipsis, si necessitas urgeat, Eucharistiam administrare.

Probatur. *Primo*, quondam Ecclesia dispensarat, ut laici, sæviente persecutione, sibi ipsis Eucharistiæ communionem impertirentur: ergo eamdem facultatem potest in casu simili quibusvis laicis indulgere. *Secundo*, elapso proxime sæculo, Pius Papa V. id juris fecit Mariæ Stuart Scotorum Reginæ, cum ab Elisabetha Angliæ Regina Catholicis infensissima detineretur in carcere: unde fertur, quod se ipsam SS. Sacramento, quod quidem apud se a Pio V. permissa servabat, munierit antequam capite truncaretur: Quo sæculo ritus Eucharistiam dispensandi per alios a sacerdote ministros, tum in occidente, tum in oriente, cœperit ac desierit, quæ in eo identidem mutationes contigerint, Commentarii Historici pag. 323. 324. 325. 326. 327. primæ editionis, fuse disseruimus.

CAPUT V.

De subjecto Eucharistiæ.

Not. HIC subjecti nomine intelliguntur ii quibus Eucharistia potest administrari. Dubium vero potest esse de infantibus, de energumenis, de amentibus, de reis ultimo supplicio damnatis, de impiis, seu de iis qui jacent in peccato mortali.

CONCL. 1. Apud Latinos non licet Eucharistiam infantibus dispensare.

Probatur. Id non licet apud Latinos, quod vetant ritualia, ad quæ a quatercentis & amplius annis Latini sacramenta dispensant: atqui vetant, ne Eucharistia parvulis detur: ergo eam ipsis apud Latinos dispensare non licet. Probatur min. tum ex ritualium contextu, tum ex S. Thoma qui morem illum suo sæculo jam obtinuisse testatur: *Ad tertium* (inquit 3. part. quæst. 80. art. 9.) *dicendum quod eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus qui numquam habuerunt usum rationis; unde talibus non sunt sacramenta danda.*

Objicies. Eucharistia per duodecim priora sæcula statim post baptismum infantibus apud Latinos administrata est, eisque nunc apud Græcos confertur: ergo his etiam temporibus apud Latinos infantibus administrari debet.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Nempe ex eo quod aliqua disciplina apud antiquos viguerit, male colligitur, quod his quoque temporibus observari debeat. Posteriorum sæculorum Patres Latini hac in parte veterem usum abrogarunt, ut majori in SS. Sacramentum reverentiæ consulerent. Immerito tamen hæretici recentiores antiquam Ecclesiam hoc in capite calumniantur: Nam *sanctissimi illi patres* (inquit Tridentina Synodus sessione 21. cap. 4.) *sui facti probabilem caussam pro illius temporis ratione habuerunt:* augmentum nimirum gratiæ in infantibus, quos baptizarant. Nec ille usus præcepto Salvatoris adversabatur, quippe quod probatio, cælestis panis a terrestri discretio, quæ jure divino requiruntur, in eo præcipue positæ sint, quod nullus cum conscientia peccati mortalis ad Eucharistiam accedat.

CONCL. 2. Nonnullis furiosis, nonnullis amentibus, & nonnullis energumenis, sed non omnibus, administrari debet Eucharistia.

Probatur. Nonnulli sunt furiosi, nonnulli amantes, nonnulli energumeni, qui identidem sua ratione fruuntur: nonnulli vero qui ea non fruuntur. Prioribus licite dari potest Eucharistia: pie nimirum & cum reverentia SS. Sacramentum iis in intervallis recipere possunt. Posteriores duplicis sunt generis. Nam vel aliquando rationis usum habuere, vel nusquam habuerunt: Si primum,

secundum S. Thomam iis Eucharistia debet impendi in extremæ vitæ periodo constitutis, si cum ratione fruerentur, in eam pie affecti fuerint. *Et nisi forte* (inquit S. Doctor 3. p. q. 80. art. 9.) *timeatur periculum vomitus, vel expuitionis*: in praxi vero timetur semper; ac proinde ejusmodi hominibus, quibus actu non adest rationis usus, Eucharistia, etiam in vitæ periculo, secundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam conferri non debet.

CONCL. 3. In Galliis & in Hispaniis, reis ultimo supplicio damnatis, etiam pœnitentibus, contritis ac confessis, Eucharistia non conceditur: e contra in Italia & Germania concedi solet.

Probatur prior conclusionis pars *primo*, ex Claudio Espencæo lib. 2. *De Eucharistiæ adoratione*, ubi narrat Ludovicum Luxemburgum Comitem Stabuli, anno 1475. damnatum capite tanquam læsæ Majestatis reum, non obtinuisse Eucharistiæ communionem, quantumvis eam ab Episcopis enixe petiisset. Alia nostratium disciplinæ testimonia profert Ysambertus, quem lector adire poterit. Altera pars ostenditur testimonio Dominici Soto, qui in 4. Sent. dist. 12. q. 1. art. 2. sic loquitur; *De illa autem Hispanorum consuetudine, qui condemnatis ad mortem Eucharistiam non ministrant, aliæ nationes obmurmurant*. Tertiæ parti favet S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. Titulo IX. ubi monet, *ne reus, capitis damnatus, quo die pro viatico sanctissimum corpus Domini sumpsit, a magistratibus tribuatur supplicio afficiendus*. Quarta denique pars probatur ex consuetudine, qua multis abhinc sæculis fertur, ut hominibus, de quibus agitur, Eucharistia tribuatur pro viatico. Unde autem tum Galliarum, tum Hispaniarum mos suam originem traxerit, cur oppositus invaluerit in Italia & Germania, quibus momentis uterque nitatur, docet Morinus noster lib. 10. *De Administratione sacramenti Pœnitentiæ* cap. 1. Pertractatur quoque illud argumentum commentarii Historici p. 332. 333. primæ editionis.

CONCL. 4. Peccatori publico negari debet Eucharistia, donec eum publice pœnituerit.

Probatur ex Capite *Pro dilectione* dist. 2. ubi hocce refertur Cypriani de Histrione ab Euchratio interrogati responsum: *Puto, nec Majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur*. Si externa Ecclesiæ societas publicis pecccatoribus negata est a Cypriano, dubium non est, quin a fortiori Eucharistia denegari debeat, donec publicæ pœnitentiæ signa dederint. Cum autem accidit casus ille, si per tempus liceat, Episcopus consuli debet, eo quod quamvis Parochi peccatores publicos a subeunda publica pœnitentia liberare non possint, id tamen juris ex Conc. Trid. penes est Episcopos.

Quæres, quinam censendi sint publici peccatores.

Resp. eos esse, quorum crimen innotuit vel per evidentiam facti, quales sunt quidam usurarii, concubinarii, histriones, mulieres quæ non conjugatæ sobolem procrearunt: vel per publicum, sive Ecclesiasticum, sive sæculare judicium; vel tandem per publicam famam, seu quæ tanta sit, ut rei in communem ac vehementem nefandorum criminum suspicionem venerint.

CONCL. 5. Eucharistia negari non potest occulto peccatori, qui publice eam petit, secus si eam in occulto petierit.

Probatur prior pars 1. exemplo Christi, qui in ultima cæna Judæ occulto peccatori, suum corpus & suum sanguinem (Augustino teste Epist. 163.) porrexit. 2. Occultus peccator, donec illius crimen fiat manifestum, jus habet ad suam famam: ac proinde inique ea excideret, si palam a sacramento repelleretur: unde Augustinus hom. 50. inter quinquaginta merito sic loquitur: *Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus (quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, sive sæculari sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum*.

Probatur altera pars. Peccator privatim postulans Eucharistiam, nullum ad eam jus habet; non quidem ratione status in quo jacet, nempe (ut supponitur) est in statu peccati mortalis: nec etiam ratione juris, quod habet ad famam, cum tunc illius dispendium non incurrat: nec enim ex negatione sacramenti sequuntur incommoda quæ sequerentur, si publice denegaretur.

Quæres 1. an is qui per solam confessionem sacramentalem novit occultum alicujus crimen, possit ei Eucharistiam negare, ubi eam privatim petit.

Resp. negative, quia ita strictum est debitum sigilli sacramentalis, ut nulla ex caussa ministro liceat peccatum, quod per solam confessionem noverit, ipsi etiam qui illud confessus est, extra sacrum tribunal aperire, nisi confessus id expresse concesserit: nec immerito; nam alioquin peccatorum confessio plurimum odiosa redderetur.

Quæres 2. an loco Hostiæ consecratæ non consecrata dari possit occulto peccatori, qui publice petit Eucharistiam.

Resp. negative. Ratio est, quia sacerdos sic se gerens, quantum in se est, adstantes, & ipsum etiam occultum peccatorem exponit idololatriæ periculo; siquidem (Augustino teste in Ps. 48.) nemo Christi carnem manducat, quin prius eam adoraverit. Confirmatur responsum auctoritate Innocentii Papæ III. qui cap. *De Homine* Extra. *De celebratione Missarum*, sic loquitur: *Cum ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt peri-*

periculis graviora, licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud: gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare, cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo quem decipit, se adstringat. Vide S. Thomam 3. p. q. 80. art. 6. ad secundum, nec non Quodlibeto 5. q. 6. art. 2. ad tertium.

CAPUT IV.

Quid Eucharistia contineat.

Not. QUæ spectant ea quæ in Eucharistia continentur, ad quatuor capita, methodi caussa, reducemus; nempe ad existentiam corporalis præsentiæ Christi in Eucharistia; ad ejusdem realis præsentiæ modum: ad ea quæ eamdem realem præsentiam consequuntur: ac tandem etiam ad accidentia, quæ ipsam sacramento comitantur.

ARTICULUS I.

De existentia corporalis præsentiæ Christi in Eucharistia.

Not. CIrca existentiam corporalis præsentiæ Christi in Eucharistia, quæri potest 1. an sint aliqui qui eam negent: 2. utrum ex scriptura possit demonstrari: 3. utrum constanti Patrum traditione probetur: 4. an probari possit præscriptione: 5. an adstruatur perpetuo omnium Ecclesiarum consensu: 6. utrum argumentis philosophicis expugnari possit.

§. I. *De iis qui negarunt corporalem Christi præsentiam in Eucharistia.*

Not. Non est hic quæstio de hæreticis qui negarunt, Verbum assumpsisse verum corpus: nempe constat eos negasse corporalem Christi præsentiam in Eucharistia; neque enim aliud corpus esse potest in Eucharistia, quam quod assumptum est a Verbo: ac proinde cum, ex iis hæreticis, Verbum non assumpserit verum corpus, necesse est, in Eucharistia non esse reale corpus Christi. Quæstio est igitur tantum de iis qui incarnationis veritatem admiserunt.

CONCL. 1. Joannes Scotus Erigena, qui obiit anno 884. primus inter eos qui veritatem incarnationis admiserunt, negavit, Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia.

Probatur prior conclusionis pars, seu Joannem Scotum Erigenam negasse corporalem Christi præsentiam in Eucharistia. Illius liber *De Corpore, & Sanguine Domini*, non ob aliud in Concilio Vercellensi (quod quidem anno 1050. actum est contra Berengarium), damnatus est, quam quod in eo doceretur, corpus Christi specie tenus, non autem in rei veritate, in Eucharistia contineri. Altera vero ejusdem conclusionis pars, hoc est, Joannem Scotum Erigenam, primum inter eos qui admiserunt incarnationis veritatem, negasse præsentiam corporalem Christi in Eucharistia, ostenditur 1. ex eo quod nullus laudari possit, qui ante Scotum illud dogma propugnaverit; 2. Qui undecimo sæculo stabant a Berengario, realis præsentiæ (ut dicetur) impugnatore acerrimo, in sui erroris patrocinium, nullum Scoto Erigena scriptorem antiquiorem laudabant.

Objicies. Præsules Iconomachi anno 754. in sua adversus sacras imagines pseudo Synodo asseruerunt, quod Christus *imaginem materiam præcipuam, id est, panis substantiam præcepit offerri*. unde sic arguitur: illi crediderunt Christum non esse corporaliter præsentem in Eucharistia, qui asseruerunt offerri in Eucharistia imaginem corporis Christi: atqui id asseruerunt Iconomachi: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Qui crediderunt offerri imaginem, quæ excluderet corporalem Christi præsentiam, conc. maj. quæ eam non excluderet, sed includeret revera, nego majorem. Similiter distincta minore, neg. conseq. Iconomachi docebant, nulli alteri imagini, quam Eucharistiæ, deberi latriæ cultum: eo quod, inquiebant, ipsa sola esset vera imago Christi, quippe quæ humanitatem simul & divinitatem contineat, cum e contra, pictæ aut sculptæ imagines solius sint humanitatis repræsentativæ: unde concludebant eos qui Eucharistiæ exhibebant latriæ cultum, non esse reos idololatriæ, cujus tamen contendebant reos esse, qui alias ab Eucharistia imagines venerabantur.

CONCL. 2. Post Scotum Erigenam plures hæretici negarunt corporalem Christi præsentiam in Eucharistia.

Probatur enumeratione. *Primo*, Berengarius, Andegavensis Archidiaconus, circa annum 1035. palam asseruit, Eucharistiam merum esse signum Corporis Christi; seu negavit, verum Christi corpus ea substantialiter contineri.

Secundo, anno 1126. Petrus de Bruis, cujus Discipuli vocati sunt Petrobusiani, docuit, Christum substantiam quidem sui corporis in ultima cœna suis Apostolis tradidisse; sed contendit, & Apostolos & eorum successores solam ejusdem corporis figuram porrexisse fidelibus.

Tertio, circa annum 1146. Henricus, cujus sectarii dicti sunt Henriciani, Petrobusianorum errorem Tolosanis propinavit: *Asseritis corpus Domini in sacramento Altaris Ecclesiam non habere*: verba sunt Petri Cluniacensis, novatores illos exagitantis. Contendunt aliqui, Waldenses, seu Pauperes de Lugduno, idem duodecimo sæculo de Eucharistia

 do-

docuisse, quod Berengariani docuerunt undecimo. Sed immerito Waldensibus affingitur illud dogma; hoc enim unum de iis habet Rainerus, qui ex professo adversus eos scripsit, quique illi sectæ antea nomen dederat: *Item de sacramento Eucharistiæ dicunt, quod sacerdotes in mortali non possunt conficere. Item dicunt, quod transubstantiatio non fiat in manu indigne conficientis, sed in ore digno sumentis: & quod confici possit in mensa communi.* Idem dogma Waldenses, qui degebant in Sabaudiæ montibus, profitebantur anno 1517. nempe Seyssellus Archiepiscopus Taurinensis, qui tunc accuratum de Waldensium erroribus catalogum conscripsit, istius, quod negarent corporalem Christi in Eucharistia præsentiam, nullo modo meminit. Fatendum est tamen, Waldenses Sabaudos, ab ea majorum suorum fide circa annum 1536. recessisse: agente nimirum Farello apud Genevenses pseudo Evangelii ministro, prætensam Calvini reformationem in omnibus amplexi sunt.

Quarto, incertum est, quid Joannes Wiclef presbyter Anglus de Eucharistia senserit: in illius nimirum libris sunt textus, quibus ab eo sacramento ablegatur Christi præsentia corporalis, alii vero quibus sola transubstantiatio impugnatur; unde in Bohemia, quo delati fuerant illius libri, nonnulli reperti sunt qui ex iis hauserunt sacramentorum dogma, alii vero solam transubstantiationem negarunt. Licet Joannes Hus pluris Wiclefum faceret, nusquam tamen in illius de Eucharistia errores abiit. Adeat lector Laroquium Calvinistarum Ministrum, qui in sua *de Eucharistia* Historia factum illud demonstrat.

Quinto, Carlostadius Archidiaconus Utembergensis, anno 1525. librum edidit adversus realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia: hocque in capite recessit quidem a Lutheri magistri sui dogmate, sed nequaquam a sententia, in quam (ut ipse Lutherus asseruit) propendisset plurimum, si solvere potuisset scripturæ loca, quibus eadem Christi præsentia corporalis asseritur.

Sexto, Huldricus Zuinglius eodem quo Carlostadius tempore scripsit librum *De vera & falsa religione*, in quo Carlostadii errorem multis argumentis asseruit, contenditque omnia loca quæ adstruere videntur realitatem Corporis Christi in Eucharistia, *metaphorice*, non autem *proprie*, exponi debere.

Septimo, Calvinus aliquibus post annis Zuinglianum errorem, tum Gallos, tum Genevenses, tum Argentoratenses docuit. Ut autem facilius deciperet Catholicos, qui præsentiam corporalem a suis majoribus docti fuerant, usus est terminis æquivocis quæ eamdem præsentiam adstruere videbantur: nempe docuit fideles in Eucharistia *vere* Christum manducare; ipsum in ea *realiter* esse præsentem; Eucharistiam *a parte rei* continere Christi corpus & sanguinem. Verum id non intellexit de substantia corporis & sanguinis Christi, sed tantum de illius virtute: ita ut qui digne accederent ad Eucharistiam, reciperent corporis & sanguinis Domini virtutem. Scriptorum, quos hucusque retulimus, historiam fuse pertractatam lector reperiet Commentarii Historici paginis 238. 239. 240. 241. 242. 243. primæ editionis.

§. II. *An ex Scriptura demonstrari possit corporalis præsentia Christi in Eucharistia.*

Not. In Scripturis promissa fuit Eucharistia, instituta postmodum fuit: igitur operæ pretium est, ut expendamus, an ex eo duplici capite Christi præsentia corporalis ex Scriptura demonstrari possit.

Demonstratur ex verbis eam promittentibus.

CONCL. Christi præsentia corporalis in Eucharistia demonstrari potest ex verbis, quibus ab ipsomet Christo ante illius institutionem promissa est.

Probatur. Christus Eucharistiam sexto Joannis capite pollicitus est: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi..... Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* atqui ex ea promissione demonstrari potest Christi præsentia corporalis in Eucharistia: ergo demonstrari potest ex verbis, quibus Christus eam, antequam institueretur, pollicitus est.

Major propositio sic ostenditur: Sextum Joannis caput intelligi tantum potest aut de incarnatione, aut de Christi morte, aut de Eucharistia: atqui de incarnatione aut de Christi morte explicari non potest: ergo, &c.

Primo, Christus in eo capite non loquitur de pane qui præsens adesset, proindeque non loquitur de incarnatione, cum jam tunc esset peracta: sed loquitur de pane futuro. Is autem panis sola potuit esse Eucharistia: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* *Secundo*, Christus in eo Joannis capite carnem a sanguine multoties distinguit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem .... Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem.* At vana esset ea distinctio, si locus ille de fide in Incarnationem explicaretur: nam ea fides non eget ea carnis ac sanguinis distinctione. *Tertio*, Christus non tantum res quas pollicitus est, a se invicem distinxit, sed distinxit etiam actus, quibus illæ res sumendæ erant: *Caro mea vere est cibus, Sanguis meus vere est potus*: ea autem distinctio fuisset inutilis, si Christus locutus fuisset de fide in incarnationem, aut in ipsius mortem: neque enim in illa fide actus

ma-

manducandi, & bibendi distingui possunt. *Quarto*, Joannes nullo in loco de Eucharistia locutus est; par igitur est, ut sextum Evangelii caput, in quo de carnis esu ac sanguinis potu loquitur, de ea intelligatur: cum Joannes qui post alios Evangelistas scripsit, cerneret relatam ab eis fuisse Eucharistiæ institutionem, æquum fuit, ut illius saltem promissionem, quam alii prætermiserant, recenseret.

Quæ hucusque dicta sunt, confirmantur ex Patribus qui ante Hussitarum schisma scripsere. Vide Cyprianum Serm. 6. de Oratione Dominica, Hilarium lib. 8. de Trinitate, Ambrosium lib. de iis qui mysteriis initiantur, c. 9. Cyrillum Jerosolymitanum Catechesi IV. Mystagogica, Chrysostomum Homil. in Sextum Joannis Caput, Cyrillum Alexandrinum, Concilium Alexandrinum in Epist. ad Nestorium, Leonem Magnum Serm. 6. de jejunio septimi mensis, Bernardum serm. 3. in Psal. *Qui habitat*.

Minor argumenti propositio non minus evidens est, quam major, quam mox adversus Heterodoxos, immo & nonnullos alioquin Catholicos, probavimus, *Primo*, si Christus supposuisset in Eucharistia non futurum realiter suum corpus & suum sanguinem, frustra carnem & sanguine distinxisset, frustra quoque distinxisset actus manducandi & bibendi, per quos corpus & sanguis sumerentur: nam si futura erant tantum spiritualiter præsentia, opus non fuisset ea rerum & actuum distinctione; quia uno ac eodem fidei actu sumerentur. *Secundo*, ea Christi verba gravissimum in Judæorum animis dubium excitarunt: *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Dubium autem illud non excitasset idea de præsentia metaphorica, seu in signo & figura. *Tertio*, Judæorum de orali manducatione ideam Christus non correxit, immo adhibito etiam jurejurando confirmavit. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Videtur tamen, quod eam ideam corrigere debuisset, cum omnes ambages, ac termini æquivoci, figuratæ locutiones, abesse debeant a sermone, in quo agitur de lege condenda & de celebrando testamento. *Quarto*, Christus eodem in loco asseruit, suam carnem in Eucharistia fore *vere* cibum, & suum sanguinem fore *vere* potum: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*: at caro non est *vere* cibus, nec sanguis *vere* potus, si utrumque *vere*, ac proinde substantialiter non sit in Eucharistia. *Quinto*, quidam de ea Christi promissione offensi dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* tantum autem abest, ut eam promissionem emollierit subjiciendo, quem Sacramentarii tuentur, figuratum sensum, quia potius futuræ in cælos ascensionis miraculo confirmaverit: *Hoc vos* (inquit) *scandalizat? si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, &c.* at non fuisset, cur Christus ad futuræ suæ ascensionis miraculum confugeret, ut Judæis probaret se in figura posse dare suum corpus & suum sanguinem, cum quisque pro libito sui corporis ac sanguinis figuram possit instituere. *Sexto*, tandem Christus pluribus discipulis propter ejus sermonem abeuntibus, dixit duodecim Apostolis: *Numquid & vos vultis abire?* illi vero suo & aliorum nomine respondit Petrus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognovimus quia tu es Christus filius Dei*, quasi dixisset: Cum sis Dei filius, nos decipere non potes; ac proinde certo credimus, quæ de carnis tuæ futura orali manducatione pollicitus es.

Objicies 1. Plurimi Patres sextum Joannis caput de fide aut in Incarnationem, aut in Christi mortem exposuerunt. Augustinus libro 1. contra Julianum, hæc Christi verba quæ 6. Joannis capite continentur, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ad ipsos etiam infantes extendit, docetque eos illi præcepto facere satis, dum baptizantur, quia tunc manducant (spiritualiter) Christi carnem, bibantque illius sanguinem. Clemens Alexandrinus, lib. 1. Pædagogi cap. 6. *Carnis & sanguinis* nominibus, quibus Christus utitur sexto Joannis capite, intelligi vult Dei sermonem, quo spiritualiter alimur & inebriamur. S. Bernardus in Psalmum 90. *Qui habitat*, scribit eum Christi carnem manducare, qui illius passioni communicat, & vitam imitatur. Jansenius Gandavensis in sua Concordia multis probat, sextum, de quo agitur, Joannis caput, de Eucharistia intelligi non debere. Ergo de facto de ea non intelligitur.

Resp. dist. ant. Nonnulli Patres exposuerunt sextum Joannis caput de spirituali manducatione ac figurato potu carnis & sanguinis Christi, & non excluserunt oralem, conc. ant. Et excluserunt oralem, neg. ant. Qui in argumento laudati sunt Patres, ex professo non tractarunt de expositione sexti capitis Joannis, sed obiter tantum: mirum ergo non est, quod ex eo sumpserint, argumentum ad commendandam fidem tum in Verbi Incarnationem, tum in passionem Christi: insolens non est, ut is qui Scripturæ textum, alioquin in sensu proprio intelligens, nonnunquam ipsum ad mores instruendos figurate ac metaphorice sumat. E contra Patres, qui dedita opera & ex professo tractarunt de sexto Joannis capite, illud de Eucharistia ac orali corporis Christi manducatione interpretati sunt, ut in iis videre est, quos superius laudavimus.

Objicies. 2. Christus ipse discipulos docuit, ea quæ de carnis suæ manducatione & de sui sanguinis potu dixerat, non litteraliter, sed spiritualiter intelligi debere: *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Quasi dixisset: Rem vobis inutilem daturus non sum: at vobis inutilis esset mea caro realiter sumpta; ac proinde carnem spiritualiter debuistis intelligere, ubi me dicentem audiistis: *Nisi manducaveritis carnem filiis hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Confirmatur argumentum ex Augustino, qui eadem Christi verba: *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam*, explicans enarratione in Psalm. 98. sic Christum loquens inducit: *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. Et si necesse est, illud visibiliter celebrari, oportet tamen illud invisibiliter intelligi.* Ex ea autem Augustini interpretatione sic conficitur argumentum. Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia colligi non potest ex Evangelii textu qui spiritualiter intelligi debet; quo asseritur, accedentes ad Eucharistiam nec manducare Christi corpus quod subjacebat oculis, nec bibere sanguinem quem Judæi fuderunt; quo dicitur commendatum sacramentum, seu mysterium: atqui Joannis textus: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.... Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ex Augustino *spiritualiter* intelligi debet; eo asseritur, accedentes ad Eucharistiam non manducare Christi corpus, quod subjacebat oculis: non bibere sanguinem, quem fuderunt Judæi; eo dicitur commendatum sacramentum. Ergo ex Joannis sexto capite probari non potest Christi præsentia corporalis in Eucharistia.

Resp. 1. dist. ant. Caro sumpta pro sensu carnali, hoc est, pro cognitione habita per sensus, non prodest quidquam, conc. ant. sumpta pro Christi carne, neg. ant. Laudato autem Joannis textu caro non hoc posteriori modo, sed priori tantum sumitur: Unde Christi sententiæ hic est sensus: Quæ a me hactenus audistis de esu carnis meæ, de potu mei sanguinis, nec humani sensus apprehendere, nec humana ratio cognoscere valet, sed solus spiritus, seu mens quæ illustrata sit fide & cognitione supernaturali; qua quidem fide vos, utpote omnino carnales, destituti estis: non miror igitur, quod obmurmuraveritis, cum me audistis dicentem: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita... Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis in vobis.* Vide Tertullianum in libro de resurrectione carnis, Cyprianum, aut saltem auctorem libri de cœna Domini, Chrysostomum in hunc Joannis locum. Confirmatur 1. ex eo quod ea interpretatio maxime cohæreat cum iis de quibus agebatur, seu aptissima erat Christi scopo: illi enim propositum erat auditorum tarditatem, carnaleque ingenium reprehendere, ac declarare caussam, propter quam ab ipso dicta non intelligerent. Confirmatur 2. ex eo quod caro frequenter in Scripturis pro carnali cognitione, & spiritus pro spirituali intelligendi modo sumantur. Matthæi 16. 17. *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi.* Matth. 26. 41. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Joan. 36. *Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est.*

Resp. 2. dist. ant. Caro separata a Verbo non prodest quidquam, conc. ant. nec enim per se vim habet vivificandi. Caro unita Verbo non prodest quidquam, neg. ant. siquidem per carnem unitam Verbo, Homo Deus redemit hominem, meruit ea omnia, quibus ad salutem indigemus: *O Domine* (inquit August. Tract. 27. in Joan.) *quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris: Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quidquam? Et propter quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis?* Qui autem audierant Christi verba: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, Christi carnem non intelligebant Verbo unitam hypostatice: ac proinde mirum non est, quod Christus pravum illorum intellectum correxerit, dicendo: *Spiritus est qui vivificat: Caro non prodest quidquam.*

Ad confirmationem ex Augustino petitam respondeo, dist. maj. Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia, colligi non potest ex textu qui spiritualiter intelligi debet, opponendo vocem *spiritualiter*, modo quo manducationem intellexerant Capharnaitæ, conc. maj. modo quo Catholici eam intelligunt, neg. maj. Capharnaitæ audientes Christi verba: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, intellexerant manducationem quæ fit modo communi, seu per quam cibus dentibus premitur, dividitur in frustra, digeritur in stomacho, mutatur in manducantis substantiam; unde quasi horrentes dixerant: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Catholici e contra licet realem, seu oralem, Christi carnis manducationem intelligant in his verbis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; non intelligunt tamen communem, quam intellexerant Capharnaitæ; sed eam per quam

quam cibus ex ore in stomachum trajicitur, nulla in cibo facta divisione, ut cum qui deglutit pilam, aut aliquid aliud quod non mandit. Prioris autem, non autem posterioris manducationis speciem, loco qui nobis objectus est, damnavit Augustinus: *Quid est ergo* (inquit Tract. 27. in Joannem) *Caro non prodest quidquam, seu quomodo illi intellexerunt? carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.*

Instabis 1. Atqui Augustinus vocem *spiritualiter* opponit non tantum modo, quo Capharnaitæ intelligebant manducationem, sed etiam modo quo eam intelligunt Catholici: ergo nulla est data responsio. Probatur ant. Catholici per manducationem de qua Christus apud Joannem locutus est, intelligunt manducationem quæ includat sumptionem corporis quod viderunt Apostoli, sanguinis quem Judæi fuderunt: atqui Augustinus vocem *spiritualiter* opponit sumptioni corporis quod viderunt Apostoli, sanguinis quem Judæi fuderunt: expresse nimirum loco in objectione relato eam sumptionem excludit: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. dist. ant. Augustinus expresse excludit sumptionem corporis; quod viderunt Apostoli, sumpti secundum modum quo tunc erat, conc. ant. sumpti secundum substantiam, neg. ant. Cum Christus protulit verba: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita... Nisi manducaveritis, &c.* Caro illius erat passibilis, ac proinde obnoxia omnibus accidentibus, quibus obnoxii sunt cibi communes: Illam secundum eum passibilitatis statum Christus adversus Capharnaitas exclusit a manducatione, non autem sumptam secundum substantiam, & secundum impassibilitatis statum, prout Catholici eam in Eucharistia sumi contendunt.

Instabis 2. Augustinus loco, de quo agitur, asserit, Christum pollicitum fuisse se daturum carnem suam in sacramento: *Sacramentum, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos*: atqui dare in *Sacramento*, excludit dare in re; nempe dare in sacramento, est dare in signo seu in figura: sed dare in signo, seu in figura excludit dare in re: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. conc. maj. distinguo min. Sed dare in signo, quod sit mere repræsentativum, excludit dare in re, conc. min. quod non sit mere repræsentativum, sed præterea contineat rem quem repræsentat, neg. min. Eo sensu Christus ex Augustino dedit suum corpus in signo, seu sacramento, quod non sub propria specie, sed sub specie panis, illud nobis tradiderit: eo autem argumento, secundum Augustini interpretationem, Christus usus est, ut Capharnaiticam manducationem ab auditorum suorum animis excluderet; quasi nimirum dixisset: Horruistis, ubi pollicitus sum daturum me vobis carnem meam in cibum: sed desinet horror ille, si attenderitis me daturum esse carnem & sanguinem, non in propria specie, sed in sacramento, hoc est, in aliena, panis nimirum & vini specie.

§. III. *Utrum Christi præsentia corporalis in Eucharistia demonstretur verbis institutionis.*

CONCL. Christi præsentia in Eucharistia certo demonstratur verbis, quibus Christus Eucharistiam instituit.

Probatur 1. Verba quibus Christus Eucharistiam instituit, sunt ista: *Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ita referunt Matthæus c. 26. Marcus c. 14. Lucas c. 22. Paulus 1. ad Corinth. 11. Atqui iis verbis certo demonstratur Christi præsentia corporalis in Eucharistia: ergo certo demonstratur verbis, quibus Christus Eucharistiam instituit. Probatur min. Præsentia corporalis, verbis de quibus est quæstio, demonstratur, si ea verba sumi non debeant in sensu improprio ac metaphorico, sed in sensu proprio ac litterali; nam sensus improprius ac metaphoricus figuram importat, litteralis e contra realitatem. Atqui verba de quibus agitur, sumi non debent in sensu improprio ac metaphorico, sed in proprio ac litterali: siquidem non debent sumi in sensu valde difficili ac multum abstruso, sed in facili ac obvio: atqui sensus metaphoricus est valde difficilis ac multum abstrusus, e contra vero sensus litteralis est facilis ac obvius: ergo sumi non debent in sensu metaphorico, sed in litterali.

Minor propositio videtur evidens: nam sensus metaphoricus Verborum: *Hoc est corpus meum*: paucis se offert, cum per quindecim priora sæcula Christianis, tum in oriente, tum in occidente, in Scriptura, aut in liturgiis verba illa quotidie legentibus non venerit in mentem, immo nono sæculo a Joanne Scoto Erigena, & undecimo a Berengario propositus, ubique gentium rejectus est: e contra sensus litteralis cuique obvius semper fuit, etiamsi a Joanne Scoto & Berengario impugnatus fuerit, in oriente tamen & in occidente, tum a catholicis, tum ab hæreticis & schismaticis retentus est.

Major argumenti propositio ostenditur, tum ex re quam Christus agebat, cum hæc verba: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*: proferret, tum ex personis, quas alloquebatur, tum denique ex modo quo Evangelistæ factum illud enarrant.

Primo, si rem quæ agebatur spectemus, decebat, ut Christus non uteretur verbis, quorum sensus esset valde difficilis & multum

rum abstrusus, sed iis tantum quorum sensus esset facilis ac obvius: nempe Christus quatuor tunc agebat; instituebat sacramentum, condebat legem, sanciebat fœdus, statuebat unum ex præcipuis fidei dogmatis: at ea omnia exprimi non solent verbis quorum sensus sit valde difficilis ac multum abstrusus, sed e contra exprimi solent iis quorum sensus sit facilis ac obvius: idque patet ex aliis Scripturæ locis, ubi vel alicujus sacramenti, vel legis, vel fœderis institutio, aut dogmatis revelatio recensetur.

Secundo, si attendamus ad personas, Christus uti non debuit verbis quorum sensus difficilis esset ac abstrusus: dilectos nimirum alloquebatur Apostolos, nec non futuros usque ad sæculi consummationem fideles, quibus, cum Deus esset, prævidebat difficilem ac abstrusum loquendi modum posse dubium parere, ac creare molestiam.

Tertio, si sacrorum scriptorum rationem habeamus, evidens est, Christum verbis difficilibus ac obscuris usum non fuisse: siquidem sacri illi scriptores, Matthæus, Marcus, Lucas, Paulus, eodem prorsus modo referunt hæc, de quibus agitur, Christi verba: *Hoc est corpus meum*, quod tamen rebus obscuris factitare non solent: in abstrusis enim ac difficilibus unus Evangelista alium plerumque exponit, ac præsertim cum est quæstio de sacramento, fœdere præcepto, aut dogmate.

Ex iis quæ hactenus dicta sunt, patet Christum earum omnium circumstantiarum habita ratione, debuisse, cum Eucharistiam instituit, non uti verbis quorum sensus esset improprius ac metaphoricus; sed e contra decuisse, ut adhiberet verba quorum sensus esset proprius ac litteralis. Cur iis in circumstantiis Magister optimus, sapientissimus legislator, facili ac obvia loquendi ratione ut tunc ab ipsis etiam hominibus, si parum sapiant, fieri solet, usus non fuisset? *Forte* (inquit Hilarius l. 8. de Trinitate) *qui verbum est & qui veritas est, loqui vera nescivit? & qui sapientia est, in stultiloquio erravit? & qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui, quæ vellet intelligi? Num mentis & linguæ artifex diserte loqui non posset? Immo vero summa providentia fuco carere voluit quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.*

Probatur 2. Sensus metaphoricus his Evangelicis verbis affictus, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, non difficilis modo & obscurus est, sed etiam omnino falsus: ergo rejiciendus est, ac proinde solus litteralis admitti debet. Probatur ant. Tunc sensus metaphoricus est omnino falsus, cum res significata affirmatur de signo, quod ab auditoribus non consideratur tanquam signum, sed tanquam res positiva & absoluta; sic stulte loqueretur, qui sine prævia auditorum præparatione, aut saltem sine subsequenti expositione, absolute ac simpliciter affirmaret de quercu, quod sit Alexander Magnus, aut de cane, quod sit Rex Cyrus. Atqui in adversariorum suppositione Christus sine prævia auditorum præparatione, & absque subsequenti expositione, affirmasset rem significatam, seu corpus suum & sanguinem, de signo, seu de pane, qui ab auditoribus non considerabatur tanquam signum, sed tanquam res aliqua positiva & absoluta. Et sane cum panis ex natura sua non sit signum, seu figura, corporis humani, Christus judicare non debuit, quod a suis Apostolis tanquam signum arbitrarium, seu signum ex instituto sumeretur, cum ipse eos non monuisset, se instituere panem tanquam signum & figuram sui corporis & sui sanguinis.

Resp. adversarii 1. Apostolos fuisse determinatos ad sumendum panem pro signo, seu figura, ex pluribus Scripturæ locis, ubi verbum *est* metaphorice sumitur.

Sed contra est. In scripturis nusquam verbum *est* sumitur pro *significat*, nisi cum Scripturæ habent locum indicandi eos, quos alloquuntur, considerare res non ut res sunt, sed ut signa. Ob eam rationem in somniis & in parabolis verbum substantivum *est*, semper sumitur pro *significat*: ob eam quoque rationem de Agno Paschali Exod. 12. dicitur, *Est enim Phase*, seu, *transitus Domini*, nempe ex iis quæ de Agno Paschali in eo Scripturæ loco referuntur, Judæi determinati erant, ut verbum *est* sumerent pro *significat*: ob eam quoque rationem 1. ad Cor. 10. in hac Apostoli sententia, *Petra autem erat Christus*, verbum *erat*, figurate sumitur, quia ex iis quæ illam sententiam præcedunt, seu ex eo quod Apostolus transitum per mare rubrum, manna quod in deserto pluerat, aquam qua in eodem deserto Judæi miraculose potati fuerant, asseruisset figurate accipi debere, Corinthii, ad quos scribebat Apostolus, plusquam satis determinati erant, ut sequentia hæc verba, *Petra autem erat Christus*, figurate sumerent, hoc est, ut intelligerent, petram de qua locutus fuerat Apostolus, fuisse Christi figuram.

Respondent 2. adversarii, Apostolos, ut in hac Christi propositione, *Hoc est corpus meum*, verbum *est* sumerent pro *significat*, determinatos fuisse per calicis consecrationem, quæ sic a Luca refertur: *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine*: neque enim calix est realiter, sed figurate tantum, Novum Testamentum.

Sed contra. *Primo*, tropus est trito loquendi more receptus, ut signum fœderis, simpliciter ac sine addito, fœdus dicatur: potuit ergo Christus etiam sine prævia Apostolorum præparatione, simpliciter dicere,

Calix

Calix novum Testamentum est: At usus nusquam invaluit, ut panis significaret hominis corpus. *Secundo*, Lucas metaphorico quidem modo, sed tamen communi (ut mox dictum est) Christi sententiam expressit, quam tamen ipse Christus absque terminis metaphoricis, Matthæo & Marco testibus, his simplicibus ac naturalibus protulerat: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti*.

Respondent 3. adversarii, Christum satis innuisse, hæc Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*, esse metaphorice sumenda, cum illis hæc alia subjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem*; quasi dixisset, Panis ille & illud vinum sunt mei corporis, & mei sanguinis commemoratio, seu figura.

Sed contra. Commemoratio veram rei præsentiam non excludit, sed sensibilem tantum: idque in Deo patet, cujus jubemur meminisse, licet ubique sit substantialiter præsens: proindeque Christus recte monuit Apostolos, ut sui corporis & sui sanguinis quæ in Eucharistia modo insensibili, licet reali, continentur, meminissent, cum illud sacramentum sumerent. Præterea ista verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, non intelliguntur de Christi corpore & sanguine in se sumptis, sed de ipsius Christi passione, quam Christus voluit fideles, dum Eucharistiam sumerent, præ oculis habere.

Respondent 4. adversarii, Apostolos determinatos fuisse, ut hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, sumerent metaphorice per hæc quæ illis apud Lucam subjiciuntur: *Quod pro vobis datur*, aut, ut habetur in textu Græco, *frangitur*: neque enim fractionem ad litteram intellexerunt.

Sed contra. *Primo*, Paulus Christi verba reddidit per verbum futuri temporis, *Quod pro vobis tradetur*, ac proinde ea Apostoli intellexerunt non de præsente, sed de futura, tempore passionis, fractione. *Secundo* in nonnullis Scripturæ textibus prius membrum sumitur in sensu litterali, quamvis posterius in metaphorico tantum accipiatur, ut in isto symboli articulo videre est, *Ascendit ad cælos*; *sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*.

Respondent 5. Adversarii, Apostolos ad sensum metaphoricum istis verbis, *Hoc est corpus meum*, tribuendum determinatos fuisse per hanc ejusdem Christi sententiam, quam ante Eucharistiæ institutionem audierant: *Pauperes semper habetis vobiscum: me autem non semper habebitis*: neque enim præsentia corporalis in Eucharistia conciliari potuit cum absentia futura, cujus Christus eos monuerat.

Sed contra. Ut absentia futura, quam Christus Apostolis prædixerat, efficiat, ut Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, metaphorice sumantur, debent excludere quamlibet substantialem corporis Christi præsentiam: atqui eam non excludunt, sed cam tantum quæ sensibilis fit, ac cui possint impendi caritatis ac pietatis officia, quorum occasione Judas obmurmurarat, & Christus ea, de quibus agitur, protulit verba.

Objicies. Evangelii verba: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, ad litteram intellecta, manifestam contradictionem includunt: ergo ad litteram intelligi non debent. Probatur ant. Ea verba manifestam contradictionem includunt, quæ subjecto adscribant attributum, quod ei convenire non potest: atqui verba, de quibus agitur, ad litteram intellecta, subjecto adscribunt attributum, quod ei convenire non potest; nempe adscribunt pani humanum corpus; humanum vero corpus convenire non potest pani: alioquin panis esset panis & non esset panis; quod implicat.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. min. Humanum corpus convenire non potest pani sumpto secundum significationem permanentem, conc. min. sumpto secundum significationem transeuntem, neg. min. Significatio permanens est illa, per quam panis intelligitur substantialiter remanere; transiens vero, per quam intelligitur in aliam substantiam mutari. Humanum corpus, seu corpus Christi, non potest convenire pani secundum significationem permanentem, hoc est, quamdiu permanet panis, non potest esse corpus hominis; sed potest ei secundum significationem transeuntem convenire, hoc est, non remanendo panis. Sic autem de pane prædicatum est Christi corpus. Ratio est, quia Christi sermo, *Hoc est corpus meum*, fuit operatorius sermo, de cujus natura est, ut subjectum mutet in substantiam prædicati: ac proinde panis in illo sermone transeunter tantum, non autem permanenter sumitur, quasi Christus sic dixisset: Quod in hoc instanti est panis, in altero, seu post meorum verborum prolationem, *est corpus meum*. Non absimili ratione idem Christus in nuptiis Cana locutus fuisset, si dum aquam mutavit in vinum, hæc verba protulisset: *Hoc est vinum*, seu *Hæc aqua est vinum*; nimirum sensus fuisset eam aquam desiisse aquam esse post prolatum a Christo sermonem.

§. III. *Utrum Christi præsentia corporalis in Eucharistia ex Patribus possit demonstrari.*

Not. Non est quæstio de Patribus, qui post Berengarii tempora scripserunt: nempe fatentur adversarii, eos corporalem Christi in Eucharistia presentiam asseruisse; sed est quæstio de iis qui prioribus sæculis, & media etiam ætate floruerunt.

CONCLUSIO. Patres qui prioribus ac mediis sæculis floruere, docuerunt, Christum esse substantialiter præsentem in Eucharistia.

Probatur 1. Illi docuerunt, Christum esse substantialiter præsentem in Eucharistia, qui cre-

crediderunt, Evangelica verba, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, non debere sumi metaphorice: atqui Patres priorum sæculorum ac mediæ ætatis id crediderunt: si enim credidissent, ea metaphorice sumi debere, metaphoram iis contentam alicubi explicuissent, tum quod illa metaphora facile non veniat in mentem eorum qui ea Evangelica verba audiunt, tum quod grave fuerit periculum, ne fideles ea verba audientes, sensum litteralem in iis intelligerent; sicut omnes fere orbis Christiani fideles eum a Berengarii tempore ad Calvini usque ætatem intellexerunt: atqui nullibi eam de qua agitur metaphoram patres explicuerunt: ergo, &c.

Probatur 2. Nonnulli fideles olim dubitarunt an Christus esset præsens in Eucharistia: *Aliud video* (inquiunt apud Ambrosium l. de iis qui mysteriis initiantur, c. 9.) *quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam?* Patres vero illud fidelium dubium impugnarunt urgendo hæc Evangelii verba, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: atqui immerito ussissent illa verba; neque enim sine ulla explicatione apta sunt, ut sensum metaphoricum innuant, sicut si quis dubitaret an Deus habeat metaphorice caput, brachia, pedes, male sine ulla explicatione impugnaretur Scripturæ verbis, quibus caput, pedes, brachia, Deo tribuuntur.

Respondebis, fideles dubitasse non quidem, an panis Eucharisticus esset figura corporis Christi, sed utrum haberet illius virtutem.

Sed contra. In ea etiam suppositione Patres immerito Evangelica verba: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, simpliciter & sine additio adhibuissent, alioquin hocce modo raciocinati fuissent: *Panis est figura corporis Christi: ergo habet virtutem corporis Christi:* quasi vero ex eo quod res aliqua sit alterius figura, sequatur, quod illius virtutem, seu efficaciam habeat.

Probatur 3. Patres asseruerunt, fideles in Eucharistia recipere *veram* Christi carnem, *verum* illius sanguinem: ita loquitur Ambrosius l. 6. de Sacram. c. 1. Asseruerunt credendum esse Eucharistiam continere *ipsummet*, *proprium*, Christi corpus: *Se ipsum* (inquit Chrysost. hom. 83. in Matt.) *tibi tradit, non ut videas solum, verum etiam ut tangas, & in te habeas*: atqui ille loquendi modus, non significat, panem esse aut figuram corporis Christi, aut illius virtutem continere: ergo, &c.

Objicies 1. Patres sæpius Eucharistiam vocarunt antitypum, imaginem, figuram, signum corporis Christi: Ita Augustinus libro contra Adimantum c. 10. nec non enarratione in Ps. 3. ita etiam Basilius in sua liturgia: atqui imago, figura, signum corporis Christi excludunt ejusdem corporis realem præsentiam: *Si imago corporis est* (inquis altera Nic. Syn.) *non potest esse hoc divinum corpus*.

Resp. dist. maj. Patres Eucharistiam sumptam secundum partem exteriorem vocarunt antitypum, imaginem, figuram, signum corporis Christi, conc. maj. sumptam secundum partem interiorem, neg. maj. Ii quibus maxime persuasum fuit, Eucharistiam substantialiter continere Christi corpus, sæpius eam vocarunt signum corporis Christi: Catholici quoque qui nunc idem sentiunt, frequenter eam vocant mysterium, sacramentum corporis Christi: nec id mirum est, cum enim Eucharistia constet exterius panis & vini speciebus, secundum eas species merito dicitur imago, figura corporis Christi.

Objicies 2. Ideo asseritur, Patres credidisse præsentiam corporalem Christi in Eucharistia, quod nunquam dixerint Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, sumi debere metaphorice: atqui id falsum est. Nam 1. Tertul. l. 4. contra Marcionem c. 40. sic loquitur: *Acceptum panem, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, idest figura corporis mei*: ergo verba illa figurate sumenda sunt.

Resp. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. ant. Et illa verba: *idest figura corporis mei*, referuntur ad panem, conc. ant. referuntur ad corpus Christi, neg. ant. hoc est, Tertullianus usus est transpositione; sic enim disponi debent illius verba: Acceptum panem fecit corpus suum, dicendo: *Hoc*, idest *panis* qui in antiquo testamento erat figura corporis mei, *est corpus meum*. Ratio solutionis est, quia Tertullianus iis verbis utitur, ut contra Marcionem probet, legem Mosaicam non fuisse malam: ejus autem ratiocinatio ad hoc argumentum reducitur; Illa lex non fuit mala, cujus figuras Christus adimplevit in nova lege: atqui Christus Mosaicæ legis figuras adimplevit in nova lege: nam panis in antiqua lege erat figura corporis Christi; Christus vero illam figuram implevit, cum acceptum panem fecit corpus suum, dicendo: *Hoc est Corpus meum*.

Objicies 3. Hæc verba: *Accipite, & manducate: Hoc est enim corpus meum*: ad litteram sumpta flagitium præcipiunt; sunt enim istis correlativa: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: atqui ista, *Nisi manducaveritis, &c.* Aug. teste l. 8. de Doctrina Christiana c. 13. ad litteram sumpta, flagitium præcipiunt: ergo, &c. Sed (ex eodem Augustino) scripturæ verba quæ flagitium jubere videntur, sumi non debent in sensu litterali, sed in metaphorico tantum: ergo, ex Augustino, hæc Evangelii verba, *Hoc est corpus meum*, sumi non debent in sensu litterali, sed solum in metaphorico.

Resp. ad 1. conc. maj. dist. min. atqui illa, *Nisi manducaveritis, &c.* sumpta in

Ca-

Capharnaitico sensu, flagitium præcipiunt, conc. min. sumpta in sensu Catholico, neg. min. Capharnaitæ his verbis, *Nisi manducaveritis*, existimarunt eam sibi manducationem fuisse præceptam, quæ complectitur seriem earum actionum, quas exercemus in alimenta communia, seu divisionem in frustra, digestionem in stomacho, & ita de ceteris. *Caro non prodest quidquam* (ait adversus Capharnaitas Aug. tract. 27. in Joan.) *sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.* Sic autem sumpta Christi verba, *Nisi manducaveritis*, &c. flagitium & facinus includunt: *Quod agit indomita cupiditas* (ait idem Aug. l. 3. de Doctrina Christiana cap. 10.) *ad corrumpendum animum & corpus, flagitium vocatur: Quod autem agit, ut alteri noceat, facinus.* Catholici econtra docent, hæc verba: *Nisi manducaveritis*, &c. non complecti seriem actionum, quas exercemus in alimenta communia: nempe contendunt præcipi manducationem, quæ meram dicat corporis Christi trajectionem in stomachum, eique similem, qua quis plumbeam pilam deglutiret.

Objicies 4. Ii crediderunt, Christum non esse corporaliter præsentem in Eucharistia, qui docuerunt eos qui fide carent, non manducare Christi corpus: atque id patres docuerunt. *Ut quid* (inquit Aug. tract. 25. in Jo.) *paras dentem & ventrem? crede, & manducasti.*

Resp. dist. maj. Qui docuerunt eos, qui fide carent, Christi corpus non manducare, nec secundum rem, nec secundum effectum, conc. maj. secundum rem, licet non secundum effectum, neg. maj. Dist. pariter min. Patres docuerunt eos qui fide carent, Christi corpus non manducare secundum effectum, conc. min. ad hoc enim requiritur fides quæ per dilectionem operetur: non manducare secundum rem, neg. min. *Corpus Domini & sanguinem Domini* (inquit August. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas c. 8.) *nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indigne, judicium sibi manducat & bibit.*

§. IV. *Utrum Christi præsentia corporalis in Eucharistia possit tum ex præscriptione, tum ex omnium Ecclesiarum consensu demonstrari.*

Not. 1. Nomine præscriptionis hic intelligitur alicujus dogmatis professio, quæ ab Apostolis ad certum aliquod sæculum non interrupta serie in matricibus Ecclesiis perdurarit. Ductum ex eo loco argumentum invicti est roboris: si enim matrices Ecclesiæ ab Apostolis non interrupta serie aliquod dogma ad certum aliquod sæculum professæ sint, sequitur, eas illud dogma ab ipsis Apostolis recepisse.

Not. 2. Hic Ecclesiarum nomine intelliguntur eæ, quibus Apostoli aut viva voce, aut scriptis epistolis prædicarunt Evangelium. Ubi omnes illæ Ecclesiæ in unum dogma conspirant, certum est illud ab Apostolis, ac proinde ab ipsomet Christo traditum fuisse: *Ceterum* (inquit Tertullianus lib. de Præscript.) *quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

CONCL. 1. Christi præsentia corporalis in Eucharistia potest præscriptione demonstrari.

Probatur. Ex observatis, id potest præscriptione demonstrari, quod demonstrari potest ex professione, quæ ab Apostolis ad certum aliquod sæculum non interrupta serie perduravit: atqui Christi præsentia corporalis in Eucharistia ex ea professione demonstrari potest: ergo potest præscriptione demonstrari. Probatur min. Tota Ecclesia corporalem Christi præsentiam in Eucharistia profitebatur, cum undecimo sæculo illam Berengarius impugnavit. Nam 1. nullus undecimi sæculi scriptor laudari potest, qui ante Berengarium absentiam corporalem asseruerit. 2. Consentientibus omnibus occidentalibus Ecclesiis, nullaque ex orientalibus contradicente, variis in conciliis damnatus est error Berengarii. 3. Qui ipsum impugnarunt, provocarunt eum, ut vel unam in orbe civitatulam laudaret, quæ cum illo absentiam corporalem profiteretur, ut videre est in Guitmundo & in Lanfranco. Atqui Ecclesia undecimi sæculi ab Apostolis non interrupta serie illud dogma receperat: si enim extitisset aliqua interruptio, sequeretur, quod Ecclesia ex non credente corporalem Christi præsentiam in Eucharistia, facta fuisset credens eamdem præsentiam: atqui id asseri non potest. Nempe *primo* laudari non potest auctor, qui primus dogma de reali præsentia invenerit. *Secundo*, assignari non potest tempus, quo contigerit tanti momenti mutatio. *Tertio*, dici non potest, qua via fides de eadem præsentia in omnes ubique gentium Ecclesias irrepserit.

Respondent adversarii, eam mutationem primum factam fuisse a Pascasio Corbejensi monacho, qui circa annum 818. doctrinam de præsentia corporali inseruit libro, quam inscripsit *De Corpore & Sanguine Domini.*

Sed contra. *Primo*, si Paschasius in suo libro proposuisset fidem aliam ab ea, quam sui ævi Ecclesia profitebatur, aliquis scriptor in eum insurrexisset, quemadmodum plures insurrexerunt in Berengarium, cum absentiam corporalem undecimo sæculo tentavit in Ecclesiam invehere: atqui nullus insurrexit. *Secundo*, detur, quod Paschasii liber, ex quadam negligentia impugnatus non fuerit; Ecclesias tamen pervadere non potuit, quin id aut ipsi fideles, aut Episcopi, aut presbyteri adverterent: non adverterunt tamen;

men; si enim advertissent, fidem quam prius professi fuerant de absentia corporali, non mutassent in fidem de præsentia corporali, sine aliquo strepitu, sine oppositione, sine contradictione, sine auctorum hinc & inde disputatione: atqui ejusmodi strepitus, oppositionis, contradictionis, disputationis, ne vestigium quidem est in Ecclesiasticis monumentis: ergo nullus eam, de qua agitur, mutationem advertit; ac proinde revera non contingit.

CONCL. 2. Christi præsentia corporalis in Eucharistia demonstratur ex omnium Ecclesiarum consensu.

Probatur. Ut Christi præsentia corporalis in Eucharistia demonstretur ex consensu Ecclesiarum, requiritur, ut ostendatur, omnes orbis Ecclesias professas fuisse præsentiam ejusmodi, cum Zuinglius eam aggressus est elapso proxime sæculo: atqui id certo ostenditur. Nam *primo* circa ann. 1574. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus interrogatus a Lutheranis de Augustana ipsorum confessione, in sua censura respondit: *Docere Ecclesiam Catholicam, operante Spiritu sancto, panem, modo tamen fermentatus sit, mutari in ipsum corpus, & vinum in ipsum sanguinem Domini.* Hæcque fides modo apud omnes orientales perdurat. *Secundo*, Græci ante Hieremiam idem quod Latini de Eucharistia crediderunt; cum Latinis enim ad Concilia Lugdunense I. & Florentinum convenere, & tamen nullam unquam de eo articulo litem ipsis intentarunt.

§. V. *Utrum corporalis præsentia Christi in Eucharistia possit argumentis philosophicis expugnari.*

CONCL. Corporalis præsentia Christi in Eucharistia non potest argumentis philosophicis expugnari.

Probatur. Argumenta quæ contra Christi præsentiam corporalem in Eucharistia petuntur ex ratione naturali, facile solvi possunt: ergo expugnari non potest argumentis philosophicis. Antecedens patebit ex solutione objectionum quæ ab adversariis moventur.

Objicies 1. Ex corporali præsentia Christi in Eucharistia plurimæ difficultates insolubiles sequuntur: *primo* quidem ex parte corporis Christi, quod in ea suppositione existeret pluribus in locis, ejusque partes sub exigua quantitate continerentur: *secundo* ex parte accidentium panis & vini, quæ absque subjecto remanerent: *tertio* denique ex parte sensuum, quos panis consecratus eodem modo afficit, ac si prophanus esset: ergo, &c.

Resp. 1. si difficultates quæ ex imaginatione petuntur, alicujus mysterii veritatem tollerent, nullum fore, cujus veritas impugnari non posset. Ea fuit semper novatorum ars, ut philosophicis argumentis mysteria Christianæ religionis impugnarent.

Resp. 2. Patres attendisse ad omnes eas difficultates, sed inde deterriti non sunt a fide in mysterium de quo agitur. Gregorius Nyssenus orat. Catech. c. 37. explicat, qua ratione corpus Christi tam multis fidelium millibus distributum, integrum tamen in unoquoque remaneat. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio miratur, quomodo simul in cælis & in Eucharistia existat. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica explicat, quæ ratio haberi debeat sensuum, qui post consecrationem panis eodem modo moventur, quo ante consecrationem movebantur.

Objicies 2. Ideo diceretur, Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia, quod ejusmodi præsentia ad spiritualem animarum refectionem requiratur: atqui illa ratio non valet, siquidem non minus fide, quam ore receptum, potest animas nostras pascere: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Quod ad animarum refectionem requiratur ex Christi institutione, conc. maj. independenter ab illius institutione, neg. maj. Potuit quidem Christus alio modo, quam per realem sui in Eucharistia communicationem, animas nostras pascere; sed præ sua in nos caritate, hoc potius quam aliud medium eligit: *Parentes* (inquit ipsemet Christus apud Chrysost. Hom. 43. in Joan.) *sæpenumero liberos suos aliis alendos dederunt: Ego autem mea carne alo.*

Objicies 3. Ex reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, plurima sequuntur absurda, quæ Deum maxime decedent: nempe Christi corpus in humum aliquando decideret; attereretur dentibus; in ventrem & in secessum abiret; a muribus corroderetur: putresceret; acesceret; a cane manducaretur: cum enim ea omnia panis ac vini speciebus accidant, accidere pariter debent corpori Christi, quod sub illis speciebus continetur.

Resp. dist. ant. Ea omnia *improprie* convenirent corpori Christi, ratione scilicet specierum sensibilium sub quibus continetur, conc. ant. convenirent *proprie*, neg. ant. ea enim fiunt per motum localem, qui corpori Christi non convenit, cum quantitas quam habet in sacramento, non sit sensibilis. Addendum est, non minus esse absurdi, quod corpus Christi sit in stomacho muris, quam in stomacho hominis impii: nempe Christus non aliud odisse potest, quam peccatum.

ARTICULUS II.

De modo realis præsentiæ Christi in Eucharistia.

Not. 1. Christi corpus potest concipi realiter præsens in Eucharistia tribus modis per impanationem, per consubstantiationem, per transubstantiationem. Impanationis nomine intelligitur unio hypostatica Verbi cum pane, ei similis, per quam idem Verbum per incarnationem unitum est

est humanæ naturæ. Per consubstantiationem vero intelligitur præsentia substantiæ corporis Christi cum substantia panis, ita ut substantia corporis Christi & substantia panis & vini sint simul realiter in Eucharistia. Tandem per transsubstantiationem intelligitur conversio substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi.

Not. 2. Blondellus Calvinista impanationem tribuit Paschasio Ratberto, omnibusque Conciliis quæ undecimo sæculo contra Berengarium celebrata sunt. Cardinalis Bellarminus eam adscribit Ruperto Abbati Tuitiensi, qui obiit circa annum undecimum supra millesimum centesimum. Eos auctores, nec non Concilia quæ contra Berengarium acta sunt, ab eo impanationis dogmate fuse vindicavimus Commentarii Historici pag. 292. & sequentibus primæ editionis.

Not. 3. Post Berengarii tempora ad Lutherum usque, nonnulli visi sunt consubstantiatores, ut loco mox relato observavimus. Lutherus sopitum illum errorem innovavit anno proxime elapso, seu docuit, Christum esse quidem corporaliter præsentem in Eucharistia, sed addidit, panis ac vini substantiam cum ipso remanere: hincque conclusit, in Evangelicis verbis, *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*, contineri metaphoram in qua res contenta prædicatur de continente, ut de scypho dicitur: scyphus ille, scyphus est vini.

Not. 4. Iis omnibus erroribus opposita est Ecclesiæ Catholicæ fides, nempe docet 1. Verbum non esse in Eucharistia per impanationem: 2. nec per consubstantiationem: 3. sed per veram transsubstantiationem, ita ut panis & vini substantiæ convertantur in substantiam corporis & sanguinis Christi. Ea autem Ecclesiæ fides, de qua legere est Concilium Tridentinum sess. 13. canon. 2. subsequentibus conclusionibus stabilienda est.

CONCLUSIO 1. Verbum divinum non est in Eucharistia per impanationem, seu per unionem hypostaticam cum pane.

Probatur. Si Verbum divinum esset in Eucharistia per impanationem, sensus horum verborum: *Hoc est corpus meum*, esset, panem esse corpus Verbi: atqui admitti non debet ille sensus; siquidem ex Matthæi c. 26. corpus, de quo agitur in verbis Evangelicis, est illud de quo Christus addidit: *Quod pro vobis tradetur*. Sed panis non est corpus, quod pro nobis tradendum erat: ergo, &c.

Confirmatur argumentum ex SS. Patribus, qui docuerunt, fideles in Eucharistia recipere ipsum Christi corpus, quod ex Virgine natum est; quod affixum est cruci; quod mandatum est sepulturæ; quod ascendit in cælum: sed pani ea non conveniunt: ergo, &c.

CONCLUSIO 2. Corpus Christi non est in Eucharistia per consubstantiationem.

Probatur. Si corpus Christi esset in Eucharistia per consubstantiationem, corpus Christi in his Evangelii verbis, *Hoc est corpus meum*, prædicaretur de pane tanquam de subjecto, in quo continetur: atqui sic prædicari non potest; neque enim res contenta prædicatur de continente, nisi in rebus, in quibus usus invaluit, ut cum de dolio dicimus, quod sit vinum: alioquin enim sine auditoris præparatione dici posset de quercu in qua homo latitaret, *Hoc est homo*: atqui cum Christus protulit Evangelii verba, *Hoc est corpus meum*, usus non invaluerat, ut corpus hominis de pane tanquam de subjecto continente prædicaretur: ergo, &c.

CONCLUSIO 3. Christi corpus est in Eucharistia per transsubstantiationem.

Probatur 1. Christi corpus non est in Eucharistia per figuram, aut per solam virtutem, ut contra Calvinistas superius probatum est; non est etiam per impanationem, ut ostensum est adversus impanatores: non est quoque per consubstantiationem, ut assertum est contra Lutheranos: ergo est per transsubstantiationem, ut docent Catholici.

Probatur 2. Evangelii verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, nullam metaphoram continent, ut adversus Calvinum & Lutherum probavimus: atqui ex suppositione, quod nullam contineant metaphoram, includunt transsubstantiationem, sicut includerent ista, si Christus ea protulisset, cum aquam mutavit in vinum, *Hæc est vinum*; aut ista, quæ Moyses de virga quam mutabat in serpentem, proferre potuisset, *Hæc virga est serpens*.

Probatur 3. Patres uno ore semper docuerunt panem & vinum mutari in Christi corpus & sanguinem: *Aquam aliquando mutavit in vinum* (inquit Cyrillus Catech. 4. Mystagogica) *Et non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit?* Docuerunt 2. panem qui in Eucharistia videtur, non esse realiter panem: *Hoc sciendum & pro certissimo habendum, panem hunc qui videtur a nobis, non esse panem*. Docuerunt 3. non esse fidendum sensibus qui in Eucharistia eodem prorsus modo afficiuntur, ac si ipsa panis substantia reperiretur: *Non esse panem* (inquit ibidem Cyrillus) *etiamsi gustus panem esse sentiat*.

Probatur 4. ex Præscriptione. Ecclesia Catholica a Christo non interrupta serie ad Lutherum usque docuit dogma de transsubstantiatione: nempe assignari non potest tempus, quo in Ecclesiam invehi cœperit. Addi potest omnium Ecclesiarum consensus: profitentur enim dogma de transsubstantiatione, & profitebantur, cum prodiit Lutherus, omnes Ecclesiæ orbis Christiani: Et quidem *primo*, illud occidentales definierant in Conciliis quæ 11. sæculo contra Berengarianos celebrarant. *Secundo*, illud quoque tunc profite-

fitebantur, & nunc etiam profitentur orientales omnes catholici, schismatici, hæretici, licet in aliis capitibus a se invicem communione disjuncti sint; ut in Eutychianis, Nestorianis, Moscovitis videre est.

Objicies 1. In eo sacramento reperitur substantia panis & vini, quod, etiam post consecrationem, Patres appellarunt panem & vinum: atqui Patres Eucharistiam, etiam post consecrationem, vocarunt panem & vinum: *Quomodo* (ait adversus Valentinianos Irenæus lib. 4. cap. 34.) *constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui*: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est 1. quia res appellari solent iis nominibus, quæ ipsis conveniunt, non tantum prout in se sunt a parte rei, sed prout nobis apparent: sic Scriptura, stellarum respectu, Lunam vocat luminare minus, quod iis minor nobis videatur, quamvis aliquæ sint luna majores: ac proinde cum Eucharistia in qua remanent panis & vini species, panis & vinum appareat, eam appellamus panis ac vini nomine. Ratio est 2. quia res quæ in alias mutatæ sunt, aliquando vocantur iis nominibus quæ designant naturam, quam habebant ante sui mutationem: sic Joannes aquam in vinum a Christo mutatam vocavit aquæ nomine: *Ut autem* (inquit c. 2. ℣. 9.) *gustavit architriclinus aquam vinum factam*.

Objicies 2. Illud est in Eucharistia, quod omnium sensus in ea deprehendunt: atqui omnium sensus panem & vinum in Eucharistia deprehendunt: ergo, &c. Probatur maj. Omnium hominum sensus decipi non possunt: a Deo nimirum dati sunt nobis ad cognoscendum corporum tum existentiam, tum qualitates: atqui deciperentur si in Eucharistia id non esset, quod in ea deprehendunt: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. conc. maj. neg. min. seu nego, sensus decipi in suppositione, quod panis & vinum in Eucharistia non remaneant. Ratio est, quia sensus revera eodem modo moventur, ac si panis & vini substantiæ essent in Eucharistia post consecrationem; revera etiam anima habet eamdem perceptionem, seu sensationem, ac si panis & vinum adessent: in eo autem sensuum externo motu, in ea animæ perceptione nullus est error. Sed error esset, si anima ex illo sensuum motu, ex illa perceptione judicaret ac inferret panem & vinum esse in Eucharistia, quemadmodum id in aliis rebus judicat: nempe Christus dicendo: *Hoc est corpus meum*, fideles monuit, saltem implicite, ne ex eo sensuum testimonio, nec ex illa animæ perceptione inferrent, panem & vinum in Eucharistia remanere: idem etiam Patres, & quidem explicite, monuerunt: *Hoc sciens* (inquit Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 4. Mystagogica) *& pro certissimo tenens, panem hunc qui a nobis videtur, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat*.

Objicies 3. Gelasius Papa lib. *De duabus in Christo naturis*, expresse asserit, panis & vini substantiam in Eucharistia remanere: *Et tamen* (inquit) *esse non desinit substantia, vel natura panis & vini*. Theodoretus Dialogo 1. quem inscripsit, *Impatibilis*, hæc ait de pane & vino: *Manent in priore substantia, & figura, & forma*. Ergo, tum ex Gelasio, tum ex Theodoreto, panis, & vini substantiæ remanent in Eucharistia, etiam post consecrationem.

Resp. ad 1. Gelasium nomine *substantiæ* idem intellexisse, quod aliquibus abhinc sæculis Theologi per *species*, aut *accidentia* intelligunt: nam eodem in libro sic conceptis terminis de pane & vino Eucharistico loquitur: *In divinam transeunt, sancto Spiritu perficiente, substantia*. Ad 2. eadem quæ ad primum, adhibenda est responsio. Ratio est, quia Theodoretus non quamcumque substantiam in Eucharistia remanere supponit, sed eam tantum, *quæ* (ut ait) *videri tangique possit, sicut prius*; proindeque loquitur de speciebus, quibus solum tangi viderique convenit. Duplex illa responsio confirmatur ex scopo quem tum Gelasius, tum Theodoretus sibi locis laudatis proponunt. Impugnant Eutychianos qui contendebant, in Christo post unionem naturarum distinctionem non remansisse. Ut Gelasius & Theodoretus argumento ex Eucharistia petito contrarium probarent, seu in Christo, etiam post unionem, remansisse duas naturas a se invicem distinctas, satis ipsis fuit, ut in Eucharistia post consecrationem sint duæ res distinctæ; nec investigandum fuit, an una esset accidens seu species, altera vero substantia, seu corpus Christi.

Quæres 1. quo tempore *Transubstantiationis* nomen in Ecclesia usurpari cœperit.

Resp. rem transubstantiationis nomine significatam semper creditam fuisse; ipsum vero *Transubstantiationis* nomen ante Concilium Lateranense IV. fuisse in usu, ut videre est apud Stephanum Eduensem, & Petrum Blesensem qui sæculo XII. vixere; quamquam tamen in usu familiari apud omnes non adhiberetur ante laudatam Synodum, quæ illud nomen, quod mysterium clare explicet, consecravit. De præsentia reali corporis Christi in Eucharistia, de panis & vini transubstantiatione in corpus & sanguinem Christi, vide aureum librum *De perpetuitate fidei*, vide etiam Commentarii Historici priorem tomum a pag. 238. ad pag. 306. primæ edit.

AR-

ARTICULUS III.

De quantitate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.

Not. HIC quæri potest 1. utrum corpus Christi suam habeat quantitatem in Eucharistia: 2. utrum sit totum sub qualibet specierum parte; 3. quo nomine vocetur modus, quo Christi corpus est realiter præsens in Eucharistia: 4. quænam in ea sint per concomitantiam, quænam vero vi verborum.

CONCL. 1. Corpus Christi in Eucharistia suam habet quantitatem.

Probatur 1. Quantitas est id, ratione cujus partes alicujus corporis sunt extra se invicem: atqui id in Eucharistia corpori Christi convenit; nempe illius partes revera sunt extra se invicem: alioquin nulla esset membrorum distinctio, & consequenter nec caput, nec pectus, nec pedes, nec brachia remanerent, ac proinde corpus Christi non esset corpus humanum, cum humanum corpus, prout humanum est, seu prout a quolibet alio corpore specifice differt, certam partium dispositionem importet.

Objicies. Si partes corporis Christi in Eucharistia sint extra se invicem, locum occupabunt, proindeque sub minima panis ac vini specie contineri non poterunt: Sed hoc est absurdum: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia quantitas quam Christi corpus habet in Eucharistia, dicit quidem extensionem partium in ordine ad se, seu per eam fit, ut pars sit extra aliam partem: sed non dicit extensionem in ordine ad locum, hoc est, per eam non fit, ut pars occupet locum, cum per eam non reddatur actu impenetrabilis.

CONCL. 2. Corpus Christi est totum sub qualibet, vel minima parte panis consecrati.

Probatur ex Conc. Trid. *Totus & integer Christus* (inquit sess. 13. cap. 3.) *sub panis specie, & sub quavis ipsius parte, totus item sub vini specie & sub ejus partibus existit.* Idem ante Concilium Tridentinum Patres docuerant, cum (ut videre est in Cyrillo Jerosolymitano) fidelibus præceperunt, ut curarent, ne vel minima panis consecrati pars in humum decideret.

Quæres, utrum corpus Christi sit totum in qualibet speciei parte ante illius divisionem, an vero tantum cum ab aliis divisa est.

Resp. 1. Concil. Trid. noluisse dirimere litem illam scholasticam, unde laudato capite addidit hæc verba: *Separatione facta.* Resp. 2. probabilius sentire eos, qui cum S. Thoma docent Christi corpus esse totum sub qualibet speciei parte, etiam antequam illa pars ab aliis dividatur: Ratio est, quia per separationem nulla prorsus actio exercetur in Christi corpus; proindeque si totum sit sub qualibet parte post separationem, necesse est, ut jam sub qualibet esset, antequam ab aliis separaretur.

CONCL. 3. Christi corpus in Eucharistia, nec definitive, nec circumscriptive continetur, sed sacramentaliter.

Probatur 1. Corpus Christi contineri definitive sub speciebus, est ita sub illis existere, ut non sit alibi: atqui id de eo dici non potest; est enim in cælis & in aliis Hostiis consecratis: 2. Contineri circumscriptive, est respondere variis spatii partibus: atqui corpus Christi in Ecclesia non correspondet variis spatii partibus, cum in eo non habeat extensionem impenetrabilem, quæ tamen in substantia requiritur, ut variis spatii partibus correspondeat. 3. Modus quo corpus & sanguis Christi sunt in Eucharistia, nullum in rebus creatis exemplum habet; ergo Theologi merito illum vocant sacramentalem, seu modum, qui soli sacramento conveniat.

Quæres, utrum corpus Christi in Eucharistia quidquam exterius aut agere, aut pati possit.

Resp. negative. Ratio est, quia actio aut passio corporea supponunt corpus quod agit, aut patitur, modo naturali existere, seu habere extensionem localem: nam corpora non agunt, nisi per contactum, & non patiuntur, nisi recipiendo motum aliorum corporum: atqui contractus & receptio motus esse non possunt absque extensione locali: ergo, &c.

CONCL. 4. In Eucharistia nonnulla sunt *vi verborum*, alia vero *per concomitantiam*.

Probatur. Illud est in Eucharistia *vi verborum*, quod exprimitur in verbis, per quæ consecratur: Illud vero est tantum *per concomitantiam*, quod in ea est propter connexionem quam habet cum eo, quod iisdem verbis exprimitur: atqui nonnulla exprimuntur in verbis per quæ Eucharistia consecratur, nonnulla vero non exprimuntur quidem, sed habent connexionem naturalem cum iis quæ exprimuntur: ergo nonnulla sunt in Eucharistia *vi verborum*, alia vero *per concomitantiam* tantum.

Quæres, quænam in specie sint in Eucharistia *vi verborum*, quænam vero per *concomitantiam* tantum.

Resp. 1. solum corpus Christi esse sub specie panis *vi verborum*, & solum sanguinem sub specie vini. Ratio est, quia solum corpus exprimitur in formâ per quam panis consecratur, & solus sanguis in ea per quam vinum consecratur. Resp. 2. sanguinem esse tantum *per concomitantiam* sub specie panis, sicut corpus sub specie vini; nec mirum: nec enim sanguis exprimitur in forma per quam panis consecratur, nec corpus in ea per quam vinum consecratur. Vide Concilium Tri-

Tridentinum sess. 13. cap. 13. ubi argumentum, de quo agitur, clarissime explicatur.

Quæres, utrum quantitas corporis Christi sit in Eucharistia *vi verborum*, an *per concomitantiam* tantum.

Resp. esse *vi verborum*. Ratio est, quia quantitas exprimitur, cum exprimitur corpus humanum; neque enim (ut jam superius observatum est) aliquod corpus potest esse alicujus determinatæ speciei, nisi habeat partes extra partes, ac proinde nec sine quantitate, cum ipsa sit quantitas, qua efficitur, ut substantia partes habeat extra partes.

ARTICULUS IV.

De iis quæ sequuntur ex panis & vini conversione in corpus & sanguinem Christi.

Not. 1. Quæ sequuntur ex conversione de qua agitur, reducuntur 1. ad adorationem Eucharistiæ debitam: 2. ad Eucharistiæ consecratæ reservationem: 3. ad honorificam illius deportationem ad ægrotos: 4. ad festivitatem quæ in honorem corporis Christi aliquibus abhinc sæculis instituta est: 5. ad circumgestationem sollemnem in publicis supplicationibus: 6. ad illius publicam expositionem: 7. ad accidentia panis & vini, quæ post consecrationem remanent: 8. denique ad communicationem idiomatum.

Not. 2. Lutherus negavit ea omnia quæ mox recensita sunt, una excepta adoratione, quæ corpori Christi exhiberetur in liturgia, & non extra liturgiam. Hoc vero nixus est fundamento, nempe voluit, corpus Christi esse tantum præsens in Eucharistia a consecratione usque ad fidelium communionem. Melanchthon, mortuo Luthero, abstulit adorationem quæ etiam in liturgia exhiberetur; ut autem eam tolleret, somniavit Christum non esse in Eucharistia ante actualem illius usum, sed tantum cum fideles eam actu recipiunt.

CONCLUSIO 1. Adoratio, seu latriæ cultus, Eucharistiæ consecratæ debetur.

Probatur 1. Ubicumque Verbum substantialiter reperitur, illi debetur latriæ cultus: atqui Verbum substantialiter est in Eucharistia consecrata; est enim ubicumque reperitur Christi corpus, illi nimirum unitum est hypostatice: ergo illi in Eucharistia consecrata cultus latriæ debetur.

Respondent adversarii, corpus Christi non esse in Eucharistia ante illius usum.

Sed contra. In ultima cœna corpus fuit præsens in Eucharistia ante illius usum: ergo & his etiam temporibus. Probatur ant. In ultima cœna corpus & sanguis Christi fuerunt præsentia statim post horum verborum prolationem: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*; alioquin mentitus fuisset Christus, asserendo panem & vinum esse suum corpus & suum sanguinem; tunc enim, ex Melanchthonis suppositione, non fuissent corpus & sanguis Christi: atqui Christus protulit hæc verba, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, antequam Apostoli panis & vini species sumerent: ergo his etiam temporibus corpus & sanguis Christi continentur in Eucharistia, statim post eorumdem verborum prolationem, proindeque antequam fideles communicent; nempe sacerdos qui ea profert, in Christi persona loquitur: sicque non minus sunt vera, quam si ab ipsomet Christo proferrentur.

Probatur 2. ex Ecclesiæ praxi: Quovis nimirum tempore latriæ cultum exhibuit Eucharistiæ. Vide quæ de eo cultu, tum ab occidentalibus, tum ab orientalibus semper exhibito, dicta sunt Commentarii Historici paginis 307. 308. & sequentibus, primæ edit.

Objicies 1. Christus non præcepit Eucharistiæ adorationem: ergo illi non debetur. 2. Cum corpus Christi sit in Eucharistia simul cum panis speciebus, periculum est, ne creaturæ, speciebus nimirum, latriæ cultus exhibeatur ab iis qui coram Eucharistia procumbunt.

Resp. ad 1. dist. ant. Non præcepit *explicite*, conc. ant. *implicite*, neg. ant. Ad præceptum illud implicitum satis fuit, ut moneret Apostolos, suum corpus Verbo hypostatice unitum in Eucharistia contineri. Ad 2. dicendum est, non majus esse nunc latriæ periculum, quam fuerit, cum Magi Christum fasciis involutum in præsepio adorarunt. Vide Chrysostomum in 1. epist. ad Corinth.

CONCLUSIO 2. Christi corpus pie post fidelium communionem reservatur.

Probatur. Id modo pie fit, quod factum est prioribus Ecclesiæ sæculis; tunc enim (fatentibus etiam adversariis) Ecclesia immunis erat a quibuslibet erroribus: atqui prioribus Ecclesiæ sæculis Eucharistia post fidelium in liturgia communionem reservata est: Et quidem 1. ut a summis Pontificibus ad distantes Episcopos in signum Ecclesiasticæ communionis mitteretur, id testatur Irenæus in sua ad Victorem Papam epist. 2. Cypriano teste lib. *De lapsis*, fidelium in manus tradebatur, ut ea quotidie se domi pascerent. 3. Ambrosius in oratione funebri quam habuit pro Satyro fratre, scribit iter agentes, eam aliquando secum in itinere detulisse: 4. Chrysostomo teste in priore ad Innocentium Papam epistola, servabatur in templis, tum ad præsentium communionem, tum ut ad absentes deportaretur: 5. denique servabatur ad præsanctificatorum missam, cujus Concilium Laodicænum ineunte quarto sæculo celebratum meminit.

CONCLUSIO 3. Pia est & sancta consuetudo, qua Eucharistia ad absentes defertur.

Probatur. Consuetudinis de qua agitur, meminit Justinus in altera pro Christianis Apo-

Apologia: meminit etiam Eusebius Hist. l. 6. cap. 44.

Quæres, utrum Eucharistia quondam sub utraque panis & vini specie ad absentes deferretur.

Resp. 1. Eucharistiam sub utraque specie fuisse delatam ad absentes, cum immediate post sacrificium deferebatur ad eos absentes qui non multum distabant. Vide doctissimi Bossuetii, Episcopi Meldensis, librum de Communione sub utraque specie.

CONCLUSIO 4. Circa festivitatem corporis Christi, illius circumgestationem in processionibus, publicam illius expositionem, plura notatu digna sunt.

Probatur enumeratione. *Primo*, Festivitas corporis Christi anno 1264. instituta est ab Urbano Papa IV. *Secundo*, circumgestatio in processionibus cœpit post Urbanum IV. sed ante Martinum V. qui in Bulla quæ incipit, *Ineffabile sacramentum*, illius meminit. *Tertio*, publica Eucharistiæ expositio suam originem debet publicæ circumgestationi. Ut fiat saltem frequenter, requiruntur gravis caussa, & Episcopi facultas; præterea necesse est, ut judicetur ea frequenti expositione promoveri fidelium pietatem.

Quæres, utrum Eucharistia ad restinguendum incendium deportari debeat.

Resp. negative. Nam 1. non extant monumenta (saltem quæ fide digna sint) quibus ostendatur illum usum aliquando fuisse ab Ecclesia probatum; 2. Eucharistiæ ad extinguendum incendium deportatio, illicita est Dei tentatio, cum ad eum finem instituta non fuerit. Quæ hucusque dicta sunt de Eucharistiæ reservatione, deportatione ad absentes, festivitate in illius honorem instituta, circumgestatione in supplicatione sollemni, expositione, lector, servato temporum ordine, fuse pertractata reperiet in Commentario Historico a pag. 311. ad p. 321. primæ editionis.

CONCL. 5. In Eucharistia consecrata remanent accidentia panis & vini.

Probatur. Accidentium nomine intelliguntur panis & vini qualitates, color, quantitas, sapor: atqui eæ qualitates remanent in Eucharistia; eis enim nostri sensus afficiuntur, easque ex motibus sensuum anima recipit.

Quæres 1. quibus nominibus ea accidentia a Patribus appellentur.

Resp. a nonnullis appellari *panis & vini* nominibus. A Concilio Lateranensi IV. vocantur *panis & vini species*. A Concilio Constantiensi dicuntur *Accidentia panis & vini*. Concilium Tridentinum Concilii Lateranensis loquendi modum adhibuit sess. 13. can. 2.

Quæres 2. In quo posita sit natura accidentium, quæ in Eucharistia post consecrationem remanent.

Respondent aliqui recentiores Philosophi, ea accidentia non esse aliquid reale ex parte objecti, sed tantum ex parte sensuum, quos (inquiunt) Deus, ut occultet miraculum, eadem ratione movet, ac si adesset panis & vini substantia. Sed in ea suppositione, Eucharistia non esset sacramentum; non enim constaret aliqua sensibili parte: alia etiam ex ea Philosophorum recentiorum opinione sequuntur absurda, de quibus lector Commentarii Historici pag. 322. primæ editionis consulere poterit.

Quæres 2. utrum fide certum sit, omnia accidentia Eucharistica remanere sine subjecto.

Resp. de fide esse, quod remaneant sine subjecto substantiali, id est, pane & vino, non vero sine subjecto accidentali; neque enim damnati fuerunt Thomistæ contendentes, saporem, colorem, gravitatem, immediate recipi in panis & vini quantitate, quæ (ut supra dictum est) remanet in Eucharistia consecrata.

Quæres 3. Quomodo species consecratæ nutrire possint recipientem, cum sub eis nulla sit substantia.

Resp. quantitate multum alterata, Deum substituere materiam qua nutriantur ii qui sacramentum recipiunt. Vide scholasticos qui iis, similibusve quæstionibus delectantur.

CAPUT VII.

De Sacramenti Eucharistiæ effectibus.

Not. UT cum methodo sacramenti Eucharistiæ effectus pertractentur, quæremus 1. quinam sint: 2. quibus obicibus impediantur.

ARTICULUS I.

Quinam sint Sacramenti Eucharistiæ effectus.

Not. SAnctus Thom. 3. par. quæst. 79. quatuor recenset effectus Eucharistiæ: 1. gratiæ & gloriæ collationem: 2. remissionem peccatorum: 3. præservationem a futuris peccatis: 4. fructum qui etiam pro proximo colligi potest. De singulis illis effectibus est in hoc articulo dicendum.

CONCL. 1. Eucharistiæ sacramentum gratiam confert recipientibus.

Probatur 1. Quod animæ dat vitam, ipsi gratiam confert; vita enim spiritualis non habetur nisi per gratiam sanctificantem: atqui Eucharistiæ sacramentum animæ dat vitam: *Panis quem ego dabo* (ait Christus Joannis 6.) *caro mea est pro mundi vita.*

Probatur 2. Quod efficit, ut anima in Christo maneat, & Christus in anima, animæ dat gratiam: nempe Christus in nobis non manet, nec nos vicissim in Christo manemus, nisi per caritatem, quæ idem est cum gratia: atqui Eucharistiæ sacramentum efficit, ut Christus in anima maneat, & vicissim anima in Christo, juxta illud Evangelii: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Probatur 3. Quod recipitur per modum cibi ac potus, dat gratiam animæ: siquidem sicut anima non vivit nisi per caritatem, seu per aliud nutritur quam per caritatem & gratiam: atqui Eucharistia recipitur per modum cibi ac potus: *Caro mea* (inquit Christus Joan. 6.) *vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Hinc Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. merito sic loquitur: *Summi autem voluit* (Christus) *sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur, viventes vita illius qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me*.

Quæres, quæ gratia per Eucharistiam producatur.

Resp. Eucharistiam *per se* producere secundum gratiam tantum: non enim est instituta, ut homini mortuo, seu jacenti in peccato mortali, det vitam spiritualem, sed ut eam vitam augeat, quemadmodum cibus communis fovet ac auget vitam naturalem.

CONCL. 2. Adeptio æternæ vitæ proprius est Eucharistiæ effectus.

Probatur. Vita æterna duo præsertim includit, gloriam corporis, & felicitatem animæ: atqui gloria corporis & felicitas animæ sunt proprius effectus Eucharistiæ. Nam 1. Eucharistia semen est resurrectionis ac immortalitatis: *Qui manducat meam carnem* (ait Christus Joannis 6.) *& bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*. 2. Eucharistia arrha est & pignus felicitatis animæ: *Si quis* (ait ibidem Christus) *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Plerumque tamen Eucharistia non habet duplicem illum effectum; nec mirum; licet enim *per se* virtutem habeat, qua effectus illi producantur; *per accidens* tamen, ratione nimirum infirmitatis subjecti, in quo recipitur, effectibus illis sæpe frustratur, alimenti communis adinstar, quod quidem licet *per se* possit sumentis vitam servare, non servat tamen semper, propter illius infirmitatem.

CONCL. 3. Eucharistia per se non operatur peccatorum lethalium remissionem.

Probatur 1. Eucharistia se habet peccatorum lethalium respectu, sicut cibus respectu mortis; nempe peccata mortalia sunt in anima, quod mors est in corpore: atqui cibus mortem non depellit a corpore: ergo nec Eucharistia depellit ab anima peccata lethalia. 2. Illud sacramentum non remittit peccata lethalia, quod accedentem cum peccatis mortalibus magis reum facit: atqui Eucharistia accedentem cum peccatis mortalibus magis reum facit, dicente Apostolo: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit*. 3. Si Eucharistia *per se* remitteret peccata mortalia, ejusmodi remissio foret præcipuus illius fructus, utpote nobis maxime utilis & summe necessarius: atqui remissio peccatorum mortalium non est præcipuus fructus Eucharistiæ: *Si quis dixerit* (verba sunt Concilii Trid. sess. 13. can. 5.) *vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios fructus provenire, anathema sit*.

Objicies. In ipsa Eucharistiæ institutione Christus asseruit, per eam remitti peccata, & quidem ea pro quorum remissione sanguis Christi effundi debuit in cruce: *Hic est calix, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: ergo Eucharistia operatur remissionem peccatorum mortalium.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ergo Eucharistia prout est sacrificium, operatur remissionem peccatorum mortalium, conc. conseq. prout est sacramentum, neg. conseq. De ea in priore sensu, non autem in posteriore sumpta intelligi debet laudatus ex Evangelio textus, cujus sensum inferius agentes de sacrificio trademus.

CONCL. 4. Eucharistiæ sacramentum remittit indirecte peccata venialia, ac præservat a mortalibus.

Probatur prior pars. Indirecte remittere peccata, est dare jus ad auxilia actualia; per quæ ferventis caritatis actus exerceantur; per eos enim ferventes actus tolluntur tum reatus, tum affectus ad peccata venialia: atqui Eucharistia tribuit jus ad auxilia actualia, per quæ ferventes caritatis actus exerceantur; ergo indirecte remittit peccata venialia.

Probatur altera conclusionis pars. Quod auget animæ vitam, indirecte præservat a peccatis mortalibus; qui enim fortior est, facilius ac securius tentationes, si quæ insurgant, superat. Confirmatur ex Evangelio: *Patres vestri* (ait Christus Joannis 6.) *manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*.

Objicies. Plures reprobi sancte Eucharistiam recipiunt, & tamen a peccatis futuris non præservantur: ergo Eucharistia non præservat a peccatis mortalibus.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Non præservat *per accidens*, quia nimirum recipitur in subjecto defectibili, conc. conseq. Non præservat *per se*, neg. conseq. In hoc Eucharistia opponitur mannæ, quod istud *per se* non haberet virtutem præservandi a futuris peccatis, cum e contra ejusmodi virtus Eucharistiæ conveniat *per se*, seu ex vi suæ institutionis, ac rei, quam in se continet.

CONCL. 5. Eucharistia prout est sacramentum, non prodest nisi recipienti; tamen ut est pia quædam actio, potest etiam non recipienti prodesse.

Probatur prior pars. Eucharistia prout est sacramentum, se habet sicut cibus & potus:

atqui cibus & potus non prosunt, nisi sumenti: ergo nec Eucharistia prout est sacramentum. Altera pars sic ostenditur. Qualibet actio pia, ratione communionis, quæ est inter Christi membra, potest membris, pro quibus offertur, prodesse: ergo & Eucharistiæ receptio, prout actio sancta & pia, potest etiam non sumentibus prodesse.

Obiter hic lectorem monitum velim, praxim Eucharistiam pro aliis sumendi, morem esse multum recentem; neque enim aliqua veterum auctoritate fulcitur: illi S. Thomas non suffragatur: siquidem 3. p. q. 79. art. 7. expresse asserit, Eucharistiam nemini, nisi sumenti, prout est sacramentum, prodesse, etiam per modum satisfactionis: *Non enim* (inquit ad tertium) *est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum*. Objicit sibi S. Doctor, hoc sacramentum non esse ejusdem generis cum aliis, quæ quidem certum est non prodesse, nisi sumentibus: sic vero respondet: *Dicendum, quod hoc sacramentum præ aliis habet, quod est sacrificium: Et ideo non est similis ratio*.

Quæres 1. quo præcise tempore Eucharistiæ sumptio suos effectus producat.

Resp. 1. Eucharistiam non producere suos effectus, cum adhuc est in ore sumentis, quia in ore non fit comestio: unde canones vetant, ut hoc sacramentum detur iis qui præ infirmitate illud deglutire non possunt. 2. Non producit quoque suum effectum singulis ac omnibus instantibus quibus species in stomaco conservantur integræ: alioquin qui majoris molis Hostiam sumeret, uberiorem ex Eucharistia fructum reciperet, quod est falsum: *Nihil enim* (inquit S. Thom.) *plus est virtutis in multis hostiis consecratis, quam in una, cum sub omnibus, & sub una non sit, nisi totus Christus*. Unde Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, merito, approbante Innocentio Papa XI. die 12. Februarii ann. 1679. hocce tulit decretum: *Episcopi, Parochi seu Confessarii insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas*. Respondendum est igitur 3. Eucharistiam, prout est sacramentum, eo instanti suum effectum producere, quo verum est dicere, quod comesta sit, seu ex gutture ad stomachum trajecta, tunc scilicet impletum est Christi præceptum; *Accipite: Manducate; Bibite*.

ARTICULUS II.

Quibus obicibus impediantur effectus Eucharistiæ.

Not. TRes sunt obices, quibus Eucharistiæ, prout est sacramentum, effectus impediri possunt, conscientia lethalis peccati, conscientia venialium, attentionis defectus. De singulis hoc in articulo dicendum incumbit nobis.

CONCL. 1. Conscientia peccati lethalis omnem prorsus effectum Eucharistiæ, prout est sacramentum, impedit.

Probatur 1. Eucharistiæ sacramentum se habet respectu animæ, sicut cibus respectu corporis: *Caro mea* (inquit Christus) *vere est cibus, & sanguis meus vere est potus:* ergo quemadmodum totus cibi effectus impeditur per mortem corporis: ita totus effectus Eucharistiæ impeditur per mortem animæ: atqui status peccati mortalis est mors animæ: ergo per statum, & a fortiori per conscientiam peccati mortalis omnis effectus Eucharistiæ, prout est sacramentum, impeditur.

Probatur 2. Patres quovis sæculo hæc Apostoli verba: *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit*, explicarunt de iis qui Eucharistiam in statu peccati mortalis reciperent: unde ubique ante communionem inclamabat Diaconus, *Sancta sanctis*. Ob eamdem rationem nemini lapso largiebatur Eucharistiæ sacramentum, quin prius eam in variis pœnitentium classibus per laboriosa quædam opera, variasque preces, purgassent. Hinc Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. merito damnavit Lutheranos, quod contenderent, peccati mortalis conscientiam non reddere sacrilegam ac indignam communionem.

Quæres, utrum peccata lethalia, sed quæ ignorantur, totum communionis fructum impediant.

Respondent scholastici, peccata de quibus agitur, modo tamen pœnitentis affectus illis non inhæreat, non impedire totum communionis fructum, ac proinde non reddere communionem sacrilegam. Ratio est, quia vel illa peccata delentur per contritionem cum sacramenti pœnitentiæ voto conjunctam, & quæ includat Dei amorem super omnia; vel per ipsam Eucharistiæ receptionem, sed per accidens tantum. Verum apud eosdem scholasticos constat, a sacrilegio immunes non esse, qui sua culpa ignorant se in statu peccati mortalis versari. S. Thomas 3. p. q. 80. art. 4. hoc in capite scholasticis præivit. Quinam vero sint, qui sua culpa ignorant se esse in peccati mortalis statu, enumeratione plurium casuum explicuimus Commentarii Historici pag. 347. primæ editionis.

CONCL. 2. Venialium peccatorum conscientia non impedit Eucharistiæ fructus. Levis ac subreptitius illorum amor, non ex toto, sed ex parte illos impedit. Eorumdem peccatorum voluntarius ac pluribus actibus confirmatus amor adducit in periculum communionis indignæ.

Probatur prior pars. Illud non impedit Eucharistiæ fructus, quod potest esse conjunctum cum caritate maxime intensa: atqui conscientia peccati venialis potest esse conjuncta cum caritate maxime intensa: nimirum fieri potest, ut quis post admissa venialia, quorum habet conscientiam, seu quorum

rum meminit, ea ex perfecta contritione detestetur, ac ingenti cum fervore ad Eucharistiam accedat.

Probatur altera pars. Amor peccati venialis, licet subreptitius sit ac levis, se habet, Eucharistiæ respectu, sicut levis debilitas stomachi, respectu cibi communis: ergo quemadmodum non ex toto, sed ex parte tantum, debilitas stomachi impedit effectum cibi communis: ita & levis ac subreptitius peccati venialis amor, non ex toto, sed ex parte, impedit effectum Eucharistiæ.

Probatur tertia pars. Peccatorum venialium, quæ sæpius commissa sint, voluntarius amor, disponit ad peccatum mortale, quia multum auget cupiditatem, & plurimum minuit caritatem: ergo plerumque adducit in periculum communionis indignæ. Vide Augustinum Sermon. 224. vide etiam S. Bonaventuram libro de præparatione ad Missam.

CONCL. 3. Distratio naturalis, quæ comitatur Eucharistiæ sumptionem, non impedit præcipuum illius effectum; immo nec quæ leviter fuit voluntaria: secus vero si de industria & expresse electa sit.

Probatur prior pars. Majores nostri per duodecim priora sæcula Eucharistiam infantibus, amentibus, aliisque actuali rationis usu destitutis largiebantur: ergo censebant, defectum attentionis non liberum, seu distractionem quæ voluntaria non sit, non impedire præcipuum effectum Eucharistiæ.

Probatur secunda pars. Levis distractio non importat gravem in SS. Sacramentum irreverentiam, nec vitam spiritualem extinguit: ergo non impedit actionem, quæ in nutritione, saltem habituali, posita est. Impedit tamen secundarium effectum, degustationem nimirum spiritualis illius dulcedinis, quam experiuntur ii, qui cum actuali attentione sacramentum recipiunt.

Probatur tertia pars ex eo quod distractio quæ de industria & expresse electa est, cum quis actu communicat, gravem irroget Eucharistiæ contumeliam. Vide S. Bonaventuram, Brevil. par. 6. cap. 9. tom. 1.

CAPUT VIII.

De proprietatibus Eucharistiæ.

Not. INter Eucharistiæ proprietates præcipuum locum tenet necessitas. Ut autem quæ ad eam pertinent, cum methodo pertractentur, quæremus 1. utrum Eucharistia sit necessaria: 2. utrum illius usus debeat esse frequens: 3. utrum recipi debeat sub utraque specie.

ARTICULUS I.

De necessitate Eucharistiæ.

Not. NEcessitas (ut hoc in opere sæpius observatum est) duplex est, medii & præcepti. Prior est ea, per quam ex Dei institutione res ita est necessaria, ut sine ea actu vel in voto explicito habita, salus comparari non possit: altera vero est ea, per quam res præcipitur quidem, sed absque ea sive in actu sive in voto habita, modo ex hominis culpa non omittatur, salus comparari potest.

CONCL. 1. Eucharistia non est ad salutem necessaria necessitate medii.

Probatur. Ex observatis, illud solum est necessarium necessitate medii, sine quo recepto aut in re aut in voto explicito, salus comparari non potest: atqui sine Eucharistia recepta sive in re, sive in voto explicito, salus comparari potest. Nam 1. Ecclesia quovis sæculo credidit, infantes post baptismum sine Eucharistia morientes, salutem æternam consequi: 2. Nullo scripturæ aut traditionis testimonio probari potest, absque Eucharistia habita aut in re, aut in voto explicito, neminem salvari posse: 3. Concilium Tridentinum sess. 21. c. 4. sic loquitur: *Eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem.*

Objicies 1. Baptisma necessarium est ad salutem necessitate medii: ergo & Eucharistia. Probatur ant. ideo baptisma necessarium est necessitate medii, quod ejus necessitas cum particula exclusiva, *Nisi*, expressa sit in Evangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum:* atqui Eucharistiæ necessitas exprimitur pariter in Evangelio cum particula exclusiva: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ergo si baptisma necessarium est necessitate medii, Eucharistia eadem necessitate necessaria est.

Resp. ad 1. neg. conseq. Ad 2. disting. min. Eucharistiæ necessitas in voto virtuali & implicito exprimitur in Evangelio cum particula exclusiva, *Nisi*, conc. min. in voto actuali & explicito, neg. min. Eucharistia in voto implicito virtuali necessaria est necessitate medii, sed sic sumpta, est idem cum baptismi voto; in eo enim voto continetur virtuale votum recipiendi Eucharistiam, quia baptismus ad Eucharistiæ receptionem ordinatur: *Per baptismum* (inquit S. Thomas 3. p. q. 73. art. 3.) *ordinatur homo ad Eucharistiam. Et ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ad Eucharistiam ordinantur per Ecclesiam: & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam.*

Resp. iterum ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ad 2. dist. maj. ideo baptisma necessarium est necessitate medii, quod ejus necessitas exprimatur per particulam exclusivam, *Nisi*, quæ omnes omnino homines complectitur, conc. maj. quæ non omnes omnino homines complectitur, neg. maj. Disting. pariter min.

Euchа-

Eucharistiæ necessitas exprimitur pariter per particulam exclusivam. *Nisi*, quæ omnes omnino homines non complectitur, conc. min. quæ complectitur omnes omnino homines, neg. min. Particula exclusiva, *Nisi*, ubi agitur de baptismate, est universalis, seu omnes omnino homines complectitur, sive sint adulti, sive sint infantes: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* E contra eadem particula, *Nisi*, in sexto Joannis capite solos adultos complectitur: nempe Christus in eo Joannis capite solos adultos alloquebatur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* ac proinde illa particula, *Nisi*, intelligenda est de necessitate præcepti divini, non autem de necessitate medii. Confirmatur. Non valet paritas inter baptismum, & Eucharistiam: siquidem nullum aliud a baptismo medium institutum est, quo infantes peccati originalis remissionem, & gratiam sanctificantem consequantur; e contra aliud est ab Eucharistia medium (Baptismus nimirum) quo infantes consequuntur peccati originalis remissionem; aliud est etiam, scilicet Pœnitentia, quo adulti post baptismum lapsi justificentur.

Objicies 2. Augustinus multique alii Patres asseruerunt, Eucharistiam ipsis etiam infantibus necessariam esse necessitate medii: unde statim post baptismum eam ipsis majores nostri conferebant: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Augustinus multique alii Patres asseruerunt, Eucharistiam sumptam secundum suum effectum esse ipsis etiam infantibus necessariam necessitate medii, conc. ant. sumptam secundum substantiam, neg. ant. Effectus Eucharistiæ est conjunctio fidelium cum Christo, velut membrorum cum capite: is autem effectus ab infantibus habetur per baptismum, quo caritas eis infunditur: *Ut autem* (inquit Augustinus Tractatu 27. in Joannem) *simus membra ejus, unitas nos compaginat: ut compaginet unitas, quæ facit nisi caritas?*

CONCL. 2. Eucharistiæ communio adultis necessaria est necessitate præcepti divini, & Ecclesiastici.

Probatur prior pars. Christus adultis præcepit Eucharistiæ communionem; siquidem 1. Apostolis per hæc verba, *Hoc facite*, ut eam fidelibus distribuerent, quemadmodum eam ipsis in ultima cœna distribuerat: ergo pariter præcepit fidelibus, ut eam reciperent; distributio nimirum ex parte ministrorum, & receptio ex parte fidelium sunt correlativa: 2. Hæc Christi verba Joannis 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, de Eucharistia intelliguntur: atqui continent præceptum recipiendi Eucharistiam: ergo Eucharistia est adultis necessaria necessitate præcepti divini.

Quæres, quo tempore obliget divinum de Eucharistia recipienda præceptum.

Resp. obligare 1. in mortali vitæ periculo: unde majores nostri sedulo curarunt semper, ne quis adultus debite dispositus, sine illo ac maxime necessario Viatico ex hac vita dimitteretur; 2. obligat quoque sæpius in vita; est enim animæ cibus: ac proinde sicut corpus sæpe cibo indiget, ita & anima Eucharistia.

Probatur altera conclusionis pars. Ecclesia variis in Conciliis communionem Eucharisticam injunxit: ergo necessaria est necessitate Ecclesiastici præcepti. Probatur ant. tum ex Canone 21. Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio Papa III. tum etiam ex Concilio Tridentino sess. 13. can. 9.

Quæres 1. quo tempore fideles Ecclesiastico præcepto teneantur ad Eucharistiam accedere.

Resp. eos teneri, cum ad annos discretionis pervenerint, idque semel saltem in anno, in Paschate scilicet: *Si quis negaverit* (inquit Concilium Tridentinum) *omnes & singulos fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.*

Quæres 2. Quo in templo annua Eucharistiæ communio fieri debeat.

Resp. fieri debere in propria Ecclesia parochiali; unde qui intra quindenam Paschalem in propria Parochia non communicaret, Ecclesiæ præceptum non adimpleret, quamvis sæpius per annum in ipsa etiam Parochia Eucharistiam recepisset. Ita decernit Concilium Lateranense IV. Canone *Omnis utriusque sexus*; ita etiam Concilia Provincialia, quæ post Tridentinum in Galliis habita sunt: *Statuimus* (inquit Concilium Burdigalense quod habitum est anno 1583.) *ut prædicto tempore Paschæ, nemo extra suam Parochiam, absque Rectoris sui facultate, alio se conferat, hoc sacramentum recepturus. Et quibus dabitur ea facultas, Parochum certiorem faciant, quo loco sacram Eucharistiam sumpserint.*

Quæres 3. utrum is qui intra hebdomadam sanctam, Eucharistiam in propria Parochia receperit, possit ipso die Paschatis eam in Privilegiatorum templis recipere.

Resp. negative: eum enim diem excepit expresse Leo Papa X. qui alioquin facultatem fecit quovis anni die recipiendi in Privilegiatorum templis.

Quæres 4. an is qui indigne in Paschate communicavit, Ecclesiasticum de Eucharistica communione præceptum impleverit.

Resp. negative. Ratio est, quia Ecclesia eam communionem præcepit, quam ipse Christus præcepit: ac proinde cum dignam communionem Christus præceperit, eam quoque præcepit Ecclesia. Confirmatur ex Concilio Late-

Lateranensi IV. quod quidem can. 21. non quamcumque, sed sanctam communionem præcipit: *Suscipiant* (inquit) *reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum.* Idem videre est in Conciliis Provincialibus, quæ in Galliis post Tridentinum habita sunt. Vide Concilia Burdigalense, & Bituricense titulo de Eucharistia. Ex his patet, Innocentium Papam XI. merito ad minus tamquam scandalosam & perniciosam in praxi, damnasse hanc cujusdam recentioris propositionem: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Quæres 5. an confessarius ex caussa possit pœnitenti injungere, ut paschalem communionem differat?

Resp. posse, immo & nonnunquam teneri: ita enim sanxit Concilium Lateranense IV. *Nisi forte* (inquit) *de consilio proprii sacerdotis, & ob rationabilem caussam, ad tempus duxerit abstinendum.* Quænam vero sit ea rationabilis caussa, habet idem Concilium: *Utpote* (inquit) *propter debilitatem stomachi sumptum cibum retinere non valentis, vel etiam propter nondum factam sufficientem peccatorum confessionem, seu aliam debitam præparationem, quam peragere non poterant, aut etiam negligenter omiserant, faciendam.* Hinc patet, quam parum sapiant ii sacerdotes, qui sub annuæ communionis obtentu, sacramentalem absolutionem iis impendunt, qui peccati consuetudine implicati, præviis operibus suam emendationem non probarunt; aut etiam alii, quos alioquin extra quindenam Paschalem non absolverent.

ARTICULUS II.

Utrum usus Eucharistiæ debeat esse frequens.

Not. Usus Eucharistiæ duobus modis potest considerari, vel in se, vel ex parte sumentis. Nemo dubitat, quin priore modo sumptus, debeat esse frequens; sed quæstio est utrum idem de eo ex parte sumentis considerato dici debeat.

CONCL. 1. Frequens Eucharistiæ communio non est utilis iis hominibus, qui sæpius in peccata mortalia prolabuntur.

Probatur. Iis utilis non est frequens usus Eucharistiæ, qui liberi non sunt ab affectu peccati mortalis: atqui qui sæpius in peccata mortalia labuntur, liberi non sunt ab affectu peccati mortalis: nempe quod eo affectu implicati judicentur, ipsa etiam absolutione sacramentali donari non debent, ut dicetur in dissertatione de Pœnitentia: ergo, &c.

Confirmatur argumentum auctoritate Gennadii libro de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 23. *Sed hoc* (inquit agens de hujusce sacramenti usu) *de illo dico quem capitalia & mortalia peccata non gravant: nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.*

CONCL. 2. Utilis non est frequens communio Christianis qui gentiliter vivunt.

Probatur. Christiani qui gentiliter vivunt, ii sunt qui honestatem moralem præ se ferentes, ac exterius obeuntes Christianæ religionis officia, Christi spiritum non habent, hoc est, nec pœnitentiæ, nec humilitati, nec humilitati, nec paupertati dant operam: atqui iis hominibus utilis non est Eucharistiæ communio, immo noxia est maxime; ipsa enim eorum vita habituale est ac perpetuum peccatum. Hinc vero colligitur, quam merito Innocentius Papa XI. hanc propositionem damnaverit: *Frequens confessio & communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

CONCL. 3. Frequens usus Eucharistiæ iis indulgeri non debet, qui non aliam ad eum dispositionem afferunt, quam illius desiderium.

Probatur. Se habet (servata proportione) usus Eucharistiæ, sicut usus alimenti corporei: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus:* atqui frequens usus alimenti corporei indulgeri non debet iis qui non aliam ad ipsum dispositionem afferunt, quam illius desiderium; nonnunquam enim fames corporea oritur ex humore noxio, qui licet stomachum vellicet, digestionem tamen impedit: unde fit, ut tunc qui cibum sæpius sumit, nihil ex eo firmitatis ac virium recipiat. Hinc colligitur 1. eos qui graviter lapsi sunt, nec curarunt de pœnitentia, non frequenter modo, sed nec semel donari debere sacra communione, quamvis ex motivo caritatis eam sibi desiderare videantur. Colligitur 2. frequentem Eucharistiæ usum concedi non debere mulierculis, quas *Devotas* vocant, quæque licet illius famem caussentur, impatientiæ, inertiæ, vanitati, detractioni frequenter serviunt.

CONCL. 4. Frequens usus Eucharistiæ concedi non debet iis, qui ex iteratis communionibus nullum fructum perceperunt.

Probatur. Frequens cibi corporei sumptio non conceditur iis qui nihil ex ea virium percipiunt: ergo nec frequens cibi spiritualis usus iis debet concedi, qui ex iteratis communionibus nullum fructum perceperunt.

Quæres, an ii qui in peccata venialia frequenter post iteratas communiones prolabuntur, ex iis sint, qui nullum ex communionibus fructum percipiunt.

Resp. peccata venialia tribus modis admitti, vel ignorantia, vel infirmitate, vel malitia. Quæ duobus prioribus modis post iteratas communiones admittuntur, non probant semper inutiles fuisse communiones;

quip-

quippe quæ non ex affectu, seu amore peccati nascantur, sed ex levi orationis, mortificationis, vigilantiæ negligentia: e contra vero quæ fiunt ex malitia, seu cum plena rationis advertentia, & sæpius sic committuntur, probant parum priores communiones profuisse. Hinc qui sæpe mentiuntur, licet leviter; qui frequenti ira, licet non multum vehementi, commoventur; qui voluntarie humanis laudibus sæpius delectantur, ad tempus, nisi aliqua necessitas urgeat, arcendi sunt a sacra communione: nempe iterata, ex rationis advertentia, peccata ejusmodi demonstrant, parum ipsis utilem fuisse frequentem sacræ communionis usum.

CONCL. 5. Ut minister frequentem communionis usum concedat, habere quidem debet rationem status ac vitæ generis, sed id satis non est.

Probatur prior pars. Qui studiis tantum spiritualibus vacant, ut sunt qui statum regularem aut Ecclesiasticum profitentur, plerumque magis dispositi sunt ad Eucharistiæ receptionem, quam ii qui humanis curis detinentur: ergo ut minister frequentem communionis usum concedat, debet habere rationem status ac vitæ generis, quem fideles profitentur. Confirmatur ea ratio ex S. Bonaventura, qui lib. 2. *De profectu Religiosorum*, sic loquitur: *Vix aliquis ita religiosus videtur & sanctus, exceptis sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare.*

Probatur altera conclusionis pars. In iis etiam vitæ statibus, in quibus plura quam in aliis suppetunt ad pietatem media, nonnulli sunt homines quibus inest major cupiditas, quam iis qui negotiis sæcularibus ac mundanis curis implicati sunt: ergo minus, quam isti, idonei sunt ad frequentem Eucharistiæ participationem. Confirmatur ex eo, quod Apostoli & priores illorum successores, quotidianam communionem iis etiam concesserint, qui rerum domesticarum curæ serviebant, ac victum manuum labore lucrabantur: eam tamen quotidianam communionem periculosum esset, corrupta hac ætate, concedere pluribus, qui in regularium monasteriis aut clericorum seminariis degunt.

CONCL. 6. Frequens usus Eucharistiæ iis tantum hominibus concedi debet, qui liberi sunt ab affectu peccatorum venialium.

Probatur 1. Ex dictis, qui habent affectum ad peccata venialia, non multum fructum colligunt ex frequenti communione: ergo iis indulgeri non debet. 2. Ita senserunt Patres: *Omnibus Dominicis diebus communicare suadeo & hortor: si tamen mens sine affectu peccandi sit.* Eadem ratione ep. 17. loquitur S. Franciscus Salesius. Eodem nixus principio idem S. Præsul ep. 38. ad feminam maxime piam scribit non probari sibi, quod ejus filia decimo quinto quoque die Eucharistiam sumat, nisi magno ardeat communionis desiderio, ac leviora teneræ ætatis vitia diligenter studeat evellere.

Quæres 1. qua via scire poterit confessarius suum pœnitentem ab affectu peccatorum venialium liberum esse, ut ei aut rariorem, aut frequentiorem sacræ communionis usum concedat.

Resp. id colligi posse ex mortificatione sensuum, ex occasionum fuga, ex studio mutuæ caritatis conservandæ, & mox redintegrandæ, si vel leviter læsa fuerit.

Quæres 2. an pro concedenda, aut neganda communionis frequentia, quædam generalis regula statui possit.

Resp. affirmative: nempe ea regula traditur a S. Bonaventura, in l. 4. Sent. dist. 12. p. 11. q. 1. *Dicendum* (inquit) *quod si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare: si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum & tardum laudandum est, quod raro: si autem in medio modo, medio modo debet se habere: aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore.*

Quæres 3. quinam ex duobus fidelibus, qui æquali caritate præditi sunt, plus laudis mereatur, an is qui singulis diebus accedit ad Eucharistiam, aut is qui reverentiæ & majoris præparationis caussa, nonnunquam ab ea recedit.

Respondet Aug. epist. 118. c. 3. utrumque Eucharistiæ æqualem exhibere reverentiam, æqualem omnino fructum colligere. Accedens Zachæum imitatur, qui domo sua Christum gaudens excepit: Recedens vero imitatur Centurionem, qui fide plenus Christo dixit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.*

Quæres 4. an prioribus sæculis majores nostri sæpius ad Eucharistiam accederent; an frequens Eucharistiæ receptio iis aliquo Ecclesiæ mandato præscripta fuerit, aut in occidente, aut in oriente: quinam fuerit mediæ ætatis usus: quid de eodem frequenti usu sanxerint postrema Ecclesiæ concilia.

Resp. Majores nostros quatuor prioribus sæculis, non ex aliquo quidem explicito Ecclesiæ mandato, sed ex mera in SS. Sacramentum pietate, quotidie accessisse ad Eucharistiam: post sextum sæculum jussi sunt eam sumere saltem ter in anno; in Concilio Lateranensi IV. annua in Paschate communio imperata est. His vero temporibus Ecclesia in votis habet, ut fideles sæpius communicent. Fundamenta quibus ex responsiones nituntur, fuse pertractata sunt in Comment. Hist. a pag. 374. ad 381. primæ edit.

ARTICULUS III.

De Communione sub utraque specie.

Not. HOC in articulo quæri potest 1. an communio sub utraque specie panis & vini sit fideli populo, aut sacerdotibus actu sacrificantibus necessaria necessitate præcepti divini: 2. an fideles aliquando communicarint sub duplici specie: 3. quibus rationibus Ecclesia adducta fuerit, ut laicos, aut sacerdotes actu non sacrificantes, interdixerit communione sub vini specie.

CONCL. 1. Communio sub utraque specie non est fideli populo, aut sacerdotibus actu non sacrificantibus necessaria necessitate præcepti divini. Ita definierunt Concilia, Constantiense contra Joannem Hus, Basileense contra fratres Bohemos, Tridentinum contra Lutheranos & Calvinistas.

Probatur 1. ex Scriptura. Illud non est necessarium necessitate præcepti divini, quod nec Apostoli, nec priores fideles sub ipsis Apostolorum oculis servarunt semper; neque enim dici potest Apostolos, eosque fideles, qui (ut ait Scriptura) erant cor unum & anima una, reos fuisse infracti divini præcepti. Atqui nec Apostoli, nec priores fideles communicarunt semper sub duplici panis & vini specie.

Primo, fractio panis, de qua hæc habentur Lucæ 24. *Cognoverunt eum* (Christum) *in fractione panis*, aut est ipsa Eucharistica communio, aut saltem (ut observat August. lib. 3. De Consensu Evangelistarum cap. 25.) est illius typus: Si primum, Christus ipse sub una tantum, panis nimirum, specie discipulis Eucharistiam distribuit: Si secundum, idem Christus eo typo docuit, nullum se de duplici specie sumenda tulisse præceptum.

Secundo, Actor. c. 2. hæc habentur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis, & orationibus*: Unde sic arguitur. Ille locus (fatente ipso Calvino l. 4. Instit. c. 17.) intelligitur de Eucharistiæ communione: nec immerito; si enim fuisset panis communis communio, utquid Lucas eam cum perseverantia fidelium in Apostolorum doctrina & orationibus conjunxisset? atqui in eo loco fit tantum mentio communionis sub una, panis nimirum, specie; ergo sub ipsis Apostolorum oculis priores fideles nonnunquam sub una tantum specie communicarunt.

Tertio, Paulus 1. ad Corinth. 11. sacram communionem sub una tantum specie peractam aliquando fuisse sub Ecclesiæ initio supponit, ubi sic loquitur: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*: Utquid enim particula disjunctiva *vel*, usus fuisset, si (ut volunt adversarii) nulli sacramentum, nisi duplici specie, sumere liceat?

Probatur 2. ex Traditione. *Primo*, passim ac ordinario ad infirmos (præsertim ubi aliquo post peractum sacrificium tempore communicabant) Eucharistia sub sola panis specie deferebatur, id nimirum videre est apud Eusebium Hist. l. 6. c. 44. apud Paulinum in Ambrosii vita, ubi hæc habet: *Qui* (Episcopus Vercellensis) *descendens obtulit sancto* (Ambrosio) *Domini corpus, quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum*. Id quoque videre est in iis antiquorum monumentis, ubi cum agitur de Eucharistiæ reservatione ad infirmorum viaticum, fit mentio non calicum, in quibus vini species contineretur, sed vasorum, quæ apta essent ad continendas panis species: ea autem vasa, passim, vel in columbarum, vel in turrium figuram desinebant. Vide Greg. Turonensem, Miracul. lib. 1. cap. 86.

Secundo, infantes statim post acceptum baptisma, sub una tantum, vini nimirum, specie recipiebant Eucharistiam; ita enim colligitur ex Cypriano libro de Lapsis, ex Hugone a S. Victore l. 1. de Sacram. cap. 20.

Tertio, Communio domestica, quæ tum in occidente, tum in oriente per multa sæcula jugiter obtinuit, sub sola panis specie fieri solebat. Id nimirum colligitur ex Tertul. l. 2. ad uxorem; Cypriano lib. de Lapsis.

Quarto, Liberum fuit fidelibus, etiam cum palam & publice communicarunt in templis, unam tantum speciem sumere: id enim tum Leonis Magni, tum Gelasii decreta probant, quibus fideles omnes jussi sunt, utramque speciem sumere, ut detegerentur Manichæi, qui vinum tamquam a principio nequam productum detestati, irrepebant in fidelium synaxes, solamque panis speciem sumebant.

Quinto, in Missis Præsanctificatorum olim, & his etiam temporibus, Ecclesia Græca unam tantum panis speciem fidelibus distribuit: Celebrabantur vero, & nunc etiam celebrantur illæ Præsanctificatorum Missæ toto Quadragesimali tempore, exceptis diebus Dominicis & festo Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ.

Ex iis autem quæ hucusque relata sunt monumentis sic conficitur argumentum: Id Christus non præcepit, quod Ecclesia per duodecim priora sæcula variis in casibus non observavit: Atqui Ecclesia, per duodecim priora sæcula, variis in casibus non observavit communionem sub utraque panis & vini specie: ergo Christus eam fideli populo, aut sacerdotibus actu non sacrificantibus non imperavit.

Objicies 1. Christus Joan. 6. sic loquitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: unde sic arguitur: Christus iis verbis

bis præcepit sumptionem suæ carnis & sui sanguinis: ergo præcepit communionem sub utraque specie.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia caro & sanguis per concomitantiam sub una tantum specie continentur: ac proinde, qui unam tantum speciem recipit, non minus a parte rei recepit carnem & sanguinem, quam si utrasque species sumeret.

Instabis. Atqui Christus præcepit non tantum sumptionem sui corporis & sui sanguinis, sed præterea præcepit, ut per duplicem actionem distinctam, esum scilicet & potum, sumerentur: ergo præcepit usum utriusque speciei. Probatur ant. Si Christus unam tantum actionem, esum v. g. præcepisset, immerito post præceptum esum, expresse meminisset potus, dicens, *Et biberitis ejus sanguinem*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Immerito meminisset potus per disjunctionem, conc. ant. per conjunctionem, neg. ant. Vox ista, *Et*, Jo. 6. cap. non sumitur copulative, sed disjunctive pro *Vel*: ita ut sensus sit: *Si neque manducaveritis carnem filii hominis, nec biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ratio est, quia alioquin sibi ipsi Christus contradixisset, nimirum vitæ æternæ consecutionem expresse uni tantum speciei ibidem tribuit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*.

Urgebis. Absque fundamento asseritur, particulam *Et* sexto Joan. capite sumi disjunctive pro particula *Vel*: ergo nulla responsio.

Resp. neg. ant. siquidem varia proferri possunt Scripturæ loca, in quibus particula, *Et*, disjunctive sumitur. Act. 3. Petrus hæc ait: *Argentum & aurum non est mihi*, hoc est, nec argentum, nec aurum. Exodi 21. *Qui percusserit patrem, & matrem*, idest, *vel matrem*. Prima ad Cor. 11. hæc ait Paulus: *Qui manducat, & bibit indigne &c.* ubi sane particula, *Et*, pro *Vel*, sumitur; qui enim unam tantum speciem indigne sumit, reus est, ut ipsemet Paulus asserit ejusdem capitis v. 27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*.

Objicies 2. Christus omnibus fidelibus potum sanguinis ab esu distinctum expresse præcepit: *Bibite* (inquit Matth. 26.) *ex hoc omnes*: ergo communio sub utraque specie omnibus fidelibus a Christo præscripta est.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia vox illa, *Omnes*, ad solos Apostolos spectabat: nempe Marcus narrat, in ipsis Apostolis impletum fuisse Christi præceptum: *Et biberunt* (inquit) *ex illo omnes*. In tota illa serie verborum Christi non omnia ad omnes fideles spectant, alioquin dicendum esset, ad eos quoque spectare Eucharistiæ distributionem, quam Christus hisce verbis, *Hoc facite*, præscripsit: Ex antecedentibus igitur & consequentibus inferendum est, nonnulla ex Christi verbis ad Apostolos prout sacerdotes ac ministros spectare, alia vero ad fideles.

CONCLUSIO 2. Ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ad duodecimum usque sæculum laici publicis in conventibus passim & ordinarie sub duplici specie communicarunt.

Probatur auctoritate Patrum. Justinus Martyr in Apologia II. illius moris secundo sæculo meminit; Cyprianus tertio, lib. de lapsis; Cyrillus quarto, catechesi V. mystagogica; Leo Papa I. quinto, S. Thoma 3. p. q. 89. art. 12.

CONCLUSIO 3. Ecclesia justis de caussis usum calicis abstulit a laicis & clericis actu non conficientibus.

Probatur earum caussarum enumeratione. *Primo*, si laici calice uterentur, periculum esset irreverentiæ in SS. Sacramentum; nimirum præ multitudine populorum, qui ad sacram synaxim accedunt, periculum esset, ne aliquæ pretiosi sanguinis guttulæ in terram effunderentur. *Secundo*, summa est nonnullis in locis vini penuria: par igitur fuit, ut regiones illæ communionem sub una tantum panis specie sumerent. *Tertio*, usus unius tantum speciei ubique apud occidentales absque aliqua positiva lege, qua præceptus fuisset, invaluerat ante finem sæculi XIV. par igitur fuit, ut sæculis quæ illud tempus subsecuta sunt, Ecclesia rationem haberet ejusmodi consuetudinis.

Objicies. Ecclesia juste non potuit privare fideles gratia quæ per usum calicis recipitur: distincta nimirum est ab ea quæ per panis usum recipitur: unde plures Theologos (etiam Romanæ communionis) reperire est, qui docent, eum qui duplicem speciem sumeret, intensiore ac majore gratia donari, quam qui sub unica tantum specie communicat: ergo, &c.

Resp. 1. neg. maj. nempe Ecclesia satius esse duxit, nonnullo gratiæ ad salutem non necessariæ augmento per calicis subtractionem laicos privare, quam exponere SS. Sacramentum irreverentiæ periculo. Resp. 2. argumentum esse de non supponente: nimirum vera non est sententia scholasticorum, qui majus gratiæ augmentum per duplicem, quam per unicam speciem recipi contendunt.

Quæres, an expediat usum calicis concedere hæreticis in sinum Ecclesiæ redeuntibus.

Resp. non expedire. Ratio est, quia plerumque petunt usum calicis ex vetere pertinacia qua credunt communionem sub utraque specie fuisse a Christo præscriptam; Iis qui caussam illam obtendunt, dicendum est, ut eo sint animo, quo affecti essent, si eorum pseudominister nollet ex pertinacia quadam calicem eis annuere: tunc enim parati essent recipere, si minister vellet concedere: cum ad Ecclesiam redeunt, parati sint quo-

quoque calicem recipere, si eum ipsis Ecclesia vellet, ut concessit olim laicis, concedere. De Argumento de Communione sub utraque specie, vide doctissimum Bossuetium, Episcopum Meldensem, Comment. Hist. de Sacram. a p. 381. ad p. 398. primæ edit.

CAPUT IX.

De dispositionibus ad recipiendam Eucharistiam requisitis.

Not. Dispositiones ad recipiendam Eucharistiam requisitæ, perpendi possunt vel per respectum ad animam, vel per respectum ad corpus, seu nonnullæ ex parte animæ, aliæ vero ex parte corporis requiruntur.

ARTICULUS I.

Quanam ex parte animæ, Eucharistia recipienda dispositiones prærequirantur.

Not. 1. Certum est requiri sanctitatem, seu statum gratiæ sanctificantis in iis qui accedunt ad Eucharistiam; nempe qui sibi peccati mortalis conscius, eam recipit, judicium sibi manducat & bibit: ita Concilium Tridentinum contra Lutheranos & Calvinistas definiit, ita etiam docuerant Patres: eorum enim tempore per Diaconorum ora, hæc verba *Sancta sanctis*, omnium fidelium auribus paullo ante communionem insonabant.

Not. 2. Sanctitas, aut habetur per baptismum, aut per pœnitentiæ sacramentum; seu sancti quidam sunt qui post baptismum nusquam lapsi sunt, alii vero qui prolapsi sunt in gravia quædam scelera; De sanctitate in utriusque ejus generis hominibus requisita, hoc in articulo dicendum incumbit, & quærendum, an ab utrisque pœnitentia communioni præmitti deberet.

CONCLUSIO 1. Pœnitentia sumpta pro satisfactione sacramentali non debet necessario sacræ communioni præmitti ab iis etiam, qui post baptismum lapsi sunt in scelera.

Probatur. Nec divinum, nec Ecclesiasticum jus imperant, ut satisfactio sacramentalis sacræ communioni necessario præmittatur: merito igitur ab Alexandro Papa VIII. proscripta fuit hæc propositio: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

Objicies. Patres antiquitus passim & ordinarie Eucharistiam lapsis non largiebantur, nisi post adimpletam satisfactionem sacramentalem: ergo his etiam temporibus passim & ordinarie concedi non debet.

Resp. cunc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia non valet argumentum, quo ex eo, quod aliquod caput ad disciplinam spectans, olim fuerit in usu, colligitur his etiam temporibus vigere; nempe in hoc fides & disciplina discrepant, quod ista, non autem illa, mutationi obnoxia sit.

CONCLUSIO 2. Pœnitentia sumpta pro pietatis operibus, quibus demonstretur interna cordis conversio, in nonnullis lapsis debet Eucharistiæ communioni præmitti.

Probatur. Id debet Eucharistiæ communioni præmitti, quod debet præmitti absolutioni sacramentali; atqui pœnitentia sumpta in conclusionis sensu, debet a nonnullis lapsis præmitti absolutioni sacramentali. *Primo*, id patet in iis qui mortaliter peccarunt ex consuetudine; ut enim agentes de pœnitentia dicemus, qui peccandi consuetudine sunt implicati, non debent absolvi nisi cordis conversionem pietatis operibus probaverint. *Secundo*, id quoque patet in iis qui licet ex consuetudine non peccarint, in grave tamen aliquod flagitium aut facinus, adulterium verb. grat. homicidium, sodomiam lapsi sunt: nempe ii homines donari non debent absolutione, nisi jugibus precibus ac pietatis operibus ministro probaverint se a Deo obtinuisse contritionis donum, quod quidem similium flagitiorum reis in instanti Deus largiri non solet, *Tertio*, qui in flagitia lapsi sunt, externa, v. gr. carnis peccata, ut sunt fornicatio, adulterium, sodomia, etiam post receptam absolutionem titillantur obscenis quibusdam imaginibus quibus plerumque voluntarie delectantur, quamvis putent se illis non delectari: ergo par non est, ut ad Eucharistiam accedant, nisi per pietatis opera obscenas illas imagines ex mente & corde delere aliquandiu conati fuerint.

Objicies. Concilium Tridentinum sess. 13. capite 7. nihil aliud in lapsis, quo digne communicent, requirit, quam confessionem sacramentalem: ergo necesse non est, ut in flagitia aut facinora lapsi, nonnulla pietatis opera sacræ communioni præmittant.

Resp. 1. neg. ant. Quamvis enim Concilium contra Lutheranos absolutionem sacramentalem prærequirat in homine, qui accessurus est ad Eucharistiam, non sequitur, quod nihil aliud sit necessarium: nempe sacræ Synodo satis fuit id exprese præcipere, quod hæretici contendebant minime prærequiri.

Resp. 2. dist. ant. Concilium nihil aliud requirit, quam confessionem sacramentalem, quæ oriatur ex vera ac sincera contritione, transeat antecedens: quæ non oriatur ex vera ac sincera contritione, neg. ant. Plerumque autem vera non est, sed larvata tantum contritio in iis, qui post flagitia aut facinora, nullis præmissis pietatis operibus, absolutioni sacramentali sese subjiciunt: Vide Augustinum Serm. 74. de tempore cap. 6. S. Ber-

nar-

nardum Sermone de B. Magdalena, Cyprianum lib. de Lapsis.

CONCLUSIO 3. Pœnitentia sumpta, sive pro pietatis operibus sponte electis, sive pro satisfactione sacramentali, laudabiliter, secluso tamen necessitatis casu, a quocumque post baptismum lapso sacræ communioni præmittitur.

Probatur 1. Id laudabiliter sacræ communioni præmittitur, quod ipsi per 12. priora sæcula Patres præmiserunt: atqui Patres per 12. priora sæcula pœnitentiam sumptam in sensu conclusionis præmiserunt sacræ communioni: ergo, &c.

Objicies. Inde sequeretur, post baptismum lapsos debere temperare a missa, etiam festivis diebus, audienda; antiquitus enim pœnitentes sese illi præsentes non sistebant: atqui id est absurdum: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia Ecclesia iis etiam qui post baptismum in flagitia, aut facinora lapsi sunt, præcipit, ut singulis festivis diebus sistant se præsentes missæ sacrificio, quamvis eos illo quondam interdiceret: verum nusquam vetuit, ne lapsi pietatis opera sacræ communioni præmitterent: nec immerito, cum fide certum sit lapsum iis operibus disponi ad uberiorem fructum ex Eucharistia recipiendum.

CONCLUSIO 4. Justo perutilis est aliqua communionis dilatio, ut delicta, seu peccata venialia, pœnitentiæ laboribus eluat.

Probatur 1. exemplo Patrum qui ob eas etiam caussas, a quibus aberat omnis culpa venialis, aliquandiu recesserunt a communione, ut ad eam se per pœnitentiam pararent. Vide Palladium in vita Chrysostomi, Hieronymum adversus Vigilantium, Bernardum in vita S. Malachiæ. 2. Id utiliter communioni præmittitur, quo animus fit purior, ac sanctior: atqui per pœnitentiæ labores, sive ultro electi fuerint, sive ab Ecclesia impositi, animus purior ac sanctior redditur: ergo, &c.

Objicies. Justus qui aliquandiu differt suam communionem, ut agat pœnitentiam, frustratur effectu quem ex actuali communione perciperet: ergo pœnitentia non est ratio, propter quam deceat illum differre communionem.

Resp. neg. ant. Nam 1. Patres qui ob leviores caussas a sacra communione recesserunt ad tempus, nullam illius incommodi rationem habuerunt. 2. Falsum est, eum qui ut pœnitentiæ vacet, aliquandiu a sacramento recedit, frustrari aliquo sacramenti effectu: eum enim per sacramenti votum, cum intensa caritate conjunctum, recepit: *Cum vero* (inquit auctor operis De Imitatione Christi lib. 4 cap. 10.) *legitime præpeditus est, habebit semper bonam voluntatem, & piam intentionem communicandi, & sic non carebit fructu sacramenti*. Vide antiquam ac recentiorem de hoc argumento disciplinam, fusius pertractatam a p. 353. Commentarii Historici usque ad paginam 363. primæ editionis.

ARTICULUS II.

Quænam ex parte corporis dispositiones requirantur ad Eucharistiæ communionem.

Not. TRes ex parte corporis dispositiones ad Eucharistiæ communionem requiruntur; jejunium naturale; puritas; habitus exterior: de iis, subsequentibus conclusionibus agitur.

CONCLUSIO 1. Jejunium naturale, ex parte corporis, ordinarie requiritur ad Eucharistiæ communionem.

Probatur. Id requiritur quod præcipit Ecclesia; potest enim leges condere, quæ obligent in conscientia: atqui Ecclesia præcipit, ut jejunium naturale ordinarie sacræ communioni præmittatur; id nempe fert consuetudo quæ constanti Ecclesiæ praxi ab Apostolis ad hoc usque tempus tum in occidente, tum in oriente servata fuit, & nunc etiam servatur: id etiam expresse definitum est in Concilio Constantiensi: *Sacrorum* (inquit) *Canonum auctoritas & Ecclesiæ approbata consuetudo servavit & servat, quod ejusmodi sacramentum nec post cœnam conficiatur, nec sumatur a non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, a jure vel Ecclesia concesso, vel admisso*.

Quæres 1. quinam sint casus a jure aut Ecclesia admissi, quibus licet hominibus non jejunis Eucharistiam recipere.

Resp. id licere 1. non jejuno sacerdoti, cum alius sacerdos qui consecravit, præ infirmitate qua subito corripitur, non potest dona consecrata sumere: ita definitum est canone 2. septimi Concilii Toletani. Licitum est 2. sacerdoti, qui post sumptum Christi corpus, sumpsit aquam quæ calici vini loco, ante consecrationem immissa fuerat: ita præscribunt Missalis Rubricæ. Licet 3. sacerdoti, ut sumat panis consecrati particulas, quæ post sumptam ablutionem in patena superstites esse deprehenduntur. Licet 4. infirmis periculose laborantibus, quamvis minime jejunis, Eucharistiam pro viatico sumere: ita nimirum fert Ecclesiæ consuetudo, quam (ut jam observatum est) probavit Constantiense Concilium. Idque infirmus potest non tantum semel, sed etiam multoties, modo aliquot dies (decem statuit Rituale Parisiense) a priore communione fluxerint, & non detur per modum Viatici. Ita S. Carolus statuit in Concilio Mediolanensi V. Titulo IX.

Quæres 2. a quo tempore is, qui communicaturus est, jejunus esse debeat; & quænam tollant jejunium naturale.

Resp. ad 1. requiri, ut confecturus aut communicaturus, a media antecedentis diei

nocte usque ad illud temporis instans, quo aut conficit aut recipit sacramentum, nihil omnino aut comederit aut biberit, sive per modum cibi & potus, sive per modum medicinæ. Resp. ad 2. cibi reliquias quæ casu aliquo remanserant in ore, non tollere jejunium naturale, si transglutiantur; nec enim in stomachum per modum cibi, sed per modum salivæ trajiciuntur. Idem ferri debet judicium de vini vel aquæ guttulis, quibus os abluitur, quæque præter intentionem deglutiuntur: ita nimirum definiunt Missalis Romani Rubricæ. E contra si faciarum, aut bellaria, aut tabacum, aut aliquid aliud, in quo succus aliquis contineatur, post mediam noctem in stomachum trajecta fuerint, tollunt jejunium naturale, ac proinde sacræ communioni sunt impedimento.

Quæres 3. an inter cœnam & communionem quæ summo mane fieri supponitur, imo & immediate post mediam noctem, saltem die Natalis Christi, necesse sit, ut somnus aliquis mediarit.

Resp. negative. Ratio est, quia quod ex Alexandro Papa III. laudatur decretum lib. 5. Decretalium, capite *Si constiterit*, intelligitur de sacerdote qui noctem, quæ præcesserat missam, in tabernis duxerat: *Quod in taberna pernoctarit, ita quod altera die, nulla præmissa dormitione missam cantasset.*

CONCL. 2. Carnis puritas, seu castimonia, ad sacram communionem requiritur.

Probatur. *Primo*, par non est, ut is qui agnus est sine macula, corpus subeat, quod impuritas conspurcarit. *Secundo*, hæc habet Augustinus Serm. 46. De verbis Domini in Evangelio Joannis capite 4. *Qui audiunt dicentem me: Quicumque non servatis castitatem, nolite accedere ad illum panem, contristantur, &c.*

Quæres, quænam carnis impuritas fideles arceat a sacra communione.

Resp. 1. eam omnem carnis immunditiem quæ ex peccato mortali oritur, fideles ad tempus arcere a sacra communione. Hincque colligitur 1. par non esse, ut, qui pollutionem vel diurnam vel nocturnam voluntarie passus est, accedat ad Eucharistiam, donec mentem & cor orationibus, aliisve pietatis operibus emundarit. Colligitur 2. piarum aurium offensivam esse propositionem qua asseritur, *sacerdotem post fornicationem præcedenti nocte habitam, vel post admissum gravius aliquod scelus, posse tuta conscientia sacris operam dare proxime sequenti die, modo confessionem sacramentalem præmiserit.*

Resp. 2. pollutionem cui quis nullum dedit locum, quæque contigit in somnio, non ex necessitate, sed ex congruitate, arcere a sacra communione: *Et si quidem* (inquit S. Thomas 3. p. q. 80. art. 7.) *sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem hujus sacramenti; ita scilicet quod homo sumendo sit reus corporis & sanguinis Domini.*

Resp. 3. de actu conjugali idem ferri debere judicium, ac de pollutione. *Dicendum* (inquit S. Thomas) *quod actus conjugalis, si sit sine peccato* (*puta si fiat caussa generandæ prolis, vel caussa reddendi debitum*) *non alia ratione impedit sumptionem hujus sacramenti, nisi sicut dictum est de pollutione nocturna quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem & mentis distractionem.* Conjugatis suadet Catechismus Romanus part. 2. num. 27. ut ab exigendo actu conjugali tribus saltem diebus ante sacræ communionis diem temperare studeant.

CONCL. 3. Plurima sunt monita ad externum corporis habitum pertinentia, iis danda qui accessuri sunt ad communionem.

Probatur auctoritate S. Caroli, in cujus Instructionibus hæc habentur: Parochus fideles suæ curæ commissos moneat, satagatque, ut summa reverentia, omnique humilitate ad sacram communionem accedant & sumant: oculis non vagis, sed in Christi corpus pie conjectis: barbæ pilis circa os bene præcisis: ore supra pannum lineum suppositum modeste porrecto: capite non demisso; lingua paullulum labrum inferius intus attingente, non tamen extra os prominente, in qua particulam suscipiant: neque linguam ipsam retrahant prius, quam presbyter manum removerit; tum vero caput humiliter demittant, ita etiam ut suspiriis abstineant, quibus particulæ possint excuti: manibus pectori admotis, instar crucis, ex veteri fidelium disciplina, aut supplicibus, iisdemque nudis: pallio, quantum fieri poterit, adhibito: non birretis, pileisve pluma inaniter ornatis: armis depositis: toto denique corporis habitu decenti, humili, & modesto, non sordido. Mulieres (pergit idem S. Præsul) non sumptuosis, non crudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis: non fuco aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo, aut tenui velo obtecto; sed ita vestitæ, ut ne præter faciem quidquam nudum cernatur: velo denso bene super faciem demisso. Omnes autem genibus flexis (ait ibidem) non pectore, brachiisve scabello innixi. Nihil præterea dabunt: omni modestia surgent & a mensa discedent.

Videat autem sacerdos (verba sunt ejusdem S. Præsulis) Eucharistiam administrans, ut cum dixerit: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*, antequam sacramentum præbeat ei, qui accepturus est, satis spatii relinquat ad respondendum, *Amen*, secundum Ecclesiæ primævæ ritum: is tamen usus respondendi, *Amen*, in omnibus, etiam Latinis Ecclesiis, his temporibus non obtinet.

C A-

CAPUT X.

De Sacramenti Eucharistiæ cæremoniis.

Not. Quæ ad Eucharistiæ sacramenti cæremonias pertinent, reducuntur ad materiam, formam, ministrum, subjectum, & modum recipiendi.

Ritus, qui ad materiam spectant, reducuntur ad varias qualitates panis. Commentarii Historici pag. 200. primæ editionis, probatum fuit ex veterum monumentis, panem consecrandum olim fuisse selectum ex fidelium oblationibus. Pag. 201. ostensum est obvium quemque panem consecratum fuisse dum persecutio sæviret: studio vero præparatum ac figuræ orbicularis, ubi Ecclesiis opera Constantini Magni pax affulsit. Pag. 210. assertum est Ecclesiam Græcam, quovis sæculo panem fermentatum consecrasse: pag. vero 212. Latinos sex prioribus sæculis azymum aut fermentatum indifferenter & indiscriminatim adhibuisse: usum azymi apud Hispanos septimo sæculo usurpatum, apud alias occidentales Ecclesias ita invaluisse ante Photii tempora, ut panis fermentatus plane exclusus fuerit.

Ritus, qui pertinent ad Eucharistiæ formam, sunt 1. quod submissa voce proferatur: 2. quod nonnulli, explicationis caussa, illi inserta fuerint ab Ecclesia.

Cæremoniæ quæ ad ministrum spectant, sunt, quod olim mos ferret, ut Diaconi Eucharistiam passim publicis in synaxibus sollemniter dispensarent; ut clerici minores, immo & laici, urgente necessitatis casu, eam ad absentes & infirmos deferrent.

Ritus ad subjectum pertinentes, sunt personæ quibus olim vel negata vel concessa fuit Eucharistia; situs quo ad eam fideles antiquitus accesserunt; locus in quo ea donati sunt; utriusque speciei aut concessio aut negatio. De iis autem omnibus lector consulat, quæ in hisce institutionibus dicta sunt, aut quæ fusius Commentarii Historici paginis 328.330.331.332. primæ edit. pertractata sunt.

QUÆSTIO II.

De Eucharistia prout est Sacrificium.

Not. 1. Eucharistia prout est Sacrificium, variis nominibus appellatur. *Primo*, Patres Græci eam sæpe vocant, *Liturgiam*, hoc est, publicum & sacrum ministerium: nec immerito, totius nimirum Ecclesiæ nomine Deo offertur. Dicitur quoque *Synaxis*, seu populi fidelis unio cum Christo. Nominatur etiam *Oblatio*: ut videre est apud Eusebium, ubi Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum Epistolam describit, & apud Tertullianum lib. 2. ad uxorem. *Secundo*, a Patribus Latinis vocatur *Collecta*, quod populum colligit; *Dominicum*, quod fit res plane divina: ita Cyprianus in Epist. ad Cæcilium; & tandem *Missa*, & quidem *a mittendo*, tum quod sacrificium ex oblatis a populo missis olim fieret; tum etiam quod Ecclesia sacerdotum ore preces suas in sacrificio ad Deum transmittat; tum denique quod peracto sacrificio, populi sollemniter hisce verbis, *Ite*, *Missa est*, dimittantur.

Not. 2. Quæ ad Eucharistiæ sacrificium spectant, ad hæc capita reducemus; illius nimirum existentiam, essentiam, ministrum, subjectum, effectus, proprietates, dispositiones requisitas, ut quis illi sistat se præsentem, cæremonias quibus celebratur.

CAPUT PRIMUM.

De Existentia sacrificii Eucharistiæ.

Not. 1. Agere de existentia sacrificii Eucharistiæ, idem est ac quærere utrum Eucharistia verum sit novæ legis sacrificium.

Not. 2. Sacrificium duobus modis sumitur: 1. *late*, nempe pro omni opere, quod fit in Dei gloriam: *Verum sacrificium* (inquit Augustinus lib. 10. De Civitate Dei cap. 9.) *est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo: relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Sumitur *stricte*, nimirum pro opere, quod ab actionibus justitiæ aut misericordiæ distinctum est, peculiariterque fit in agnitionem supremi dominii Dei in res omnes creatas: sed ea sacrificii acceptio ex nota subsequente clarior fiet.

Not. 3. Sacrificium *stricte* sumptum, definitur: *Oblatio externa soli Deo facta, qua in testimonium supremi illius dominii, a legitimo ministro res aliqua sensibilis, & permanens, ritu mystico consecratur ac mutatur.* Dicitur 1. *oblatio*, non quidem ex re oblata, sed ex actione ministri offerentis. Dicitur 2. *oblatio sensibilis*, quia (ut ait Augustinus lib. 10. de Civitate Dei cap. 5.) *Sacrificium visibile, invisibilis sacrificii sacramentum est; id est, sacrum signum est.* Dicitur 3. *Soli Deo facta*, eo quod offeratur in testimonium supremi in res creatas dominii, quod quidem (ut patet) soli Deo convenit: *Sacrificium certe* (ait Augustinus l. 10. de Civit. Dei, c. 4.) *nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Deo.* Dicitur 4. *In testimonium supremi dominii Dei in res omnes creatas:* Is est enim primarius sacrificii finis; seu institutum est, ut homo suam in Deum servitutem ac essentialem ab eo dependentiam exterius profiteatur. Dicitur 5. oblatio facta *a legitimo ministro*, eo quod non omnes homines sint ministri

Sacri-

Sacrificii, sed ii tantum qui ad id muneris a Deo tamquam Aaron vocati sunt. Dicitur 6. oblatio rei sensibilis, quæ *mysterio ritu consecratur*, seu ex prophana fit sacra; & in hoc differt a populi fidelis oblationibus, primitiis & decimis, quæ licet Deo offerantur, id tamen non fit per mysticum aliquem ritum. Dicitur 7. oblatio rei sensibilis, quæ consecratur ac *mutatur*: cum enim sacrificium fit in testimonium supremi Dominii Dei, par est, ut per rei oblatæ mutationem, aut mystice, aut physice factam, supremum illud dominium significetur.

Not. 4. In Scripturis triplex distinguitur sacrificii genus, *Latreuticum*, *Propitiatorium*, *Pacificum*. Sacrificium *Latreuticum* est illud, cujus finis est solus Dei cultus & honos; hujus generis erat, *Holocaustum*, quo tota victima in Dei honorem cremabatur. Sacrificium *Propitiatorium* est illud, cujus finis erat, Dei irati placatio & remissio peccatorum. Sacrificium *Pacificum* duplex est; *Eucharisticum* nimirum, hoc est pro receptis beneficiis oblatum, & *Impetratorium*, cujus finis est, novi alicujus beneficii impetratio.

Not. 5. Lutherus elapso proxime seculo negavit, Eucharistiam esse verum ac proprie dictum sacrificium: Idem quoque negarant apud Helvetios Zuinglius, apud Genevenses Calvinus, & apud Anglos Comitia generalia, quæ anno 1549. a regni proceribus habita sunt. E contra Ecclesia Catholica docet, ac docuit semper, Eucharistiam non tantum esse sacramentum novæ legis, sed etiam verum ac proprie dictum sacrificium.

CONCLUSIO 1. Eucharistia est verum ac proprie dictum novæ legis sacrificium.

Probatur 1. ex analogia sacerdotii Christi cum Melchisedechi sacerdotio, cujus Scriptura meminit Gen. 14. Eucharistia in ultima cœna, quam Christus cum suis Apostolis habuit, fuit verum ac proprie dictum sacrificium; ergo est ejusmodi his etiam temporibus. Probatur ant. Eucharistia in ultima cena fuit veritas quæ adumbrata fuerat in oblatione panis & vini a Melchisedecho facta: ergo quemadmodum Melchisedechi oblatio fuit verum ac proprie dictum sacrificium, ita etiam Eucharistia in ultima cena, quam Christus cum suis Apostolis habuit.

Confirmatur argumentum 1. ex eo quod si Christus in ultima cena Eucharistiam non obtulisset tamquam sacrificium, numquam sese gessisset tamquam sacerdotem secundum ordinem Melchisedech; ac proinde immerito hæc de eo prædixisset regius Propheta: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: in tantum enim sese sacerdotem secundum ordinem Melchisedech gerere potuit, in quantum obtulerit species substantiæ, hoc est, panis & vini, quam Melchisedech quondam obtulerat.

Confirmatur 2. ex SS. Patribus: *Obtulit* (inquit Cyprianus in epistola ad Cæcilium) *hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem*. Augustinus lib. 16. de Civitate Dei, cap. 22. asserit, in oblatione Melchisedech *primum apparuisse sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum*, implerique illud quod longe post factum per Prophetam refertur ad Christum: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Iis Patribus inhærens Concil. Trid. hæc ait sess. 22. cap. 1. *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans*, (Christus) *corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit*.

Probatur 2. ex Malachiæ prophetia. Existit in nova lege sacrificium, quod in ea futurum esse Malachias cap. 2. his verbis prædixit: *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*: Atqui illud sacrificium non aliud est, quam Eucharistia. Nam 1. non est cruentum crucis sacrificium: tum quod sacrificium crucis spiritualiter sumptum non est novum sacrificium; sic enim acceptum, olim a Patriarchis & Prophetis oblatum est, seu ab iis oblata est Deo Patri mors futura Christi: tum etiam quod materialiter sumptum, Jerosolymis tantum oblatum sit. Non est 2. interius sacrificium laudis, tum quia laudis sacrificium quovis tempore ante Evangelium a viris piis oblatum est, tum etiam quia vox Hebræa *Mincha*, qua Malachias usus est, oblationem sensibilem significat.

Confirmatur auctoritate Patrum: Uno nimirum ore Malachiæ Vaticinium interpretati sunt de Eucharistia. Vide S. Justinum Dialogo cum Triphone, Irenæum lib. 4. adversus hæreses c. 32. Tertullianum lib. 3. contra Marcionem, Augustinum lib. 18. de Civ. Dei, cap. 35. Chrysostomum Comment. in Psalm. 95. Iis vero Concil. Trid. sess. 22. c. 1. subscribit.

Probatur 3. ex novo testamento. *Primo*, apud Lucam Christi corpus pro nobis datum est in ultima cœna: *Quod pro vobis datur*: tunc quoque pro nobis calix effusus est: *Hic est calix qui pro vobis fundetur*: atqui ea corporis fractio, ea calicis effusio, fuerunt verum sacrificium; non enim aliud significant, quam Christum tunc suum corpus & suum sanguinem sub panis & vini speciebus obtulisse Deo Patri. *Secundo*, Paulus prioris ad Corinth. 10. supponit, Altare esse in nova lege in quo Christi corpus & sanguis offerantur, sicut est apud gentiles, in quo dæmoniis Hostiæ offeruntur: *Non potestis* (inquit) *mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*: Illud autem Altare est Altare, in quo offertur Eucharistia: ibi enim Apostolus

de Eucharistia loquitur: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Atqui si in nova lege sit Altare, in quo Eucharistia offeratur, Eucharistia necessario est sacrificium: nempe Altare & sacrificium sunt correlativa. *Tertio*, Actor. 13. Apostoli Domino ministrarunt: *Ministrantibus illis Domino*: atqui ministerium illud Domino exhibitum fuit sacrificium: tum quod Lucas utatur *Liturgiæ* vocabulo, quod quidem capite 1. usurparat pro Zachariæ sacerdotis ministerio: tum etiam quod apud Patres Græcos eadem vox pro sacrificii oblatione passim sumatur. Vide Ignatium in epist. ad Trallianos c. 4. Concilium Gangrense, Basilium, & alios Patres.

Probatur 4. ex Conciliis: *Primo*, Concilium Nicænum I. can. 18. Diaconis vetat, ne deinceps audeant Christi corpus Presbyteris concelebrantibus dispensare: *Quod* (inquit) *nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant*. Supposuit igitur Concilium Eucharistiam esse sacrificium, & quidem non a Diaconis, sed a Presbyteris oblatum. Concilium Ephesinum I. in declaratione XI. Anathematismi XI. hæc habet: *Sanctum ac vivificum incruentumque in Ecclesiis peragimus sacrificium*. In Concilio Chalcedonensi adversus Dioscorum querela mota est, quod largissimis pecuniis omne frumentum coemisset: *Et ex hoc* (inquit auctor libri supplicis qui oblatus est Concilio) *neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est*. Vide etiam Concilium Toletanum XII. aliaque quæ deinceps habita sunt Concilia.

Probatur 5. auctoritate Patrum. *Primo*, Patribus qui *Liturgias* scripserunt, persuasum fuit Eucharistiam esse sacrificium: nam in iis liturgiis millies meminerunt oblationis, immolationis, sacrificii, sacerdotum, altarium, sacrorumque vasorum. *Secundo*, ii etiam qui non scripserunt liturgias, non raro loquuntur de altaribus, sacerdotibus, instrumentis; ipsum etiam sacrificii nomen usurpant. Vide Irenæum lib. 4. adversus hæreses; Cyprianum epist. 66. Optatum Milevitanum lib. 6. Chrysostomum lib. 6. de Sacerdotio. *Tertio*, si Patres credidissent (ut supponimus) Eucharistiam esse verum ac proprie dictum sacrificium, aliis terminis, alia loquendi ratione ab ea quam adhibuerunt, uti non potuissent. *Quarto*, hic urgeri etiam potest omnium, tum occidentalium, tum orientalium, Ecclesiarum consensus. *Quinto*, moveri etiam potest argumentum, quod ex præscriptione pro reali præsentia corporis Christi in Eucharistia superius urgebamus.

Objicies 1. Missæ sacrificium infert injuriam sacrificio crucis: nam illud infert injuriam sacrificio crucis, quod supponit illud non fuisse sufficiens ad perfectam ac integram hominum redemptionem: atqui Missæ sacrificium id supponit; siquidem si crucis sacrificium satis fuerit, inutile est aliud sacrificium; ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. inutile est aliud sacrificium quantum ad redemptionem, conc. ant. quantum ad applicationem redemptionis, neg. ant. Licet (ut Paulus) *Christus una oblatione consummarit in sempiternum sanctificatos*, hoc est, licet uno crucis sacrificio Christus redemptionem nostram meruerit, abundeque æterno Patri satisfecerit: tamen ex ipsiusmet Christi ordinatione, Eucharistiæ sacrificium necessarium est; ut ea redemptio, ea satisfactio nobis applicentur, & fideles in unum religionis corpus conveniant: Unde Christus in cruce oblatus, est sacrificium *redemptionis*, in Eucharistia vero est sacrificium *religionis*.

Objicies 2. In nova lege non sunt alii a Christo sacerdotes: ergo nullum in ea jam offertur sacrificium, ac proinde Eucharistia sacrificium esse non potest. Probatur ant. Paulus ad Hebræos 7. in eo Novum testamentum opponit Veteri, quod in isto essent plures sacerdotes, in illo vero unus sit tantum: *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes ... Hic autem* (Christus) *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: unde & salvare in perpetuum potest*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Quod in veteri testamento essent plures sacerdotes qui sibi invicem succederent, conc. ant. qui sibi invicem non succederent, neg. ant. Apostolus in hoc opponit vetus testamentum novo, quod in veteri sacerdotes, cum perpetuum non esset eorum sacerdotium, sibi invicem succederent; in novo vero sacerdotes non succedant Christo, cum Christus maneat sacerdos in æternum, semperque vivat ad interpellandum pro nobis: sed hoc non impedit, quin alii ab ipso sint sacerdotes, qui licet ipsi non succedant, sunt tamen illius ministri, ejusque vices agunt in terris, juxta illud 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*.

Objicies 3. Illud non est sacrificium, in quo Hostia nullam patitur mutationem: atqui Eucharistiæ hostia, corpus nimirum & sanguis Christi, nullam patitur mutationem: ergo Eucharistia non est verum ac proprie dictum sacrificium. Major constat ex ipsa sacrificii definitione. Minor non minus est certa: post resurrectionem enim corpus Christi non est passibile, proindeque nec obnoxium est mutationi.

Resp. dist. maj. in quo Hostia nullam nec internam, nec externam patitur mutationem, conc. maj. in quo non patitur quidem

internam, sed patitur externam, neg. maj. Corpus & sanguis Christi in Eucharistia intrinsece quidem non mutantur, sed mutantur extrinsece, seu in ordine ad locum; siquidem vi verborum sistuntur præsentia, seu incipiunt esse sub panis & vini speciebus, sub quibus non erant antea: ea autem extrinseca mutatio satis est ad sacrificium proprie dictum; nempe Christus non est alicubi realiter præsens, quin offerat sese Deo Patri, appareatque vultui Dei pro nobis.

Instabis. Nullum est sacrificium proprie dictum sine sanguinis effusione, nam sacrificium continet testamentum; quod quidem non est absque sanguinis effusione. *Ubi enim* (inquit Apostolus ad Hebræos 9.) *testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*; atqui in Eucharistia nullus sanguis effunditur: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ratio est, quia in antiquo testamento sacrificia farrea erant vera sacrificia; unde cruento tantum, non autem incruento sacrificio, ut est Eucharistia, essentiale est, ut sanguis effundatur. Ad 2. dist. ant. Testamentum in sui institutione non est absque effusione sanguinis, conc. ant. in sui commemoratione, neg. ant. Eucharistia supponit novum testamentum jam institutum, estque illius tum commemoratio, tum applicatio: commemoratio quidem per mysticam Hostiæ mortem, exhibetur nimirum Christi mors in ipsa panis & vini consecratione; per eam enim corpus & sanguis mystice separantur, cum *vi verborum* solum corpus sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini constituantur: unde merito hæc ait Chrysostomus hom. 15. ad populum Antiochenum: *Quid agis, o homo, juras super sacram mensam, ubi & Christus occisus jacet?* Eucharistia est etiam applicatio cruenti sacrificii: nempe per Christi realiter præsentis oblationem merita mortis, quam passus est in cruce, nobis applicantur.

Objicies 4. Christus Jo. 4. asseruit, non esse futurum in nova lege aliquod externum sacrificium: ergo, &c. Probatur ant. Ille asseruit non esse futurum aliquod sacrificium externum in nova lege, qui asseruit futurum esse in nova lege sacrificium in spiritu & veritate: atqui id asseruit Christus: *Venit hora & nunc est* (inquit alloquens mulierem Samaritanam, a qua interrogatus fuerat an Jerosolymis, an vero in monte Garizim sacrificium offerri deberet) *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. maj. Qui asseruit per exclusionem futurum esse in nova lege sacrificium in spiritu & veritate, conc. maj. qui non asseruit per exclusionem, neg. maj. Christus asseruit quidem futurum esse in nova lege internum sacrificium, & in hoc Christianos spirituales opposuit Judæis carnalibus, sed non exclusit externum, ac proinde nec Eucharistiæ sacrificium.

Instabis. Christus Joannis 4. hæc ait: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem*: loquitur de externis sacrificiis, de quibus inter eum & mulierem Samaritanam erat quæstio: non autem de internis, quæ constat oblata fuisse & nunc etiam offerri, tum in Samaria, tum Jerosolymis; ergo Christus per adorationem in spiritu & veritate, exclusit a nova lege quodcumque externum sacrificium.

Resp. dist. ant. Neque in monte hoc, neque in Jerosolymis *tantum* adorabitis Patrem, conc. ant. non adorabitis *absolute*, neg. ant. Eo loci prædicit Christus, quod ante prædixerat Malachias, scilicet externum sacrificium Christianorum ubique gentium esse offerendum, cum e contra externa Judæorum sacrificia Jerosolymis tantum, & secundum Samaritanos, in solo monte Garizim, offerri potuerint. *Dominus ipse* (inquit Basilius lib. 2. de Baptismo quæst. 8.) *potestatem dedit adorandi Deum in omni loco, ubi dixit: Neque Jerosolymis postbac, neque in monte isto adorabitur Pater.*

CONCL. 2. Eucharistiæ sacrificium est simul Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, & Impetratorium.

Probatur. *Primo*, Eucharistiæ sacrificium institutum est, ut Ecclesia in illius celebratione latriæ cultum per ipsummet Christum Deo exhibeat; nimirum Christi morte, quæ in eo repræsentatur, testatur, & veneratur supremum Dei in creaturas omnes dominium. *Secundo*, in Eucharistiæ sacrificio Deo pro acceptis per Christum beneficiis gratias agimus; *Nosti in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus Deo nostro*; (verba sunt Augustini, epist. 57. quæ est ad Dardanum.) *Tertio*, Deus per Eucharistiæ sacrificium placatur; eadem enim illa victima, & per eumdem præcipuum sacerdotem offertur, quæ oblata fuit in cruce; ergo cum sacrificium crucis vere propitiatorium fuerit, necesse est, ut propitiatorium quoque sit Eucharistiæ sacrificium. *Quarto*, Deus per Eucharistiæ sacrificium movetur ad conferendam peccatorum remissionem, ad largienda actualia auxilia, quibus fideles indigent; ergo est vere impetratorium. Qua vero ratione illos effectus operetur, inferius a nobis dicetur. *Quinto*, quæ hucusque dicta sunt, confirmantur auctoritate Concilii Tridentini, quod quidem sess. 22. cap. 2. hæc habet; *Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit, docet sancta synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu*

& re-

& reverentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

CAPUT II.

De essentia sacrificii Eucharistiæ.

Not. Quæstio est, in qua Liturgiæ parte posita sit essentia sacrificii Eucharistiæ. Circa eam difficultatem multiplex est sententia. Nonnulli contendunt, eam includere, tum oblationem, tum consecrationem, tum sumptionem; aliqui docent complecti solam consecrationem: Alii volunt eam positam esse in specierum, quæ consecratæ sunt, fractione.

CONCLUSIO 1. Essentia sacrificii Eucharistiæ non est posita in specierum consecratarum fractione.

Probatur. *Primo*, non est certum, an Christus in ultima cœna panem consecratum fregerit, an vero non consecratum; seu utrum panem fregerit ante consecrationem, vel postea tantum: & tamen certum est, ipsum Eucharistiam, tanquam sacrificium, obtulisse. *Secundo*, si casu aliquo Hostia consecrata ante fractionem decideret in calicem, staret nihilominus sacrificium: ergo illius essentia non est posita in specierum fractione.

CONCLUSIO 2. Oblatio vocalis non est de essentia sacrificii Eucharistiæ.

Probatur. Duplex fit in liturgia vocalis oblatio, una ante consecrationem, altera vero post consecrationem; atqui in neutra posita est essentia sacrificii Eucharistiæ. Non in prima; neque enim tunc offertur præsens Christi corpus, quod tamen offertur in Eucharistiæ sacrificio. Non etiam in posteriore, per eam enim nulla, ne mystica quidem, fit in victima mutatio, quæ tamen (ut superius dictum est) ad essentiam sacrificii requiritur.

Objicies. Si oblatio vocalis non sit de essentia sacrificii Eucharistiæ, non erat, cur in omnibus, tum Latinis, tum Græcis liturgiis præscriberetur: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia in liturgiis variæ orationes præscribuntur, quæ licet ad sacrificii essentiam non pertineant, non sunt tamen inutiles; aut enim ad consecrationem præparant, aut explicant peractam. Priore oblatione panis & vinum e prophanis fiunt sacra; secernuntur nimirum ad consecrationem; per posteriorem vero Ecclesia exposcit, ut consecrata prosint fidelibus.

CONCLUSIO 3. Consecratorum sumptio, quæ a sacrificante fit, non pertinet ad essentiam sacrificii Eucharistiæ.

Probatur 1. Si consecratorum sumptio pertineret ad essentiam sacrificii Eucharistiæ, non constaret, Christum in ultima cœna Eucharistiam obtulisse tamquam sacrificium; siquidem non est certum, saltem fide Catholica, quod Christus ipse suum corpus & suum sanguinem in ultima cœna sumpserit. 2. Cum res oblata sumitur, nonnisi localiter mutatur: atqui mutatio localis satis non est ad sacrificii essentiam.

Objicies. Illud pertinet ad essentiam sacrificii Eucharistiæ, ad quod sacerdotes conficientes jure divino tenentur ad consecratorum sumptionem: ergo, &c.

Resp. neg. maj. nempe Christus non præcepit tantum ea quæ sunt essentialia sacrificio, sed etiam nonnulla ex iis quæ ad illius integritatem pertinent. Cum Eucharistia sit convivii spiritualis adinstar, mirum non est, quod Christus cuilibet sacerdoti sacrificanti illius sumptionem injunxerit.

Confirmatur responsio ex v. canone Concilii Toletani XII. scilicet definit quidem canon, reos esse sacerdotes, qui dum celebrant, dona consecrata non sumunt, sed non declarat Eucharistiam ab eis oblatam non esse sacrificium; immo contrarium supponit, ut ex ipsis canonis verbis colligi potest: *Relatum est nobis quosdam de sacerdotibus, non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videntur offerre; sed si in uno die plurima per se offerunt sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendunt, & in sola tantum extrema sacrificii oblatione communionem sacræ gratiæ sumunt... Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescumque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi in altari immolat, totius perceptionis corporis & sanguinis Christi participem se præbeat.*

CONCL. 4. Sola consecratio est de essentia sacrificii Eucharistiæ, seu tota essentia sacrificii Eucharistiæ posita est in consecratione.

Probatur. In eo solo posita est essentia sacrificii Eucharistiæ, per quod Hostia fit actu præsens; mutat statum; mystice moritur: atqui Hostia sacrificii Eucharistiæ fit actu præsens, mutat statum, mystice moritur per solam consecrationem; siquidem per eam tantum corpus & sanguis Christi fiunt realiter præsentia, Christi passio repræsentatur, mutant statum; mortuo enim modo se habent, saltem exterius: ergo, &c.

Objicies. In Ecclesia Latina die sacra Parasceves verum fit sacrificium, & tamen nulla fit consecratio: non enim alia Hostia sumitur aut offertur a sacerdote, quam quæ pridie consecrata fuerit: ergo consecratio non est de essentia sacrificii.

Resp. neg. ant. nempe ritus qui die Parasceves celebratur, non est sacrificium, sed mera Ecclesiæ cæremonia. Idem quoque dici debet de Missa Præsanctificatorum, quæ apud Græcos per totam Quadragesimam celebratur.

Quæres, utrū ad sacrificii essentiā requiratur con-

consecratio utriusque speciei, an vero satis sit unius consecratio.

Resp. 1. jure divino utriusque speciei consecrationem præcipi: eam nimirum Christus Apostolis futurisque eorum in sacerdotio successoribus his verbis injunxit: *Hoc facite*: Id enim injunxit omne quod ipse præstiterat, cum Eucharistiam instituit; ac proinde, cum ex Evangelio constet eum utramque speciem consecrasse, sequitur eum utriusque consecrationem laudatis verbis, *Hoc facite*, præcepisse.

Resp. 2. quod licet constet, utriusque speciei consecrationem jure divino requiri, non sit tamen certum fide Catholica, utriusque consecrationem ad sacrificium essentialiter requiri. Ratio est, quia ad essentiam sacrificii satis est, ut saltem imperfecte Christi mors exhibeatur; sic autem exhibetur in unius speciei consecratione. Præterea per unius speciei consecrationem Hostia redditur physice præsens, mutat statum, & mystice moritur, ut patet ex iis quæ superius dicta sunt.

CAPUT III.

De ministro Sacrificii Eucharistiæ.

Not. WAldenses (teste Raynero lib. contra Vvaldenses, c. 5.) docuerunt, Eucharistiam a fidelibus laicis, modo viri sint frugi, consecrari posse. Eam potestatem laicis, etiam impiis, Lutherus fecit, quamvis (ait) non expediat, ut ea utantur.

CONCLUSIO. Soli sacerdotes possunt Eucharistiam consecrare, unde soli sunt ministri sacrificii Eucharistiæ. Ita Concilium Trid. sess. 21. can. 1. definiit.

Probatur 1. ex Scriptura. Ii soli possunt Eucharistiam consecrare, quos Christus his verbis, *Hoc facite*, alloquebatur: atqui Christus solos sacerdotes iis verbis alloquebatur: siquidem per ea verba Apostolos constituit Novi Testamenti sacerdotes, ut dicetur in dissertatione *De Ordine*.

Probatur 2. ex traditione. Concilium Nicænum I. canone 18. expresse asserit, Diaconos non habere potestatem offerendi Christi corpus; indeque sumit argumentum, ut probet eos non debere Eucharistiam presbyteris dispensare. Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. hæc ait: *Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos qui rite fuerit ordinatus.*

Objicies 1. Laicus in articulo necessitatis baptizare potest: ergo in eodem articulo potest quoque Eucharistiam consecrare.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Christus propter summam baptismatis necessitatem, quæ (ut suo loco dictum est) Eucharistiæ non convenit, laicis hominibus facultatem fecit baptizandi in necessitatis articulo.

Objicies 2. Canone 2. Ancyrano a flagitiosis Diaconis tollitur potestas offerendi panem & vinum in altari: supponit igitur, Diaconos, antequam incidissent in flagitia, habuisse illam potestatem.

Resp. dist. ant. Tollitur potestas offerendi, hoc est, porrigendi presbyteris in altari panem & vinum, a fidelibus ad conficiendam Eucharistiam oblata, conc. ant. offerendi, hoc est, consecrandi panem & vinum, neg. ant. Diaconis non suspensis jus erat porrigendi Presbytero panem & vinum, quæ ab ipso sacerdote consecrarentur; ex eo autem jure ab Ancyranis patribus flagitiosi dejiciuntur.

Quæres, utrum Eucharistia a pluribus simul sacerdotibus olim consecrata fuerit, & nunc etiam aliquando consecretur.

Resp. affirmative; idque colligitur ex canone 18. Concilii Nicæni I. quo comprimitur audacia Diaconorum contendentium, Sacerdotes cum Episcopo concelebrantes debere non Episcopi, sed Diaconi manibus Eucharistiam recipere. Colligitur iterum ex Pontificali Romano, quo Sacerdotes, qui mox ab Episcopo consecrati sunt, jubentur consecrationis verba cum illo proferre. Eo autem in casu singulorum actio se habet per modum unius actionis moralis: unde concluditur, Eucharistiam tunc tantum esse consecratam, cum omnes Sacerdotes consecrationis verba protulerunt. Vide Commentarium Historicum a pagina 417. ad paginam 423. primæ editionis.

CAPUT IV.

De subjecto Sacrificii Eucharistiæ.

Not. HIc nomine subjecti intelliguntur personæ, pro quibus offertur Eucharistiæ sacrificium: Eæ vero personæ vel vita fruuntur, vel extremam clauserunt diem. Inter eas, quæ vivunt, recensentur Gentiles, Judæi, excommunicati, impii, justi; inter eas vero quæ vita excesserunt, numerantur beati qui gloria fruuntur in cælis, justi qui sunt in purgatorio, damnati qui in inferis torquentur: quærendum igitur est hic, an pro iis omnibus Eucharistiæ sacrificium offerri debeat.

CONCLUSIO 1. Licet offerre Eucharistiæ sacrificium pro omnibus, qui inter viventes agunt, quamcumque religionem profiteantur.

Probatur 1. Apostolus id jubet primæ ad Timot. 2. Nec admitti debet eorum responsio, qui contendunt, preces, de quibus Paulus eo loci loquitur, intelligi de precibus quæ fiant extra sacrificium: Nempe loquitur de precibus quæ suo tempore fiebant publicis in conventibus: at in iis conventibus (Justino teste apologia II.) Eucharistia semper consecrabatur.

Objicies. Excommunicatis non prosunt Ecclesiæ preces. ergo nec Eucharistiæ sacrificium.

Resp.

Resp. dist. ant. preces quæ in communi pro fidelibus offeruntur, conc. ant. quæ pro excommunicatis specialiter offeruntur, neg. ant. ob eam rationem excommunicatorum nomina recitari non solent cum nominibus fidelium, sed sacerdos, qui pro eis specialiter orat, eos habet in mente præsentes.

Objicies 2. Apud Augustinum lib. 1. de origine animæ c. 9. hæc habentur: *Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi?* atqui gentiles, Hæretici, excommunicati, non sunt membra Christi: ergo; &c.

Resp. dist. maj. Quis offerat, &c. nisi pro iis qui sunt vel actu vel potentia membra Christi, conc. maj. qui non sunt quidem in actu, sed sunt in potentia, neg. maj. Licet ii, de quibus argumentum, actu non sint Christi membra, sunt tamen in potentia: nemo nimirum est inter viventes, quem Christus ad fidem & caritatem per omnipotentissimam suam gratiam adducere non possit.

CONCL. 2. Eucharistiæ sacrificium pie offertur pro justis, qui torquentur igne purgatorio.

Probatur. Id pie fit, quod præstitum legimus 2. Machabæorum 12. quod ab Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora factitatum est: atqui sacrificium pro mortuis, de quibus agitur, oblatum legimus 2. Machabæorum 12. idque factitatum est ab Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora. Vide Tertullianum lib. de Corona militis c. 3. Cyprianum Epistola ad Presbyteros, Diaconos, & plebem Furnis consistentem; Augustinum libro de Cura pro mortuis gerenda; omnes Patres, qui quondam Liturgias scripserunt. Lutherani, aliique recentiores Hæretici contumeliis, si velint, afficiant laudatos Patres; nobis tamen certissimæ regulæ erunt loco: nec enim fieri potest, ut usum illum ubique semper receptum docti non sint ab ipsismet Apostolis. De antiqua pro mortuis celebrandi consuetudine, vide Comment. Hist. pag. 425. primæ editionis.

CONCL. 3. Nec pro beatis, nec pro damnatis offerri potest Eucharistiæ sacrificium.

Probatur prior pars. Eucharistiæ sacrificium beatis prodesse non potest ad alicujus pœnæ temporalis remissionem; scilicet nemo, qui alicujus pœnæ debitor sit, cælum ingreditur. Altera pars constat ex eo, quod ex immutabili Dei decreto perpetua sint damnatorum supplicia: *Discedite a me maledicti* (inquit Christus Matth. c. 25.) *in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Constat quoque ex Augustino, qui l. 3. de origine animæ c. 12. sic loquitur: *Noli credere, nec dicere, nec docere sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus.*

Objicies in priorem partem. In Missa Mozarabum, id est, Hispanorum Arabibus permixtorum, hæc ait sacerdos: *Item pro spiritibus pausantium*, moxque recitat nomina Hilarii, Athanasii, Martini, & aliorum qui in sanctorum numerum relati sunt: ergo licet pro beatis offerre sacrificium Eucharistiæ.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia (ut advertit Cardinalis Bona l. 2. *Rerum Liturgicarum* c. 14.) tempore, quo Missa, de qua agitur, erat in usu, solis martyribus cultus sollemnis & publicus exhibebatur: aliorum enim, præsertim Episcoporum, qui in Ecclesiæ pace dormiissent, nomina sacris defunctorum tabulis inscripta palam inter sacra mysteria recitabantur.

Objicies in alteram partem. *Primo*, Adrevaldus libro de Miraculis S. Benedicti c. 22. scribit, monachos Floriacenses preces ad Dominum fudisse pro animabus prædonum in acie occisorum. *Secundo*, Judas Machabæus, libro 2. Machab. capite 12. præcepit offerri sacrificium pro Judæis in prælio cæsis, sub quorum tunicis inventa sunt donaria idolorum: ii tamen Judæi mortui fuerant in peccato mortali. *Tertio*, in liturgia ad cujus normam Latini Missam pro defunctis celebrant, hæc legitur oratio: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.* Ex iis autem monumentis constare videtur, licitum esse preces pro damnatis fundere, ac proinde pro ipsis offerre sacrificium Eucharistiæ.

Resp. ad 1. Monachos Floriacenses facto suo probasse, se habuisse quidem zelum, sed qui non esset secundum scientiam. Resp. ad 2. Judæos, de quibus agitur, idolorum donaria abstulisse, non in idolorum reverentiam, sed tamquam prædam quæ belli jure victoribus deberetur: unde falsum est, eos in statu peccati mortalis obiisse. Resp. ad 3. eas Ecclesiæ preces referri ad illud instans, quo defunctorum animæ ex corpore exierunt, nempe solet Ecclesia præteritum tempus aliquando recolere, quasi præsens esset, aliquando vero quasi futurum: *Sæpe ita loquitur* (inquit Augustinus Epist. 23. quæ est ad Bonifacium Episcopum) *ut Pascha appropinquante dicamus crastinam vel perendinam Domini passionem, cum ille ante jam multos annos passus sit.* Ejus autem instantis fit memoria, ut Ecclesia plenam ac integram liberationem iis animabus apprecetur. Præterea dici potest, voces istas, *De pœnis inferni, de profundo lacu*, intelligi de subterraneis locis, in quibus ad perfectam usque liberationem defunctorum animæ versantur.

CAPUT V.

De effectibus sacrificii Eucharistiæ.

Not. Quæremus hic 1. utrum sacrificium Eucharistiæ peccata remittat: 2. qua ratione id fiat, an mediate, vel immediate; an ex opere operato, an vero ex opere operantis: 3. quantus sit valor sacrificii Eucharistiæ.

CONCL. 1. Eucharistiæ sacrificium peccata remittit, tum quoad culpam, tum quoad pœnam.

Probatur 1. Eucharistiæ sacrificium est idem cum sacrificio, quod Christus obtulit in ultima cœna: atqui sacrificium, quod Christus obtulit in ultima cœna, vim habuit remittendi tum culpam tum pœnam peccati: *Hic est calix, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*. 2. Omnes Ecclesiæ ubique semper Eucharistiæ sacrificium obtulerunt pro impiis & justis: ergo censuerunt, illi sacrificio vim inesse dimittendi culpam impiis, & pœnam justis. 3. Conc. Trid. sess. 22. c. 2. definiit, Eucharistiæ sacrificium *vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*.

CONCL. 2. Eucharistiæ sacrificium mediate tantum remittit peccata.

Probatur. Illud mediate tantum remittit peccata, quod impetrat media, quibus peccatum dimittitur: atqui Eucharistiæ sacrificium impetrat media, quibus peccatum dimittitur: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus* (inquit Conc. Trid. sess. 22. c. 2.) *gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit*.

CONCL. 3. Eucharistiæ sacrificium, nec peccati culpam nec pœnam remittit ex opere operato, sed tantum ex opere operantis. Est contra Bellarminum pluresque scholasticos.

Probatur. Si sacrificium Eucharistiæ peccati culpam aut pœnam remitteret ex opere operato, quoties non esset obex, effectum suum produceret: atqui etiamsi non sit obex, toties effectum suum non producit; nempe etiamsi offeratur cum pietate ac reverentia pro quorumdam impiorum conversione, illi tamen impii non semper convertuntur: sic etiam quamvis pie ac reverenter offeratur ad obtinendum nonnullis justis perseverentiæ donum, illud tamen donum aliquando non obtinetur: ergo Eucharistiæ sacrificium peccati aut culpam, aut pœnam, non remittit ex opere operato.

Objicies. Si Eucharistiæ sacrificium remitteret peccata solum ex opere operantis, illius oblatio effectu suo præ sacerdotis iniquitate frustraretur: atqui illud est absurdum: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia sacrificium est publica Ecclesiæ oratio; publica autem Ecclesiæ oratio non redditur inutilis propter iniquitatem ministri, eo quod non tam ipse sacerdos qui loquitur, oret, quam Ecclesia quæ illius utitur ministerio.

CONCLUSIO 4. Valor sacrificii Eucharistiæ est infinitus secundum sufficientiam, finitus vero secundum efficientiam.

Probatur prior pars. Eucharistiæ sacrificium est idem cum sacrificio crucis, solaque differt offerendi ratione: atqui sacrificium crucis valorem habuit infinitum secundum sufficientiam; in eo nempe victima sanctitatis infinitæ a sacerdote infinitæ virtutis oblata est æterno Patri. Altera pars non minus est evidens; nam valor secundum efficaciam sumptus est infinita secundum effectum operatio: atqui eam non habet Eucharistiæ sacrificium; alioquin frustra multoties offerretur.

Objicies. Sacrificium crucis fuit infiniti valoris etiam secundum efficaciam; ea nimirum de caussa iterari non debuit: ergo cum Eucharistiæ sacrificium sit idem secundum substantiam cum sacrificio crucis, debet quoque habere valorem infinitum secundum efficaciam.

Resp. conc. ant. neg. conf. Ratio est, quia sacrificium crucis est sacrificium redemptionis; ac proinde par fuit, ut infiniti esset valoris etiam secundum efficaciam, seu par fuit, ut Christus per crucis sacrificium omnium hominum redemptionem mereretur: e contra Eucharistia est sacrificium applicationis; at par non est, ut applicationis sacrificium infiniti sit valoris secundum efficaciam, seu ut per ipsum, totum sacrificii crucis meritum nobis applicetur: nempe Christus, ut illius memoriam sæpius recoleremus, voluit, ut per iteratas sacrificii Eucharistiæ oblationes, auxilia quibus indigemus obtinerentur.

Quæres, cum infinitus non sit secundum efficaciam fructus, qui ex Eucharistiæ sacrificio percipitur, unde quantitas illius desumi debeat?

Resp. desumi ex triplici capite, nempe ex absoluto Dei beneplacito; ex intentione ministri; ex devotione personæ, pro qua specialiter offertur. Prior responsionis pars patet ex eo, quod Deus non semper id concedat, quod pro nonnullis hominibus in Eucharistiæ sacrificio petitur. Altera pars constat ex eo, quod speciales orationes prosint magis, quam generales: hincque merito Concilium Constantiense damnavit hunc Wicleffi articulum: *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel religiosos, non plus prosunt eisdem, quam generales, ceteris paribus*. Tertiam responsionis partem demonstrant hæc S. Thomæ verba 3. part. q. 79. art. 5. *Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna:*

nec.

nec immerito sic censuit S. Doctor, cum (ut superius dictum est) Eucharistiæ sacrificium per modum impetrationis, seu orationis, operetur.

CAPUT VI.

De proprietatibus Sacrificii Eucharistiæ.

Not. PRætermissis pluribus sacrificii Eucharistiæ proprietatibus, hic de sola illius necessitate dicemus. Ea vero necessitas considerari potest vel ex parte sacerdotum, vel ex parte fidelium: de sacrificii Eucharistiæ necessitate secundum duplicem illum respectum considerata subsequentibus articulis est agendum.

ARTICULUS I.

Utrum sacerdotes teneantur offerre Eucharistiæ sacrificium.

Not. IN hoc articulo quæremus 1. an & quoties sacerdotes teneantur offerre sacrificium Eucharistiæ: 2. an liceat offerre, etiamsi nullus adsit qui communicet: 3. an ubi nullus est qui ministret: 4. an honorarium, seu stipendium, pro sacrificii oblatione recipi possit.

CONCL. 1. Jure divino sacerdotes, etiam ii quibus animarum cura non incumbit, tenentur offerre sacrificium Eucharistiæ.

Probatur. Hæc Christi verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, spectant ad eos omnes qui Apostolorum futuri erant successores in sacerdotio: atqui iis præcipitur, ut offeratur Eucharistiæ sacrificium, quod ipsemet Christus obtulit in ultima cœna: *Ut sumerent tradidit* (inquit Conc. Trid. sess. 21. c. 2.) *& eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit.*

Quæres, an sacerdotes qui non habentes animarum curam, numquam aut raro Eucharistiæ sacrificium offerunt, lethaliter peccent, an vero tantum venialiter.

Respondet hisce verbis S. Thomas in 4. Sent. dist. 13. q. 1. art. 2. *Ambrosius dicit: Grave est, quod ad mensam suam mundo corde & manibus innocentibus non venimus: sed gravius est, si dum peccatum metuimus, etiam sacrificium non reddamus: Sed primum est mortale, ergo & secundum.*

CONCL. 2. Quilibet sacerdos, legitime non impeditus, tenetur sæpius in anno celebrare.

Probatur auctoritate S. Thomæ, qui 3. p. q. 83. art. 10. sic loquitur: *Saltem videtur quod celebrare* (sacerdos etiam cui non incumbit animarum cura) *teneatur in præcipuis festis, in quibus fideles communicare consueverunt.* Sunt autem dies sollemnes, de quibus S. Doctor loquitur, ii, quibus Christus prodiit in mundum; resurrexit a mortuis; cælos conscendit Spiritum sanctum ad Apostolos misit. Numerantur etiam inter illos dies festivitates Corporis Christi, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ.

Quæres, an sacerdos, cui non incumbit animarum cura, aliis a mox laudatis diebus celebrare teneatur.

Respondet hisce verbis Natalis Alexander Dominicanus, Theologiæ Dogmaticæ & Moralis Tomo 3. pag. 298. *Sacerdotes qui festis sollemnioribus, & diebus Dominicis, impedimento cessante, non celebrant, mortalis peccati rei videntur.* Verum quidem est, Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. Episcopis injungere, ut sacerdotes, etiam qui non habent animarum curam, *saltem diebus Dominicis & festis sollemnibus Missas celebrent:* verum est etiam, S. Carolum cuilibet sacerdoti legitime non impedito onus imponere celebrandi singulis festis diebus ac Dominis: *Tridentini etiam Concilii auctoritatem secuti* (inquit in Conc. Mediolanensi I.) *præcipimus sacerdotibus reliquis, ut iisdem diebus Missam celebrare ne omittant.* Sed cum nec Conc. Trid. nec S. Carolus definierint peccare *lethaliter* sacerdotem, qui singulis diebus Dominicis ac reliquis festis diebus non celebraverit, nec nos audemus definire.

Objicies 1. præceptum Missam singulis Dominicis ac festis diebus celebrandi sacerdotes exponit sacrilegii periculo: pauci enim sunt, qui dispositionibus ad sæpius celebrandum requisitis præditi sint: ergo revera non extat illud præceptum.

Resp. ad 1. neg. antec. Ad 2. dico, reos esse sacerdotes qui per occasionum fugam, jugem orationem, pietatis opera ad illas dispositiones non conantur.

Objicies 2. Nonnulli sacerdotes gravium criminum rei festivis diebus, etiam sollemnioribus, temperant a Missarum celebratione, ut dent operam pœnitentiæ laboribus, exequanturque canones quibus ministri in flagitia aut facinora lapsi sacris altaribus interdicuntur: ergo ii saltem sacerdotes non tenentur singulis Dominicis aut festis sollemnibus offerre Missæ sacrificium.

Resp. concedendo totum argumentum: sacerdotes enim qui in flagitia lapsi sunt, inter eos numerantur, qui legitime sunt impediti.

CONCL. 3. Licet Eucharistiæ sacrificium offerre, etiamsi præter sacerdotem nullus sit qui communicet. Ita contra Lutheranos definiit Concil. Trident. Sess. 22. can. 8.

Probatur 1. Adstantium communio nec ad essentiam, nec ad integritatem sacrificii Eucharistiæ pertinet. 2. Nusquam vetuit Christus, ne sacerdotes celebrarent, ubi præter eos, nulli essent qui communicarent. 3. Patres horta-

hortati sunt quidem fideles, ut singulis Dominicis diebus communicarent: at nullus imperavit eis, ut id agerent quotidie, quamvis sacerdotes singulis diebus offerrent, ut patet ex Cypriano in Epist. ad Cæcilium, ex August. Epist. 23. quæ est ad Bonifacium Episcopum, ex Innocent. I. in Epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum, aliisque multis veteribus.

Objicies 1. Mancum est sacrificium, in quo præter sacerdotem nullus est, qui communicet; 2. Canon decimus Apostolicus eos damnat excommunicatione, qui in Missa, cui adsunt, non communicant.

Resp. ad 1. dist. ant. Mancum est, quantum ad finem secundarium, hoc est, quantum ad nutritionem populi fidelis, conc. ant. quantum ad finem primarium, in eo positum, quod significetur supremum Dei dominium, & populo fideli impetrentur auxilia quibus indiget, neg. ant. Ad 2. dist. ant. Canon decimus Apostolicus eos damnat excommunicatione, qui in Missa non communicant propter aliquam superstitionem, hoc est, quod male de ministro sacrificante sentiant, conc. ant. absque aliqua superstitione, neg. ant. Ita canonem illum exponit secundus Canon Conc. Antiocheni: *Qui* (verba sunt canonis) *sanctam Eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam aversantur.*

CONCLUSIO 4. Sacerdoti non licet sacrificare, si nullus sit qui ministret.

Probatur. Vetant canones, ne sacerdos sine ministro celebret. *Provideat unusquisque Episcoporum* (inquit Synodus Parisiensis sub Gregor. IV. lib. 1. cap. 48.) *ne in sua Parochia quisquam Presbyterorum Missam solus celebrare præsumat.* Sic etiam habet Conc. Mediolanense I. sub S. Carolo: *Celebranti sacerdoti unus saltem minister assistat.* Ab eo autem ministerio feminæ excluduntur: *Nec ad id* (inquit post antiquos canones Conc. Narbonense, quod anno 1609. habitum est) *admittantur feminæ.* Possunt tamen Moniales ex choro respondere celebranti, tuncque satis est minister, qui vinum & aquam porrigat in altari. In urgentis necessitatis articulo adhiberi posset minister, qui non valeret sacerdotis precibus respondere. Eremitis perpetuo inclusis nonnunquam concessum est, ut soli celebrent. Vide Card. Bona, l. 1. *Rerum Liturgicarum*, c. 13.

CONCL. 5. Quamvis stipendia tamquam Missæ pretium aut illius offerendæ motivum recipi non debeant, licite tamen ad instar honorarii ac eleemosynæ recipiuntur.

Probatur prior pars. Qui stipendium tamquam Missæ pretium, aut illius offerendæ motivum recipit, reus est simoniæ; scilicet (ut suo loco dictum est) posita est simonia in eo quod pro re spirituali recipiatur res temporalis; sive tamquam pretium, sive tamquam motivum. Altera vero pars constat ex eo quod par sit, ut qui altari deservit, de altari vivat.

Confirmatur. Praxis recipiendi honorarium sive eleemosynam, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis obtinuit: nempe ex fidelium oblatis pars insumebatur ad consecrationem; altera pauperibus distribuebatur; tertia cedebat Clericorum ac præsertim sacerdotum sustentationi. Vide Comment. Hist. pag. 434. 435. primæ edit.

Quæres 1. quænam in praxi regulæ circa Missarum stipendia servari debeant.

Resp. varias servari debere. Prior an. 1626. hisce verbis statuta est ab Urbano Papa VIII. *Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas etiam pro aliis Missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missa utrique obligationi satisfacere.* Hinc vero colligitur, quod cum parochi, saltem festivis diebus, pro plebe sibi commissa sacrificium offerre teneantur, & ad eum finem stabili stipendio, beneficio scilicet, potiantur, non possunt pro ejusmodi Missarum celebratione aliud stipendium accipere; ac proinde teneri eos ad restitutionem, ubi se aliud recepisse perspexerint. Altera regula statuta est ab eodem Urbano Papa VIII. die 21. Junii anno 1625. *Ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis, collata fuerint aut conferentur in futurum sacerdotibus, Ecclesiis .... Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, & ad restitutionem teneantur.*

Aliæ regulæ præscriptæ sunt ab Alexandro Papa VII. a quo anno 1665. proscriptæ sunt tres sequentes propositiones, 1. *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem: idque post decretum Urbani VIII.* 2. *Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* 3. *Non est contra justitiam, pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Quam autem æqua sint ea Summorum Pontificum decreta, fuse ostensum est Comment. Hist. pag. 434. 435. & seq. primæ edit.

Quæres 2. quænam pecuniæ quantitas ad justum Missæ stipendium requiratur.

Resp. stipendii mensuram sumi debere aut ex

ex lege Ecclesiastica, quæ illud in specie determinarit, aut ex rationabili consuetudine loci, ubi Missa celebratur. Sed advertat lector, æquitati consonam non esse consuetudinem, quæ illud stipendium definit ex summa, quæ satis sit sustentationi sacerdotis in unam diem. Ratio est, quia stipendia non conferuntur ad integram presbyteri sustentationem, sed ad illius adminiculum: nec immerito; nempe sacerdotes non ad Missam tantum, sed etiam ad alia officia obligantur: unde ex decreto Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2. *De Reformat.* Clerici ad sacros ordines promoveri non debent, nisi prius constet, eos beneficium ecclesiasticum, vel patrimonium, aut pensionem habere, quæ ipsis satis sint ad vitæ sustentationem.

ARTICULUS II.

An fideles teneantur adesse Eucharistiæ sacrificio.

Not. HIC tria quærimus: 1. an sit aliquod de audienda Missa præceptum: 2. an illud præceptum extendat se ad Missam Parochialem: 3. quæ caussæ ab audienda Missa fideles eximant.

CONCLUSIO 1. Fideles festivis diebus, & singulis Dominicis tenentur sistere se præsentes Eucharistiæ sacrificio.

Probatur. Canones onus illud fidelibus imponunt: *Missas* (inquit Concilium Agathense quod anno 506. habitum est, quodque relatum est in corpus juris Canonici) *die Dominico a sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus.* Viguit autem ea lex ab ipsis Ecclesiæ incunabulis: *Solis qui dicitur die* (inquit Justinus, Apologia II.) *omnium qui in oppido vel rure degunt, in eumdem locum conventus fit.... Precibus peractis, panis offertur, & vinum, & aqua.*

Quæres, quinam præcepto de audienda Missa non faciant satis.

Resp. 1. illi præcepto non facere satis eos qui notabili liturgiæ parti non intersunt; notabilem vero censemus, quæ est ab introitu ad Evangelium usque, nec non eam quæ est a sacerdotis communione usque ad missæ finem: hincque a fortiori concluditur, maximi esse momenti tum quæ est ab offertorio ad consecrationem, tum quæ est a consecratione ad sacerdotis communionem.

Resp. 2. non facere satis eum qui plures a diversis sacerdotibus Missæ partes simul audit: scilicet ab Innocentio Papa XI. proscripta est hæc propositio: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul, a diversis celebrantibus audit.* Non adimpleret quoque idem præceptum qui duas Missæ partes, etiam successive, a duobus sacerdotibus audiret, eæ nimirum partes unam ac eamdem liturgiam non constituunt.

Resp. 3. præceptum Ecclesiasticum, de quo agitur, ab iis non impleri, qui per gravem aliquam liturgiæ partem voluntarias patiuntur mentis evagationes; qui nullo pietatis sensu afficiuntur; qui tantum abest, ut cogitent de obtinenda peccatorum contritione, quin potius in eorum amore animum obfirment suum. Vide quæ inferius dicentur de dispositionibus ad audiendam Missam requisitis.

CONCLUSIO 2. Tum antiquum, tum novum jus canonicum fidelibus debitum imponunt, ut saltem diebus Dominicis, & majoribus festis sistant se præsentes Missæ Parochiali.

Probatur prior pars. Concilium Nannetense quod habitum est anno 895. quodque Gratianus in suum decretum retulit, jubet presbyteris, ut alterius parochianum *statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam parochiam redire compellant.* Labente sæculo 15. Sixtus Papa IV. in Constitutione quæ incipit, *Vices illius*, sic loquitur: *Fratres Mendicantes non prædicent, populos parochianos non teneri audire Missam in eorum parochiis diebus festis & Dominicis: cum jure sit cautum, illis diebus parochianos teneri audire Missam in eorum parochiali Ecclesia; nisi forsan ex honesta caussa ab ipsa Ecclesia se absentarent.*

Probatur altera conclusionis pars 1. ex Concil. Tridentino: *Moneat Episcopus* (inquit sess. 24. cap. 4.) *populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*: quod quidem ex ejusdem Synodi decreto inter Missarum sollemnia prædicari debet. Ostenditur 2. ex omnibus fere Conciliis provincialibus, quæ tum Mediolani a S. Carolo, tum in Galliis post Tridentinum habita sunt; aperte nimirum singulis fidelibus onus, de quo agitur, imponunt. Ostenditur 3. ex judicio doctrinali Theologicæ Facultatis Parisiensis, quæ anno 1665. tamquam *falsam & decreto Concilii Tridentini contrariam*, damnavit hanc cujusdam recentioris propositionem: *Populus Christianus vi Tridentini Concilii cogi non potest per censuram & pœnam Ecclesiasticam, ut Dominicis diebus Missam parochialem audiat.* Ostenditur 4. ex decreto Illustrissimi & Reverendissimi DD. Antonii Petri de Grammont, Archiepiscopi Bysuntini, cujus memoria in benedictione erit semper, tum ob eximiam qua ornatus fuit pietatem, tum ob restitutam suæ Ecclesiæ puriorem disciplinam. Is die 7. Julii anno 1691. declaravit incidisse in excommunicationem *latæ sententiæ* anonymum, qui debitum audiendi Missam parochialem publica dissertatione a nobis Vesuntione apud Sequa-

quanos assertum, scripto contra eos libello impugnaverat.

Objicies. Summi Pontifices sæpe declararunt fideles facere satis præcepto de audienda Missa festivis diebus, cum illi in Mendicantium monasteriis se præsentes sistunt: ergo iis Summorum Pontificum declarationibus, seu constitutionibus, derogatum est juri, quo fidelibus onus audiendi Missam parochialem imponitur.

Resp. 1. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia præceptum de audienda Missa aliud est a præcepto de audienda Missa parochiali, ac proinde licet fideles in casu, de quo agitur, illi faciant satis (ut declararunt Summi Pontifices) non faciunt tamen isti. Addendum est, alias constitutiones, quæ passim contra debitum audiendi Missam parochialem objiciuntur, in iis tantum provinciis habere locum, ubi specialiter receptæ ac promulgatæ sunt. Vide quæ de hoc argumento fuse disseruimus in Comment. Historico, a pag. 438. ad pag. 448. primæ edit.

Quæres, qua ratione confessarius sese gerere debeat erga fideles, qui numquam aut raro sistunt se præsentes Missæ parochiali.

Resp. 1. Confessario, ex decreto Concilii Tridentini, onus incumbere monendi populum fidelem teneri eum audire Missam parochialem: 2. in locis, ubi lex Ecclesiastica de audienda Missa parochiali non abiit in desuetudinem, eumdem confessarium teneri negare poenitenti absolutionem, si nolit polliceri, se deinceps Ecclesiasticæ legi pariturum: eam autem legem in Galliis ubique non abiisse in desuetudinem, declararunt Gallicani patres: *On ne peut pretendre* (inquiunt in Comitiis generalibus) *qu'il y ait en France, ou qu'il y puisse avoir une coutume contraire.* Hinc a nostratibus Episcopis semper in ordinem redacti sunt, qui contrarium docere ausi fuerant: hinc etiam factum est, ut nullus fere, his temporibus, liber ritualis conscriptus sit, in quo debitum audiendi Missam parochialem præscriptum non fuerit.

CONCLUSIO 3. Nonnullæ sunt caussæ, quæ fideles eximunt debito audiendi Missam diebus, seu festivis, seu Dominicis.

Probatur enumeratione. Eximit ab ejusmodi debito: 1. impotentia, aut physica, aut moralis, qua nimirum efficitur, ut quis aut absolute, aut sine gravi sui, aut aliorum detrimento, se sacrificio præsentem sistere non possit. Eximit 2. caritatis in re necessaria exercitium. Eximit 3. officium quod quis non potest deserere. Eximit 4. saltem aliquibus in locis, consuetudo qua mulieres post viri mortem non solent per aliquod tempus e domibus exire: ejusmodi consuetudinis meminit S. Carolus in priore Concilio Mediolanensi. *Viduæ* (inquit) *ob maritorum mortem ad summum nemense amplius sint sine Missæ auditione.*

CAPUT VII.

De dispositionibus Eucharistiæ sacrificio prærequisitis.

Not. Dispositiones Eucharistiæ sacrificio prærequisitæ se tenent, aut ex parte sacerdotis offerentis, aut ex parte fidelis audientis. De iis secundum duplicem illum respectum consideratis, hoc in capite dicendum nobis incumbit.

ARTICULUS I.

De dispositionibus, quæ Eucharistiæ sacrificio ex parte sacerdotis offerentis prærequiruntur.

Not. Dispositiones quæ ex parte sacerdotis requiruntur, sunt sanctitas, puritas corporis, jejunium naturale. De iis jam multa diximus, cum superius actum est de dispositionibus ad sacram communionem requisitis: hic autem tria supersunt expendenda: 1. qua ratione debeat se gerere sacerdos, qui peccati mortalis sibi conscius non habet confessoris copiam: 2. utrum in flagitia aut facinora lapsus brevi post tempore possit Missam celebrare: 3. quæ preces Missæ celebrationem præcedere debeant.

CONCLUSIO 1. Urgente necessitate sacerdos qui sibi peccati mortalis conscius est, licite potest absque confessione sacramentali Missam celebrare, si non habeat confessoris copiam: sed non alias.

Probatur hisce verbis Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris.* Ex iis autem verbis patet, Concilium supponere, sacerdotem sibi peccati mortalis conscium, sine prævia confessione sacramentali posse Missam celebrare, ubi deest copia confessoris.

Quæres 1. quænam necessitas his Concilii verbis, *urgente necessitate*, intelligatur.

Resp. 1. verbis, *Urgente necessitate*, intelligi circumstantiam aut diei festi, quo populus fidelis Missam audire tenetur; aut casum quo nullæ sunt Hostiæ consecratæ, aut aliunde haberi non possunt ad communionem hominis, cui præsens imminet vitæ periculum.

Quæres 2. de quibus peccatis intelligi debeant hæc quæ laudata sunt Concilii Tridentini verba: *Sibi conscius peccati mortalis.*

Resp. peccata, de quibus quæritur, ea non esse quæ

quæ ministrum irregularem efficiunt, ut est homicidium voluntarium, etiam quod in occulto commissum sit: Non sunt quoque peccata quæ *Consuetudinis* dicuntur, nisi tamen illum sacerdotem, cui, ut supponitur, incumbit animarum cura, urgeat necessitas Hostiam consecrandi ad communionem parochiani, qui brevi moriturus creditur. Ratio est, quia sacerdos qui implicatus est consuetudine peccandi lethaliter, quique per aliquod tempus, ad viri prudentis judicium; a peccatis non temperaverit, absolvi non deberet, etiamsi adesset confessor, apud quem sua peccata deponeret. Peccata, de quibus Concilium loquitur, non sunt quoque externa facinora aut flagitia, fornicatio v.g. adulterium, sodomia, quæ brevi ante perpetrata fuerint; quis enim audeat annuere Eucharistiæ tum consecrationem, tum communionem sacerdoti, qui ex adulterio aut simili flagitio vix emersit? Verum illi responso altera hujusce articuli conclusione lux affulgebit.

Quæres 3. ad quid teneatur sacerdos qui sibi conscius peccati mortalis, urgente necessitate, obtulit Eucharistiæ sacrificium.

Resp. propositæ quæstioni Concilium Tridentinum his verbis occurrere: *Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Ea autem sacræ Synodi verba strictum præceptum continere declaravit Alexander Papa VII. a quo die 18. Martii anno 1666. damnata fuit hæc quorumdam casuistarum propositio: *Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum.* Qua etiam ratione intelligi debeat adverbium. *Quamprimum*, quo eadem sacra Synodus utitur, declaravit idem Alexander: nempe damnavit hanc quorumdam propositionem: *Illa particula* quamprimum, *intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur.*

CONCL. 2. Parochus, sive alius quilibet sacerdos, in flagitia aut facinora lapsus, non debet brevi post tempore celebrare.

Probatur. *Primo*, si haberetur ratio disciplinæ quæ per novem priora sæcula viguit, sacerdos de quo agitur, a statu clericali ad laicum absque ulla restitutionis spe dejiceretur: *Qui igitur* (inquit Gregorius Magnus, L. 3. epist. 26.) *post acceptum sacrum ordinem, lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad ministerium ulterius non accedat.* Idem cum Gregorio definiunt alii Patres. *Secundo*, si haberetur ratio disciplinæ, quæ circa sæculum nonum cœpit obtinere, eidem, de quo est quæstio, sacerdoti non concederetur altare, nisi prius per plures annos suum flagitium satisfactionibus per canones definitis in occulto purgasset: *Si veraciter pœnituerint* (inquit Rabanus Maurus in Pœnitentiali), *& se per jejunia & eleemosynas, vigilias, atque sacras orationes cum lacrimis purgare certaverint, his etiam gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.* Vide alia Patrum loca Commentarii Historici pag. 756. primæ edit. *Tertio*, quamvis hodierna disciplina ferat, ut sacerdos in externum carnis peccatum lapsus, altari restituatur, antequam se ipsum per plures annos (ut fiebat olim) pœnitentiæ laboribus purgaverit: tamen non fert reverentia quovis tempore SS. Sacramento debita, cuique olim canonibus pœnitentialibus consultum fuerat; non patitur quæ, hac etiam ætate, humilis debet esse contritio, non sinit interna mentis confusio, quæ hoc etiam sæculo, pœnitentiæ debet esse comes individua, ut parochus, aliusve sacerdos ex fornicatione, adulterio, sodomia nullo interjecto temporis spatio, nullis præmissis pietatis operibus, ad sacra altaria mox prosiliat, invadatque impurus purissimi agni carnem purissimam. In sacerdotes qui eo impudentiæ devenissent, merito hæc Cypriani verba, libro *de lapsis*, intorquerentur. *A diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt.*

Objicies 1. Si sacerdos qui ex fornicationis, adulterii, sodomiæ cœno mox emersit, Eucharistiam non conficiat, *primo*, populus fidelis, cum (ut supponitur) præsto esse non possit sacerdos alius, non poterit facere satis præcepto de Missa festivis diebus audienda. *Secundo*, sacerdotis in casu, de quo agitur, ab altari recessus, erit scandalo universæ plebi. Atqui ea omnia absurda sunt: ergo sacerdos in externa carnis flagitia lapsus, mox a perpetratis sceleribus debet sacris altaribus restitui.

Resp. 1. Majores nostros advertisse ad illa incommoda: id tamen non impediit, quin novem prioribus sæculis sacerdotes in carnis flagitia lapsos sacris altaribus sine ulla restitutionis spe interdixerint; non impediit quoque, ne subsequentibus sæculis eosdem sacerdotes pœnitentia per plures annos subeunda, antequam iisdem altaribus restituerentur, damnaverint; non impedit pariter, ne canones, his etiam temporibus, propter homicidium voluntarium, licet occultum, lapsos ab iisdem sacris altaribus (quæcumque necessitas acciderit) removeant; non impedit tandem, ne Episcopi, hac ætate, suspensione mulctent presbyteros qui in publicis tabernis comederint, ac proinde eos efficiant inhabiles ad Missæ, etiam festivis diebus, celebrationem. Aut ergo nihil probat argumentum, quod ex incommodis desumptum est, aut nimis probat.

Resp.

Resp. 2. Illud argumentum, si aliquid ponderis habeat, probaturum esse rem, ad quam nescio an aliquæ aures horrere non possint: nempe sacerdotem qui a semiquadrante tantum emersus est ex actualis adulterii aut sodomiæ cœno, immo & qui diuturna peccatorum similium consuetudine implicatus est, posse, immo debere statim Missam celebrare, ne fit scandalo populo fideli, ne fidelis populus Missæ auditione privetur.

Resp. 3. In casu, de quo agitur, populum fidelem liberari a debito Missam audiendi: tunc enim nec physicam, nec moralem potentiam habet, ut ipsi se præsentem sistat. Si tunc sit aliquod scandalum, mere passivum est respectu populi, licet activum sit ex parte sacerdotis, qui sua culpa ad eas seipsum angustias redegit. Illi tamen scandalo impurus ille sacerdos (si alioquin occultum sit crimen) sub alterius caussæ, quæ tamen vera sit, obtentu mederi poterit. Quid impediet, ne tunc unum e pollicibus cultro, aut alio instrumento leviter laceratum, linteis involvat, obtendatque eam aut similem caussam coram populo, cum quo alioquin in templo precari, & Vesperarum officium persolvere poterit? Vide quæ hujusce tom. pag. 101. & seq. dicta sunt de sacræ communionis obicibus. Vide etiam quæ pag. 108. & seq. scripta sunt de dispositionibus ad recipiendam Eucharistiam requisitis. Vide quoque Comment. Hist. pag. 358. 756. 850. primæ edit. Sed de his satis, nempe veluti coacti, ac cum ingenti tædio, casus similes litteris mandamus.

CONCLUSIO 3. Peccat sacerdos, qui nulla existente laudabili caussa Missam celebrat nondum persolutis officiis, quæ *Matutinum* & *Laudes* dicuntur.

Probatur. Id non licet, quod tum Missalis Romani Rubricæ, tum laudabilis consuetudo, tum Summi Pontifices, tum variarum provinciarum statuta Synodalia districte prohibent: atqui tum Missalis Romani Rubricæ, tum laudabilis consuetudo, tum Summi Pontifices, tum variarum provinciarum statuta Synodalia prohibent ne absque probabili caussa Eucharistiæ sacrificium a sacerdote offeratur ante persoluta officia, quæ *Matutinum* & *Laudes* dicuntur: ergo, &c. Probatur min. 1. Hæc habet Innocentius Papa IV. epist. 2. ad Cardinalem Ottonem, Episcopum Tusculanum: *Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo: sed Missam celebrare, priusquam officium Matutinum compleverint, non præsumant*. 2. Liber Synodalis Ecclesiæ Nemausensis, editus a Bertrando, Nemausensi Episcopo, circa annum 1284. titulo, *De celebratione Missarum*, sic loquitur: *Prohibemus sub pœna suspensionis, ne quis sacerdos Missam cantare præsumat, nisi prius plene expleverit officium Matutinum*. 3. In aliquibus locis invaluerat consuetudo recitandi præter *Matutinum & Laudes*, officium quod *Prima officium* vocant: *Nullus sacerdos* (inquit Synodus Senonensis, habita anno 1524.) *celebret, nisi jejunus & confessus, & horas Canonicas & Beatæ Mariæ Virginis usque ad Tertiam exclusive dixerit*: sed jam ea consuetudo, prout *Prima* officium includit, non obtinet; ut patet ex Romani Missalis Rubricis.

Quæres 1. utrum lethaliter, an vero venialiter tantum peccet sacerdos, qui absque probabili caussa Missam celebrat nondum persolutis officiis, de quibus agitur in conclusione.

Resp. duplicem esse de ea quæstione Theologorum sententiam. Dominicus Soto, Toletus, ac plures alii censent, peccatum lethale non admitti a sacerdote, de quo agitur. E contra S. Antoninus tit. 13. cap. 6. sic loquitur: *Missa non debet dici ab eo qui non dixit Matutinum, licet possit audiri, alias dicendo esset mortale, quia est contra consuetudinem generalem Ecclesiæ*. Postrema hæc opinio tutior est contraria: unde in praxi illi adhærendum esse censemus, ne quis se exponat periculo lethaliter peccandi.

Quæres 2. Quænam sint probabiles ac honestæ caussæ, quibus fit, ut sacerdos licite Missam celebret nondum persolutis horis, de quibus est quæstio.

Resp. inter eas caussas recenseri officia caritatis in proximum, aut debita aliunde negotia, quæ in aliud tempus sine gravi aut sui aut alterius detrimento differri non potuerint. Hincque concluditur. Parochum qui pridie *Matutinum ad Laudes* præ negotiis urgentibus, aut aliquo morbo non recitaverit, licite sacris dare operam, si usque ad horam qua celebrandum est, parochianorum confessiones audierit, aut alicui alteri officio necessario vacarit.

ARTICULUS II.

De dispositionibus ad audiendam Missam requisitis.

Not. NOnnullæ dispositiones ad Missam audiendam requiruntur ex parte corporis, aliquæ ex parte mentis, aliæ ex parte cordis.

CONCL. 1. Is qui interest Missæ, debet modeste componere externum corporis situm.

Probatur. Concilium Tridentinum sess. 22. in Decreto *De observandis*, sic loquitur: *Neve patiantur sanctum hoc sacrificium peragi, nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint, se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse*. Vide de eodem argumento Concilia Provincialia, quæ in Galliis post Tridentinum habita sunt.

CONCL. 2. Ex parte mentis requiritur attentio in eo, qui se Missæ sacrificio præsentem sistit.

Probatur 1. Qui sistit se præsentem Missæ sacri-

sacrificio, orare debet cum sacerdote, seu cum illo debet offerre sacrificium: atqui in eo qui orat, necessario requiritur mentis attentio; nempe ea attentio est essentialis orationi: definitur enim *mentis in Deum elevatio*. 2. Idem probant Concilii Tridentini verba, quæ ad præcedentis conclusionis probationem laudata sunt: *Mente etiam* (inquit) *ac devoto cordis affectu*. Inde vero recte concluditur, eum qui voluntarias patitur mentis evagationes, non facere satis Ecclesiæ præcepto de Missa festivis diebus audienda.

CONCLUSIO 3. Ex parte cordis, in eo qui Missam audit, requiritur devotus affectus.

Probatur 1. verbis quæ mox ex Concilio Tridentino laudata sunt: *Devoto* (inquit) *cordis affectu*. 2. Ea dispositio requiritur, quæ necessaria est, ut quis sacrificii fructum percipiat: ideo enim ab Ecclesia fidelibus imponitur præceptum Missam audiendi, ut illius fructus percipere conentur: atqui devotus cordis affectus est necessarius, ut quis sacrificii fructum percipiat: *Docet sancta Synodus* (inquiunt Tridentini Patres sess. 22. c. 2.) *sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*.

Quæres, in quo positus sit devotus cordis affectus, qui ad audiendam Missam requiritur.

Resp. 1. illum devotum cordis affectum non includere *necessario* statum gratiæ sanctificantis. Ratio est, quia illud est discrimen inter Eucharistiam sumptam pro sacramento, & Eucharistiam sumptam pro sacrificio, quod accepta priore sensu gratiam sanctificantem in recipiente præsupponat; est enim (ut superius dictum est) sacramentum vivorum; sumpta vero posteriore sensu in audiente non præsupponat eamdem gratiam; nec id mirum est; nam prout est sacrificium, est propitiatoria ac impetratoria; proindeque via est qua gratia sanctificans a non habente comparetur: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus* (verba sunt Concilii Tridentini sess. 22. capit. 2.) *gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit*. Hinc colligitur, falsam esse propositionem, qua asseritur, gratiæ sanctificantis statum *necessario* requiri in homine fideli, ut cum fructu Missam audiat, aut ut Ecclesiæ præceptum impleat.

Resp. 3. eumdem, de quo agitur, cordis affectum, non includere *necessario*: ut is qui audit Missam, sit liber ab affectu, seu amore habituali dominante peccati mortalis. Ratio est, quia fidelis qui implicatus est consuetudine peccandi lethaliter, prima die qua de sua conversione cogitat, nondum liber est a peccati amore dominante: neque enim Deus, qui tantum temporis impendit, ut hominem corporeum in utero matris efformet, unico instanti solet in Ecclesiæ sinu hominem spiritualem effingere: Et tamen homo ille fidelis, implicatus consuetudine peccandi lethaliter, potest ac debet sistere se præsentem Missæ sacrificio, ex eoque fructum potest colligere, si eo se conferat, ut petat auxilium, quo a peccati sui amore dominante liberetur: ergo devotus cordis affectus, de quo Concilium Tridentinum loquitur, non requirit *necessario*, ut quis liber sit a peccatorum amore dominante.

Resp. 4. eum, de quo est quæstio, devotum cordis affectum *necessario* includere inchoatum saltem conversionis propositum, seu ad minus debile illius desiderium. Ratio est, quia Concilium Tridentinum (ut dictum est) iis tantum pollicetur sacrificii fructum, qui contriti ac pœnitentes ad Deum accesserint: contritus autem ac pœnitens non est qui, ne debile quidem, habet conversionis suæ propositum. Hinc concluditur 1. hominem qui alienum detinet, nec vult aliquando restituere, nec desiderat habere restituendi voluntatem, nullum ex sacrificio fructum colligere. Concluditur 2. hypocritam esse virum, nec Ecclesiæ præcepto facere satis, qui concubinam suam domi fovet, nec dimittit, nec desiderat obtinere a Deo voluntatem dimittendi: E contra vero concluditur 3. nec hypocritam esse, nec infringere Ecclesiæ præceptum, qui domi concubinam fovens, aut alienum detinens, sistit se præsentem sacrificio, ut efficacem & constantem voluntatem tum restituendi alienum, tum dimittendi concubinam, a Deo supplex petat sacerdotis ore. Objectiones quæ contra mox datum triplex responsum moveri possunt, lector Commentarii Historici Dogmatici pag. 459. & sequentibus primæ editionis suse explicatas & solutas reperiet.

CAPUT VIII.

De sacrificii Eucharistiæ cæremoniis.

Not. 1. SAcrificii Eucharistiæ cæremoniæ reducuntur 1. ad tempus quibus offerri potest: 2. ad templa, & altaria, in quibus peragitur: 3. ad instrumenta quibus minister indiget, ut ei det operam: 4. ad vestes quas sacrificaturus induit: 5. ad ea quæ in illius celebratione recitantur: 6. ad idioma quod adhibetur in Liturgia: 7. denique ad varias partes, ex quibus constat Missæ sacrificium.

Not. 2. Tempus, quo licet Eucharistiæ sacrificium offerre, intelligi potest de die, aut diei hora. Vetant Rubricæ, ne quis feria sexta parasceves celebret Missam. Nulla lege, quæ nunc ubique obtineat, prohibetur, ne plures sacerdotes in eodem templo celebrent feria V. in cœna Domini & Sabbato sancto.

Ferunt

Ferunt quæ nunc vigent leges, ut Missa celebretur ab aurora usque ad meridiem: Auroræ autem nomine intelligi non debet illud instans quo sol nostrum horizontem sua luce perfundit; sed primum diei crespuculum, ita ut Missam inchoare liceat, una hora, immo per hyemem duabus horis, antequam sol appareat. Per meridiem non intelligitur hora meridiana ita præcise ut paullo post celebrare non liceat. Parisiis ex decreto Illustrissimi Archiepiscopi, Missa debet esse inchoata ante meridiem.

Not. 3. Circa templa, in quibus offerri debet Missæ sacrificium, *sciendum est* 1. nullo in casu licere extra templa aut oratoria Deo dicata Missam celebrare; id enim tum in antiquo jure Cap. *Nullus Presbyter*; tum in novo, seu in Decretalibus & Concilio Tridentino, districte prohibetur. Vide Provinciales Synodos, quæ post Tridentinum in Galliis habitæ sunt. *Sciendum est* 2. variis modis pollui templa, in quibus offertur Eucharistiæ sacrificium. Polluuntur nimirum per *injuriosam* humani sanguinis effusionem; per homicidium absque sanguinis effusione; per venenum Cap. *Unico de Consecratione Ecclesiæ in Sexto*. Vox illa *injuriosam* excludit homicidium, quod casu aut vim vi repellendo contigerit. Hæc altera, *Effusio*, ingentem sanguinis effusionem denotat: Ea autem effusio debet fieri ex vulnere, quod in ipsomet templo inflictum fuerit. Templum iterum polluitur per voluntariam humani seminis effusionem, etiamsi contigerit ex copula inter conjuges habita, Cap. *Feriali de Consecratione Ecclesiæ*. Polluitur quoque Cap. *Ecclesiam*, si in ea pagani, vel hæretici, vel excommunicati expresse denunciati cadaver mandatum fuerit sepulturæ. *Sciendum est* 3. polluta templa reconciliari per novam consecrationem, aut novam benedictionem: Illam solus Episcopus celebrare potest, hanc vero quisque sacerdos, modo ad id specialiter ab Episcopo commissus. *Sciendum est* 4. templa non censeri polluta, cum pollutio uni tantum aut alteri testi innotuit; sed præterea necesse est, ut multis ita innotuerit, ut nulla possit tergiversatione celari. Ita docet Abbas in Cap. *Significasti*. Vide Cabassutium nostrum in sua Theoria, & Praxi juris Canonici. *Sciendum est* 5. eum irregularitatem quidem contrahere, qui in templo aut in oratorio interdicto celebrat, sed non eum qui in templo aut oratorio polluto ante reconciliationem: nulla enim ob id in jure statuitur.

Not. 4. Circa vestes, *sciendum est* 1. peccaturum lethaliter sacerdotem, qui sine iis, quas Missalis Rubricæ præscribunt, celebraret, tum quod in re gravi infringeret præceptum Ecclesiæ, tum quod fieret reus irreverentiæ in SS. Sacramentum. Tanti vero momenti est ea regula, ut eam non liceat infringere etiam sub obtentu aut diei festi quo fidelis populus deberet Missam audire, aut communionis infirmi qui alioquin absque Viatico moriturus esset; tunc enim tantum urget præceptum audiendi Missam, aut recipiendi Viaticum, quando id fieri potest cum ea decentia, quam Ecclesiæ constitutiones injungunt. *Sciendum est* 2. licitum esse unam aut alteram ex minoribus vestibus in casu necessitatis prætermittere: unde ne ingens populus cum magno scandalo sine Missa dimittatur, aut infirmus moriatur absque Viatico, sacerdos non habens stolam, vel manipulum, vel cingulum benedictum, posset cum amictu, alba & casula celebrare. S. Antoninus 3. p. Tit. 13. cap. 6. observat, quod oblongiori manipulo pro stola aut cingulo uti liceat, & vicissim breviori stola pro cingulo, vel manipulo: nec mirum, (inquit) earum enim vestium non diversa, sed eadem est benedictio. *Sciendum est* 3. vestes consecrationem receptam amittere, cum desinunt esse aptæ ad usum, ad quem consecratæ fuerant. *Sciendum est* 4. sacros Canones præscribere Cap. *Altaris* de Consecr. dist. 1. ut vestes quæ aut vetustate consumptæ sunt, aut ita laceratæ, ut sacris usibus deservire non possint, comburantur, earumque cineres projiciantur in piscinam, ne pedibus introeuntium conculcentur: Hincque colligitur, eos peccaturos graviter, qui iis ad prophanos usus uterentur. *Sciendum est* 5. sacerdotem, cum vestes sacras induit, teneri recitare preces quæ in Missali præscribuntur. Placet nonnullis scriptoribus eum peccaturum lethaliter, qui omnes eas preces advertenter omitteret: negant alii, eo quod (inquiunt) Rubricæ eas per modum directionis, non autem per modum præcepti recenseant. In eo opinionum conflictu serio cavere debet sacerdos, ne aliquas omittat. *Sciendum est* 6. non licere sacerdoti qui sacras vestes induit, ad altare proficisci cum baculo, etiamsi debilis sit, nempe id prohibetur in jure Canonico, Cap. *Nullus* de Consecrat. Dist. 1. Si tamen ad altare stare possit, & se, servatis ritibus, vertere sine baculo, potest non in sacrario, sed ad Evangelii latus sacras vestes induere; nec enim refert; qua ratione ad altare proficiscatur, cum nondum vestes induit.

No. 5. Circa idioma quo Missa celebrari debet, dicendum est, Liturgias nulla alia quam Chaldaica, Græca, & Latina lingua conscriptas fuisse: iis ergo tantum linguis majores nostri ab Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora usi sunt. Sciendum est 1. non expedire, ut vulgari idiomate passim celebretur, tum quod vulgares linguæ facile mutentur; tum quod impediretur Ecclesiarum inter se commercium.

Not. 6. Circa varias Missæ partes sciendum est Missam passim ab antiquis dividi in Missam Catechumenorum, & in Missam fidelium.

Missa

Missa Catechumenorum apud Latinos iis omnibus constabat ritibus, qui ab introitu ad Offertorium usque peraguntur: ita docet Amalarius lib. 3. de Divinis Officiis cap. 36. Ab ea Catechumenorum Missa nostri majores neminem arcebant; id nimirum videre est canon. 48. Concilii Carthaginiensis IV. Missa fidelium, seu cui aderant fideles & pœnitentes, qui *Consistentes* dicebantur, complectebatur ea, quæ sunt ab Offertorio usque ad sollemnem populi dimissionem, *Ite Missa est*. Quæ de Eucharistiæ sacrificii cæremoniis breviter dicta sunt, fuse pertractata sunt in Commentario Historico a pagina 453. ad paginam 487. primæ editionis.

DISSERTATIO QUINTA.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Not. 1. PŒnitentiæ nomen in Scripturis significat 1. satisfactionem seu pœnam, per quam peccator conatur suum scelus eluere. *Pœnitentiam egerunt* (inquit Lucas cap. 11. de Ninivitis agens) *ad prædicationem Jonæ*. Significat 2. displicentiam, seu odium ante act: alicujus operis: *Pœnitentiam agite* (ait Petrus, Actorum 4. alloquens Judæos, qui Christum crucifixerant) *& baptizetur unusquisque vestrum*. Significat 3. resipiscentiam seu mutationem vitæ in aliam novam, quæ pia sit & sancta: *Quæ secundum Deum tristitia est* (verba sunt Apostoli 1. ad Corinth. 7.) *pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Triplex illa *Pœnitentiæ* acceptio, si simul sumatur, idem est cum virtute quæ passim *Pœnitentiæ virtus* appellatur: nempe pœnitentiæ virtus odium vitæ veteris, propositum novæ, ac voluntatem Deo satisfaciendi complectitur.

Not. 2. Præter triplicem illum sensum, pœnitentia sumitur a Theologis pro novæ legis sacramento, quo peccata post baptismum commissa delentur. De pœnitentia postremo hoc sensu considerata dicemus in hac Dissertatione, dicturi quoque de ea in triplici priore significatione, eo quod sic considerata constituat (ut jam observatum est) pœnitentiæ virtutem, quam Theologi pœnitentiæ, prout sacramentum est, & dispositionem, & materiam esse contendunt.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia & existentia Sacramenti Pœnitentiæ.

Not. COntendunt aliqui, Montanistas, Novatianos, Waldenses expunxisse pœnitentiam ex albo sacramentorum novæ legis: sed immerito: Nempe quamvis Montanistæ & Novatiani contenderent, esse quædam enormia peccata post baptismum commissa, a quibus Ecclesia absolvere non posfit: fatebantur tamen posse ab eadem Ecclesia per veram absolutionem remitti, quæ minus essent gravia, ut videre est apud Ambrosium l. 1. de pœnitentia cap. 2. Waldensibus huncce tantum in capite, de quo agitur errorem Reinerus tribuit: *Quibus nullus possit absolvi a malo sacerdote: Quod bonus laicus potestatem habeat absolvendi.*

Not. 2. Lutherus agnovit pœnitentiam esse sacramentum proprie dictum. *Tria* (inquit lib. de Captivit. Babil.) *pro tempore ponenda* (sacramenta) *Baptismus*, *Pœnitentia*, *Panis*. Zuinglius e contra, Calvinus, Socinus, aliique passim sectarii, qui elapso proxime sæculo vexarunt Ecclesiam, negarunt, pœnitentiam esse in nova lege sacramentum proprie dictum. Ecclesiæ fides duabus sequentibus conclusionibus stabilietur.

CONCLUSIO 1. Pœnitentia recte definitur sacramentum quo lapsis post baptismum, contritis, confessis, ac satisfacere proponentibus, absolutio a peccatis impenditur.

Explicatur conclusio. Pœnitentia 1. quatenus dicitur *sacramentum*, convenit cum baptismo, confirmatione & aliis: 2. Per hæc verba, *Lapsis post baptismum*, significatur subjectum cui hocce sacramentum debet applicari: 3. hisce terminis: *Impenditur absolutio a peccatis*, continetur discrimen sacramenti pœnitentiæ ab omnibus aliis, quæ licet gratiam producant, eam tamen, sicut pœnitentia, non conferunt per modum actus judicialis. 4. Voces istæ: *Contritis*, *confessis ac satisfacere proponentibus*, designant conditiones requisitas, quæ ad actus judicialis, de quo agitur, aut valorem, aut effectum requiruntur.

CONCLUSIO 2. Pœnitentia est in nova lege sacramentum proprie dictum.

Probatur. Christus Apostolis ac eorum successoribus dedit potestatem dimittendi peccata post baptismum commissa; sic enim eos post suam a mortuis resurrectionem allocutus est Joannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Atqui in usu illius potestatis includitur ratio sacramenti proprie dicti, nimirum in usu illius potestatis reperitur *primo* ritus externus; cum enim potestas dimittendi peccata, in hominum gratiam concessa sit, oportuit, ut aliquo signo externo exerceretur: alioquin homines non intelligerent sibi per sacerdotem dimitti peccata. Reperitur *secundo* divinum præceptum: *Sicut misit me vivens Pater* (ait Christus Apostolis) *& ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum*, *&c.* Reperitur *tertio*, promissio, seu collatio gratiæ sanctificantis: neque enim (ut Theologi docent agentes de justificatione) dimittuntur peccata, quin gratia sanctificans infundatur.

Objicies 1. Christi verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, intelliguntur de remis-

remissione in baptismate conferenda: ergo ex iis male colligitur, pœnitentiam esse aliud a baptismo sacramentum.

Resp. neg. ant. Nam 1. Montanistæ sæculo secundo, & Novatiani tertio tamquam hæretici proscripti sunt, quod verba, de quibus agitur, aut restringerent ad quædam peccata minus gravia, aut exponerent de remissione per baptismum, non autem per claves Ecclesiæ comparanda. 2. Uno ore Patres eumdem locum intellexerunt de remissione, non quæ per baptismum, sed quæ per Ecclesiæ claves fiat. Vide Cyprianum Epist. 52. & lib. de *Lapsis*; Augustinum l. 5. de Baptismo c. 20. Chrysostomum lib. 3. de Sacerdotio, Gregorium Magnum in eum, de quo agitur, Joannis locum.

Objicies 2. Per sacerdotis absolutionem peccata non dimittuntur, sed tantum declarantur esse remissa ei qui credit: ergo pœnitentia non est sacramentum proprie dictum.

Resp. 1. falsam esse consequentiam, etiam in Lutheranorum systemate; nempe contendunt, sacramentis gratiam non produci, sed tantum (ut agentes de sacramentis in genere diximus) obsignari. Resp. 2. neg. ant. Nam vox *Remittere* quæ Scripturarum est, ad litteram significat veram remissionem. Præterea de vera remissione eam Ecclesia quovis sæculo intellexit: nempe inter ipsam & Novatianos numquam fuit quæstio de potestate declarandi remissa esse pœnitentibus peccata, sed de potestate vere ea, cujuscumque speciei sint, remittendi.

Objicies 3. Joannis 20. capite, nulla fuit præscripta verborum prolatio, cum facta est Apostolis absolvendi potestas: ergo in ejusmodi potestatis executione non reperitur ratio sacramenti proprie dicti: quodlibet enim sacramentum constare debet sensibili verborum prolatione.

Resp. dist. ant. Præscripta non fuit explicite, conc. ant. implicite, neg. ant. siquidem Christus Apostolis imperavit, ut peccatorum remissionem conferrent per modum actus judicialis, proindeque per externam aliquorum verborum prolationem: unde Ecclesia a sui exordio ad hoc usque tempus contulit absolutionem, adhibitis quibusdam verbis quæ in Patribus dicuntur, aut *Manuum impositio in pœnitentiam*, aut *Preces reconciliatoriæ*, aut simpliciter *Reconciliatio*. Vide Gregorii Magni Sacramentarium, ac libros pœnitentiæ, qui octavo & nono sæculo conscripti sunt.

Objicies 4. Assignari non potest discrimen, quod pœnitentiam inter & baptismum reperiatur: ergo immerito asseritur, eam esse sacramentum a baptismo distinctum: ita ratiocinantur plures ex recentioribus hæreticis.

Resp. neg. ant. Pœnitentia enim a baptismate differt: 1. ratione materiæ: 2. ratione formæ: 3. ratione ministri: 4. ratione effectus: ita Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. Unde patres cum egerunt de peccatorum absolutione obtinenda, nusquam, ut recentiores hæretici solent, fideles ad baptismi memoriam, sed ad Ecclesiæ claves, remiserunt: *Si a Cathecumeno factum est homicidium* (inquit Augustinus lib. 2. *De adulterinis conjugiis* ad Pollentium cap. 13. *baptismate abluitur: Si a baptizato, pœnitentia & reconciliatione sanatur.*

QUÆSTIO II.

De materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Not. 1. Logici materiam dividunt in materiam *Circa quam*, & in materiam *Ex qua*. Prior est objectum, circa quod res aliqua versatur: posterior vero est pars ex qua constat. De posteriore, non autem de priore, est hic quæstio, nempe apud omnes constat, materia *Circa quam* sacramenti pœnitentiæ, esse sola & omnia peccata, quæ post baptismum commissa sunt, sive sint venialia tantum, sive lethalia, cum hoc tamen discrimine, quod venialia sint materia libera, aliis enim modis quam per absolutionem sacramentalem dimitti possunt: lethalia e contra sint materia necessaria, hoc est, quæ sola absolutione sacramentali, aut in re, aut in voto recepta, dimitti possint.

Not. 2. Circa materiam *Ex qua* sacramenti pœnitentiæ, duplex est scholasticorum sententia. Scotistæ contendunt, actus pœnitentis, seu contritionem, confessionem, satisfactionem non esse materiam *Ex qua* sacramenti pœnitentiæ, sed esse ipsamet verba, ex quibus absolutio constat: scilicet volunt, absolutionem esse hujusce sacramenti materiam simul & formam; materiam quidem prout sunt sonus quidam sensibilis, formam vero prout significant ac exprimunt remissionem peccatorum. E contra Thomistæ contendunt, actus pœnitentis esse materiam *Ex qua* sacramenti de quo agitur.

CONCLUSIO. 1. Absolutionis verba, etiam prout sunt sonus quidam sensibilis, non sunt materia, *ex qua* constat pœnitentiæ sacramentum.

Probatur. Quod est forma sacramenti pœnitentiæ, non est materia *ex qua* constat: nam ex decreto Eugenii Papæ IV. forma & materia a se invicem distinguuntur: *Sacramenta* (inquit) *tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri*: atqui absolutionis verba, ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 3. sunt forma sacramenti pœnitentiæ: ergo, &c.

Nec valet effugium Maldonati, qui hoc in capite Scotistis adhæsit: seu verum non est, Concilium Tridentinum, cum ait sacramenti pœnitentiæ formam esse positam in his ministri verbis, *Ego te absolvo*, *&c.* loqui de verbis, non prout sunt aliquid sensibile: sic enim,

enim (inquit) sunt materia; sed prout significant peccatorum remissionem. Non valet (inquam) illud effugium, tum quod forma sacramenti non minus debeat esse sensibilis, quam materia; tum etiam quoad Eugenius IV. in suo decreto aperte distinguat verba a materia cujuslibet sacramenti.

CONCLUSIO. 2. Actus pœnitentis, seu contritio, confessio & satisfactio, sunt materia *ex qua* constat pœnitentiæ sacramentum.

Probatur. Illi actus sunt materia *ex qua* constat pœnitentiæ sacramentum, quos Concilium Tridentinum asserit esse quasi illius materiam, esse illius partes: atqui id asseruit Concilium Tridentinum: ergo, &c. Minor propositio est evidens; hæc enim habet sacra Synodus sess. 14. cap. 3. *Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, & ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, pœnitentiæ partes dicuntur*. Itaque probatur maj. Concilium Tridentinum per hæc verba, *Quasi materia*, intellexit materiam sacramento intrinsecam; eam enim *quasi materiam*, immediate post vocavit *sacramenti partes*; sacramenti vero partes sunt illi intrinsecæ: atqui materia intrinseca & materia *ex qua*, idem omnino sunt: ergo illi actus sunt materia *ex qua* sacramenti pœnitentiæ, quos Concilium Tridentinum asseruit esse *quasi illius materiam*, *illius* esse *partes*.

Respondent adversarii, Concilium ideo asserere, actus pœnitentis esse *quasi materiam*, esse *partes* pœnitentiæ, quod requirantur ad illius effectum, peccatorum nimirum remissionem; non autem quod sacramentum intrinsece componant, sicut aqua v. gr. baptismum componit.

Sed contra 1. Si valeret ea solutio, dici posset, actus fidei, spei, & caritatis esse quasi materiam, esse partes sacramenti baptismatis: nempe requiruntur, ut baptismus gratiam sanctificantem in adultis producat. 2. Concilium Tridentinum licet expresse egerit de dispositionibus ad gratiam recipiendam in sacramentis baptismi, Eucharistiæ, & aliorum, nusquam eas dispositiones dixit esse eorum sacramentorum quasi materiam, esse illorum partes: ergo quando asseruit, tres pœnitentis actus esse *quasi materiam*, esse *partes* sacramenti pœnitentiæ, vocibus illis, *quasi materiam*, *partes*, non intellexit dispositiones ex parte subjecti ad effectum pœnitentiæ recipiendum requisitas.

Objicies 1. Illi actus non sunt materia *ex qua* constat pœnitentiæ sacramentum, qui non sunt illius materia proprie dicta: atqui actus pœnitentis non sunt materia *proprie dicta* sacramenti pœnitentiæ, sed tantum *improprie*, seu metaphorice, in quantum scilicet sunt dispositiones, quæ quidem a philosophis nonnumquam ad caussam materialem reducuntur: ergo, &c. Probatur min. Si actus, de quibus agitur, essent materia *proprie dicta*, Concilium Tridentinum eos simpliciter vocasset *materiam*, non autem cum hoc addito *quasi* materiam: ergo non sunt materia proprie dicta.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. nempe non ideo Concilium actus illos vocavit *quasi* materiam, quod veræ ac propriæ materiæ rationem non habeant; *sed* (inquit Catechismus Romanus) *quia ejus generis materiæ non sunt quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, & chrismatio in confirmatione*.

Objicies 2. Materia, *ex qua* sacramenta constant, debet esse sensibilis, ut probant Theologi agentes de sacramentis in genere: atqui contritio non est sensibilis, cum sit actus internus pœnitentis: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Debet esse sensibilis, vel per se, vel per aliud, conc. maj. per se tantum, neg. maj. quamvis contritio non sit per se sensibilis, est tamen sensibilis per aliud, nempe aut per oris confessionem, aut per petitionem sacramenti, aut per aliquod aliud signum exterius.

Objicies 3. Confessio non potest esse materia ex *qua* sacramenti pœnitentiæ: nam illud non potest esse materia *ex qua*, sine quo valet pœnitentiæ sacramentum: atqui nonnumquam valet sine confessione, cum nimirum absolutio confertur homini, qui advocavit quidem sacerdotes, sed usum rationis amisit, antequam ille sacerdos accederet: ergo, &c.

Resp. ad 1. dist. min. Pœnitentiæ sacramentum valet sine certa confessionis specie, seu sine oris confessione, conc. min. sine omni prorsus confessione, neg. min. Oris confessio requiritur quidem jure divino, cum eam pœnitens edere potest, non autem cum eam non potest edere: tunc enim satis est confessio per nutus & signa, ut revera reperiuntur in eo, qui advocavit sacerdotem, antequam usum rationis amitteret.

Objicies 3. Pœnitentiæ sacramentum valet sine satisfactione, idque in triplici casu, nempe cum sacerdos post absolutionem datam omittit satisfactionis impositionem; cum pœnitens destitutus usu rationis absolvitur; cum idem pœnitens statim post receptam absolutionem moritur: ergo satisfactio non est materia *ex qua* sacramenti pœnitentiæ.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ergo satisfactio non est materia *ex qua* essentialis sacramenti pœnitentiæ, conc. conseq. non est materia *ex qua* integralis, neg. conseq. Materia *ex qua*, seu intrinseca, duplex est, essentialis, ut corpus respectu hominis, & integralis,

lis; ut digitus respectu ejusdem hominis. Satisfactio non est materia essentialis sacramenti pœnitentiæ, sed integralis tantum: hoc est, quamvis sine ea habeat omnia quæ sibi sunt essentialia, non habet tamen ea quæ ad ejus integritatem requiruntur: sicut homo habens corpus & animam, sed orbatus digito, habet quidem omnia quæ homini sunt essentialia, sed non habet omnia quæ necessaria sunt ad illius integritatem. Quæ mox de satisfactione dicta sunt, intelliguntur de satisfactione actuali, non autem de satisfactione in animi præparatione; siquidem satisfactio in animi præparatione est idem cum proposito satisfaciendi: propositum autem satisfaciendi, saltem implicitum, est essentialis materia inadæquata sacramenti; nempe propositum illud est idem cum contritione, seu cum pœnitentia, prout virtus est: contritio enim seu pœnitentia, prout virtus est, dicit, saltem implicite, propositum Deo satisfaciendi pro peccatis. Sed hæc satis sint de actibus pœnitentis in genere; jam operæ pretium est, ut de eisdem in specie differamus.

QUÆSTIO III.

De Contritione.

Not. 1. Contritionis nomen est mere Ecclesiasticum, inauditum enim est apud Latinos scriptores prophanos. Oritur a verbo *Contero*, quod duri alicujus corporis in varias partes comminutionem significat. Per metaphoram igitur dicitur de hominis corde, quod quidem cum divinæ gratiæ motibus obsistit, durum in Scripturis appellatur: *Induratum est cor Pharaonis*. Cum vero dolens eos gratiæ motus admittit, cor contritum dicitur: *Cor contritum & humiliatum, Deus non despicies*. Dolor, quem Theologi contritionem appellant, nonnunquam *cordis compunctio* vocatur, nonnunquam etiam cordis scissio, juxta illud Joelis 2. *Scindite corda vestra*.

Not. 2. Exposita contritionis voce, dicendum incumbit de illius essentia, necessitate, effectu, divisione.

CAPUT PRIMUM.

De essentia Contritionis.

Not. Lutherus asseruit, contritionem, seu pœnitentiæ virtutem, non includere odium vitæ veteris, sed novæ tantum propositum; ad idque detorquebat hanc veterum scriptorum sententiam: *Optima pœnitentia, nova vita*: E contra Catholici asseruerunt semper, contritionem duabus partibus essentialiter constare, vitæ nimirum veteris odio, & proposito novæ.

CONCL. Essentia contritionis hac illius definitione continetur: *Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*. Ita conceptis terminis docet Concilium Trid. sess. 14. cap. 4.

Probatur prior pars, seu contritionem esse *animi dolorem ac detestationem de peccato commisso*. Contritioni essentiale est id quod reperitur in omni contritione pœnitentium, de quibus Scriptura loquitur: non enim potest esse accidentale, quod in omni omnino contritione Scriptura nobis exhibet: atqui animi dolor ac detestatio de peccato commisso reperitur in omni contritione pœnitentium, de quibus Scriptura loquitur: nempe non ex alio capite manere potuerunt illorum pœnitentium clamores ac gemitus, quos Scriptura nobis ob oculos ponit: *Recogitabo tibi* (inquit Ezechias Isaiæ 38.) *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. *Laboravi in gemitu meo* (inquit Psaltes regius Ps. 6.) *lavabo per singulas noctes lectum meum*: Ex quibus quidem verbis Concil. Trid. sess. 14. c. 4. hanc infert conclusionem: *Et certe* (inquit) *qui illos Sanctorum clamores consideraverit . . . facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse*.

Probatur altera pars, seu *propositum non peccandi de cetero*, esse essentiale contritioni. Illud est essentiale contritioni, quod Scriptura contritioni tribuit, quoties de ea agit: atqui Scriptura, quoties agit de contritione, ei tribuit propositum non peccandi de cetero. Amos 5. hæc habentur: *Odite malum, & diligite bonum*: Isaiæ 1. *Quiescite agere perverse, discite bene facere*: Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, vita vivet, & non morietur*.

Quæres 1. utrum vitæ veteris odium, quod contritio essentialiter includit, debeat esse formale & explicitum, an vero satis sit, quod sit virtuale & implicitum.

Respondet Andreas Vega lib. 13. in Concilium Tridentinum, satis esse odium virtuale & implicitum. Respondent Dominicus Soto & alii passim Theologi, & quidem probabilius, requiri odium explicitum & formale: nempe tum Scriptura, tum Patres, tum Concilium Tridentinum, odium quod includitur in contritione, expresse distinguunt a proposito non peccandi de cetero, illudque ipsi opponunt: atqui in systemate Vegæ, Scriptura, Patres, & Conc. Trid., vitæ veteris odium immerito distinxissent a proposito novæ; immerito quoque damnassent Lutherum contendentem, satis esse vitæ novæ propositum: nam illud propositum essentialiter includit vitæ veteris odium implicitum ac virtuale.

Quæres 2. Quænam sint contritionis, quæ est materia sacramenti pœnitentiæ, conditiones.

Resp. requiri 1. ut sit *Vera*: debet enim esse ex toto corde: *Convertimini ad me* (inquit

Deus Joel. 2.) *ex toto corde vestro*: at qua ratione contritio potest esse toto corde; si vera non sit? Requiritur 2. ut sit *Supernaturalis*, nimirum debet ad justificationem disponere; quod quidem nulli actui ordinis naturalis, ne remote quidem, potest convenire. Requiritur 3. ut sit *Summa appretiative*, seu (ut alii loquuntur) *extensive*, hoc est, necesse est, ut pœnitens ita sit dispositus, ut pro nullo commutabili bono peccare velit. Non requiritur tamen, ut dolor, qui in ea includitur, sit maxime sensibilis. Ratio est, quia major & minor sensibilitas oriuntur a majore vel minore motu imaginationis: imaginatio vero magis movetur a rebus quæ cadunt sub sensum, quam a spiritualibus quæ attinguntur solo mentis apice. Requiritur 4. ut sit *Universalis*, seu, ut sese extendat ad omnia peccata mortalia, quæ post diligens examen occurrunt memoriæ, quæque secundum speciem & numerum pœnitens in eam revocare tenetur. Nec id mirum est, scilicet pœnitens debet detestari rationem divinæ offensæ, ac proinde omnia peccata mortalia, cum in omnibus offensæ divinæ ratio reperiatur. Contritio quæ explicite se extendit ad omnia peccata quæ memoriæ occurrunt, implicite & virtualiter se extendit ad ea quæ non occurrerunt memoriæ; in quantum nempe impius est paratus ad ea formaliter & actu detestanda, si eorum meminisset. De iis contritionis conditionibus vide Cyprianum toto lib. *de Lapsis*, Aug. l. 8. Conf. c. 5. Conc. Trid. tota sess. 14. Comment. Hist. & Dogmat. *de Sacramentis*, a pag. 501. ad p. 512. primæ edit.

CAPUT II.

De necessitate Contritionis.

Not. 1. Ex dictis superius, necessitas vel est medii, vel præcepti: prior ea est, per quam medium ita requiritur, ut sine eo, etiam in casu extremæ necessitatis, finis haberi non possit: posterior, per quam medium præcipitur quidem, sed absque eo, in casu saltem extremæ necessitatis, finis haberi potest.

Not. 2. Contritionis necessitas, sive medii, sive præcepti, considerari potest, vel per respectum ad peccata mortalia, vel in ordine ad venialia, vel in ordine ad tempus quo fideles obligat. De ea ad diversos illos status comparata hoc in capite subsequentibus conclusionibus dicetur.

CONCL. 1. Contritio est necessaria necessitate medii ad mortalium peccatorum remissionem.

Probatur 1. Scripturæ non pollicentur impio peccatorum remissionem, nisi sub conditione contritionis: *Si impius* (ait Deus Ezech. c. 18.) *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet, & non morietur*. 2. Absolute pronuntiant impium, nisi de peccatis conteratur, periturum: *Nisi* (ait Christus in Evangelio) *Pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*.

Objicies. Caritas Dei super omnia satis est ut impius peccatorum mortalium remissionem consequatur: *Operit* enim, primæ Petri 1. *multitudinem peccatorum*: ergo necessaria non est contritio, saltem quæ a caritate distinguatur.

Resp. dist. ant. caritas operit *mediate* multitudinem peccatorum, quia movet ad contritionem per quam remittuntur, conc. ant. operit *immediate*, hoc est, non movendo ad contritionem, neg. ant. Ratio est, quia caritas in se sumpta, non aliud est, quam nova vita, abstrahitque per se ab odio vitæ veteris; sine quo tamen odio peccata, ex Dei institutione, remitti non possunt.

CONCL. 2. Contritio venialium, saltem aliquorum ex iis quæ justus apud sacerdotem confitetur, necessaria est necessitate medii ad eorum per pœnitentiæ sacramentum remissionem consequendam.

Probatur. Illud est necessarium necessitate medii, sine quo finis nulla ratione potest haberi: atqui remissio venialium nulla ratione sine contritione potest haberi per pœnitentiæ sacramentum; ubi enim nulla est contritio, irritum est ac nullum pœnitentiæ sacramentum, quia contritio, ut ex dictis patet, est essentialis illius materia; sine materia autem essentiali non valet aliquod sacramentum.

Quæres, an justus qui de nullo veniali conteritur, peccet lethaliter sic se sacerdotis absolutioni subjiciendo.

Resp. circa illud quæsitum esse duplicem Theologorum sententiam. Plures scholastici contendunt, fieri in eo casu peccatum mortale, quod (inquiunt) absolutio, quæ est forma sacramenti, exponatur nullitati: e contra contendunt alii, esse tantum peccatum veniale, immo & nullum, si contritio non omittatur ex supina negligentia, & justus aliunde bona fide credat, se de uno saltem veniali contritum esse. Nec (inquiunt) tunc, quod forma in vanum proferatur, committitur sacrilegium lethale, quemadmodum non committitur ab eo qui bona fide vini loco aquam infundit calici consecrando. In praxi monendus est justus, ut præmissa jugi oratione, adhibitaque mortificatione sensuum, contritionem a Deo obtinere conetur, antequam peccata venialia apud sacerdotem deponat. Vide de eo argumento Episcopum Castoriensem in libro cui titulus *Amor pœnitens*, alterius, quæ correcta fuit, editionis: Vide etiam Comment. Hist. pag. 518. primæ edit.

CONCL. 3. Extra confessionem sacramentalem venialia absque contritione dimittuntur: unde eo in casu contritio non est ad eorum remissionem necessaria necessitate medii.

Probatur. Contritio (ut ex dictis patet) includit explicitum dolorem de præterito peccato: atqui explicitus dolor non est necessarius ad peccatorum venialium remissionem; satis nimirum est dolor implicitus, qui includitur in caritatis actu elicito ab homine, qui peccatorum venialium affectum deposuit. Confirmatur ex August. qui l. Quinquaginta Homil. hom. 28. asserit, peccata, de quibus agitur, dimitti cum quis pie, hoc est, ex motivo caritatis, recitat hanc orationis Dominicæ petitionem; *Dimitte nobis debita nostra*. Vid. S. Th. 3. p. q. 87. art. 1. in corpore.

CONCL. 4. Contritio impio non solum est necessaria necessitate medii, sed etiam præcepti; seu non tantum non remittitur ipsi peccatum, cujus reus est, sed novum aliud contrahit, cum non conteritur.

Probatur 1. Homo tenetur deserere statum, in quo creaturam Deo anteponit; nempe lege caritatis, quæ juris est naturalis, tenetur Deum super omnia diligere: atqui impius nonnisi per contritionem potest deserere statum, in quo creaturam Deo anteponit, ergo impius tenetur ad contritionem. 2. Deus in Scripturis contritionem impiis hominibus imperat: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Convertimini ad me in toto corde vestro*: ergo impius jure positivo divino tenetur ad contritionem, seu ad eliciendum ejus actum, siquidem (ut advertit Angelicus Doctor) præcepta non dantur de habitibus virtutum, sed de illarum actibus.

Quæres 1. quandonam contritionis præceptum *per se* obliget impium, seu quandonam impius teneatur sub pœna peccati lethalis elicere actum contritionis vi specialis præcepti contritionis.

Resp. illud præceptum *per se* urgere impium in morali vitæ periculo constitutum. Ratio est, quia non est alia via, per quam tunc saluti suæ consulere possit. Ex quo inferunt Theologi, ii etiam qui in attritione, ut sit sufficiens ad sacramenti gratiam dispositio, nullum amorem includi contendunt, lethaliter peccaturum impium, qui eo in casu attritionem sic cognitam, seu quolibet Dei amore vacuam, absolutioni sacramentali subjiceret.

Resp. 2. Idem contritionis præceptum *per se* obligare impium, seu hominem qui jacet in statu peccati mortalis, ne in multum tempus actum contritionis proroget. Ratio est 1. quia status inimicitiæ cum Deo est status intrinsece malus: ergo homo non potest in eo diu manere, quin novum peccatum contrahat. 2. Qui suam conversionem in multum tempus protrahit, sese exponit periculo moriendi in statu peccati mortalis, cum intra multum tempus periculum sit morale: nempe intra illud tempus multis hominibus mors obvenire solet: proindeque impius peccat contra caritatem sibi debitam. Non existimarim tamen, impium qui non detestatur suum peccatum statim, ac quoties occurrit memoriæ, contrahere novum peccatum, si alio mentem avertens, ipsi novum consensum non præbeat: siquidem licet intra tempus brevissimum sit periculum metaphysicum moriendi in peccato, non est tamen periculum morale, hoc est, quamvis mors, absolute loquendo, possit accidere, moraliter tamen, seu ad judicium viri prudentis, non accidit.

Quæres 2. quo tempore *per accidens* obliget præceptum contritionis.

Resp. obligare *per accidens* esse obligare non ratione sui, sed ratione alterius præcepti, quod urgere supponitur: hoc posito, Resp. 1. præceptum contritionis non obligare impium ratione præcepti de sanctificandis festis. Ratio est, quia quamvis impius remaneat in statu peccati mortalis, immo & in ejus affectu habituali dominante, potest tamen, etiam cum fructu, sistere se præsentem Missæ sacrificio, ut superius ostendimus agentes de dispositionibus ad audiendam Missam requisitis; potest etiam pie orare, per caritatem nimirum, quæ nondum sit Dei super omnia, seu quæ nondum animo dominetur; potest etiam ex ejusdem caritatis nondum dominantis motivo cetera, quæ diebus festis præscribuntur, opera facere.

Nec valet, quod nonnulli objiciunt, quemque fidelem teneri actum amoris Dei super omnia singulis festivis diebus elicere, proinde & actum contritionis: non valet, inquam, quia quamvis (ut diximus agentes de præcepto caritatis) peccet homo, qui multo est tempore absque eo quod eliciat actum caritatis Dei super omnia; non peccat tamen præcise, quod eum non eliciat die festo: tunc quippe satis est, ut ex motivo caritatis Dei, etiam nondum dominantis, præscripta opera exerceat. Sic nemo damnabit impium qui peccandi consuetudine, ac proinde creaturarum amore dominante implicatus, festivis diebus audit Missam, sistit se præsentem Vesperarum officio, plurimum in oratione tempus impendit, ut a Deo obtineat gratiam, qua ab illo dominante creaturarum amore liberetur.

Resp. 2. præceptum contritionis *per accidens* impium obligare, cum urget præceptum administrandi aut recipiendi aliquod sacramentum; cum instat mandatum eliciendi actum caritatis Dei super omnia. Quæ paucis hic attigimus, fuse explicata sunt in Comment. Hist. a pag. 511. ad pag. 522. primæ edit.

CAPUT III.

De effectu Contritionis.

Not. HIC quæremus 1. utrum contritio omnia omnino peccata remittat: 2. utrum

2. utrum merita per peccatum mortificata, postea, contritionis virtute, revivifcant.

CONCL. 1. Contritio remittit omnia omnino peccata.

Probatur. Scriptura pollicetur remissionem peccatorum, 1. iis omnibus quos eorum debite pœnituerit: *Si impius* (inquit Deus ipse Ezech. 18.) *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor*: 2. iis quoque qui sincere Domini nomen invocaverint: *Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini* (Joel. cap. 2.) *salvus erit*: 3. Patres docuerunt hominem, cujuscumque facinoris aut flagitii reus sit, corripi debere, quandiu degit in sæculo: ergo censuerunt eum per contritionem posse cujuscumque peccati veniam obtinere.

Objicies 1. Primi lib. Reg. cap. 2. hæc habentur. *Si autem in Deum peccaverit, quis pro eo orabit?* unde sic arguitur: Contritio non remittit illud peccatum, pro quo nemo Deum orare potest: atqui pro peccatis in Deum, nemo Deum ipsum orare potest: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. Scripturæ textum: Quis pro eo orabit? & non excluditur qui oret, conc. ant. & excluditur, neg. ant. *Non est scriptum* (ait Ambros. lib. 1. de Pœnit. cap. 8.) *Nullus orabit pro eo, sed, Quis orabit? hoc est, quis ille sit qui in tali caussa orare possit, quæritur, non excluditur.*

Objic. 2. Peccata in Spiritum sanctum (ut patet ex Matth. 12. cap.) nec in hoc sæculo, nec in altero remittentur. Idem dici debet de peccato ad mortem, cujus Joannes primæ epist. cap. 5. meminit: Confirmatur hisce Apostoli verbis ad Hebr. 10. *Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccato.* Ergo contritio non remittit omnia omnino peccata.

Resp. ad 1. dist. ant. Peccata in Spiritum sanctum non remittentur, moraliter loquendo, quia difficile homo potest eorum pœnitere, conc. ant. non remittentur, hoc est, non possunt absolute remitti, neg. ant. Ratio est, quia Deus absolute potest ad pœnitentiam emollire cor hominis, qui peccavit in Spiritum sanctum; hoc est, qui aperta Spiritus sancti opera tribuit dæmonis virtuti: sed cum ut plurimum non emolliat, ac proinde nec hominem pœniteat, peccata, de quibus est quæstio, dicuntur irremissibilia.

Resp. ad 2. peccatum ad mortem, de quo Joannes loquitur, esse (ex August. lib. 1. Retract. c. 19.) impœnitentiam finalem, seu peccatum in cujus affectu homo ultimam diem claudit. Vel, si intelligatur de quolibet enormi peccato, eadem adhibenda est solutio, quæ ad primam objectionem adhibita est.

Resp. ad 3. Chrysostomum, Epiphanium, Ambrosium, textum qui ex Epist. ad Hebræos laudatur, explicuisse de sacramento baptismatis, hoc est, asseruerunt, voluntarie peccantibus non esse aliud medium, per quod ea facilitate in Dei gratiam redeant, qua primam, in baptismate scilicet, eam consecuti fuerant.

Quæres, qua ratione contritio remittat peccata.

Resp. contritionem extra sacramentum pœnitentiæ remittere peccata dispositive. *In homine post baptismum lapso* (inquit Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.) *ita demum præparat ad justificationem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, conjuncta sit, quæ ad rite suscipiendum hoc* (Pœnitentiæ) *sacramentum requiruntur.* E contra contritio in ipso sacramento, seu prout est conjuncta cum absolutione sacramentali, remittit peccata per modum caussæ efficientis. Ratio est, quia tunc contritio est materia sacramenti; materia vero sacramenti est caussa efficiens, saltem moralis, effectus qui per sacramentum producitur. *Unde* (inquit August.) *tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?*

CONCL. 2. Merita per peccatum lethale mortificata, postea per contritionem revivifcunt.

Probatur 1. Deus ita homini vere contrito peccata remittit, ut eorum amplius non recordetur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor*: atqui recordaretur, si merita per contritionem non revivifcerent; siquidem merita quæ præcessissent lethale peccatum, absque ulla mercede remanerent.

Probatur 2. Tria tantum, ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. requiruntur ad opus meritorium, cui in fine gloria æterna rependi debeat; 1. ut sit opus elicitum ab homine justificato: 2. ut factum sit ex Dei auxilio: 3. ut ipsemet operans in statu gratiæ moriatur: atqui tria illa contingant, cum hominem pœnitet criminis post justificationem admissi: ergo tunc præcedens illius meritum revivifcit, hoc est, mercede ante subsequens peccatum debita non frustrabitur.

Quæres, ad quem gradum gloriæ merita per peccatum mortificata, adveniente postea contritione, revivifcant.

Resp. revivifcere ad eum gloriæ gradum, qui advenientis postea contritionis merito & intensioni correspondet: unde per eam revivifcentiam pœnitens non donabitur intensiore gloria essentiali, seu uberiori intuitiva Dei visione, quam si ante peccatum nihil meritus fuisset: sed donabitur majore gloria accidentali, seu, præter gaudium quo perfruetur ob meritum contritionis, perfruetur etiam alio propter merita, quæ peccatum præcesserant. *Dicendum* (inquit S. Th. 3. p. q. 89. art. 5. ad 3.) *quod ille qui per pœnitentiam resurgit in minori caritate, consequetur quidem præmium essentiale secundum*

quantitatem caritatis, in qua invenietur: habebit tamen gaudium majus de operibus in prima caritate factis, quam de operibus quæ in secunda caritate fecit; quod pertinet ad præmium accidentale.

CAPUT IV.

De divisione Contritionis.

Not. CONcilium Tridentinum sess. 14. c. 4. contritionem dividit in perfectam & in imperfectam. Prior, ex eodem Concilio, ea est, quam contingit esse caritate perfectam; posterior vero, quæ ab eodem Concilio *Attritio* dicitur, ea est, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Contritione perfecta.

Not. DE contritione perfecta quæri potest 1. an satis sit ad justificationem cum sacramenti pœnitentiæ voto: 2. an ordinarie, an vero tantum extraordinarie, seu in casu necessitatis, satis sit cum solo sacramenti voto.

CONCLUSIO 1. Contritio perfecta cum sacramenti pœnitentiæ voto aliquando satis est ad justificationem impii.

Probatur ex Concilio Tridentino: *Docet præterea* (verba sunt Concilii sess. 14. c. 4.) *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat; hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, &c.*

CONCL. 2. Contritio perfecta non *aliquando solum*, sed *semper* remittit peccatum, antequam pœnitentiæ sacramentum actu suscipiatur.

Probatur 1. Pius Papa V. damnavit hanc propositionem, quæ num. 31. legitur inter eas quæ Michaeli Bajo tribuuntur: *Caritas perfecta, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, in catechumenis & pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum*: atqui contritio perfecta includit caritatem perfectam, ut infra dicetur: ergo contritio perfecta non potest esse sine remissione peccatorum.

Probatur 2. Propositio qua asseritur, contritionem perfectam justificare impium *aliquando* tantum, non autem *semper*, tamquam hæretica an. 1560. judicata est a facultate Theologica Parisiensi; sic enim habet propositio, cui gravem illam censuram inussit: *Per contritionem* (utique perfectam), *non adhibito realiter sacramento baptismi vel pœnitentiæ, non dimittitur nisi* [illegible] *extra casum martyrii, & necessitatis.*

Objicies cum Estio. Concilium Tridentinum non dicit, contritionem caritate perfectam *semper* remittere peccatum, antequam sacramentum actu suscipiatur, sed *aliquando* tantum: *Etsi* (inquit sacra Synodus) *contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur*: ergo immerito asseritur, contritionem perfectam *semper* remittere peccatum, antequam sacramentum actu recipiatur.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia Concilium adverbium *Aliquando*, non conjungit cum his verbis: *Hominemque Deo reconciliari*, sed cum his aliis: *Caritate perfectam esse*: ita ut sensus sit, contritionem quam aliquando caritate perfectam esse contingit, hominem reconciliare, priusquam sacramentum actu recipiatur.

Quæres, quid Concilium Tridentinum intellexerit per contritionem caritate perfectam.

Resp. 1. Estio visum fuisse, sacram synodum per contritionem *caritate perfectam* intellexisse omnem dolorem qui ex motivo caritatis Dei super omnia, licet in gradu remisso, concipitur: hincque conclusit, contritionem perfectam *non semper*, sed *aliquando tantum*, in casu nimirum necessitatis aut scandali, satis esse ad gratiam cum sacramenti voto recipiendam.

Resp. 2. alios, quibus subscribimus, censere Concilium Tridentinum per contritionem *caritate perfectam* non intellexisse omnem dolorem qui ex motivo caritatis Dei super omnia concipitur; sed eum tantum qui concipitur ex motivo multum intensæ ac valde ferventis caritatis Dei super omnia. Ratio est 1. quia ita Concilium explicatur ab auctoribus Catechismi Romani ad Parochos: *De hoc concedamus* (inquiunt) *contritione peccata deleri, quis ignorat eam adeo vehementem, acrem & incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit?* Ratio est 2. quia actus ex motivo finis secundum speciem perfecti, si in individuo sit actus debilis ac remissus, non dicitur simpliciter actus perfectus: sic actus qui habet unum tantum aut alterum gradum caritatis, non dicitur actus perfectus: sic etiam homo, in quo sunt unus aut duo tantum gradus amoris Dei super omnia, non dicitur Deum perfecte diligere. Ratio est 3. quia se habet contritio respectu voluntatis, sicut scientia respectu intellectus: ergo, quemadmodum intellectus non dicitur scientia perfectus quando habet scientiam tantum in gradu remisso: ita nec contritio dicitur caritate perfecta, cum concipitur ex remissa & parum fervente caritate super omnia.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Contritione imperfecta.

Not. Contritio, quæ attritio dicitur, duplici de caussa dici potest imperfecta; vel propter imperfectionem motivi, ex quo concipitur; vel propter imperfectionem gradus, qui reperitur in actu qui ex eo motivo concipitur. Contritio quæ aut ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennæ metu concipitur, dicitur imperfecta ratione motivi, seu speciei; nam actus humani speciem suam ex motivo, seu fine desumunt: e contra contritio quæ ex motivo caritatis Dei super omnia concipitur, dicitur perfecta ratione motivi, seu speciei: neque enim fingi potest motivum perfectius motivo caritatis. Dolor qui concipitur quidem ex motivo caritatis Dei super omnia, sed in quo pauci sunt caritatis gradus, quique ob id non multum est intensus ac fervens, dicitur contritio imperfecta ratione paucorum graduum caritatis qui in ea reperiuntur. Itaque utraque contritio, sive quæ concipitur aut ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennæ metu, aut ex motivo caritatis Dei super omnia, sed in gradu remisso, simpliciter & sine addito dicitur imperfecta contritio. Vide argumenta quibus id superiore pagina probatum est, & obiter adverte, eam imperfectæ contritionis ideam plurimum conferre ad eorum intelligentiam, quæ subsequentibus paragraphis dicentur.

§. I. *De contritione imperfecta ratione motivi.*

Not. De contritione quæ est imperfecta ratione motivi, seu quæ concipitur aut ex sola consideratione turpitudinis peccati, aut ex solo gehennæ metu, aut ex utroque illo motivo simul, quæri potest 1. utrum sit dolor utilis ad justificationem: 2. utrum ad eam satis sit conjuncta cum sacramenti voto: 3. utrum satis sit cum actuali receptione sacramenti.

CONCLUSIO 1. Contritio, quæ est imperfecta ratione motivi, seu quæ concipitur aut ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennæ metu, *in se* bona est, ac utilis.

Probatur. Bonum est *in se*, detestari peccatum aut propter illius turpitudinem, seu deformitatem, quam secum invehit, aut propter pœnas quibus castigatur: nempe rationi consentaneum est, ut creatura rationalis & eam deformitatem & eas pœnas aversetur, cum rerum ordinem, & animi sui quietem diligere debeat.

Confirmatur 1. ex Scriptura, quæ sæpius fidelium ob oculos ponit æternas inferorum pœnas: *Timete eum qui potest mittere in gehennam.*

Confirmatur 2. ex Augustino, qui in Psalmum 117. sic loquitur: *Fac timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.*

Ex his recte concluditur, Concilium Tridentin. merito damnasse Lutheranos, quod contenderent, actum elicitum ex consideratione turpitudinis peccati aut gehennæ metu, non esse *in se* actum bonum, sed malum quo homines magis hypocritæ redduntur: *Si quis dixerit* (inquit sess. 14. can. 5.) *eam contritionem . . . . . . quæ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema sit.* Ratio vero, cur Lutherani in eum errorem abierint, petitur ex eo, quod doceant hominem justificari per actum fidei, quo certo credat sibi per Christum remissa esse peccata; at illi fidei, seu illi persuasioni contrarius est actus quo inferorum pœnæ timentur; neque enim qui de sua justificatione ac perseverantia usque in finem securus est, potest inferorum pœnas timere.

CONCLUSIO 2. Contritio quæ concipitur ex sola consideratione turpitudinis peccati, aut ex solo gehennæ metu, aut ex utroque illo motivo simul, ad justificationem satis non est cum solo sacramenti voto.

Probatur 1. Contritio, de qua agitur, satis non est (ut mox dicetur) ad recipiendam gratiam in ipso pœnitentiæ sacramento: ergo a fortiori satis non est ad eam recipiendam extra ipsum sacramentum, seu cum solo sacramenti voto. 2. Concilium Tridentinum de attritione, seu imperfecta contritione, de qua quæstio, hæc habet sess. 14. cap. 4. *Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*

CONCLUSIO 3. Contritio, quæ concipitur ex sola consideratione turpitudinis peccati, satis non est, ut quis gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiat.

Probatur. In peccato triplex tantum turpitudo distingui potest. Prior, quæ adversatur pulcritudini humanæ famæ; altera, quæ opponitur pulcritudini mentis; tertia quæ contraria est pulcritudini justitiæ. Contritionem, quæ ex hujus tertiæ pulcritudinis consideratione nascitur, satis esse ad gratiam in sacramento recipiendam nemo diffitetur, quia odisse peccatum eo quod justitiæ adversetur, est odisse peccatum prout est Dei offensa, cum Deus sit ipsamet justitia, & vicissim justitia sit Deus ipse: tota igitur difficultas est de con-

contritione, quæ concipitur ex consideratione turpitudinis peccati. Illa turpitudo adversatur aut pulcritudini famæ, aut pulcritudini mentis: atqui contritio quæ concipitur ex duplici illa turpitudinis peccati consideratione, satis non est ad gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiendam: nam detestari peccatum præcise quia adversatur pulcritudini famæ, est illud detestari propter id quod ultimo operari non licet: neque enim licet ultimo operari, ut famam apud homines consequamur. Detestari vero peccatum præcise, quod adversetur pulcritudini mentis, est illud detestari propter motivum, in quo si quis hæreat, superbus est, seu incidit in superbiæ peccatum: *Cum* (inquit August. l. 5. de Civitate Dei, cap. 20.) *anima in seipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur; & ideo superba est, quia se pro summo habet, cum sit superius Deus.*

CONCLUSIO 4. Contritio quæ concipitur ex solo gehennæ metu, satis non est, ut quis gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiat.

Probatur 1. Ea contritio satis non est, ut quis gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiat, quæ non excludit voluntatem peccandi: atqui contritio quæ concipitur ex solo gehennæ metu, non excludit voluntatem peccandi; id enim aperte asseritur ab Augustino lib. de Natura & Gratia cap. 57. *Qui* (inquit) *timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus a voluntate peccandi.* Eo principio nixus S. Doctor conc. 25. in Psalm. 18. temperantem a peccato ex solo pœnarum metu, comparat cum serpentibus, qui licet, præ frigoris acerbitate torpentes, palpantibus minime noceant, veneno tamen vacui non sunt. Sermone 19. De verbis Apostoli, cap. 9. eumdem hominem comparat cum lupo, qui licet, pastoris præsentia territus, ovem non rapiat, lupus tamen intus remanet, & cum lupi rabie recedit. Tractatu 9. in Epistolam Joannis, impium, de quo est quæstio, confert cum muliere, quæ licet amet adulterium, temperat tamen ab externo illius opere, ne deprehensa a marito occidatur.

Probatur 2. Solus gehennæ timor non includit odium præteriti peccati: ergo satis non est, ut quis gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiat. Probatur ant. 1. ex Aug. Epist. 144. *Tantum quisque odit peccatum, quantum justitiam diligit*: sed qui conteritur ex solo pœnarum metu, nullo modo, ne imperfecte quidem, diligit justitiam: ergo, ex eodem Augustino, nullo modo odit peccatum: 2. Qui nullo modo amat bonum quod est oppositum peccato, vere non odit peccatum; siquidem odium alicujus mali nascitur ex amore boni oppositi: sed is, qui conteritur ex solo pœnarum metu, nullo modo (ut supponitur) amat bonum oppositum peccato: ergo vere non odit peccatum. 3. Qui solos odit corporis cruciatus, solamque animi perturbationem, vere non odit peccatum: sed is qui detestatur peccatum ex solo pœnarum metu, solos odit corporis cruciatus, solam odit animi perturbationem: *Timor pœnarum* (inquit Aug. Ser. 214. de tempore, cap. 3.) *propterea pungit animam, ne amittatur aliquid quod in creatura diligitur, vel ipsa salus & requies temporalis, aut tale aliquid post mortem; propterea enim timentur & apud inferos pœnæ.*

Probatur 3. Sententia quæ docet, dolorem conceptum ex solo gehennæ metu, satis esse, ut quis gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiat, 1. *opinio est* (teste Francisco Suarez) *nec valde antiqua, nec multum communis*: ergo non est vera: nempe novitas in rebus quæ ad fidem aut mores spectant, certissimum est falsitatis argumentum. 2. In praxi cum hoc Patrum principio: *Tene certum, dimitte incertum*, non cohæret. 3. Si liceret eam ad praxim reducere, immerito Innocentius Papa XI. hanc propositionem damnasset: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore*: siquidem contraria sententia quæ negat, dolorem, de quo agitur, satis esse, haud dubie tutior est affirmativa, quantumcumque affirmativa supponatur probabilis.

Objicies 1. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. docet, contritionem imperfectam quæ ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, disponere pœnitentem, ut gratiam in sacramento recipiat: ergo satis est ad eam gratiam in ipso sacramento recipiendam.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Id enim omne quod ad justificationem disponit, non censetur ultima ac sufficiens ad eam, etiam in sacramento, recipiendam dispositio. Confirmatur 1. ex Pallavicino, qui in Historia Concilii asserit, vocem, *Sufficit*, quam nonnulli theologi decreto privatim inseruerant, jubente sacra Synodo delatam fuisse in publica sessione, ac ejus loco hanc etiam vocem, *Disponit*, insertam fuisse. Confirmatur 2. ex scopo quem Concilium in capite, de quo agitur, sibi proposuit: una fuit ejus mens, damnare Lutheri errorem de contritione ex gehennæ metu concepta. Lutherus (ut jam superius observatum est) docebat, eam contritionem esse malam; reddere hominem magis hypocritam; nullo modo ad gratiam in sacramento recipiendam disponere: ut autem Concilium errorem illum damnaret, non opus fuit, ut definiret, contritionem imperfectam, quæ ex metu concipitur, *sufficere* ad gratiam in sacramento recipiendam; sed opus tantum fuit, ut definiret, eam contritionem *disponere* ad gratiam in sacramento recipiendam.

In-

Instabis. Concilium definit contritionem imperfectam habere in ipso sacramento efficaciam, quam non habet extra sacramentum; nam alioquin immerito hæc de ea dixisset: *Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatum nequeat: tamen*, &c. ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg sequelam. Ratio est, quia quemadmodum, si Concilium hæc dixisset de fide: *Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem peccatorem perducere nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*; quemadmodum (inquam) ex ea loquendi ratione colligi non posset fidem satis esse ad gratiam in sacramento recipiendam: ita nec inferri potest ad id satis esse contritionem ex solo gehennæ metu conceptam. Si quis autem urgeat, quare concilium adhibuerit eam loquendi rationem. *Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ &c.* respondendum est adhibitam fuisse eam loquendi rationem, ut huic tacite objectioni occurreretur: *Contritio extra sacramentum per se non sufficit ad justificationem: ergo inutilis est ante ejusdem sacramenti receptionem.* Id nimirum extra sacramentum non est inutile ad justificationem, quod peccatorem disponit ad gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiendam, seu, quod est via ordinaria ad aliam dispositionem; nempe ad contritionem ex Dei amore præcipue conceptam, quæ quidem contritio cum proxima sit ad justificationem dispositio, satis est, ut impius eam in sacramento recipiat.

Objicies 2. Quod excludit voluntatem peccandi, sufficit ad gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiendam: atqui contritio imperfecta ratione motivi, seu concepta ex solo timore pœnæ, excludit voluntatem peccandi; id nimirum Tridentina Synodus supponit, cum definit ejusmodi contritionem, *Si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, disponere ad gratiam in sacramento impetrandam: ergo, &c.

Resp. 1. neg. maj. magis enim attendendum est ad motivum, ex quo contritio concipitur, quam ad ipsius substantiam; *Tunc* (inquit Aug.) *victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.*

Confirmatur ex eo, quod Scripturæ ad justificationem in impio requirant conversionem ex toto corde: *Convertimini ad me ex toto corde vestro*: at voluntas non peccandi, concepta ex solo gehennæ metu, non est ex toto corde, cum non sit ex amore, qui præcipuus est cordis actus.

Resp. 2. data majore, neg. min. propter rationes quæ in conclusionis probationem allatæ sunt. Ad 2. dicendum est, Concilium non loqui de voluntatis peccandi exclusione ab ipsa anima, sed ab ipso imperfectæ contritionis actu; ita ut sacra synodus voluerit, dolorem qui habet debitum tum proximum, tum ultimum finem supernaturalem disponere, ut quis gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiat: idque definiit contra Lutheranos, qui (ut jam observatum est superius) contendebant, dolorem ex gehennæ metu proxime conceptum, licet ex parte timentis ad Dei gloriam ultimo referatur, reddere hominem hypocritam & magis peccatorem, eo quod (inquiebant) gehennæ timor e diametro oppositus sit fidei seu certitudini, qua impius ad justificationem consequendam credere debet, ex Lutheri doctrina, sibi remissa esse peccata.

Objicies 3. Ex veteribus scholasticis, *Homo ex attrito fit contritus per pœnitentiæ sacramentum*: unde sic arguitur: Si contritio imperfecta ratione motivi, seu concepta ex solo gehennæ metu, non sufficeret ad gratiam in sacramento impetrandam, attritus non fieret contritus in sacramento; in eo enim casu, irritum esset sacramentum, quia non esset materia sufficiens: atqui contrarium ex antiquis scholasticis evincitur: ergo, &c.

Resp. 1. dist. maj. Attritus non fieret contritus per sacramenti formam, seu absolutionem conc. maj. id enim probat argumentum: per preces quæ sacramentum præcedunt, neg. maj. Eo sensu veteres quidam scholastici docuerunt, attritum fieri contritum in sacramento, quod *nonnumquam* per preces, quæ ante ipsam absolutionis formulam recitantur a sacerdote, pro pœnitente obtineatur donum contritionis ex amoris motivo conceptæ.

Resp. 2. dist. iterum maj. Attritus serviliter tantum, non fieret contritus, conc. maj. attritus ex pœnarum quidem metu, sed præcipue ex Dei amore, non fieret contritus, neg. maj. Veteres scholastici non sumpserunt *Attritionis* nomen pro dolore qui ex solo metu concipitur, sed pro dolore qui concipitur præcipue ex amore Dei imperfecto: hunc vero amorem imperfectum asseruerunt in sacramento fieri perfectiorem, quia virtus sacramenti auget amoris gradus.

Confirmatur ex eo, quod iidem auctores contenderint, attritionem de qua locuti sunt, esse ejusdem speciei cum perfecta contritione, ab eaque non differre, nisi secundum magis, & minus: *Si quis quærat* (inquit Guillelmus Antisiodorensis lib. 4. Summæ de Sacramento Pœnitentiæ) *quæ sit differentia inter Attritionem & Contritionem. Sic est sicut vulneratio non lethalis ad occisionem, sicut calefactio ad arsionem, sicut lumen crepusculi ad meridiem.*

§. II. *De Contritione imperfecta solum secundum gradus.*

Not. Ex superius observatis, contritio imperfecta secundum gradum tantum, est ea quæ præcipue quidem concipitur ex caritate

Dei super omnia, sed in gradu remisso, seu non multum fervente, vel (ut scholastici loquuntur) ex caritate, summa quidem extensive, hoc est, appretiative, sed non summa intensive, hoc est secundum gradus.

Not. 2. De contritione quæ eo sensu est imperfecta, quæremus hic 1. utrum in pœnitente necessaria sit ad gratiam in pœnitentiæ sacramento impetrandam: 2. utrum sufficiat, an vero alia quæ perfecta sit, etiam secundum gradum, requiratur: 3. utrum satis sit cum solo sacramenti voto.

§. III. *Utrum requiratur contritio, quæ ex inchoata saltem caritate concepta sit.*

CONCL. Ad gratiam in pœnitentiæ sacramento impetrandam requiritur in pœnitente contritio, quæ ex inchoato saltem Dei amore super omnia concipiatur.

Probatur 1. ex Scriptura. *Primo*, se habet pœnitentiæ sacramentum respectu gratiæ conferendæ, sicut se habet martyrium: nam utrumque (ut observavimus agentes de baptismate) producit gratiam ex opere operato: atqui martyrium, ut prosit, requirit caritatem in patiente: *Si tradidero corpus meum* (inquit Apost. 1. ad Cor. 13.) *ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ergo pœnitentiæ sacramentum, ut prosit, immo ut valeat, caritatem saltem inchoatam a pœnitente requirit.

Secundo, ex 1. epist. Joannis cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte*: regula illa generalis est, proindeque nullam in adultis hominibus, qui actualis amoris sunt capaces, exceptionem patitur: sed is qui sine caritate se subjicit pœnitentiæ sacramento, non diligit, ut supponitur: ergo manet in morte, seu non recipit gratiam justificantem.

Tertio, ad id pœnitentiæ sacramentum requiritur, quo si quis destitutus sit, anathema meretur: neque enim ei qui sufficienter dispositus est ad recipiendam gratiam in sacramento pœnitentiæ, anathema juste potest infligi: sed is qui Dei caritate, saltem inchoata, destitutus est, meretur anathema, juxta illud Apostoli 1. ad Cor. ultimo: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*: ergo, &c.

Quarto, id requiritur in impio, quod necessarium est ad conversionem ex toto corde: *Convertimini ad me* (inquit Deus Joelis 2.) *in toto corde vestro*: atqui caritas, saltem inchoata, quæ tamen sit super omnia, requiritur ad conversionem ex toto corde: nam ad conversionem ex toto corde necesse est, ut cor Deum anteponat creaturæ: tum vero creaturæ anteponere non potest, nisi eum amet plusquam creaturam, cum cor non nisi per affectum, seu per amorem, unum anteponat alteri: *Rationabilis animus qui sine dilectione esse non potest* (inquit Leo Magnus sermone de jejunio septimi mensis) *aut Dei amator est, aut mundi.*

Probatur 2. ex Conc. Trid. Sacra Synodus definit 1. in catechumenis, ut gratiam in baptismi sacramento recipiant, requiri inchoatam saltem caritatem Dei super omnia. Postquam enim sess. 6. cap. 8. docuit, eos ad id imbui fide, concuti timore, spe erigi, addit: *Illumque* (Deum) *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Ne quis autem ea verba in consilii aut decentiæ sensum detorqueat, obstat ejusdem sessionis tertius canon, ubi hæc habentur: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Unde sic arguitur: Non minor dispositio requiritur in homine lapso, ut in sacramento pœnitentiæ gratiam recipiat, quam in catechumeno, ut gratiam recipiat in baptismi sacramento; neque enim catechumenus difficilius gratiam in baptismate recipit, quam homo lapsus in pœnitentiæ sacramento: atqui (ut patet ex laudatis Concilii Tridentini verbis) in catechumeno requiritur inchoata caritas Dei super omnia: ergo & in homine post baptismum lapso.

2. Eadem sacra Synodus sess. 14. cap. 4. in pœnitente requirit vitæ veteris odium, propositum non peccandi de cetero, contritionem quæ quovis tempore necessaria fuit: *Contritio* (inquit) *quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*: atqui illud odium, illud propositum, ea contritio includunt caritatem Dei super omnia, saltem inchoatam; neque enim quis odisse potest peccatum, nisi amet bonum ei oppositum quod est Deus, quia omne odium mali fundatur in amore boni oppositi. Nemo quoque potest habere propositum non peccandi, quin efficaciter statuat servare omnia mandata, ac proinde primum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: proponere autem diligere Deum, est ipsum actu diligere. Contritio quæ quovis tempore fuit necessaria, concipitur ex motivo caritatis: scilicet fide constat, nec tempore legis naturæ, nec tempore legis Mosaicæ quemquam amissam justitiam recuperasse, quin eum ex caritatis motivo peccatorum pœnituerit.

3. Eadem sacra Synodus sess. 14. cap. 3. definit contritionem esse quasi materiam sacramenti pœnitentiæ: *Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, contritio, confessio, satisfactio*. Idem sub anathematis pœna credendum proponitur ejusdem sessionis cap. 4. Nomine vero *contritionis* Concilium

cilium intelligit dolorem qui ex Dei caritate concipiatur, tum quod (ut ajunt Logici) *Analogum simpliciter prolatum sumi tantum debeat pro præcipuo analogato*, id est, terminus qui sub se habet duas species, cum simpliciter, hoc est, sine addito profertur, semper sumatur pro sola præcipua specie: sic cum nomen *Panis* simpliciter profertur, sumitur pro solo pane triticeo; ac proinde, cum terminus *contritio* sit terminus qui sub se habet duas species, dolorem nimirum qui concipitur ex motivo caritatis, & dolorem qui concipitur ex gehennæ metu, aut ex consideratione turpitudinis peccati, cum simpliciter profertur (prout revera prolatus est a Concilio Tridentino) debet sumi pro præcipua specie, seu pro dolore ex caritate concepto, ac cum exclusione doloris concepti ex gehennæ metu, aut ex consideratione turpitudinis peccati, tamquam præcipuo motivo. Unde sic in forma conficitur argumentum: Illud absolute requiritur ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam, quod est illius materia; neque enim valet sacramentum, quod caret debita materia: atqui contritio concepta ex motivo caritatis, est materia sacramenti pœnitentiæ, eam nimirum (ut mox probatum est) cum alterius cujusque doloris exclusione, Concilium Tridentinum declaravit esse illius materiam: ergo contritio concepta ex motivo caritatis, absolute requiritur ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam.

Objicies 1. Si ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam requiratur contritio, quæ ex caritate Dei super omnia, licet imperfecta, concepta sit, difficilior erit justificatio in nova lege quam fuerit in antiqua; nam ea caritas satis erat Judæis ad gratiam consequendam, Christianis præterea opus est absolutione sacramentali. Ut ergo aliquod inter Judæos & Christianos statuatur discrimen, satius est asserere, nunc caritate, etiam inchoata, opus non esse, sed solo sacramento cum dolore qui ex metu conceptus sit; olim vero necessariam fuisse caritatem Dei super omnia, non autem sacramentum.

Resp. dist. ant. justificatio in nova lege difficilior erit *secundum quid*, quam fuerit in antiqua, conc. ant. nempe præter caritatis actum, nunc ex institutione Christi, absolutio sacramentalis requiritur: difficilior erit *absolute*, neg. ant. nimirum in nova lege uberior ac frequentior est Christi Salvatoris gratia, per quam cor a cupiditate ad caritatem emollitur. Discrimen quod adversarii Judæos inter & Christianos statuunt, ipsimet Christo (pace eorum dixerim) injuriosum est; quasi vero Christus mortem passus fuerit, ac instituerit sacramenta, ut homines a suavi caritatis in Deum jugo liberaret. Christus instituendo pœnitentiæ sacramentum, nihil immutavit in virtute pœnitentiæ, quæ quovis tempore necessaria fuerat; sed hoc solum egit, ut ea virtus esset in Evangelica lege materia sacramenti.

Objicies 2. Quamvis veritate niteretur sententia, qua propugnatur inchoatæ ac imperfectæ caritatis necessitas ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam, non esset tamen populis inculcanda, quippe quæ scrupulis ac anxietatibus eos excruciet, cum scire non valeant, num ea caritate flagrent, cum se absolutioni subjiciunt: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Nam *Primo* aliter censuit facultas Theologica Lovaniensis. Anno nimirum 1662. postulata, ut suum doctrinale judicium ferret circa hunc articulum: *Attritionem quæ ex solo gehennæ & pœnarum a Deo infligendarum metu concipitur, sine interventu alicujus, saltem imperfecti, amoris, benevolentiæ erga Deum, non sufficere ad justificationis gratiam in sacramento impetrandam;* postulata (inquam) his verbis respondit: *Facultas Theologica Lovaniensis in curia academica sub juramento convocata, & congregata, unanimi consensu censuit, doctrinam dicti articuli esse sanam, securam, veram, nulli reprehensioni obnoxiam, & merito fidelibus esse prædicandam & inculcandam.*

Secundo, aliud quoque censuerunt Illustrissimi Præsules, qui libris vulgari idiomate conscriptis necessitatem imperfectæ caritatis ad justificationem in sacramento consequendam inseruerunt. Instar omnium sit Eminentissimus Cardinalis de Camus, Episcopus & Princeps Gratiannpolitanus, qui librum sub hocce titulo Gallico conscriptum, *Theologie Morale*, sua approbatione muniit, injunxitque Seminarii a se erecti professoribus, ut eum Clericos eorum curæ creditos docerent. Tractatu 6. vol. 4. cap. 5. libri de quo agitur, conceptis terminis caritatis ad pœnitentiæ sacramentum necessitas defenditur: *Tout cela nous fait voir evidemment* (verba sunt auctoris loquentis de hac Concilii Tridentini sententia: Ipsumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt) *que la penitence ne sauroit être veritable ny servir a nous justifier devant Dieu, quand même elle nous feroit souffrir le martyre, si elle est sans cet amour & charité, qui convertit le cœur en luy faisant aimer Dieu plus que toute creature.*

Tertio: si (ut superius ostensum est) contritio concepta ex imperfecta ac inchoata caritate, sit, ex divina institutione, materia necessaria sacramenti pœnitentiæ, necesse est, ut populi eam veritatem doceantur, cum (ut Catechismi Romani verbis utar) nihil fideli populo notius esse debeat quam hujusce sacramenti materia: siquidem si aliam materiam ab ea quam Christus adhiberi voluit, absolutioni populus subjiciat, effectus sacramenti, immo ipsa sacramenti substantia fru-

frustrabitur: quippe quod nullum sacramentum valeat, etiam quoad substantiam, nisi constet materia ex qua Christus ipsum constare voluit.

Quarto, quod adversarii objiciunt de scrupulis & anxietatibus, quibus in nostro systemate pœnitentes excruciatum iri contendunt, nullius est ponderis; quieto nimirum animo pœnitentes esse debent, ac cum cordis pace subjicere se sacramento, ubi revoluto diligenter conscientiæ sinu, jugibus precibus sinceram sui conversionem, seu cor novum, de quo Scripturæ loquuntur, quodque caritatem imperfectam includit, a Deo petierint. Confirmatur ex eo, quod ut quis tranquillo sit animo, necesse non sit eum certo scire, se eo, quo par est, modo dispositum esse ad gratiam in sacramento impetrandam: nec mirum, nemo enim (ut observat Concilium Tridentinum) propriam suam dispositionem ea certitudine, cui falsum subesse non possit, cognoscere valet.

§. IV. *Utrum contritio concepta ex inchoata caritate Dei super omnia, satis sit ad pœnitentiæ sacramentum.*

CONCLUSIO. Contritio concepta ex motivo caritatis Dei super omnia, quamvis sit in gradu remisso, sufficit ad gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiendam: hincque recte concluditur, contritionem simpliciter perfectam, absolute non requiri cum sacramento.

Probatur 1. Tridentinum Concilium inchoatam tantum caritatem Dei super omnia requirit in contritione ad baptismum necessaria. *Illumque* (inquit) *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. 2. Inchoata caritas Dei super omnia, id omne operatur, quod idem Concilium ad sinceram ac veram contritionem requirit: odium nimirum vitæ veteris, & propositum novæ. 3. Facultas Theologica Parisiensis Kalendis Julii an. 1638. hanc cujusdam recentioris propositionem damnavit: *Actus caritatis perfectæ, seu veræ, & perfectæ contritionis, absolute necessarius est ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam*. Termini illius propositionis *in sensu obvio* significant, contritionem non tantum secundum speciem, sed etiam secundum gradum, perfectam necessario requiri: an autem obvius ille sensus erui possit ex connexione sententiarum libri, ex quo excerpta est propositio damnata, non opus est ut hic expendamus. Obiter tamen observandum est nonnullos contendere, facultatem non damnasse propositionem quoad primum illud membrum, *Actus caritatis perfectæ, &c.* sed quoad aliud in quo afferebat auctor, absolutionem nihil aliud esse, quam juridicam remissi peccati declarationem.

§. V. *Utrum Contritio concepta ex inchoata tantum caritate Dei super omnia, satis sit ad justificationem cum solo sacramenti voto.*

Not. Impius cui inest contritio concepta ex inchoata tantum caritate Dei super omnia, potest considerari, vel in casu necessitatis, vel extra necessitatis casum. De ejusmodi contritionis vi in eo duplici casu considerate est hic a nobis agendum.

CONCLUSIO 1. Contritio concepta ex inchoata tantum caritate, in casu necessitatis satis est ad justificationem impii cum solo sacramenti pœnitentiæ voto.

Probatur. *Primo*, qui peccatum detestitur propter Deum super omnia dilectum, quamvis in gradu remisso, sincere invocat Dei nomen; ac proinde exaudiri debet ac consequi veniam sui peccati in extrema saltem necessitate, juxta illud Scripturæ: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*. *Secundo*, impius de quo agitur, est ad Deum conversus ex toto corde, seu Deum anteponit creaturæ, per amorem summum (ut loquuntur) appretiative; par igitur est, ut cum sacramenti voto tunc justificetur. *Tertio*, Innocentius Papa III. de argumento, de quo est quæstio, interrogatus ab Episcopo Cremonensi, his verbis in epistola Decretali respondit: *Inquisitioni tuæ realiter respondemus, Presbyterum quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cælestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter*. Responsum suum laudatus Papa confirmat auctoritate Augustini: *Lege* (inquit) *super octavo libro Augustini de Civitate Dei*, ubi inter cetera legitur: *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit*. Addit quoque testimonium Ambrosii: *Librum etiam Beati Ambrosii, de obitu Valentiniani, idem asserentis revolve*. Idem dogma confirmatur *quarto*, ex Ecclesiæ praxi, quæ pro catechumenis & pœnitentibus ante receptum actu sacramentum mortuis, obtulit olim & nunc offert sacrificium: Ecclesia igitur persuasum fuit, eos, tum catechumenos, tum pœnitentes, quos ordinaria, hoc est, non multum fervente ac intensa caritate flagrasse supposuit, in statu gratiæ mortuos fuisse: neque enim Ecclesia orare potest pro iis, quos certo scit mortuos in statu peccati mortalis; ea nempe de caussa nullas fundit preces pro iis qui in ipso peccati mortalis actu ultimam diem clauserunt.

Objicies. Si contritio concepta ex inchoata caritate Dei super omnia, impium justificet in casu necessitatis, & aliunde sit necessaria, ut extra casum necessitatis cum actuali sacramenti receptione eumdem impium justificet,

stificet, cur Patres tam sedulo curarunt, ut baptisma catechumenis, & absolutio pœnitentibus in extrema vitæ periodo constitutis conferrentur? cur Concilium Tridentinum, ubi sessione 14. declaravit, nullum esse casum Episcopis reservatum in articulo mortis, asserit id fieri, ne quis absolutionis defectu pereat? Nam in eo casu vel infirmus destitutus est contritione quæ ex inchoata Dei caritate super omnia concepta sit, vel ea non est destitutus: Si primum, frustra festinant sacerdotes, ut eum absolvant, quippe incapax est absolutionis: Si secundum, de salute non periclitatur, cum contritio concepta ex inchoata Dei caritate super omnia, cum sacramenti voto, in casu saltem extremæ necessitatis, impium justificet: ergo, &c.

Resp. neg. utramque antecedentis partem. Ratio est 1. quia licet supponatur, catechumenum & pœnitentem in extrema vitæ periodo constitutos flagrare inchoata caritate Dei super omnia; aliquo tamen sensu verum est, quod perire possint defectu sacramenti actu recepti; nempe sacramentum, cum actu datur, auget recipientis vires; ac proinde eum reddit magis idoneum superandis gravibus tentationibus, quibus tunc urgeri potest. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quæ non ob aliam caussam curavit semper, ne ii etiam quos supponebat esse in statu gratiæ, absque Eucharistiæ Viatico ex hac vita dimitterentur. Ratio est 2. quia licet omni argumentorum genere nitatur sententia, quæ docet ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam requiri contritionem quæ ex inchoata caritate Dei super omnia concepta sit, non est tamen certa certitudine fidei; ac proinde nec certum est certitudine fidei dolorem ex solo gehennæ metu conceptum, satis non esse ad gratiam in actuali receptione sacramenti impetrandam.

CONCLUSIO 2. Contritio concepta ex inchoata Dei caritate super omnia, satis non est, ut quis extra casum necessitatis cum solo sacramenti voto, gratiam sanctificantem recipiat. Est contra Illustrissimum Episcopum Castoriensem, qui in libro quem inscripsit: *Amor Pœnitens*: docuit, contritionem, de qua agitur, non solum in casu necessitatis, sed semper ac ordinarie justificare impium ante actualem sacramenti receptionem.

Probatur 1. ex Scriptura. Paulus sua peccata ex inchoata Dei caritate super omnia detestabatur cum sic Christum allocutus est: *Domine, quid me vis facere?* aut saltem cum ab Anania, Actorum 9. post triduum a conversione inventus est vacans orationi: Atqui Paulus tunc non erat justificatus, ut probant hæc Ananiæ ad eum verba, Actorum 22. *Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius*. Magdalena inchoatam in Deum caritatem probaverat, cum ad Christi pedes provoluta, eos lacrimis rigavit, tersit crinibus, unguento perfudit; ei tamen tunc nondum remissa erant peccata, sed tantum cum, adulta caritate, & per pietatis actus plurimum aucta, hoc audit a Christo, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*.

Probatur 2. ex traditione. Cyprianus Epistola 10. supponit eos, qui post admissum idololatriæ crimen, nomen Christi coram tyrannis pœnitentes postea confessi fuerant, nondum tunc justitiam consecutos fuisse; hanc etiam rationem reddit, cur eos donari vult absolutione sacramentali, licet totam impositam sibi satisfactionem nondum persolvissent: *Jacere ultra sub diabolo quasi prostrati non debent*. Augustinus tractatu 13. in Joannem hæc habet: *Quantumcumque catechumenus* (secundum viam ordinariam, hoc est cum contritione secundum caritatis gradum imperfecta) *proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat. Non ei dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum*. Idem S. Doctor lib. 8. Conf. cap. 9. scribit, se caritate inchoata flagrasse, antequam actu baptisma reciperet: *Sagittaveras tu cor nostrum caritate tua*. Et tamen asserit, nondum sibi remissa fuisse peccata: *Ea fides* (inquit) *me securum esse non sinebat de præteritis peccatis, quæ mihi per baptismum tuum remissa non erant*.

Objicies 1. Quod efficit, ut Deus amet impium, satis est ad impii justificationem; neque enim Deus amat nisi justos: atqui caritas Dei super omnia, quantumcumque sit secundum gradum imperfecta ac remissa, modo conjuncta sit cum sacramenti pœnitentiæ voto, efficit, ut Deus amet impium: *Ego* (inquit Deus Proverbiorum 8.) *diligentes me diligo*: ergo, &c.

Confirmatur argumentum. Quod discernit inter filios Dei & filios diaboli, non tantum in casu necessitatis, sed etiam ordinarie, sufficit ad justificationem: atqui caritas Dei super omnia, quamvis sit secundum gradum imperfecta, discernit inter filios Dei & inter filios diaboli: *Dilectio sola* (inquit Augustinus tractatu 5. in Epist. Joannis) *discernit inter filios Dei & filios diaboli*.

Resp. dist. maj. Quod efficit, ut Deus perfecte amet impium, satis est ad impii justificationem, conc. maj. quod efficit, ut Deus imperfecte tantum amet impium, neg. maj. Caritas inchoata Dei super omnia efficit, ut Deus hac ratione tantum, non autem illa, impium amet. Ratio est, quia cum Dei in hominem amor sit efficax, in tantum Deus diligit hominem, in quantum præstantia sunt dona, quæ ipsi largitur: cum ergo inchoata caritas non sit donum perfectum, non efficit, ut creatura a Deo perfecte ametur; ac proinde ut nec ipsi perfecte reconcilietur: *Deus prior diligit nos* (inquit Bellarminus de justificatione agens, capite 13.)

te 13.) *& diligendo facit justos, sed paullatim, & per certa media: quos enim diligit, primum vocat ad fidem; tum spem & timorem, & dilectionem inchoatam inspirat; a postremo justificat, & caritatem perfectam infundit.*

Ad confirmationem resp. dist. maj. Quod perfecte discernit inter filios Dei & filios diaboli, ordinarie sufficit ad justificationem, conc. maj. quod imperfecte tantum, neg. maj. Caritas inchoata Dei super omnia hoc modo tantum, non autem illo, discernit inter filios Dei & filios diaboli, hoc est, per ejusmodi caritatem filii Dei discerni incipiunt a filiis diaboli, in quibus non tantum reperitur reatus peccati, sed etiam affectus ad peccatum.

Objicies 2. quod animæ tribuit vitam spiritualem, satis est ad justificationem impii, nimirum justificatio non in alio, quam in vita spirituali posita est: atqui inchoata caritas Dei super omnia tribuit animæ vitam spiritualem: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Quod animæ tribuit vitam spiritualem integram & perfectam, satis est, &c. conc. maj. quod inchoatam tantum & imperfectam, neg. maj. caritas est animæ vita, sed ea vita gradus habet suos; ac proinde inchoata caritas, est inchoata tantum animæ vita, seu est initium & dispositio ad integram vitam spiritualem, quæ in robusta ac provecta caritate posita est: *Inchoata caritas* (inquit August.) *inchoata justitia est, perfecta caritas, perfecta justitia est*. Duplicis illius vitæ spiritualis, inchoatæ nimirum & integræ, existentiam supposuit Pius Papa V. cum damnavit hanc propositionem, quæ inter eas quæ Michaeli Bajo tribuuntur, numero est 63. *Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei pœnitenti & vitæ novæ propositum & inchoatio per gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur qui vere justificatur, & palmes vivus in Christo vite efficitur, commentitia est, & scripturis minime conveniens judicatur.*

Instabis. Ex S. Thoma 3. part. q. 70. art. 4. minima caritas sufficit ad impii justificationem: ergo inchoata caritas Dei super omnia, cum solo sacramenti voto ordinarie justificat impium.

Resp. dist. ant. Minima caritas habitualis sufficit ad impii justificationem, conc. ant. actualis, neg. ant. Ratio est, quia caritas habitualis tollit peccati tum affectum, tum reatum; caritas vero actualis imperfecta, licet sit super omnia, tollit tantum affectum ad peccatum mortale. De illa, non autem de ista S. Thomas loquitur.

Instabis iterum, & quæres, quomodo fieri possit, ut in eo cui displicet peccatum, qui nullum ad illud habet affectum, remaneant tum macula, tum reatus peccati.

Resp. id oriri ex mero Dei beneplacito; nec enim Deus vult, ut ordinarie, absque actuali receptione sacramenti pœnitentiæ, Christi sanguis ad delendam peccati maculam applicetur ei, qui Deum imperfecto tantum amore diligit. Se habet impius in eo casu, sicut se habet is quem pœnitet rebellionis in Principem; quemadmodum ergo rebellionis crimen tunc tantum dimittitur, cum princeps remissionis litteras reo concedit: ita Deus tunc tantum peccatum remittit reo inchoata caritate flagranti, cum per actualem sacramenti receptionem, per modum indulgentiæ applicat filii sui sanguinem.

Quæ huc usque dicta sunt de justificatione impii in sacramento pœnitentiæ, reducuntur ad hæc capita. 1. ostensum est, dolorem ex gehennæ metu conceptum *per se* bonum esse ac utilem ad consequendam justificationis gratiam: 2. eum satis non esse ad gratiam, etiam in ipso sacramento impetrandam: 3. necessario requiri, cum ipso etiam sacramento, dolorem ex caritate Dei super omnia conceptum: 4. eam caritatem non debere necessario esse perfectam: 5. satis esse caritatem imperfectam, modo sit Dei super omnia: 6. in casu necessitatis eam caritatem satis esse cum sacramenti pœnitentiæ voto: 7. extra casum necessitatis, seu ordinarie, eam non justificare impium, nisi in ipsa actuali sacramenti pœnitentiæ receptione. Vide de iis argumentis Christiani Lupi opus *de Contritione*: librum cui Gallice titulus est: *Eclaircissement de cette celebre question &c.* Commentarium Historicum a pag. 532. ad paginam 584. primæ editionis. Vide etiam Censuram, & Declarationem Cleri Gallicani, hujusque Operis Tomo III. Dissert. IV. de Virtut. Theol. q. 3. c. 5.

QUÆSTIO IV.

De Confessione.

Not. 1. Confessionis nomen sumitur in Scriptura 1. pro laudibus, quas Deo tribuimus. *Confiteor tibi Pater* (inquit Christus Matthæi 11.) *quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*: 2. pro manifestatione seu accusatione occulti peccati: *Confitere* (inquit Josue Achan alloquens c. 7.) *atque indica mihi quid feceris*. Ea autem peccati accusatio vel fit Deo tantum, nempe cum reus suum delictum agnoscens, ipsum dolens confitetur interius: *Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino*: vel fit homini tamquam viro prudenti, a quo petatur consilium: vel fit judici, a quo supplicium decernatur: vel tandem fit sacerdoti, a quo petatur absolutio sacramentalis.

Not. 2. Confessionis eo postremo sensu sum-

sumptæ exponemus essentiam, materiam, ministrum, proprietates.

CAPUT PRIMUM.

De essentia Confessionis.

Not. CUM rei cujusque essentia, illius definitione contineatur, operæ pretium est, ut hic tradamus germanam confessionis definitionem.

CONCL. Confessio sacramentalis recte definitur: Accusatio peccatorum sacerdoti facta, ut eorum remissio virtute clavium obtineatur.

Explicatur definitio. Confessio dicitur 1. *Accusatio*, & in hoc differt a simplici peccatorum enarratione, quæ ab impiis fit ostentationis aut levandi otii caussa. Dicitur 2. *facta sacerdoti*, eo quod confessio facta alteri, quam sacerdoti, non sit sacramentalis, seu non sit materia sacramenti pœnitentiæ. Dicitur 3. facta *ut obtineatur remissio peccatorum*, ac per hoc differt a confessione quæ fit in tribunalibus forensibus: in iis enim tantum abest, ut venia a reo confitente speretur, quin potius certo expectetur debita crimini pœna. Dicitur 4. facta, ut obtineatur remissio peccatorum *virtute clavium*, & in hoc discrepat a confessione quæ extra tribunal fit sacerdoti, ut moveatur ad exorandam pro eo veniam.

Sic explicata conclusio probatur auctoritate Patrum. Aug. in Psal. 66. hæc habet: *Confessio est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur.* Hæc etiam habet Gregorius Homilia XI. in Evangelia: *Quid est peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente.* Sed hæc satis sint, nempe confessionis essentia clarius patebit ex iis, quæ de illius proprietatibus inferius dicentur.

CAPUT II.

De Materia Confessionis.

Not. MAteria confessionis duplex est, necessaria nimirum & libera. Prior est ea quæ necessario debet adhiberi; posterior e contra, quæ adhiberi quidem potest, sed non necessario.

CONCL. 1. Peccata lethalia post baptismum commissa, sunt materia necessaria confessionis sacramentalis.

Probatur. Ex observatis, illud est materia necessaria confessionis, quod pœnitens debet necessario confiteri: atqui pœnitens debet necessario confiteri peccata lethalia post baptismum commissa; siquidem pœnitens necessario debet ea peccata confiteri, quorum veniam sine confessione obtinere non potest: Sed pœnitens non potest peccatorum lethalium, quæ post baptismum commissa sunt, veniam obtinere sine confessione; nam peccatorum veniam non potest obtinere nisi per sacerdotis absolutionem: ab iis vero tantum potest absolvi, qui confessus fuerit, cum (ut dicemus agentes de confessionis necessitate) peccatorum lethalium confessio necessario necessitate medii præsupponi debeat absolutioni; absolutio enim vere ac proprie est judicium, quod quidem sacerdotes, incognita caussa, hoc est peccatoribus sua peccata non confessis, exercere non possunt.

Quæres 1. cur peccata mortalia ante baptismum commissa non sint materia confessionis sacramentalis.

Resp. id oriri ex eo, quod peccatorum confessio referatur ad absolutionem per Ecclesiæ claves recipiendam: at ii, qui nondum sunt baptizati, sunt ejusmodi absolutionis incapaces, quia absolutio confertur per modum actus judicialis, quem Ecclesia non potest in nondum baptizatos exercere, cum nullam in eos habeat jurisdictionem, juxta illud Apostoli: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

Quæres 2. quænam ex peccatis lethalibus, quæ post baptismum commissa sunt, sint necessaria materia confessionis sacramentalis.

Resp. omnia ac singula tum quoad numerum, tum quoad speciem, esse necessariam materiam confessionis: *Cum* (inquit Concilium Trident. sess. 14. c. 5.) *universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione a Deo quærere.* Sed de hac similibusque quæstionibus fuse dicemus agentes inferius de confessionis integritate.

CONCL. 2. Peccata venialia sunt materia, non quidem necessaria, sed libera confessionis sacramentalis.

Probatur prior pars. Illa peccata sunt materia confessionis, quæ remitti possunt per sacerdotis absolutionem: nempe ea tantum peccata per eam remittuntur, quæ pœnitens confessus fuerit actu, aut in animi proposito: atqui peccata venialia, cum vere sint peccata, remitti possunt per sacerdotis absolutionem; omnium enim, cujuscumque sint generis, remittendorum potestatem sacerdotes hisce Christi verbis acceperunt: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Objicies. Nullibi legitur, quod Veteres peccata venialia apud sacerdotes aliquando confessi sint: ergo nec his temporibus pœnitentes possunt ea confiteri.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia pœnitentes olim confitebantur peccata, quæ per Ecclesiæ claves remissibilia dicebantur a Montanistis: atqui inter remissibilia illa peccata numerabantur ea quæ nunc dicimus venialia: *Illam*

(di-

(distinctionem in peccata remissibilia & irremissibilia) *Joannes commendavit, quod sint quædam delicta quotidiana incursionis, quibus omnes simus objecti*: verba sunt Tertul. l. *de Pudicitia*. c. 19. Vide de eodem argumento August. Serm. 29. *De verbis Apostoli*, Cæsarium Arelatens. hom. 13.

Probatur altera conclusionis pars, seu peccata venialia non esse materiam necessariam, sed tantum liberam confessionis sacramentalis. Illa peccata non sunt materia necessaria confessionis, ad quorum remissionem sacerdotalis absolutio non est necessaria: in tantum enim (ut jam observatum est) peccatorum confessio est necessaria, in quantum necessaria est absolutio: atqui sacerdotalis absolutio non est necessaria ad peccatorum venialium remissionem: Siquidem 1. sacerdotalis absolutio iis tantum est necessaria, qui post baptismum lapsi sunt; nimirum a Patribus appellatur secunda post naufragium tabula: Lapsorum vero nomine non intelliguntur ii, qui venialium tantum peccatorum rei sunt. 2. Unanimi consensu Patres docuerunt, peccata venialia curari posse aliis ab absolutione sacerdotali mediis, pietatis nimirum operibus, orationis Dominicæ recitatione, quæ cum ejusmodi peccatorum displicentia conjuncta sit. *Propter omnia* (inquit Aug. de symbolo ad Catech. l. 1. c. 7.) *baptismus inventus est: propter levia sine quibus esse non possumus, oratio inventa*.

Quæres, utrum peccata venialia per Ecclesiæ præceptum aliquando fieri possint necessaria materia confessionis sacramentalis.

Respondent negative Dominicus Soto, Estius, ac plures alii scholastici: unde inferunt, fidelem qui non incidit in aliquod peccatum mortale, non teneri Ecclesiastico confessionis præcepto, quod canone, *Omnis utriusque sexus*, latum est.

Respondent alii, quibus subscribimus, peccata venialia per Ecclesiæ præceptum aliquando fieri posse materiam necessariam confessionis sacramentalis: unde infertur, eum, qui non aliorum quam venialium peccatorum reus est, teneri Ecclesiastico annuæ confessionis præcepto. Ratio est 1. quia Canon, *Omnis utriusque sexus*, omnes omnino, nulla facta exceptione, fideles complectitur: ergo eos etiam qui solorum venialium rei sunt. 2. Pastores alioquin nunquam (ut tamen canon jubet) possent mulctare excommunicatione fideles, qui nec semel in anno, nec per multos confiterentur: illi enim fideles caussarentur se non habere conscientiam aliquorum peccatorum mortalium. 3. Ita sentit S. Bonav. dist. 17. in 2. p. art. 2. q. 1. Ita etiam S. Thomas, hæc enim habet in 4. Sent. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiuncula 3. *Ad confessionem dupliciter obligamur: uno modo ex jure divino, ex hoc, quod est medicina; & secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt post baptismum. Alio modo ex præcepto juris positivi, & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in Concilio generali sub Innocent. III.* Rationes profert S. Doctor, quibus suam sententiam confirmat: *Tum* (inquit) *ut quilibet se peccatorem recognoscat: tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedat: tum ut Ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus gregem lateat.*

CAPUT III.

De ministro Confessionis.

Not. PER confessionis ministrum hic intelligimus eum, apud quem a pœnitente fieri debet peccatorum confessio. De eo autem ministro quæremus 1. an sit solus sacerdos: 2. cuinam in specie sacerdoti fieri debeat.

CONCL. 1. Soli sacerdoti fieri potest sacramentalis peccatorum confessio.

Probatur. Illi soli fieri potest sacramentalis confessio peccatorum, a quo solo recipi potest eorum absolutio; illa enim ad istam ordinatur: atqui peccatorum absolutio recipi potest a solo sacerdote: nempe sacerdotes, & non alios, Christus hisce verbis allocutus est Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Objicies. Mos confitendi laicis, urgente necessitatis casu, per multa sæcula quondam obtinuit, ut videre est apud August. in Epist. ad Fortunatum; apud Lanfrancum libello *De celebranda confessione*; apud Magistrum Sentent. l. 4. dist. 17. apud S. Thomam in eamdem dist. q. 3. art. 3. quæstiuncula 2. Ergo sacramentalis peccatorum confessio alii, quam sacerdoti fieri potest.

Resp. conc. ant. neg. cons. Ratio est 1. quia confessio quæ alteri, quam sacerdoti, fieret, nusquam, etiam in necessitatis casu, fuit de præcepto: 2. non fuit quoque sacramentalis, eo quod non diceret ordinem ad claves, quæ solis Apostolis ac eorum successoribus creditæ sunt; hinc loco qui nobis objectus est, merito sic S. Th. loquitur: *Confessio laico ex desiderio sacerdotis facta, sacramentalis est quodam modo, quamvis non sit sacramentum perfectum.* Argumentum, quod nonnulli petunt ex exomologesi, seu confessione, quondam in casu necessitatis Diaconis facta, solvetur ubi dicetur de absolutionis ministro.

CONCL. 2. Fideles *proprio sacerdoti* semel in anno confiteri tenentur.

Probatur auctoritate Conc. Lateranens. IV. quod sub Innocent. Papa III. celebratum est: *Omnis utriusque sexus fidelis* (inquit can. 21.) *postquam ad annos discretionis pervenerit, om-*

nium

nia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti. Is autem canon in tota Ecclesia, his etiam temporibus, viget, ut videre est, tum in Episcoporum statutis, tum in canonibus Conciliorum, quæ post Tridentinum in variis orbis partibus habita sunt.

Quæres 1. quem sacerdotem Conc. Later. IV. hisce verbis, *proprio sacerdoti*, intelligat.

Resp. Concilium intelligere solum parochum, non excludendo tamen aut Summum Pontificem, aut Episcopum. Vide harum institutionum tom. 1. pag. 118.

Quæres 2. Utrum Summi Pontifices per aliquas Bullas derogarint canoni, *Omnis utriusque sexus*, quo quisque fidelis jubetur, ut semel in anno *proprio sacerdoti* confiteatur.

Resp. nullis, quæ nunc vigeant, Summorum Pontificum constitutionibus fuisse derogatum canoni, de quo agitur. Nempe quæ a nonnullis objiciuntur, aut non loquuntur de annua confessione, aut subreptionis signa præseferunt, aut usu receptæ non fuerunt, ut fuse probatum est in Comment. Hist. a pag. 621: ad pag. 627. primæ edit. Id vero præcipue fuit ostensum de constitutione, *Superna magni*, quæ adscribitur Clementi Papæ X. Ostensum (inquam) fuit ex lite quam Parochi Ambianenses intentarunt adversus quemdam concionatorem, cujus nomini & instituto parcimus. Is publica in concione contestatus fuerat, *fideles qui apud privilegiatos indefinite approbatos, Paschali tempore peccata deponerent, quoad confessionem facere satis canoni, Omnis utriusque sexus*. Laudati Parochi detulerunt caussam ad suum Antistitem Reverendiss. Franciscum Faure, qui ex Minorum ordine assumptus fuerat ad Episcopatum Ambianensem. Is die ultima Maji an. 1686. caussam adjudicavit concionatori, seu definiit 1. *valere ac licitas esse confessiones tempore Paschali, inconsulto Parocho, factas apud quemvis sacerdotem, qui debite approbatus esset ab ordinario, cujusque facultas per quindenam Paschalem ab ipsomet ordinario suspensa non fuisset*. Definiit 2. *eos qui sic confessi essent, non incidisse in excommunicationem, nec teneri dictas confessiones iterato facere*.

Ambianenses Parochi, ubi in eorum notitiam venit Ambianensis Episcopi judicium, provocarunt ad Illustriss. Archiepiscopum Rhemensem Carolum Mauritium le Tellier. Is vero Metropolitani jure, servatis servandis, die 22. Maji ann. 1687. judicium a Reverendiss. Episcopo Ambianensi datum rescidit. Nimirum declaravit 1. *male judicatum fuisse per constitutionem Domini Episcopi Ambianensis*. Declaravit 2. *Parochis debitum incumbere legendi singulis annis Dominica Palmarum & Dominica Paschatis canonem, Omnis utriusque sexus, quarti Concilii Lateranensis, versum in linguam vernaculam*. Declaravit 3. *debitum confitendi proprio Parocho, aut petendi & obtinendi facultatem accedendi ad alienum sacerdotem, intelligi debere de confessione annua, quam quisque fidelis edere tenetur, ut faciat satis Ecclesiæ præcepto, quod continetur canone, Omnis utriusque sexus*. Declaravit 4. *Confessarios, tum sæculares, tum regulares, debite, immo & indefinite approbatos, non posse eos absolvere, qui ad annuam confessionem a Concilio Lateranensi præscriptam, specialem licentiam a Parochis, aut Episcopis diœcesanis non petierint & obtinuerint*.

Quæres 3. an canon, *Omnis utriusque sexus* quo fideles tenentur semel in anno confiteri *proprio sacerdoti*, ubique vigeat.

Resp. 1. laudatum canonem ubique vigere quoad obligationem confitendi semel in anno: Resp. 2. posse locorum Ordinarios ubique præcipere ejusdem canonis observationem, etiam quoad circumstantiam confitendi semel in anno *proprio sacerdoti*; an autem eam circumstantiam de facto præcipiant, non opus est ut hic expendamus.

CAPUT IV.

De proprietatibus Confessionis.

Not. Præcipuæ confessionis proprietates sunt necessitas, integritas, veritas, secretum: de iis ergo subsequentibus articulis est agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate confessionis.

Not. Jam sæpe observatum est, necessitatem esse duplicem, medii nimirum & præcepti: de confessione igitur quærendum est 1. utrum post baptismum lapsis necessaria sit necessitate medii: 2. an necessitate præcepti divini: 3. an etiam necessitate præcepti Ecclesiastici.

CONCL. 1. Confessio lapsis post baptismum necessaria est necessitate medii.

Probatur 1. Absolutio sacramentalis cuique post baptismum lapso necessaria est necessitate medii, ut fuse dicetur inferius: ergo & confessio: nempe absolutio impendi non potest, nisi per modum actus judicialis, cum sit executio potestatis quam Christus Apostolis eorumque successoribus hisce verbis contulit: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*. Confirmatur illud argumentum ex Patribus: ii enim ex iisdem Christi verbis concluserunt, cuique lapso onus incumbere suum peccatum apud sacerdotem confitendi. Vide Chrys. lib. 3. *De Sacerdotio*, c. 5. Aug. hom. 43. ex quinquaginta, c. 3.

Probatur 2. Iis confessio necessaria est ex necessitate medii, quibus patres damnationem æter-

æternam minantur, nisi apud sacerdotes sua peccata confiteantur: atqui patres æternam damnationem minantur lapsis post baptismu, nisi apud sacerdotes sua peccata confiteantur. Nam *primo* eum qui peccata confiteri veretur, comparant cum iis qui noxium & mortiferum humorem ex corpore non evomunt: ita Origenes hom. 2. in Psalm. 37. Docent *secundo*, eum esse similem iis qui medico non aperiunt morbum, quem contraxerunt in verecundioribus corporis partibus; ita Tertul. lib. de pœnit. cap. 6. Contenderunt *tertio*, hoc esse discrimen inter confessionem in antiqua lege necessariam, & eam quæ nunc requiritur, quod illa soli Deo fieret, ista vero sacerdotibus fieri debeat; ita Chrysost. hom. 30. in Genesim. Asseruerunt *quarto*, confessionem *necessario* fieri debere ab eo qui post baptismum lapsus est: *Necessario* (inquit Basilius in Regulis Brevioribus) *iis peccata aperiri debent, quibus credita est mysteriorum dispensatio*.

Probatur 3. ex antiquis canonibus pœnitentialibus, quos S. Petrus Alexandrinus labente tertio sæculo conscripsit; ex iis pariter quos scripserunt S. Gregorius Thaumaturgus, & Sanctus Basilius. Scilicet ii canones castigant multa scelera maxime secreta, ut occultum homicidium, adulterium mulierum: ergo voluntariam illorum confessionem a reis sacerdoti factam supponunt; non enim alia ratione sacerdotibus occulta illa, tum flagitia, tum facinora, innotescere potuerant.

Objicies 1. Quod est necessarium necessitate medii, nullibi abrogari potest ab Ecclesia: atqui peccatorum confessio quondam abrogata est in Ecclesia Constantinopolitana; nam Socrates Hist. lib. 5. c. 19. Sozomenus Histor. lib. 7. cap. 16. scribunt, Nectarium Patriarcam Constantinopolitanum, quarto sæculo abrogasse confessionis usum, occasione mulieris quæ in confessione accusaret Ecclesiæ Diaconum sui sceleris complicem: ergo &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Socrates & Sozomenus scribunt, Nectarium abrogasse confessionem *publicam* occultorum criminum, conc. ant. confessionem *secretam*, neg. ant. Illa, non autem ista, fuerat caussa scandali quod accidit ex confessione mulieris, de qua loquitur argumentum. Nectarii tempore ad presbyterum Pœnitentiarium occulta graviora crimina deferebantur; is vero nonnunquam aliquorum publicam confessionem in satisfactionem injungebat. Mulier de qua est quæstio, jussa fuerat aliud a stupro crimen coram fidelium cœtu accusare; verum *longius* (ut ait Socrates) *in confitendo progressa*, alterius culpæ, sacrilegii nimirum cum Diacono commissi, se ipsam insimulavit.

Instabis 1. Socrates scribit, Nectarium *liberam dedisse potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet*: ergo Nectarius non publicæ tantum, sed etiam occultæ confessionis usum abstulit.

Resp. dist. ant. ut pro sua quisque conscientia, hoc est, absque publica occultorum peccatorum confessione ad mysteria participanda accederet, conc. ant. absque occulta confessione, neg. ant. Eo sensu cujusque fidelis conscientiæ per Nectarii decretum credita est Eucharistiæ participatio, quod occultorum criminum rei cogi deinceps non possent sub excommunicationis pœna ad subeundos pœnitentiæ labores ante communionem, licet antea cogi solerent, cum ex Pœnitentiarii mandato, quædam occulta crimina publice confitebantur. Confirmatur responsio ex eo quod licet his temporibus occulta peccatorum confessio sacræ communioni præmittatur in Ecclesia Romana; verum tamen est cujusque fidelis conscientiæ credi Eucharistiæ participationem, eo quod quisque fidelis post occultam criminum confessionem, nullis præmissis pœnitentiæ laboribus, immo non recepta absolutione, impune in foro externo possit ad Eucharistiam accedere.

Instabis 2. Nectarius abstulit ministrum occultæ confessionis: ergo non publicam tantum, sed etiam occultam confessionem abrogavit.

Probatur ant. Socrates scribit, Eudemonem presbyterum Nectario dedisse consilium, *ut presbyterum Pœnitentiarium tolleret*: Atqui presbyter pœnitentiarius erat solus confessionis, etiam occultæ, minister: ergo Nectarius abrogavit occultæ confessionis ministrum.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Nam 1. unus solus presbyter satis non erat excipiendis confessionibus fidelium numerosissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ. 2. Origenes hom. 2. in Ps. cuique pœnitenti consulit, ut circumspiciat diligenter, apud quem presbyterum conscientiæ suæ exomologesim faciat; supponit ergo plures presbyteros excipiendis fidelium confessionibus præpositos fuisse. Si quis vero roget, quænam essent partes presbyteri Pœnitentiarii, quem Eudemon abrogari voluit, dicendum erit, idem ipsi fuisse juris quo hodierni Pœnitentiarii in Ecclesia fruuntur; hoc est, graviora scelera ad eum deferebantur; ipsius erat judicare, quænam pœnitens in satisfactionem publice confiteri teneretur.

Objicies 2. S. Joannes Chrysost. hom. 21. ad populum Antiochenum asserit, Deum non exigere, ut alicui præter quasi ipsi peccata confiteamur: *Sibi soli* (inquit) *rationem reddere jubet, & sibi confiteri*: hom. 2. in Psalmus 50. fideles hortatur ut interius, non vero exterius peccata confiteantur: *Non enim dico* (ait) *ut ea conservo exponas qui te probris impetat: Dic Deo qui iis medetur*. Aliis pluribus in locis idem S. Doctor monet fideles,

deles, ut sua peccata mente revolvant, ac Deo (nulla presbyteri facta mentione) confiteantur: ergo Chrysostomus docuit, peccatorum confessionem non esse lapsis necessariam necessitate medii.

Resp. neg. conf. Ratio est 1. quia hom. 21. ad populum Antiochenum, ad Catechumenos, non autem ad fideles spectat: unde inscribitur: *Catechesis ad illuminandos*. 2. Dici potest, Chrysostomum locis laudatis agere de confessione publica, ei simili quæ a reis in foro exteriori solet exigi, per quam reus in famæ aut vitæ periculum adducitur. 3. Praxis mente revolvendi peccata ac Deo confitendi, non exclusit usum confessionis apud sacerdotem; e contra ad ipsam disponit, cum via sit qua donum contritionis obtineatur. Ceterum, quid Chrysostomus de auriculari confessione senserit, aperte constat ex ejus libris *De Sacerdotio*, ex hom. 30. in Genesim, ex hom. 3. in c. 6. epistolæ ad Hebræos, ex hom. *De Muliere Samaritana*. Qui plura de confessionis apud sacerdotem factæ necessitate nosse voluerit, consulat Commentarium Historicum, fuse nimirum a pag. 588. ad pag. 607. primæ edit. ubi argumentum illud, prolatis singulorum sæculorum testibus, pertractavimus.

CONCLUSIO 2. Confessio sacerdoti facta, lapsis post baptismum necessaria est necessitate præcepti divini.

Probatur. Quod est necessarium necessitate medii ad obtinendam peccatorum remissionem, est etiam necessarium necessitate præcepti divini; nempe Deus jubet, ut utamur mediis ad justificationem necessariis necessitate medii: atqui (ut patet ex dictis) confessio apud sacerdotem facta, post baptismum lapsis necessaria est necessitate medii ad obtinendam peccatorum remissionem: ergo est ipsis necessaria necessitate præcepti divini.

Quæres, quandonam sub gravi peccato lapsos obliget divinum de confessione præceptum.

Resp. 1. præceptum illud *per se* obligare lapsos in probabili vitæ periculo; *per accidens* vero quando conferri, aut recipi debet aliquod sacramentum.

Ratio prioris partis est, quia alio modo, quam per confessionem, lapsi suæ saluti tuto consulere non possunt. Ratio vero secundæ partis est, quia gratia sanctificans, quæ ordinarie non habetur nisi per actualem absolutionem, ac proinde non sine confessione, præsupponitur administrationi omnium sacramentorum, ipsius etiam baptismatis, si detur extra necessitatis casum: præsupponitur quoque receptioni eorum, quæ a Theologis sacramenta vivorum appellantur.

Resp. 2. Lapsos non teneri jure divino *statim* post admissum peccatum confiteri. Nam 1. intra breve tempus non est morale vitæ, ac proinde nec salutis, periculum. 2. Se habet confessio respectu lapsi, sicut baptismus respectu catechumeni: ergo quemadmodum lex divina de suscipiendo baptismate, catechumenos statim non obligat, ita neque divina de confessione lex statim post peccatum obligat lapsos. 3. Ob honestum finem aliquandiu differri potest confessio, ut nimirum quis diligentius ad eam se præparet.

Resp. 3. quod licet post baptismum lapsi, ad confessionem *statim* post peccatum non teneantur, peccent tamen graviter, si ad multum tempus, ad viri prudentis judicium, eam differant: nec mirum, quippe quod intra diuturnum tempus sit vitæ ac salutis morale periculum. Præterea (ut recte advertit Estius) ipsa ratione naturali docemur, diu differri non debere reconciliationem cum Deo, cujus inimicitiam per peccatum incurrimus. Inde vero concluditur 1. S. Bonaventuram in 4. Sent. dist. 17. hæc merito scripsisse: *De his generaliter asserere, quod possint usque ad Pascha differre, videtur periculosum*. Concluditur 2. eum qui per plures a perpetrato peccato menses voluntarie differt suam confessionem, teneri illam dilatæ confessionis circumstantiam in sequenti confessione tamquam aliud peccatum accusare. Vide quæ superius dicta sunt de contritionis præcepto.

CONCLUSIO 3. Omnes fideles, postquam ad usum rationis pervenerint, jure Ecclesiastico tenentur semel in anno confiteri.

Probatur ex Concilio Lateranensi IV. quod canone *Omnis utriusque sexus*, onus semel in anno confitendi imponit iis omnibus, qui ad annos discretionis pervenerint. Illud præceptum eos etiam urget, qui sola peccata venialia per annum commiserint. Vide quæ superius de confessionis materia dicta sunt.

Quæres 1. qua anni parte obliget Ecclesiasticum confessionis præceptum.

Resp. Concilium Lateranense nullam anni partem in specie determinavisse. Quæ postea habitæ sunt Synodi, multum commendarunt praxim confitendi quadragesimæ initio, eorum præsertim hominum respectu, qui in flagitia, aut facinora prolapsi essent; idque ut a sacerdote agendæ pœnitentiæ modum doceantur, ac per illius praxim ad absolutionem debito tempore recipiendam, nec non ad sacram Eucharistiæ communionem Paschali tempore præscriptam præparentur. Invaluit usus, in Galliis præsertim, ut Paschali tempore fideles præceptum confessionis adimpleant: *Omnes Christiani cujuscumque sexus* (ait Concilium Bituricense, quod anno 1584. celebratum est) *peccata sua, saltem semel in anno, ad diem Paschæ proprio sacerdoti confiteantur*.

Quæres 2. per quam confessionem impleatur præceptum Ecclesiasticum de annua confessione.

Resp. impleri tantum per confessionem quæ valeat; eam enim confessionem præscribit Ecclesia, quam ipse Christus injunxit: hinc vero col-

colligitur, Alexandrum Papam VII. merito hanc quorumdam recentiorum casuistarum propositionem damnasse : *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit precepto Ecclesiæ*.

ARTICULUS II.

De integritate Confessionis.

Not. INtegritatis nomine hic intelligitur accusatio omnium peccatorum mortalium, quorum pœnitens reus est: quærendum est igitur 1. utrum reus debeat confiteri omnia peccata mortalia, tum secundum numerum, tum secundum speciem: 2. an circumstantias quæ peccati speciem mutant: 3. an eas quoque quæ speciem quidem non mutant, sed quæ intra eamdem speciem multum aggravant peccati malitiam: 4. utrum eas circumstantias reus tunc etiam confiteri debeat, quando per eas criminis socius manifestatur: 5. utrum idem quoque dici debeat de peccatis dubiis.

§. I. *An accusari debeant numerus & species peccatorum.*

CONCL. 1. Pœnitens sub nullitate confessionis tenetur confiteri omnia sua peccata mortalia, tum quoad numerum, tum quoad speciem.

Probatur prior pars. Pœnitens est ad instar rei ac ægroti: ergo quemadmodum reus, ut obtineat veniam, tenetur sua crimina judici, & ægrotus suos morbos medico detegere: ita & pœnitens debet omnia sacerdoti aperire, cum sacerdos respectu pœnitentis, judicis ac medici officio fungatur. Ita Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. expresse definiit contra Lutheranos contendentes satis esse, ut pœnitens se reum in genere tantum coram sacerdote fateatur.

CONCLUSIO 2. Necessario requiritur, ut in confessione accusentur circumstantiæ, quæ mutant peccati speciem.

Probatur. Circumstantiæ quæ peccati speciem mutant, efficiunt, ut in uno actu sit duplex peccatum: sic in furto, quod fit in templo, est peccatum contra justitiam, & est etiam aliud contra virtutem religionis: sic etiam in adulterio est peccatum contra castitatem, & est quoque peccatum contra justitiam: atqui omnia secundum numerum peccata accusari debent: ergo accusari quoque debent circumstantiæ quæ peccati speciem mutant, seu quæ efficiunt, ut actus duabus virtutibus specie diversis opponatur.

Quæres 1. utrum sint aliquæ caussæ quæ aliquando pœnitentem eximant a confessione aliquorum peccatorum mortalium.

Resp. affirmative. Nam 1. eximit, ex Concilio Tridentino, inculpabilis oblivio: 2. impotentia physica eximit ægrotos, qui præ morbi gravitate loqui non possunt: 3. nonnullos quoque eximit impotentia moralis, quæ contingit, cum pœnitens sine gravissimo, aut sui, aut confessarii detrimento certum aliquod peccatum confiteri non potest. Sed advertat lector, satius esse, ut eo in casu, nisi sit aut vitæ, aut gravis scandali periculum, absolute reus non confiteatur.

Quæres 2. qua ratione accusari debeant actus, tum interius, tum exterius interrupti.

Resp. ad 1. illos actus, si inter eos sit interruptio moralis, tot esse numero peccata, quot vicibus interrupti fuerint; ac proinde tamquam peccata numero distincta debent accusari. Verum cum id plerumque propter eorum multitudinem, in hominibus præsertim qui ex inveterata consuetudine peccarunt, sit impossibile, satis est, ut reus dicat se tanto tempore, per hebdomadam v. g. graves inimicitias adversus aliquem fovisse, seque tot circiter vicibus per diem ejusmodi inimicitiarum actus voluntarie elicuisse. Resp. ad 2. actuum externorum qui ad se invicem ordinem non dicunt, numerum & speciem accusari debere: sic meretrix debet explicare, quoties cum sacerdotibus, v. g. consanguineis, conjugatis, laicis, solutis, peccaverit: ut autem id præstet, satis erit ut dicat se per tantum tempus, annum v. g. in meretricio vixisse, ac se per hebdomadam toties circiter peccasse cum sacerdotibus, religiosis, consanguineis, conjugatis, solutis. Si e contra actus ad alios per se referantur, satis erit ut isti explicentur: sic non est opus, ut homicida dicat se per actum internum consensisse homicidio, se equum conscendisse, distrinxisse gladium, ut inimicum suum occideret: sed necesse erit, ut explicet, quantum temporis apud semetipsum foverit voluntatem perpetrandi homicidium, cujus reus factus est.

Quæres 3. an inter peccata quæ pœnitens tenetur declarare, numerari debeant actus externi: Ratio dubitandi est, quod peccatum externum sit unum ac idem cum interno.

Resp. affirmative. Ratio est 1. quia per actum externum nonnumquam violatur jus alienum, ut in furto & in adulterio videre est: 2. Actus externus, etiam secundum individuum sumptus, plurimum auget peccati malitiam: Hinc Alexander Papa VII. merito hancce propositionem damnavit: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Quæres 4. utrum qui confitetur apud sacerdotem qui non habet facultatem absolvendi a reservatis, teneatur nihilominus, tam reservata, quam non reservata declarare.

Resp. affirmative: id nempe necessarium est, *ut* (inquit S. Thomas in 4. sentent. dist. 17. qu. 3. art. 4. quæstiuncula 2. ad 4.) *quantitatem totius culpæ* (sacerdos) *cognoscat, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad superiorem*

riorem remittat: Tunc vero non reservata dimittuntur per absolutionem sacerdotis, & reservata per votum absolutionis a superiore recipiendæ: verum satius est eum qui habet reservata, aut omnino mittere ad superiorem, apud quem omnia confiteatur, vel antequam audiatur, sacerdotem obtinere a superiore facultatem absolvendi a reservatis. Ita docet S. Carolus in Instructionibus *De pœnitentiæ sacramento*.

Quæres 5. quid facto opus sit, cum pœnitens omisit in confessione aliquod peccatum mortale.

Resp. pœnitentem, si omissio multum sit culpabilis, teneri ad iterandam confessionem, quia ex illius gravi culpa, confessio non fuit integra, ac proinde nec valida: e contra si non multum sit culpabilis, peccatum omissum (ex Concilio Tridentino) censetur per acceptam absolutionem remissum: Sed cum jure divino quælibet peccata mortalia in confessione declarari debeant, pœnitens tenetur, quando confitebitur, omissum illud peccatum accusare. Contrarium docuerant molliores quidam Casuistæ, sed illorum eo in capite doctrinam damnavit Alexander Papa VII. a quo die 24. Septembris anno 1665. proscripta est hæc propositio: *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam caussam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

§. II. *Utrum circumstantiæ peccatum intra eamdem speciem multum aggravantes, accusari debeant.*

Not. Quamvis fide Catholica certum sit, pœnitentem sub nullitate confessionis teneri confiteri circumstantias, quæ peccati speciem mutant, non est tamen eadem fide certum, teneri eum illas confiteri, quæ peccatum multum aggravant, seu peccati malitiam multum augent intra eamdem speciem: nullo enim expresso ac explicito (ut loquuntur) Ecclesiæ Catholicæ decreto id definitum est.

CONCL. Circumstantiæ quæ peccatum multum aggravant, necessario accusari debent in confessione.

Probatur 1. Ut confessio valeat, necesse est pœnitentem confiteri circumstantias quæ peccati speciem mutant: ergo necesse est quoque confiteri circumstantias intra eamdem speciem multum aggravantes. Probatur conseq. Ideo necesse est confiteri circumstantias quæ peccati speciem mutant, *quod* (ait Concilium Tridentinum sess. 14. c. 5.) *fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte* (sacerdotes) *censere possint, & pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere*: atqui neutrum quoque poterit sacerdos, nisi pœnitens confiteatur circumstantias quæ peccatum multum aggravant intra eamdem speciem: iis nimirum multum augetur peccati malitia, ut patet in incestu filii cum propria matre, qui haud dubie & coram Deo & coram hominibus gravior est incestu, quo quis secum sorore aut nepte commacularit: unde tum in veteribus Conciliis, tum in antiquis Pœnitentialibus multo graviore pœna castigatur: ergo si pœnitens necessario debeat confiteri circumstantias quæ peccati speciem mutant, debet quoque necessario eas confiteri, quæ multum intra eamdem speciem peccatum aggravant.

Probatur 2. Si pœnitenti liberum esset de circumstantiis multum aggravantibus silere, penes Episcopos non esset sibi ratione illarum circumstantiarum nonnulla crimina reservare; ideo enim sibi reservare non possunt peccata venialia, quod pœnitenti liberum sit de iis in confessione silere: atqui contraria praxis obtinet in Ecclesia, obtinuitque semper, ut in antiquis, ac hodiernis Pœnitentialibus videre est, nec non canone 43. Concilii Triburiensis, & canone 62. Concilii VVormatiensis.

Probatur 3. Pœnitens tenetur confiteri circumstantiam relapsus in eadem peccata, (ait S. Thomas in 4. Sent. dist. 21. quæst. 1. art. 3.) tum ut sacerdos medicus spiritualis plene perspectum habeat ægroti a se curandi statum, tum etiam ut idem sacerdos judex convenientem crimini satisfactionem injungere possit: unde Innocent. Papa XI. merito tamquam perniciosam in praxi hanc propositionem damnavit: *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*: Atqui circumstantia relapsus in eadem peccata est circumstantia non mutans speciem, sed intra speciem aggravans: ergo ex Innocent. Papa XI. necessaria est confessio circumstantiarum quæ peccatum intra eamdem speciem multum aggravant.

Objicies 1. Concilium Tridentinum loquens de integritate confessionis, recenset tantum circumstantias quæ peccati speciem mutant: ergo persuasum illi fuit, non requiri confessionem earum quæ multum intra eamdem speciem aggravant peccatum.

Resp. dist. ant. recenset tantum *explicite* circumstantias, quæ peccati speciem mutant, conc. ant. recenset tantum *implicite*, neg. ant. nam (ut dictum est) ratio, qua Concilium utitur, ut probet requiri confessionem circumstantiarum, quæ mutant speciem, valet quoque pro iis quæ multum intra eamdem speciem aggravant. Concilium autem prudenti œconomia abstinuit ab expresse recensendis circumstantiis solum aggravantibus, ut parceret nonnullis, alioquin catholicis, qui, non satis expensa patrum traditione, docuerant earum circumstantiarum confessionem non requiri, ut confessio valeat, ac licita sit.

Objicies 2. S. Thomas in 4. Sent. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 5. asserit, non requi-

quiri confessionem circumstantiarum, de quibus agitur in conclusione: ergo revera non requiritur.

Resp. conc. ant. neg. cons. Ratio est, quia S. Thomas (ait Dominicus Soto in IV. Sentent. dist. 18. qu. 2. art. 4.) *in Summa, quæ suum erat postremum testamentum, sententiam mutasset, si vitam usque ad finem suæ Summæ perduxisset.*

Objicies 3. Pœnitens non tenetur accusare circumstantias multum minuentes peccati malitiam: ergo nec multum aggravantes.

Resp. 1. neg. ant. quia alioquin pœnitens præberet confessario judici occasionem errandi in materia gravi, quod non licet. Resp. 2. dato ant. neg. cons. quia per satisfactionem graviorem a sacerdote impositam nulla fieret injuria pœnitenti, cum in volentem ac consentientem injustitia locum non habeat: e contra per leviorem fit injuria pœnitentiæ sacramento, quod ex Christi ordinatione baptismus est quidam laboriosus. De argumento, quod hucusque pertractatum est, vide Cyprianum tum libro de Lapsis, tum Epistolis, ubi docet in injungenda Lapsis satisfactione habendam esse rationem metus ac tormentorum quæ passi sunt.

§. III. *Utrum peccati socius accusari debeat.*

Not. Certum est, peccati socium accusari non debere, cum peccati tum species, tum circumstantiæ aggravantes explicari possunt a pœnitente. *In principio confessionis* (inquiunt Statuta Synodalia Sisfridi Coloniensis Archiepiscopi) *sacerdotes districte inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur, vel revelent, aut nomina eorum, cum quibus peccaverint, exprimant.* Sed dubium est apud aliquos, an criminis socius accusari debeat, cum sine illius accusatione pœnitens aut sui peccati speciem, aut circumstantiam multum aggravantem confessario explicare non potest.

CONCLUSIO. Cum aut peccati species, aut circumstantia multum aggravans explicari non possunt sine accusatione socii, socius accusari debet a pœnitente.

Probatur 1. Eam praxim servarunt Majores nostri, ut patet ex canonibus qui castigant incestum occultum in primo & secundo gradu: tunc enim nonnisi parochis fiebat confessio, quibus quidem parochis singulis cujusque parochiæ fideles, præsertim in pagis, nominatim cogniti erant. 2. Pœnitens jure divino tenetur se ipsum integre accusare: atqui in casu de quo agitur, id sine socii accusatione præstare non potest. 3. Doctrina est S. Thomæ, qui Opusculo XII. quæst. 7. sic loquitur: *Si* (pœnitens) *speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed, si fieri potest, debet quærere talem confessorem, qui personam sororis penitus non cognoscat.* Vide de eodem argumento Sanctum Bonaventuram in 4. Sent. dist. 22. quæst. 3. part. 2. art. 1. S. Antoninum 3. part. Titul. 14. cap. 19. §. 2. Vide etiam Morinum nostrum lib. 2. de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ: videri etiam potest Comment. Hist. pag. 635. & sequentibus, primæ editionis, ubi antiquorum hoc in capite praxis fuse explicatur.

Objicies 1. Qui socium criminis accusat, detrahit illius famæ, quod est contra jus naturale: quod quidem prævalere debet positivo, quo confessionis integritas præcipitur: ergo, &c.

Resp. 1. dist. ant. detrahit famæ, ad quam in foro conscientiæ socius non habebat jus, conc. ant. ad quem habebat jus in foro conscientiæ, neg. ant. nempe criminis socius eo jure per suum peccatum excidit. Resp. 2. dist. iterum ant. detrahit famæ per accidens & præter intentionem, conc. ant. per se & ex intentione, neg. ant. scilicet qui confitetur, se habet sicut reus coram judice: ergo quemadmodum reus detractor non est, quod, ut judici pareat, accusat criminis socium: ita nec pœnitens, quod, ut obediat Deo, confessionis integritatem præcipienti, coram sacerdote qui illius vices agit, criminis socium accusat: si inde nonnihil in sacerdotis mente lædatur socii fama, id præter pœnitentis intentionem contingit.

Objicies 2. Nonnumquam periculum est, ne socii accusatio noceat aut animæ, aut corpori, aut bonis illius, sive quod confessarius non satis credatur tenax secreti, sive propter aliquam aliam probabilem caussam: ergo saltem in eo casu pœnitens non potest criminis socium accusare.

Resp. concedendo totum argumentum; nam (ut docet S. Thomas in 4. Sent. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiuncula 4. ad quintum) idem de eo pœnitente debet esse judicium, ac de illo qui non habet copiam sacerdotis.

§. IV. *Utrum peccata dubia accusari debeant.*

Not. Dubium duplex est, positivum & negativum. Prius est illud, quod ex utraque parte positivis quibusdam rationibus nititur: posterius e contra est illud, quod ex neutra parte aliquibus nititur rationibus: ejusmodi est illud quo tenetur is cui non adest ratio credendi se tentationi consensisse, aut non consensisse.

CONCL. I. Peccata mortalia sive positive sive negative sint dubia, necessario debent accusari.

Probatur 1. Pœnitens qui peccata, de quibus agitur, non accusaret, se exponeret periculo infringendi divinum de confessionis integritate præceptum, ac proinde lethaliter peccaret: qui enim amat periculum, peribit in

in illo. 2. Qui dubitat an morbo lethali laboret, dubium illud prudenti ac docto medico aperire tenetur ex præcepto caritatis, quam sibi ipsi debet.

Objicies 1. In dubiis melior est conditio possidentis: ergo cum pœnitens dubius sit in possessione suæ libertatis, non debet adigi ad dubiorum confessionem.

Resp. 1. dist. ant. melior est conditio possidentis in materia justitiæ, v. gr. cum quis dubitat, an agrum, quem possidet, sit alterius, conc. ant. in alia materia, neg. ant. Solutio patet ex iis quæ suo loco de probabilitate diximus. Resp. 2. dato ant. neg. conf. Ratio est, quia Dei præceptum est ante hominis libertatem; ac proinde pro præcepto, non autem pro hominis libertate staret possessio, quam obtendunt adversarii.

Objicies 2. Reus non tenetur peccata dubia confiteri in foro exteriori; ergo nec pœnitens debet ea accusare in foro interno.

Resp. conc. ant. neg. conf. Ratio disparitatis est, quia forum externum ordinatur tantum ad puniendum reum: internum vero forum indulgentiam cum pœna conjungit, castigat nimirum, ac simul sanat pœnitentem.

§. V. *De secreto Confessionis.*

Not. Confessio potest esse secreta, vel ex parte hominis qui confitetur, vel ex parte sacerdotis qui confessionem excipit. De secreto secundum duplicem illum respectum considerato, est hic agendum.

CONCLUSIO 1. Hæc conditio, quod confessio sit secreta vel publica, non est necessaria, ut confessio valeat.

Probatur. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. docet, nullo præcepto divino mandatum esse, nec satis consulte humana aliqua lege præcipi posse, ut delicta, præsertim secreta, publica confessione detegantur: ergo, &c.

CONCLUSIO 2. Sacerdos, cui fit confessio, ad secretum tenetur Naturali, Divino, & Ecclesiastico jure.

Probatur prior pars. Ex revelatione exceptæ confessionis sequitur infamia in pœnitente, cui jus naturale vetat, ne detur locus. Altera pars non minus est evidens ex eo, quod sacerdos vices Christi gerat, qui numquam peccatum, quod per suos ministros remittit, deteget ad infamiam confitentis. Tertia tandem ostenditur ex canone 21. Concilii Lateranensis IV. quo sacramenti pœnitentiæ ministris districte injungitur secretum, de quo est hic quæstio: *Caveat* (inquit) *omnino, ne verbo vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

Quæres 1. quinam ad confessionis sigillum teneantur.

Resp. illos omnes teneri, qui ex confessione noverunt peccata, quæ pœnitens confessus est, sive per se audiendo, sive ex aliis intelligendo, sive mediate, sive immediate, sive licite, sive illicite; ac proinde si quid revelent, non tantum erunt injusti, utpote contra jus naturale peccantes, sed etiam sacrilegi; quippe qui injuriam irrogabunt pœnitentiæ sacramento. Vide Sylvium de Conf. q. 11. art. 4.

Quæres 2. ex qua confessione sigillum oriatur.

Resp. oriri ex ea omni, quæ fit a pœnitente animo se accusandi, ac sese subjiciendi clavibus Ecclesiæ; non autem ex ea quæ fit exterius animo irrisorio, ac eo fine, ut confessarius ad peccatum pertrahatur.

Quæres 3. quænam sub sigillum cadant.

Resp. ea omnia, quæ in confessione audita sunt, si vel ad confessionis integritatem pertineant, vel si ex iis pœnitenti aut aliis inferri possint pudor, dedecus, damnum, aut mala de ipsis suspicio generari: nam alioquin confessio plurimum odiosa redderetur.

Quæres 4. an propter bonum publicum revelari possit peccatum, quod confessione exceptum est.

Resp. negative, & in hoc secretum istud differt a naturali: siquidem naturale etiam juramento firmatum, retegi potest propter publicum ac summi momenti bonum: e contra nullo in casu solvi potest secretum sacramentale. Nec obstat Cæsarius Ordinis Cisterciensis Monachus, qui libro 12. Historiarum Memorabilium cap. 13. refert, Innocentium Papam III. declarasse, Abbatem potuisse ac debuisse detegere peccatum Monachi, qui in confessione sese accusarat, quod sine Ordine Missam celebrasset: Non obstat (inquam) quia illud responsum evidentis falsitatis arguitur ex Concilio Lateranensi IV. ubi Innocentii de confessionis secreto mens evidenter aperitur.

Quæres 5. an Prælatus uti possit confessione subditorum ad exteriorem domus administrationem.

Resp. negative: nempe id expresse prohibitum est a Clemente Papa VIII. *Tam superiores pro tempore existentes* (inquit decreto edito die 16. Maji ann. 1594.) *quam Confessarii qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.*

Quæres 6. an sacerdos qui ex sola confessione novit, aliquem indignum esse Ecclesiastica dignitate, aut præfectura, possit illi suffragium negare, ac illius electioni contradicere.

Resp. affirmative. Ratio est; *Primo*, quia sic censet S. Thomas in 4. Sent. dist. 21. q. 3. art. 1. quæstiuncula 1. *Secundo*, male infertur, eum qui confessionem audiit, negare suffragium ex notitia per confessionem habita; siquidem obtendi possunt multæ aliæ caussæ, defectus nimirum ætatis, scientiæ, industriæ, &c. *Tertio*, idem docet S. Antoninus: *Qui liberam electionem habet* (inquit 3. p. titul. 16. cap. 22.) *licet per solam confessi-*

fessionem sciat aliquem indignum ad Prælaturam, ad quam eligitur, quem alias putabat dignum, non debet eligere ex conscientia sibi sic dictante.

Quæres 7. an Seminarii superior negare possit testimonium de vita & moribus, de exercitiis rite peractis, clerico, cujus crimen ex sola illius confessione cognoverit.

Resp. negative: nempe eo in capite sese debet gerere, sicut gereret sese erga occultum peccatorem qui ab ipso Eucharistiæ sacramentum publice peteret, aut erga fideles quorum confessiones audiisset, quique licet non absoluti ab ipso, si parochus esset, nuptialem benedictionem peterent.

Quæres 8. quid dicendum sit de sacerdote, qui schedulam testimonium confessionis continentem negat iis qui sincere quidem confessi sunt, sed propter contritionis defectum aut aliam caussam sine absolutione dimissi sunt.

Resp. sacerdotem illum videri sigilli infractorem: ubi enim Parochus animadvertet, sacerdotem cui suas vices commiserat, negare schedulam ejusmodi, facile conjiciet pœnitentem judicatum fuisse indignum absolutione; ac proinde sacerdos ille, indirecte saltem, prodet sui pœnitentis confessionem.

Quæres 9. quomodo gerere se debeat sacerdos a judice interrogatus de alicujus crimine, quod in sola confessione didicerit.

Resp. 1. si simpliciter interrogetur hoc modo, *Petrus admisitne tale scelus?* debet, si opus sit, etiam cum jurejurando, simpliciter respondere se id nescire; tuncque sensus erit: *Nescio eo cognitionis modo, secundum quem teneor tibi interroganti respondere.* Nec tunc erit æquivocatio; nam ex consuetudine, & lege, qua confessarii non possunt testium locum tenere, sciunt omnes, judicis interrogationem non esse intelligendam de iis peccatis, quæ quis ex sola sacramentali confessione cognoverit.

Resp. 2. Si sacerdos ab impio judice interrogetur, utrum Petrus ei confessus fuerit tale crimen, sacerdotem non posse negare Petrum ei confessum fuisse crimen ejusmodi, quia alioquin mentiretur; non enim valet responsio mox data: igitur dicere debet illam interrogationem esse impiam, ac proinde fas sibi non esse respondere: idque quamvis propter negatam absolutam responsionem certum vitæ periculum esset aditurus, cum oporteat Deo magis quam hominibus obedire. Duplex illa responsio confirmatur 1. ex Capite, *Dilectus*, Extra *De Excessibus Prælatorum*, 2. ex S. Thoma Supplement. q. 11. art. 1. ad 3. *Homo* (inquit) *non adducitur in testimonium, nisi ut homo, & ideo sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire, quod scit tantum ut Deus.*

Quæres 10. quid possit sacerdos qui ex sola confessione scit, aut sibi, aut alteri parari insidias.

Resp. debere vel per fugam, vel per aliud remedium, ex quo non sequatur rei qui confessus est manifestatio, sibi & aliis consulere: *Aliquod remedium* (inquit S. Thomas, Supplem. q. 11. art. 1.) *adhibere debet in prædictis casibus quantum potest sine revelatione confessionis, sicut monendo eos, qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quod diligentius vigilet super gregem suum.*

§. VI. *De sinceritate Confessionis.*

Not. 1. Certum est, confessionem debere esse veram, eo quod sit peccati accusatio, & infirmitatis manifestatio coram sacerdote, qui vice Christi, tum judicis tum medici officio fungitur.

Not. 2. Occasione veritatis quæ in confessione requiritur, quærunt Theologi, quale peccatum sit in confessione mentiri, an mortale, an veniale tantum.

CONCLUSIO 1. Qui circa materiam gravem in confessione mentitur, peccat lethaliter.

Probatur. Qui in materia gravi aliquod divinum præceptum infringit, peccat lethaliter: Sed is, de quo in conclusione, divinum præceptum infringit in materia gravi: nempe Christus præcepit tamquam magni momenti materiam, quia nimirum & debitæ sacramento reverentiæ & hominis saluti consulitur, ut reus sincere ac vere se in confessione accuset: ergo, &c.

Quæres, quænam materia, cum de confessione agitur, censeri debeat materia gravis.

Resp. materiam censeri gravem 1. si negetur mortale, cujus pœnitens sibi conscius est, vel circumstantia quæ multum aggravat peccatum: 2. si accusetur mortale, quod pœnitens certo novit se non admisisse, aut circumstantiæ, quibus efficitur, ut peccatum, quod in se esset mortale, per accidens fit veniale; nisi tamen (ut in rusticis ac plebejis hominibus aliquando contingit) id fiat simplici ac bona fide: 3. extendi debet ea regula ad peccata mortalia alias rite absoluta, quando confessarius de illis, sive ut judex, sive ut medicus interrogat, tamquam de re quæ ad præsentem confessionem necessaria sit.

CONCLUSIO 2. Qui circa materiam levem in confessione mentitur, non peccat lethaliter, sed venialiter tantum.

Probatur. Is, de quo in conclusione, non in materia gravi, sed in levi tantum, divinum de dicenda in confessione veritate præceptum infringit: ergo non peccat lethaliter, sed venialiter tantum, cum (ex dictis in tractatu de peccatis) materiæ levitas excuset a mortali.

Objicies. Qui fit reus sacrilegii, mortaliter peccat, nempe omne sacrilegium est peccatum mortale: atqui is qui etiam in mate-

ria levi in confessione mentitur, fit reus sacrilegii; peccat nimirum contra virtutem religionis qua præcipitur, ut propter reverentiam sacramento debitam, veritas in confessione dicatur: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Omne sacrilegium est *per se* peccatum mortale, quod tamen *per accidens*, nimirum ratione levitatis materiæ, fit peccatum veniale, conc. ant. quod per accidens non fit peccatum veniale, neg. ant. Responsio patet exemplo hominis qui denarium in templo furatur; quamvis enim illud furtum ratione loci sit sacrilegium, tamen ratione levitatis materiæ non est sacrilegium mortale.

Quæres, an peccet mortaliter, qui mentitur circa tempus, a quo confessus est.

Resp. peccare mortaliter, quando cognitio temporis, de quo agitur, necessaria est, ut sacerdos pœnitentis statum agnoscat, ut revera necessaria est cum confitens implicatus est peccandi consuetudine, aut cum præscribenda sunt remedia, quibus a peccato temperet, aut injungenda discessio ab aliqua peccandi occasione.

QUÆSTIO V.

De Satisfactione.

Not. 1. Satisfactio tribus modis sumi potest, *primo*, in communi, & sic sumpta definitur, rei debitæ solutio: *secundo*, in specie & quidem in delictis, & definitur solutio tantæ pœnæ, quanta læso satis esse debet, ut placetur: *tertio* specialius, nempe pro pœna, quam peccator patitur, ut Deum sibi iratum placet: Patres satisfactionem in ultimo illo sensu sumptam non raro pœnitentiam, ac exomologesim vocant: *Exomologesis* (inquit Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 9.) *est prosternendi ac humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu & victu mandat.*

Not. 2. Satisfactio dividitur iterum in satisfactionem in pœna & in satisfactionem pro pœna. Prior, quæ etiam dicitur *satispassio*, est pœna per legem determinata, quam reus subit pro suo delicto. Hujusmodi sunt labores, quos damnati in inferis, & justi in purgatorio patiuntur. Posterior e contra ea est, in qua commutatio locum habet, ita ut fiat compensatio, sive redemptio supplicii per legem determinati. Ejus vero generis est ea pœna quæ a fidelibus in hac vita toleratur, nec non ea quam sacerdos confessis imponit, & de qua nobis hac in quæstione dicendum incumbit.

CAPUT PRIMUM.

De essentia & materia Satisfactionis.

CONCL. 1. Essentia satisfactionis hac illius definitione continetur: *Studium placandi Deum offensum per voluntariam sui castigationem*: seu, est *ipsamet sui voluntaria castigatio, qua injuria Deo per peccatum illata compensatur.* Inde vero facile (quidquid asserant quidam recentiores) colligitur, satisfactionem in tribunali impositam non impleri per actum ex pravo fine elicitum; actus enim ille peccatum est, proindeque Deus per eum non potest placari.

CONCLUSIO 2. Materia satisfactionis sunt opera afflictiva & pœnalia.

Probatur. Illud est materia satisfactionis, per quod peccator Deo satisfacit: atqui satisfacit per opera pœnalia & afflictiva: nam quoties Scriptura pœnitentium satisfactionem recenset, semper ob oculos ponit jejunium, fletum, cilicium, cinerem: *Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in vobis* (ait Christus in Evangelio) *in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

Quæres 1. utrum per opera alioquin debita, jejunium v. g. quadragesimale, reus Deo satisfacere possit.

Resp. affirmative, nimirum ad satisfactionem Deo exhibendam institutum est ab Ecclesia jejunium quadragesimale. Præterea (ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 9.) satisfieri etiam potest per pœnas a Deo nobis inflictas, ut sunt morbi, calamitates, aliique ejusmodi casus. Verum (inquit Estius) Ecclesiæ intentio est, ut non solum debita aliunde opera, sed etiam indebita criminum reis imponantur. Idque ostenditur 1. ex Patribus, qui (ut ex canonibus pœnitentialibus patet) perraro opera aliunde debita, quadragesimale v. g. jejunium, criminum reis in satisfactionem sacramentalem imposuerunt. 2. Nam patitur æquitas, ut qui in crimina lapsus est, non subjaceat gravioribus pœnis, quam is qui in justitia stetit semper.

Quæres 2. Utrum actus interni in sacramentalem satisfactionem injungi possint.

Resp. affirmative, scilicet quodlibet pium opus homini per peccatum corrupto aliqua ratione pœnale est. Præterea actus interni, oratio mentalis v. g. non satisfactoria tantum, sed etiam medicinalis est pœnitentia, ac proinde iis præsertim hominibus, qui ob sæcularia, quibus implicati sunt, negotia, perraro de Deo cogitant, est injungenda.

Quæres 3. Utrum in satisfactionem sacramentalem injungi debeant æris alieni restitutio, proximæ occasionis fuga, præbendæ per simoniam adquisitæ dimissio.

Resp. negative. Ratio est, quia actus illi pertinent ad contritionem, quæ cum includat

propositum non peccandi de cetero, omnes illos actus necessario complectitur; neque enim propositum non peccandi de cetero stare potest cum voluntate retinendi æs alienum, aut remanendi in proxima peccandi occasione, &c.

Quæres 4. quænam opera ex se licita quondam pœnitentibus prohiberentur.

Resp. eo in capite variam fuisse Ecclesiarum disciplinam. Vid. Commentarium Historicum pag. 653. & seq. primæ editionis.

CAPUT II.

De forma Satisfactionis.

Not. Nomine formæ hic intelligitur modus quo pœnitentes soliti erant exequi satisfactionem. Dicemus tantum de antiquo, qui quidem reducitur ad tempus satisfactioni præfixum; ad exteriorem pœnitentium habitum; ad diversas stationes quas ante receptionem Eucharistiæ pœnitentes, ex sacerdotis præscripto, decurrere tenebantur.

CONCL. Non una fuit apud veteres sacramentalis satisfactionis forma.

Probatur. Forma satisfactionis est modus quo veteres impositas sibi satisfactiones executi sunt: atqui non unus fuit ille modus, sive spectetur satisfactionis duratio, sive exterior pœnitentium habitus, sive stationes seu classes quas pœnitentes ante receptionem Eucharistiæ decurrebant.

Primo, quod ad antiquarum satisfactionum durationem spectat: *Sciendum est*, 1. a priore Ecclesiæ sæculo usque ad Montani schisma, quod contigit labente secundo sæculo, nullam temporis durationem satisfactioni pro hoc vel illo peccato peragendæ fuisse determinatam: *Sciendum est* 2. a Montano ad Novatianum usque, paullo quidem auctas fuisse satisfactorias pœnas, sed tamen earum durationi præfixum non fuisse determinatum aliquod tempus: *Sciendum est* 3. post Novatiani hæresim medio tertio sæculo exortam, institutas fuisse classes seu stationes pœnitentium, in quibus pro singulis gravibus peccatis pœna & pœnæ tempus determinate præscripta fuerunt: *Sciendum est* 4. post quartum sæculum in Ecclesia Græca, & in Latina saltem post septimum, reos occultorum criminum damnatos fuisse occulta executione canonum pœnitentialium, quos tamen antea pro quibusdam occultis peccatis publice exequi cogebantur.

Secundo, quod ad exteriorem pœnitentium habitum spectat, Patres docent eum admodum fuisse lugubrem: antiqui nimirum pœnitentes inculta facie, cooperti cilicio, ac conspersi cinere in templis, immo præ templorum foribus, omnium oculis patebant.

Tertio, circa classes seu stationes, *sciendum est* quatuor decurrendas fuisse, antequam pœnitentes Eucharistia pascerentur: Ejusmodi vero stationes, *Fletus*, *Auditio*, *Substratio*, *Consistentia* dicebantur.

Fletus nomine intelligitur statio collocata in externa porticu seu tecto, quod erat humilius eo, quod templi tectum dicebatur. Pœnitentes in ea statione positi, se reos palam confitebantur, adgeniculabanturque templum ingredientibus, ut apud Deum & Ecclesiam pro ipsis intercederent.

Auditio collocata erat in porticu oblongiori, templi foribus interius adjacente, & a reliqua interiore parte templi tabulatis, aut cancellatis distincta. Audientes liberi erant ab humili fratrum rogatione, cujus debitum (ut mox observatum est) flentibus incumbebat.

Substratio, seu (ut alii loquuntur) *Prostratio*, erat ab Audientium cancellatis usque ad ambonem templi. Pœnitentibus in ea statione positis Præsules manus in singulis synaxibus imponebant. Expellebantur e basilicis post Episcoporum concionem, seu antequam Missæ offertorium inciperet. In ea præsertim statione eluebantur maculæ criminum: nempe Substratis imponebantur jejunia, & alia laboriosa pœnitentiæ opera quæ carnem excruciarent.

Consistentia erat ab ambone templi versus Sanctuarium ad fideles usque, sive ad eos quibus jus erat accedendi ad Eucharistiam. Consistentium classis complectebatur 1. eos qui licet leviter peccassent, aliqua tamen indigebant correctione. Complectebatur 2. nonnullos ex iis qui rei quidem erant aliquorum peccatorum lethalium, sed minus gravium, quæque sponte, seu absque proximi delatione, confessi fuerant. Complectebatur 3. eos homines qui priores pœnitentium classes, Fletum, Auditionem, Substrationem, quibus in pœnam scelerum damnati fuerant, decurrerant. Complectebatur 4. mulieres quæ inciderant in grave aliquod, sed occultum, peccatum; hæ nimirum licet Substratione aliisque classibus damnari debuissent, ad Consistentiam tamen dimittebantur, ne maritis in matrimonialis fidei suspicionem venirent; verum in occulto subibant canonum rigorem, ac expletis injunctis laboribus, & non antea, absolutione privatim donabantur. De iis quæ toto hoc capite dicta sunt, vide Morinum nostrum lib. 3. de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, observationes Albaspinæi, Cabassutium nostrum in sua Conciliorum notitia, Commentarium Historicum a pag. 653. ad pag. 669. primæ editionis.

Quæres, utrum pœnitentes ab inferiori statione nonnunquam conscenderent ad superiorem, media aliqua statione prætermissa.

Resp. affirmative, cum nimirum in prioribus statio-

stationibus decurrendis pœnitentes diligentiam & fervorem probaverant.

CAPUT III.

De ministro satisfactionis.

Not. SAtisfactio considerari potest vel ratione impositionis, vel ratione executionis; proindeque duplex est illius minister, unus a quo imponitur, seu sacerdos qui confesso pœnam persolvendam injungit; alter a quo mandatur executioni, seu pœnitens cui præscribitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De ministro, a quo satisfactio imponitur.

Not. DE ministro satisfactionis sumptæ ratione impositionis, quæri potest 1. utrum ab alio sacerdote præscriptam mutare possit: 2. utrum cogere possit pœnitentem, ut impositam persolvat, antequam absolvatur.

CONCLUSIO 1. Minister impositam ab alio pœnitentiam mutare non potest, si clavis non erraverit, aut deinceps non acciderit gravis circumstantia, quæ mutationem exigat.

Probatur 1. ex sacris canonibus, quibus cautum est, ne juste ligatus ab uno Episcopo solvatur ab alio: 2. ex eo quod judicium quod exercetur in foro interiori, nec ab ipsomet Deo, si æquum sit, in cælis rescindatur, juxta illud Evangelii: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis.*

Objicies. Qui peccatum idem confitetur alteri sacerdoti, se se illius jurisdictioni subjicit: ergo cum non teneatur duplicem pro eodem peccato pœnam persolvere, potest vel a priore, vel ab altero impositam eligere.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia pœnitens in illo casu tenetur adimplere priorem satisfactionem, quæ conveniens ac prudens supponitur; tuncque debet alterum ministrum monere, ut ad novam imponendam habeat rationem ejus quæ prius imposita fuerat.

Quæres, quænam sint caussæ, propter quas sacerdos potest injunctam ab alio satisfactionem mutare.

Resp. posse 1. cum clavis erravit, seu cum satisfactio prudenter & convenienter imposita non fuit: 2. posse quoque, cum propter necessaria alioquin negotia, aut infirmitatem quæ deinceps accidit, aut mutationem status in pœnitente, ipse pœnitens, moraliter loquendo, non potest injunctum sibi onus adimplere: 3. Verum eam mutare non potest sub eo tantum obtentu, quod propter intrinsecam difficultatem periculum sit, ne pœnitens eam non exequatur, modo tamen sit prudens ac conveniens: nec mirum, nam pœnitens suam pusillanimitatem superare tenetur.

CONCLUSIO 2. Non est absolute necessarium, ut minister pœnitentem cogat ad peragendam sacramentalem satisfactionem, antequam ei absolutionem impertiatur.

Probatur. Non est absolute necessarium, ut pœnitens peragat sacramentalem satisfactionem, antequam absolvatur: ergo non est quoque necessarium, ut minister pœnitentem ad eam exequendam cogat, antequam ei absolutionem impertiatur. Probatur ant. Nec Christus, nec Ecclesia præscribunt pœnitenti, ut, antequam absolvatur, peragat sacramentalem satisfactionem; nullibi nimirum ea Christi lex, aut illud præsentis Ecclesiæ mandatum legitur: ergo, &c.

Objicies 1. Necessarium est absolute, ut sacramenti materia præcedat illius formam; illa enim per istam determinatur ad effectum spiritualem producendum: atqui satisfactio est materia sacramenti pœnitentiæ, absolutio vero est illius forma; ergo necessarium est absolute, ut satisfactio præcedat absolutionem.

Resp. dist. maj. ut sacramenti materia essentialis præcedat illius formam, transeat maj. nempe ut hujusce partis dissertatione 3. diximus, id falsum est in confirmationis sacramento: materia integralis, cujusmodi (ut suo loco dictum fuit) est satisfactio, neg. maj.

Objicies 2. ipsa rei natura postulat, ut reus satisfaciat, antequam absolvatur; id enim in humanis etiam ac politicis judiciis videre est; nempe qui alteri injuriam intulit, non absolvitur, nisi post exhibitam satisfactionem: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Deo nimirum satis est pœnitentis satisfaciendi propositum, si verum sit ac sincerum; unde ab Alexandro Papa VIII. merito proscripta est hæc propositio: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut justitia Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.*

Objicies 3. Ecclesia per duodecim priora sæcula iis tantum contulit absolutionem, qui impositam sibi satisfactionem peregissent; ergo si contraria nunc consuetudo alicubi obtineat, abusus est ac corruptela, quæ indiget correctione.

Resp. 1. neg. ant. Ratio est, quia Ecclesia in duplici casu quondam pœnitentes absolvit ante adimpletam satisfactionem, urgente nimirum vitæ periculo, aut instante gravi admodum, ex parte infidelium, persecutione; ut videre est apud Cyprianum epistola 54. quæ est ad Cornelium Papam.

Resp. 2. dato antecedente, neg. conseq. Ratio est, quia Ecclesia jam probat usum mox absolvendi, proindeque consuetudo absolvendi, antequam pœnitens impositam satisfactionem impleverit, non est corruptela, sed licita mutatio veteris disciplinæ in eam, quæ nunc viget.

Confirmatur solutio auctoritate Alexandri Papæ VIII. a quo duæ subsequentes propositiones damnatæ sunt: *Per illam praxim mox*

absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus, . . . Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti pœnitentiæ, (conferendi absolutionem ante peractam satisfactionem) *etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu*.

CONCL. 3. Minister sacramenti pœnitentiæ potest nonnunquam cogere pœnitentem, ut satisfactionem impleat, antequam ei absolutionem impertiatur.

Probatur. Minister id potest, quod est utile pœnitenti; nempe medicus est, qui prout caritas & prudentia suggesserint, debet adhibere media quibus pœnitentis saluti consulat: atqui pœnitenti nonnunquam utile est, ut cogatur ad implendam satisfactionem, antequam absolvatur; id scilicet expedit, tum ut uberiorem ex absolutione fructum percipiat, tum ut socordiam excitet suam, tum denique, quod aliquando periculum sit, ne, ubi fuerit absolutus, negligat impositam sibi satisfactionem.

Objicies. Privato ministro non licet veterem Ecclesiæ disciplinam ad praxim revocare: id nimirum juris Summorum est Pontificum ac Conciliorum Generalium: ergo pœnitens nusquam ante absolutionem debet cogi ad implendam impositam sibi satisfactionem.

Resp. 1. dist. ant. Non licet quoad omnia, v. g. quoad impositionem pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis, ut fiebat olim, vel quoad prohibitionem audiendi Missam, quondam pœnitentibus, antequam donati fuissent absolutione, factam, conc. ant. quoad aliqua, executionem scilicet laborum, qui nunc in satisfactionem injunguntur, neg. ant. Responderi potest 2. dist. iterum ant. Privato ministro non licet veterem Ecclesiæ disciplinam ordinarie ad praxim revocare, conc. ant. aliquibus in casibus, in quibus judicatur id futurum utile pœnitenti, neg. ant. Responderi potest 3. dato antecedente, neg. conseq. Ratio est, quia fert hodiernus usus, ut nonnunquam pœnitens ante absolutionem cogatur implere præscriptam sibi satisfactionem. Vide de eo argumento Sylvium, aliosque recentiores.

ARTICULUS II.

De Ministro satisfactionis ratione executionis.

Not. Minister satisfactionis, quoad executionem sumptæ, est homo pœnitens, de quo quæremus 1. utrum præscriptam suscipere teneatur: 2. quandonam debeat eam exequi: 3. peculiari articulo expendemus, utrum in statu peccati mortalis eam, ut oportet, adimplere possit.

CONCL. 1. Pœnitens, ubi non constat errasse clavem, satisfactionem sibi præscriptam suscipere tenetur.

Probatur. Reus tenetur satisfactionem a judice præscriptam suscipere: atqui in tribunali pœnitens est reus, & sacerdos judex: ergo, &c. Præterea, si pœnitens posset non suscipere præscriptam sibi satisfactionem, a sacerdote quoad hanc vel illam pœnam subeundam ligari non posset; quod falsum est: ea enim ligandi potestate sacerdotibus divinitus concessa Tridentini patres utuntur, ut contra Lutheranos probent, sacerdotes teneri pœnas confessis injungere, non solum in remedium futurorum peccatorum, sed etiam in præteritorum vindictam: *Nam* (inquiunt sess. 14. cap. 8.) *claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas antiqui Patres & credunt, & docent*.

Objicies 1. Sacerdos qui non est Parochus, est respectu pœnitentis judex arbitrarius; ergo penes est pœnitentem, ut quoad peccati tum culpam, tum pœnam, vel quoad culpam tantum illi se subjiciat.

Resp. neg. conf. Ratio est, quia licet pœnitens, antequam confiteretur, alium sacerdotem approbatum adire potuerit, facta tamen confessione, illius judicium declinare non potest; tunc enim Christi vice fungitur, ejusque nomine ac auctoritate & ligat & solvit.

Objicies 2. Pœnitenti liberum est pœnam quam debet exsolvere pro peccatis quoad culpam dimissis in aliud sæculum differre, ad ignem nimirum purgatorium: ergo non tenetur suscipere præsciptam a sacerdote satisfactionem.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia quisque reus jure divino pro peccatis tenetur satisfacere in hoc sæculo, juxta Christi sententiam: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*: nec non juxta hanc aliam a Joanne Baptista prolatam: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. His nixi locis antiqui Patres dubitarunt de eorum salute qui exibant ex hoc sæculo, antequam plane Deo satisfecissent: damnarunt quoque Presbyteros qui confessos, nondum pœnitentia functos, audebant absolvere. Vide Cyprianum lib. *de Lapsis*, Aug. l. Quinquaginta homiliarum, hom. 41.

CONCL. 2. Qui absque probabili caussa præscriptæ satisfactionis executionem differt in multum tempus, graviter peccat.

Probatur 1. Qui se exponit periculo morali non adimplendi aliquod divinum præceptum, graviter peccat: atqui is, de quo in conclusione, se illi periculo exponit; nam morale periculum est moriendi intra multum aliquod tempus. 2. Qui alicui gravem intulit injuriam, graviter peccat, si satisfactionem debitam, absque probabili caussa, in longius tempus protrahat. 3. Qui absque caussa multum differt voti a se emissi executionem, graviter peccat: ergo & is qui in multum tempus protrahit promissam in confessione satisfactionem. Hinc colligitur, pœnitu-

nitentem teneri satisfactionis multum dilatæ circumstantiam in confessione accusare.

Quæres 1. quid facto opus sit, cum pœnitens oblitus est præscriptæ sibi a sacerdote satisfactionis.

Respondet S. Antoninus, Tit. XIV. Cap. XVIII. §. 19. in casu de quo agitur, iterari debere confessionem peccatorum mortalium, in quorum vindictam injuncta fuerat satisfactio: *Si ejus est oblitus, tenetur iterum confiteri*. Respondent alii satis esse, ut pœnitens ipsi sibi satisfactionem imponat, ea ratione qua imponeret sibi, si nulla, sive per errorem, sive per oblivionem, imposita fuisset a sacerdote, apud quem peccata deposuit. Confirmant ex eo, quod licet (inquiunt) pœnitens jure divino præscriptam satisfactionem in specie adimplere teneatur, non est tamen de jure divino, ut per eos tantum labores satisfaciat, quos sacerdos imposuerit: unde levissimos ipse sacerdos injungeret, si pœnitens ante confessionem gravissimos sponte subiisset.

Quæres 2. qua ratione pœnitens obligetur ad circumstantias oneris in satisfactionem injuncti.

Resp. idem de iis circumstantiis ferre debere judicium, quod de circumstantiis voti: quemadmodum igitur, qui votum cum circumstantiis emisit, sub pœna peccati lethalis tenetur eas circumstantias, si gravis sint momenti, adimplere: ita & is, cui opus cum gravibus circumstantiis conjunctum impositum est.

ARTICULUS III.

Utrum pœnitens satisfacere possit in peccato mortali.

Not. HÆC propositio, *Esse in peccato mortali*, tripliciter intelligi potest, nimirum in actu peccati, in affectu, in reatu: in actu quidem, cum actu committitur peccatum lethale: in affectu, dum peccatum, cujus actus præteriit, voluntati habitualiter placet: in reatu denique, dum quis deposito peccati affectu, ejus tamen remissionem nondum est consecutus.

CONCL. 1. Is qui est in actu peccati lethalis non satisfacit, etiamsi injunctum opus exterius persolvat.

Probatur 1. Is non satisfacit, qui non habet verum studium placandi Deum, quem per peccatum offendit: atqui is qui est in actu peccati, non habet illud studium, seu voluntatem; illud enim studium, ea voluntas, cum actuali offensa componi non possunt. 2. Is qui est in actu peccati, se habet respectu Dei offensi, sicut is, qui nova debita contrahit, se habet respectu creditoris: ergo quemadmodum iste per nova debita non solvit vetera, ita nec ille per præsens peccatum satisfacit pro præteritis. Hinc colligitur, erroneam esse doctrinam eorum qui asserunt, hominem qui per impudicos aspectus explens oculorum libidinem, recitaret Psalmos pœnitentiales sibi præscriptos, facturum esse satis præcepto de adimplenda satisfactione sacramentali.

CONCL. 2. Is, in quo affectus ad peccatum mortale dominatur, non satisfacit, quamvis injunctum opus quoad substantiam exequatur.

Probatur 1. Qui voluntarie nutrit ac amat voluntatem Deo rebellem, non habet sincerum studium Deum placandi; quod tamen studium (ut supra dictum fuit) est essentiale satisfactioni. 2. Satisfactio est essentialiter actus elicitus a virtute pœnitentiæ: sed is, in quo dominatur affectus ad peccatum mortale, non habet virtutem pœnitentiæ: quippe quod pœnitentia, prout est virtus, definiatur odium vitæ veteris & propositum novæ.

Objicies 1. Qui habet affectum ad peccatum mortale, potest, ut pœnitentiæ donum obtineat, ex motivo caritatis quæ non dominetur, aliquod pietatis opus efficere, v. g. audire Missam, eleemosynam largiri, orationem fundere: ergo pariter potest satisfacere.

Resp. conc. ant. neg. cons. Ratio est, quia plus requiritur, ut opus sit satisfactorium, quam ut sit simpliciter bonum: quippe quod opus satisfactorium præter bonitatem objectivam operis ac finis rectitudinem, importet efficax studium Deum placandi, ac resarciendi injuriam ipsi illatam: quod quidem studium (ut jam dictum est) non reperitur in eo, in quo affectus ad peccatum mortale dominatur.

Objicies 2. Qui implicatus est consuetudine peccandi lethaliter, habet dominantem affectum ad peccatum mortale: & tamen in eo statu satisfactionem sibi præscriptam adimplere censetur, ut oportet: nam si eleemosynam v. g. erogarit in eo statu, aut jejunio corpus suum castigarit, censetur adimplevisse onus sibi de eleemosyna, aut jejunio in confessione præscriptum: nempe ubi postea liber factus est a peccandi consuetudine, non jubetur eleemosynam illam, aut illud jejunium iterare: ergo quisque fidelis potest in affectu peccati mortalis adimplere, ut oportet, satisfactionem sibi in confessione præscriptam.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. ant. neg. cons. Ratio est, quia eleemosyna & jejunium relinquunt effectum post se, unde iterari non debent; e contra nullum relinquunt plures aliæ actiones quæ in satisfactionem nonnumquam imponuntur: ac proinde iterari debent, si factæ fuerint, cum in pœnitente adhuc dominabatur affectus ad peccatum mortale: Ita expresse docet S. Thomas in Supplem. q. 14. art. 3. ad tertium. Verum ea responsio non leves patitur difficultates, quas in Comment. Hist. exposuimus; unde Estius contendit, satisfactiones, cujuscumque sint generis, iterari debere, cum factæ sunt ab homine habente affectum ad peccatum mortale, ac

pro-

proinde ab eo qui implicatus est consuetudine peccandi lethaliter.

CONCL. 3. Impius, licet jaceat in reatu peccati mortalis, potest Deo pro peccatis satisfacere, modo liber sit ab affectu peccati.

Probatur 1. Si impius, de quo agitur, non posset Deo satisfacere, maxime quod in satisfaciente requiratur status gratiæ sanctificantis; nulla enim alia ratio proferri potest: atqui in satisfaciente non requiritur status gratiæ sanctificantis: siquidem ille status non requiritur, quem Majores nostri per duodecim priora sæcula non requisierunt: sed Majores nostri per duodecim priora sæcula non requisierunt in satisfaciente statum gratiæ sanctificantis. Nempe ii non requisierunt in satisfaciente statum gratiæ sanctificantis, qui non requisierunt actualem receptionem absolutionis sacerdotalis: nimirum post baptismum lapsi non justificantur ordinarie, nisi cum actu sacerdotalem absolutionem recipiunt: atqui Majores nostri non requisierunt in satisfaciente actualem receptionem absolutionis sacerdotalis, cum nemini, extra necessitatis casum, nisi post adimpletam satisfactionem, absolutionem impertirentur. Vide de ea antiquorum praxi Cyprianum lib. *de Lapsis*, Comment. Hist. pag. 771. primæ edit.

Probatur 2. Qui rebellavit in regem, potest ei debitam, ceteris paribus, satisfactionem exhibere, antequam regiis litteris absolutus fuerit a rebellione: ergo & impius potest Deo satisfacere antequam consecutus sit gratiæ sanctificantis statum, modo tamen liber sit a dominante peccati affectu.

Objicies 1. Satisfactio non placet, nisi exhibeatur ab amico: atqui impius, qui est in reatu peccati, quamvis liber sit ab illius amore dominante, non est Dei amicus: ergo illius satisfactio Deo non placet.

Resp. dist. maj. nisi exhibeatur ab amico, aut passive, aut active, conc. maj. amico passive tantum, neg. maj. Impius qui liber est a dominante peccati amore, est active Dei amicus; eum enim, saltem imperfecte, super omnia diligit: non est tamen passive Dei amicus, saltem amicitia integra & perfecta, cum Deus ei nondum peccati reatum dimiserit per Christi sanguinis applicationem, quæ ordinarie, ad reconciliationem integram, non fit, nisi per actualem absolutionis receptionem.

Objicies 2. Ex S. Thoma in 4. Sent. dist. 10. art. 5. opera *extra caritatem* facta nec valent ad meritum vitæ æternæ, nec *quantum ad hoc* (inquit) *quod sint satisfactoria respectu pœnæ dimittendæ*: sed opera impii, qui jacet in reatu peccati, fiunt extra caritatem: ergo, ex S. Thoma, non valent ad satisfactionem.

Resp. 1. dist. maj. extra caritatem actualem quæ definitur *motus animi ad fruendum Deo & se & proximo propter Deum*, quia absque eo motu opera ad Deum non referuntur, conc. maj. extra caritatem habitualem infusam, quæ impium justificet, neg. maj. Resp. 2. S. Doctorem, si loquatur de caritate habituali, nomine meriti intelligere meritum de condigno, non autem meritum de congruo, quod ipsi etiam actui fidei ante justificationem convenit: nec enim fides, aut alia pietatis opera, quæ justificationem præcedunt, omni carent virtute.

QUÆSTIO IV.

De proprietatibus satisfactionis.

Not. Inter satisfactionis proprietates numerari possunt: 1. illius necessitas: 2. proportio cum peccatorum gravitate: 3. quod publica sit, vel occulta.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate satisfactionis.

Not. Negarunt Lutherani & Calvinistæ, satisfactionem esse jure divino post baptismum lapsis necessariam; confessi sunt tamen satisfactorias pœnas olim injunctas fuisse, ut lapsi fidelibus, quibus fuerant scandalo, essent ædificationi.

CONCLUSIO. Post baptismum lapsis satisfactio necessaria est divino jure.

Probatur. 1. Evangelium expresse præcipit lapsis, ut Deo per pœnitentiæ labores satisfaciant: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Patres (ut superius observatum est) potestatem ligandi sacerdotibus Joann. 20. concessam, de injunctione satisfactionis intellexerunt. 3. A Christo ad hæc usque tempora Patres nusquam lapsos absolverunt, quin eos satisfactione peragenda damnaverint: ut patet ex innumeris Conciliorum canonibus, ac libris ritualibus. Vide Cyprian. lib. *de Lapsis*, Epistolam Basilii ad Amphilochium, canones pœnitentiales qui XI. sæculo ab Yvone, Burchardo ac aliis collecti sunt.

Respondent adversarii, pœnas satisfactorias iis quidem injunctas fuisse qui per peccata publica ceteris fidelibus fuerant offendiculo, sed non iis quorum peccata fuerant prorsus occulta: unde (addunt) non in vindictam scelerum, sed solum in exemplum fidelis populi, satisfactiones olim injunctæ sunt.

Sed contra est 1. Canones, cum satisfactiones præscribunt, universaliter loquuntur; ac proinde non minus de peccatis occultis, quam de publicis intelligi debent. 2. Plerumque castigant homicidium, mœchiam, aliaque facinora ac flagitia, quæ si publica fuissent, morte per leges Imperiales fuissent castigata. 3. Mulieres adulteræ ad Consisten-

sistentiam, non autem ad Substrationem, aut alias pœnitentiæ classes, dimittebantur, ne illarum flagitium in maritorum notitiam veniret. 4. Cyprianus expresse asserit, lapsis impositas fuisse satisfactorias pœnas, ut iis Deum iratum placarent, debitam peccatis pœnam redimerent: *Datur opera* (ait S. Martyr lib. *de Lapsis*, alloquens molliores ministros, qui lapsos satisfactoriis operibus eximebant) *ne satisfactionibus ac lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrimis abluantur*. De eo argumento vide Morinum nostrum l. 2. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, Comment. Hist. pag. 590. & seq. primæ edit.

Objicies 1. Si satisfactiones essent lapsis necessariæ jure divino, Christus per suam passionem plene non satisfecisset pro peccatis nostris; nam ille non censetur plene satisfecisse, præter cujus satisfactionem alia requiritur: atqui falsum est consequens, dicente Scriptura 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Ille non censetur plene satisfecisse, præter cujus satisfactionem alia requiritur defectu virtutis, conc. ant. defectu applicationis, neg. ant. Non ideo ab hominibus satisfactiones cum Dei auxilio exhibitæ requiruntur, quod non satis sit virtutis in satisfactione exhibita a Christo: sed tantum quod ea Christi satisfactionis virtus nobis non applicetur nisi per nostras satisfactiones, quæ vim habent suam ex ipsa Christi satisfactione. Unde quemadmodum orationes quas ex Dei præcepto fundimus, non arguunt in Christi oratione defectum virtutis: ita nec a nobis exhibitæ satisfactiones arguunt defectum virtutis in Christi satisfactione: & sicut virtus orationis Christi applicatur nobis per orationes, quas fundimus, ita & virtus satisfactionis exhibitæ a Christo nobis applicatur per satisfactiones, quas cum illius auxilio persolvimus. Vide Conc. Trid. sess. 14. cap. 8.

Objicies 2. Nulla satisfactio iis imponitur, qui in baptismo regenerantur: ergo nulla pariter debet iis injungi, qui pœnitentiæ sacramento sanantur.

Resp. conc. ant. neg. cons. Ratio disparitatis est, quia sic Christus instituit, eo quod peccata post baptismum commissa multo graviora sint iis quæ illum præcessere; *primo*, quidem ratione luminis, quod in fidelibus uberius est, quam in catechumenis: *secundo*, ratione ingratitudinis, cujus rei fiunt, qui excidunt ex gratia, quam per regenerationem comparaverant; *tertio*, ratione subjecti, in quod peccatur: fideles nimirum peccant aut in animam aut in corpus aut in utrumque simul: licet & anima & corpus sint ipsiusmet Spiritus sancti templum: ita post antiquos Patres ratiocinatur Concil. Tridentinum sess. 14. cap. 8.

Objicies 3. Ideo lapsis imponeretur satisfactio, quod Deus in sacramento pœnitentiæ totam peccati pœnam non dimittat iis, quibus totam culpam remittit: atqui illa ratio nulla est; nempe fraudulenta esset remissio qua fieret, ut is, cui Deus pepercisset, aliquid pati cogeretur.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, *primo*, quia id quod in Deo arguunt adversarii, plerumque fit inter homines æquissimos, seu exigitur, ut injuria condonata, læsus honor debita satisfactione reparetur. *Secundo*, Deus per baptismum remittit peccatum originale, nec tamen dimittit totam illius pœnam; siquidem morbi, mors ipsa sunt peccati originalis pœnæ. *Tertio*, in sacris litteris perspicua & illustria ejusdem rei exempla reperiuntur: Genes. nimirum 3. secundi Regum 2. Num. 12. *Quarto*, ob id præsertim ab ipsis Ecclesiæ incunabulis editi sunt canones pœnitentiales, quod quovis sæculo Patribus persuasum fuerit, totam peccati pœnam cum culpa non dimitti: *Quinto* in ea Dei agendi ratione justitia & pax sese mutuo osculantur, ut recte observat Augustinus enarratione in Psal. 50. explicans enim hæc Psalmi verba: *Ecce enim veritatem dilexisti*, sic loquitur: *Veritatem dilexisti, id est impunita peccata, etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti. Sic misericordiam prorogasti, ut servares & veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed ipsum punienti: Ita servatur misericordia & veritas: misericordia, quia homo liberatur: veritas, quia peccatum punitur.*

Quæres, utrum satisfactio sit necessaria non tantum necessitate præcepti divini, quod mox ostensum est, sed etiam necessitate medii.

Resp. satisfactionem in voto, saltem implicito, hoc est in virtuali animi proposito, esse lapsis necessariam necessitate medii, quia sic sumpta, includitur essentialiter in contritione; sumptam vero secundum executionem, esse solum necessariam necessitate præcepti divini: unde iis qui in extremis absolvuntur, injungitur quidem conveniens satisfactio, sed si statim moriantur, non damnantur præcise, quod eam executioni non mandaverint.

ARTICULUS II.

De proportione satisfactionis cum criminum gravitate.

Not. Duo hic expendemus, 1. utrum sacerdotes teneantur injungere satisfactiones, quæ criminum gravitati conveniant: 2. utrum pœnitentes, cum quibus confessarii indulgentius, quam par sit, egerint, liberi sint onere satisfaciendi.

CONCL. 1. Sacerdotes tenentur satisfactiones criminum gravitati convenientes injungere.

Probatur 1. Concilium Tridentinum debitum, de quo agitur, sacerdotibus imponit: *Debent ergo* (inquit sess. 14. c. 8.) *sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserint, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere.*

Probatur 2. Sacerdotes in pœnitentiæ tribunali personam judicis agunt: par igitur est, ut propter injuriam Deo per peccatum illatam reis pœnas injungant, quæ gravitati criminum convenientes sint; id enim exigit ipsa judicialis sententiæ natura. Confirmatur ex Cypriano, qui libro *de Lapsis*, vario argumentorum genere probat, ministros, qui mollius, quam par sit, cum pœnitentibus agunt, tum sibi, tum pœnitentibus nocere quam maxime.

Objicies. Nulla potest injungi pœna quæ criminum gravitati conveniat, siquidem nulla pœna gravitati criminum conveniens est, nisi sit infinita, quemadmodum infinita est criminis cujuscumque gravitas, eo quod nullum sit crimen quod personæ infinitæ, Deo scilicet, oppositum non sit.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. nisi sit infinita, ex suppositione, quod æqualis esse debeat pœnæ debitæ peccato nondum quoad culpam remisso, conc. ant. ex suppositione, quod æqualis esse debeat pœnæ debitæ peccato quoad culpam remisso, neg. ant. Pœna, quæ debetur peccato nondum quoad culpam dimisso, est infinita; quæ vero peccato quoad culpam dimisso, finita est: nempe per Ecclesiæ claves pœna æterna mutatur in temporalem; isti autem pœnæ, non autem alteri, conveniens debet esse satisfactio, quæ in tribunali a sacerdotibus imponitur.

Objicies 2. Multorum praxi confirmata consuetudo fert, ut levissima quædam opera pro enormibus etiam flagitiis, ac facinoribus injungantur; plurimos enim ministros reperire est, qui coronatum rosarium, aut septem psalmos pœnitentiales, aut unius & alterius diei jejunium pro adulterio, v. g. injungunt: atqui licitum est ejusmodi praxi adhærere, cum consuetudo multorum confirmata consensu vim legis obtineat.

Resp. ad primum data maj. neg. min. Ad secundum, dist. ant. Consuetudo multorum confirmata consensu vim legis obtinet, in rebus quæ juris sunt humani, transeat ant. in rebus quæ juris sunt divini, neg. ant. Injunctio pœnitentiæ, quæ gravitati criminum sit conveniens, non est humani juris, sed divini, contra quod nulla valet præscriptio, nihil hominum, inveterata licet, consuetudo: *Cum* (ut ait Cyprianus libro *de Lapsis*) *Deo nemo possit esse major.*

Instabis. Consuetudo in iis, quæ spectant ad administrationem sacramenti pœnitentiæ, ab Ecclesia habetur pro usu: ergo licitum est adhærere consuetudini multorum ministrorum, qui hisce temporibus levissima quædam opera pro gravissimis flagitiis aut facinoribus injungunt. Probatur ant. ex Alexandro Papa VIII. a quo proscripta fuit hæc propositio: *Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

Resp. ad 1. dist. ant. Consuetudo, cui conveniunt conditiones legitimæ consuetudinis, ab Ecclesia habetur pro usu, conc. ant. cui non conveniunt, neg. ant. Illa de qua agitur consuetudo non obtinet apud doctos & pios ministros; illi enim quovis sæculo tum Conciliorum canones, tum Episcoporum statuta contradixerunt, proindeque abusus est, non usus.

Confirmatur ex eo, quod debitum injungendi satisfactiones gravitati criminum convenientes sit (ut jam observatum est) divini juris. Ad 2. dicendum est, propositionem ab Alexandro Papa VIII. damnatam non intelligi, nec intelligi posse, de sacramenti pœnitentiæ administratione sumpta pro debito injungendi convenientes satisfactiones; sed tantum de administratione sumpta pro collatione absolutionis ante satisfactionem sacramentalem a pœnitente peractam, ut patet ex aliis duabus propositionibus damnatis, quæ in Alexandri decreto eam, de qua agitur, immediate præcedunt.

Objicies 3. Saltem Jubilæorum, aut Indulgentiarum tempore fas est confessariis minores, quam par sit, satisfactiones injungere: alioquin enim nulli usui forent indulgentiæ, quod est hæreticum.

Resp. argumentum illud discussum iri inferius ubi de Indulgentiis dicetur: in præsentiarum vero satis sit hæc R. Patris Natalis Alexandri Dominicani solutio: *Indulgentiæ quamtumcumque plenariæ supponantur illis non prosunt, qui satisfactionem proportionatam peccatis nolunt implere; sed iis tantum, qui licet parati sint eam persolvere, non possunt tamen ob vitæ brevitatem, vel id non exequuntur toto eo fervore, qui alioquin requireretur.*

Confirmatur ex eo, quod, cum passim his temporibus indulgentiæ plenariæ concedantur, si in impositione satisfactionum semper earum haberetur ratio, pœnitentiæ sacramentum desineret esse baptismus laboriosus; quod tamen, cum Christus sic instituerit, contingere non potest.

Quæres 1. utrum sacerdotes lethaliter peccent, cum satisfactiones gravitati criminum minime convenientes pœnitentibus injungunt.

Resp. sacerdotes, de quibus agitur, *ordinarie* peccare lethaliter. Ratio petitur 1. ex eo quod in re magni momenti divinum Christi præceptum infringant. 2. Mollior in capite, de quo est quæstio, agendi modus, *pensi-*

nutrit ac fovet peccatum. *Ne* (inquit Concilium Tridentinum) *si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Idem ante Concilium Tridentinum libro *de Lapsis* Cyprianus docuerat.

Quæres 2. unde hauriri debeant satisfactiones lapsis injungendæ.

Resp. eas hauriri debere ex Canonibus pœnitentialibus: *Nulli sacerdotum* (ait Cælestinus Papa I. epist. 3. c. 1.) *suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum regulis possit obviare*. Unde S. Carolus in instructionibus sacerdotibus injungit 1. ut dum pœnitentes ligant, eos canones præ oculis habeant: 2. ut eorum externum rigorem temperent quidem, cum eum infirma hæc ætas ferre non valeat; sed id non tollant quod eorum est veluti anima ac spiritus, seu ut non efficiatur, ut laboriosæ non sint satisfactiones pro gravibus sceleribus injungendæ: 3. ut rationem habeant facultatis pœnitentium, seu ut eam non superet satisfactionum rigor; facultatem dico, non socordiam ac segnitiem, quam nonnulli pro reali impotentia solent obtendere.

Quæres 3. cujus naturæ debeant esse satisfactiones, quæ ex canonibus pœnitentialibus secundum id, quod est eorum veluti spiritus ac anima, sumptis, hauriri debent.

Resp. 1. Sanctum Carolum illi quæstioni his verbis occurrisse: *Superbis humilitatis opera; carnis voluptatem sectantibus jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat; in oratione negligentibus, ut singulis diebus, mane saltem & vespere, orationi vacent*.

Resp. 2. eidem quæstioni Concilium Tridentinum occurrisse, cum sessione 14. cap. 8. definiit piaculares pœnas ejusmodi esse debere, ut quinque effectus in pœnitentibus operentur; 1. Iis effici debet, ut, secundum Christi institutionem, sacramentum pœnitentiæ quidam sit laboriosus baptismus: 2. Peccatores dolore, quem pariant, a peccando revocent, oportet, cautioresque ac vigilantiores in futurum efficiant: 3. Idoneæ esse debent ad tollendum habitus vitiosos, qui male vivendo comparati sunt: 4. Necesse est, ut eæ sint, quibus Deus iratus placetur: 5. Tandem oportet, ut Christo patienti ipsos pœnitentes conformes efficiant. An autem tot mirabilium effectuum virtus sit in satisfactionibus quæ a plerisque mollioribus ministris injunguntur, expendant iidem ministri molliores, videantque, qua ratione suam praxim possint cum Concil. Trid. conciliare.

CONCLUSIO. 2. Si in satisfactionis injunctione sacerdos suo officio defuerit, pœnitens debet sibi aliam convenientem imponere, quam exsolvat.

Probatur. *Primo*, ministri aut imperitia, aut negligentia, aut malitia, non tollunt a lapsis debitum faciendi fructus dignos pœnitentiæ, quo tenentur jure divino. *Secundo*, ita censet S. Thomas: sic enim loquitur Quodlibeto 5. q. 13. art. 1. *Peccator est debitor alicujus satisfactionis dupliciter: Uno modo ex injunctione sacerdotis, alio modo ex peccato commisso: unde si contingat, quod sacerdos minorem satisfactionem imponat pœnitenti, quam sit illa ad quam alligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo quod remittitur virtute clavium, & contritionis præcedentis, nihilominus pœnitens ad aliquid ulterius obligatur; quod si in hac vita non perficiat, in purgatorio exsolvet*.

Objicies. Si sacerdos majorem quam par sit, satisfactionem injunxerit, pœnitens nihilominus tenetur eam adimplere: ergo a pari, si minorem, quam par sit, injunxerit, pœnitens aliam sibi non tenetur imponere.

Resp. concesso ant. neg. conseq. Ratio est, quia (ut mox advertimus ex S. Thoma) debitum Deo satisfaciendi oritur ex duplici capite, nimirum ex præcepto sacerdotis, qui medici ac judicis vice fungitur, & ex parte peccati: mirum igitur non est, quod ubi reperitur, aut sacerdotis mandatum, aut hominis peccatum, pœnitens Deo satisfaciat: *Et e converso* (ait loco mox laudato S. Doctor) *si sacerdos imponat majorem pœnitentiam, quam pœnitens facere teneatur, pensata remissione quæ facta est per vim clavium & contritionem præcedentem, nihilominus pœnitens tenetur facere, quod sibi injunctum est, si adsit facultas*.

ARTICULUS III.

Utrum satisfactio debeat esse publica.

Not. PEccata sunt vel publica, vel occulta; quærendum est igitur, utrum & pro peccatis occultis & pro publicis publica satisfactio injungi debeat: ea vero quæstio potest expendi vel ad normam veteris disciplinæ, vel ejus quæ pluribus abhinc sæculis obtinet in Ecclesia Catholica.

CONCL. 1. Per plura sæcula pro peccatis occultis injuncta fuit satisfactio publica.

Probatur. Statio in pœnitentium classibus erat publica pœnitentia: nempe qui iis classibus damnati erant, palam interdicti erant Eucharistiæ participatione: atqui criminum, etiam occultorum, rei per plura sæcula damnati sunt pœnitentium classibus; neque enim canones, cum lapsos amandant ad ejusmodi classes, inter occulta & publica peccata distinguunt, ut tamen alioquin distinguere debuissent, cum publica peccata raro, occulta vero frequenter accidant. 2. Idem (servata tamen proportione) ferri debet judicium de aliis peccatis occultis, ac de mulierum adulterio:

terio:

terio : Sed pro mulierum adulterio occulto injungebatur satisfactio publica ; ejusmodi enim flagitii reas mulieres canones Consistentia damnabant, quæ classis erat publice pœnitentium. Vide quæ de ea antiquorum praxi scripsit Morinus noster lib. 3. *De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ* : auctorem Apologiæ Patrum pro publica pœnitentia ; librum *De perpetuitate fidei* ; Commentarium Historicum a pag. 685. ad pag. 697. primæ edit.

Quæres, quandonam desierit mos injungendi satisfactiones publicas pro peccatis occultis.

Resp. desiisse post sextum sæculum. Ratio est, quia canones qui post sextum sæculum apud Latinos exarati sunt, cum agunt de injungenda satisfactione, distinguunt semper inter occulta & publica peccata : illis nimirum secreto, istis vero publice exsolvendam pœnam decernunt.

CONCLUSIO 2. Publica satisfactio injungi debet pro publicis peccatis.

Probatur. Concilium Tridentinum, cujus disciplinam quoad caput, de quo agitur, promulgarunt variæ in Galliis habitæ Provinciales Synodi, hæc habet sess. 24. *De Reformatione*, c. 8. *Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque non sit dubitandum, huic condignam, pro modo culpæ, pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.*

Objicies. In Clericos palam delinquentes non animadvertitur publica pœnitentia : ergo, &c.

Resp. Clericos, de quibus agitur, castigari interdicto, suspensione, depositione, quæ pœnæ haud dubie sunt publicæ.

Quæres 1. ad quem spectet publicæ satisfactionis injunctio, an ad solum Episcopum, an vero ad quemlibet sacerdotem, qui publici peccatoris confessionem audierit?

Resp. 1. Concilium Tridentinum nihil de ea re statuisse : 2. id, absolute loquendo, posse presbyteros in locis, in quibus impositionem publicæ satisfactionis Episcopus sibi non reservavit : 3. non expedire tamen, ut iis etiam in locis inferiores sacerdotes, inconsulto Episcopo, jure utantur suo : cum enim impositio publicæ satisfactionis sit res magni momenti, par est, nisi necessitas urgeat, ut Episcopus, aut generalis ejus Vicarius consulatur.

Quæres 2. utrum pœnitentia publica mutari possit in privatam.

Resp. id ab Episcopo tantum, aut ejus Vicario generali ex caussa fieri posse : *Episcopus tamen* (ait Concil. Trident.) *publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* De hoc argumento vide librum cui titulus Gallicus: *La Tradition de l'Eglise sur le sujet de la Penitence & de la Communion*. Vide etiam Commentarium Historicum a p. 697. ad p. 706. primæ edit.

QUÆSTIO VI.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Not. DE forma sacramenti pœnitentiæ quæremus 1. quænam sit : 2. quodnam sit illius objectum : 3. quis illius modus : 4. quem ministrum habeat : 5. quodnam sit illius subjectum : 6. denique quænam sint illius proprietates.

CAPUT PRIMUM.

Quæ sit Sacramenti Pœnitentiæ forma.

Not. CErtum est, sacramenti pœnitentiæ formam esse verba, quæ a sacerdote, auditis pœnitentium peccatis, proferuntur : quænam autem ea sint, hic expendendum est.

CONCLUSIO 1. Hæc verba : *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen*, sunt forma sacramenti pœnitentiæ.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino : *Docet* (inquit) *Sacra Synodus, sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse* : Ego te absolvo *&c.* 2. Eamdem formam omnes hodierni rituales præscribunt. 3. Ea verba clare exprimunt actum judicialem per quem in sacramento pœnitentiæ remissio peccatorum confertur.

CONCLUSIO 2. Omnes termini, quibus constat forma sacramenti pœnitentiæ, non requiruntur, ut sacramentum valeat.

Probatur 1. Hæ voces : *A peccatis tuis*, necessariæ quidem sunt necessitate præcepti Ecclesiastici, sed tamen ad ipsius sacramenti substantiam non pertinent. Ratio est, quia in his aliis, *Absolvo te*, implicite continentur; nec enim verbum, *Absolvo*, ad excommunicationem, aliasque censuras referri potest ; quippe quod ex peccatorum confessione, quæ præcessit, ad peccatorum remissionem determinetur. 2. Expressa ac distincta invocatio trium personarum SS. Trinitatis, quæ hisce verbis continetur : *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, essentialiter non requiritur. Ratio est, quia certum non est invocationem, de qua agitur, fuisse in usu apud Occidentales per duodecim priora sæcula, ratum vero est, ab Orientalibus modo non adhiberi. 3. Ideo expressa SS. Trinitatis invocatio foret necessaria, quod necesse sit, ut in sacramenti forma exprimatur caussa principalis, quæ illius effectum operatur : sed illa ratio nullo Scripturæ, aut traditionis testimonio nititur : ergo, &c. Hæc igitur verba tantum,

tum, *Absolvo te*, satis sunt, ut sacramentum valeat. Ratio est, quia exprimunt, ac proinde integrum sacramenti effectum operantur.

Objicies. Baptisma non valet sine distincta trium personarum SS. Trinitatis invocatione: ergo neque sacramentum pœnitentiæ.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia in baptismate, non autem in pœnitentia, catechumeni profitentur fidem, quæ quidem ad tres SS. Trinitatis personas reducitur, ut patet ex symbolo: unde Christus cum baptizandi munus Apostolis injunxit, explicite præcepit SS. Trinitatis invocationem, *Baptizantes eos* (inquit Marci ultimo) *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*: at quidpiam simile non edixit, cum Jo: 20. eisdem Apostolis facultatem fecit remittendi peccata post baptismum commissa.

Objicies 2. Illud est essentiale formæ sacramenti pœnitentiæ, quod Conc. Trid. subintellexit per reticentiam &c. quam adhibuit ubi declaravit hæc verba, *Ego te absolvo*, esse formam sacramenti pœnitentiæ: atqui per eam reticentiam subintellexit expressam ac distinctam invocationem trium personarum SS. Trinitatis, ea nimirum invocatio primum locum tenet inter ea quæ sub ea reticentia &c. continentur: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est 1. quia si valeret argumentum, probaret hæc verba, *A peccatis tuis*, requiri ad essentiam formæ sacramenti, de quo est hic quæstio: nec enim per Concilii reticentiam &c. minus subintelliguntur, quam SS. Trinitatis invocatio. 2. Dicendum est cum Estio, Concilium usum fuisse reticentia, de qua agitur, quod litem scholasticam de necessitate invocationis SS. Trinitatis dirimere noluerit.

CAPUT II.

De objecto formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

Not. 1. Certum est, omnia peccata post baptismum commissa, esse objectum, seu (ut alii loquuntur) materiam, circa quam pœnitentiæ sacramentum versatur; nempe nullum est omnino, quod ex institutione Christi delere ac tollere non possit: nec enim (ut quondam Montanistis & Novatianis visum est) Ecclesiæ concessum est, ut ab aliquibus tantum sceleribus, non autem ab omnibus, per suos ministros absolvat. Sed quæri potest, utrum Ecclesia, œconomiæ caussa, quorumdam immanium scelerum reis in extrema vitæ periodo constitutis ac pœnitentibus absolutionem sacramentalem aliquando negaverit.

Not. 2. Circa eam facti quæstionem duplex est auctorum sententia. Prior, quæ est Petavii in suis ad S. Epiphanium notis, Morini lib. 9. de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, Albaspinæi observationum lib. 2. ac plurium aliorum, docet Ecclesiam, in aliquibus saltem provinciis, olim negasse, etiam in exitu vitæ, absolutionem quorumdam immanium scelerum reis, licet sani reconciliationem petiissent, subiissentque præscriptos pœnitentibus labores. Altera docet, Ecclesiam ubique semper absolutionem impendisse quibusque reis, modo sani pœnitentiæ laboribus perfuncti fuissent.

CONCL. 1. Priore sæculo, immo & secundo jam adulto, Ecclesia nulli omnino sceleri post baptismum commisso veniam denegavit.

Probatur. *Primo*, Apostolus Corinthium incestuosum 2. ad Cor. 2. absolutione donavit. *Secundo*, Joannes Evangelista (teste Eusebio hist. l. 7.) pacem quoque dedit adolescenti, qui mox a baptismate latrociniis ac cædibus totum se dederat. *Tertio*, Canones Apostolici (ut videre est in sexagesimo secundo) reconciliationem idololatris, homicidis ac mœchis indulgent.

CONCL. 2. Paullo post medium secundum sæculum, Ecclesia, saltem in aliquibus locis negavit absolutionem idololatris, homicidis, mœchis, aliisque ejusmodi flagitiosis hominibus, etiam in exitu positis, licet sani pœnitentiæ laboribus perfuncti fuissent.

Probatur. 1. Tertullianus lib. de Pudicitia, c. 5. arguit Zephirinum Papam, quod cum pacem idololatris ac homicidis, etiam pœnitentia functis, negaret, eam tamen concederet mœchis. *Pontifex Maximus* (inquit) *Episcopus episcoporum dixit: Ego mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. 2. Concilium Eliberitanum, quod Cypriani tempora multis annis præcessit, canone 1. vetat, ne in idololatriam lapsi, in ipso etiam vitæ exitu, absolvantur. Delatores, lenones, rei duplicis adulterii, eadem pœna mulctantur aliquot aliis ejusdem concilii canonibus. 3. Petavius in suis notis ad Epiphanium, Hæresi 59. vario argumentorum genere probat, lapsis in eadem crimina, propter quæ jam semel damnati fuerant publica pœnitentia, pacem, seu absolutionem datam non fuisse, quamvis enixe eam petiissent, antequam essent redacti ad ultimam vitæ periodum.

Quæres; utrum Ecclesiæ quæ gravissimorum quorumdam criminum reis in ultima vitæ periodo constitutis absolutionem negarunt, in Montanismi, aut Novatianismi suspicionem venerint.

Reg. negative. Ratio est, quia illæ Ecclesiæ cum Montanistis & Novatianis non negabant se a Christo accepisse potestatem omnia omnino scelera, quantumcumque sint immania, vere pœnitentibus remittendi; sed ut ab iis immanibus sceleribus fideles deterrerent, judicarunt, non expedire, ut semper ea potestate uterentur, seu, ut alia in caus-

causa loquitur August. ep. 50. *Id non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ*. Quando autem, quibus in locis, tantus disciplinæ rigor obtinuerit, ac quo præcise tempore desierit, lector pertractatum reperiet in Comment. Histor. a pag. 705. ad pag. 712. primæ editionis.

C A P U T I I I.

De modo formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

Not. Alicujus Sacramenti forma tribus præsertim modis exprimi potest: *Indicativo* nimirum, ut videre est apud Græcos qui hisce verbis: *Baptizatur servus Dei*, baptismum conferunt; *Imperativo*, ut patet his aliis: *Baptizetur servus Dei*, quibus (ut aliquibus scholasticis placet) nonnulli apud eosdem Græcos utuntur; & tandem *Deprecativo*, ut constat in forma unctionis extremæ. Igitur quæritur hic, quonam ex iis modis forma sacramenti pœnitentiæ exprimi debeat.

CONCL. 1. Apud Græcos valet absolutio sacramentalis modo deprecativo expressa.

Probatur. Valet pœnitentiæ sacramentum collatum a Græcis, qui Romani Pontificis communione fruuntur: ergo & absolutio modo deprecativo collata; non enim (ut patet ex euchologiis quibus a mille annis & amplius utuntur) aliam inter absolvendum formulam adhibent, quam quæ orationis in modum exprimitur, nec alicujus modi indicativi vestigium in iisdem euchologiis reperire est.

CONCLUSIO 2. Quamvis in quibusdam veteribus Latinorum monumentis absolutio deprecativo modo exprimatur, aliquibus tamen abhinc sæculis non valet, nisi indicative proferatur.

Probatur prior pars ex plerisque Ritualibus, Sacramentariis, ac Canonibus qui ante sæculum duodecimum recensent conferendæ absolutionis ritum; nempe in iis monumentis, ac præsertim in Gregorii Magni Sacramentario, ministris, ut absolvant, præscribitur prolatio quarumdam precum, quæ sacramenti effectum significant; nihil vero in iis legere est, quod indicativum modum sapiat.

Probatur altera conclusionis pars. Concilium Trid. sess. 14. cap. 3. declarat, has preces; *Misereatur &c. Indulgentiam &c.* non esse formam sacramenti pœnitentiæ, licet, secundum substantiam, idem esse videantur cum iis verbis indicativi, *Absolvo te*: non enim minus clare exprimunt peccatorum remissionem, quam pœnitentiæ sacramentum operatur. Atqui id Concilium denegat, quod verba ista: *Misereatur &c. Indulgentiam &c.* deprecativo modo, non autem indicativo, a ministris exprimantur: ergo his temporibus non valet forma sacramenti pœnitentiæ modo deprecativo expressa.

Objicies. Antiquitus valebat forma sacramenti pœnitentiæ modo deprecativo expressa: ergo valet quoque his etiam temporibus.

Resp. dato ant. neg. conseq. Ratio est, quia penes Ecclesiam est immutare formarum, non quidem substantiam, sed modum, quo proferri debeant, atque illum modum apponere tanquam conditionem *Sine qua non*. Nec id mirum est: nempe sacramentorum administratio prudentiæ ac sapientiæ Ecclesiæ commissa est a Christo; Ecclesia vero modum indicativum Latinis sub nullitatis periculo præscripsit, ut in pœnitentiæ forma exprimeretur jurisdictionis actus, quem in absolutionis collatione sacerdotes exercent; ea autem via occurritur hæreticis, qui postea blasphemarunt, absolutionem nihil aliud esse, quam meram remissi per fidem peccati declarationem.

C A P U T I V.

De ministro formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

Not. Quæremus hic 1. utrum soli Episcopi & presbyteri sint ministri formæ sacramenti pœnitentiæ, seu absolutionis: 2. an ad conferendam absolutionem, præter potestatem Ordinis, requiratur jurisdictio: 3. utrum approbatio tum in presbyteris sæcularibus, tum in regularibus necessaria sit.

CONCL. 1. Soli Episcopi & Presbyteri sunt ministri absolutionis sacramentalis.

Probatur. Ii tantum sunt ministri absolutionis sacramentalis, qui pœnitentes possunt a peccatis absolvere; atqui soli Episcopi & Presbyteri possunt pœnitentes absolvere: Nam *Primo*, solos Apostolos, ac proinde eorum in sacerdotio successores, Christus alloquebatur, cum hæc ait, Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Quæ quidem verba de remissione per Ecclesiæ claves conferenda intelligi debere, superius ostensum est. *Secundo*. S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. solis sacerdotibus jus ligandi ac solvendi tribuit: S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, ex eo capite sacerdotalem dignitatem præ qualibet alia temporali commendat, quod cum ista possit corpora aut solvere aut ligare, illa e contra animas & liget & solvat. *Tertio*, Augustinus Epist. 180. quæ est ad Honoratum, damnat sacerdotes, qui tempore persecutionis commissum sibi gregem deserunt, quod iis absentibus non sit minister, a quo pœnitentes absolvi possint. *Quarto* habet Leo Magnus Epistola 82. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus pœnitentiæ actionem darent, & eosdem salubri confessione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Hinc patet,

Con-

Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6. debito anathemate mulctasse Lutheranos, qui potestatem remittendi peccata cuilibet fideli concesserunt. Huc referri possunt omnia Patrum loca, quæ in nostro Commentario Historico, agentes de confessionis necessitate, protulimus.

Objicies. Cyprianus Epist. 13. Alcuinus libro *De divinis Officiis*, *in capite jejunii*, plures etiam canones, Diaconis facultatem faciunt, ut pœnitentes, absente Episcopo & presbytero, in casu necessitatis absolvant: ergo Diaconi sunt ministri, saltem extraordinarii, absolutionis sacramentalis.

Resp. dist. ant. ut absolvant a censuris, conc. ant. a peccatis, neg. ant. Qui mandato Episcopi aut sacerdotis damnati erant pœnitentiæ laboribus, quadam excommunicatione innodati erant, qua efficiebatur, ne ante receptam a censura absolutionem jus haberent ad Ecclesiæ sacramenta: Diaconis facta est potestas pœnitentes, in casu necessitatis, ab ejusmodi excommunicatione solvendi, iisque Eucharistiam dispensandi. Vide quæ superius dicta sunt de ministro confessionis.

CONCLUSIO 2. Ad absolvendum, præter potestatem ordinis, in sacerdote requiritur potestas jurisdictionis.

Probatur. *Primo*, ita definiit Conc. Trid. sess. 14. c. 17. *Secundo*, licet in ordinatione detur presbyteris potestas absolvendi; nulli tamen tunc eis assignantur subditi, in quos potestatem illam exerceant, sed assignantur tantum cum eis datur jurisdictio, aut delegata per approbationem ordinarii, aut ordinaria per collationem beneficii, cui cura animarum incumbit.

Quæres, a quo Episcopo recipi debeat approbatio ad absolvendum requisita in ministro.

Resp. accipi debere ab Episcopo pœnitentis. Ratio est, quia Episcopus pœnitentem alienum suis sacerdotibus subjicere non potest; cum ipse in eum nullam habeat jurisdictionem. Neque tamen hinc sequitur, peregrinos confiteri non posse in aliena diœcesi: nam proprii eorum Episcopi implicite consentiunt, ut in locis, ubi peregrinantur, confiteantur apud eos, quos loci Episcopus approbaverit; nisi tamen peregrinentur in fraudem, ut nimirum facilius in aliena diœcesi, quam in propria, absolutionem extorqueant, & nisi Episcopus declaraverit, pro nullis haberi debere confessiones, quæ apud hos, vel illos alterius diœcesis presbyteros factæ fuerint; ita declaratur Constitutione Clementis Papæ X. quæ incipit *Superna magni*.

CONCL. 3. Omnes ministri, etiam regulares, etiam ex Ordinibus Mendicantium, etiam e Societate Jesu, in administrando fidelibus pœnitentiæ sacramento, pendent ab Episcopis.

Probatur 1. Ex Conc. Trid. quod conclusionem expresse definiit sess. 25. cap. 25. *De reform.* Illud vero Concilii decretum ubique promulgatum est, ac præsertim in Galliis, ut videre est in synodis provincialibus, quæ in eo regno celebrationem Conc. Trid. subsecutæ sunt. Illud Concilii decretum, etiam quoad venialia peccata locum habet: ita enim declaravit sacra Congreg. ejusdem Conc. interpres die 12. Febr. ann. 1679. Non extenditur vero idem decretum ad confessiones a regularibus factas religiosis, quos approbaverint ordinum præpositi superiores, nec ad confessiones sæcularium, qui vere sunt de religiosorum familia; sic enim declaravit Clemens Papa X. Constitutione quæ incipit, *Superna*, edita XI. Kal. Julii ann. 1670. *Ceterum*, (inquit) *in Monasteriis, aut etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos regulares, quam confessores regularium eorumdem monasteriorum, seu collegiorum, audire confessionis illorum sæcularium, qui inibi sunt vere de familia, & continui commensales; non autem illorum qui tantum ipsis deserviunt.*

Probatur 2. auctoritate Summorum Pontificum. *Primo*, Alexander Papa VII. in caussa Episcopi Andegavensis, declaravit, Regulares etiam ex ordinibus Medicantium, semel in una diœcesi approbatos ab uno Episcopo, haberi non debere pro approbatis in alia. Declaravit iterum, Episcopos posse ad tempus restringere approbationes regularium, immo & eas absolute revocare. *Secundo*, Clemens Papa X. Constitutione *Superna magni*, declaravit regulares nec vi suorum privilegiorum, nec vi confessionis absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis, posse absolvere a casibus reservatis Episcopo. *Tertio*, idem Summus Pontifex eadem Constitutione declaravit iterum sacerdotes tum seculares tum regulares generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones Monialium alterius monasterii. Itidemque confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Quæres 1. Utrum Episcopus deputare possit sacerdotem sæcularem pro audiendis confessionibus Monialium, quæ Regularibus sunt subditæ.

Resp. Episcopum id posse 1. cum Regulares juxta Conc. Trid. decretum sess. 25. *De Regularibus*, cap. 10. bis aut ter in anno Mo-

nialibus confessarium extraordinarium non offerunt: 2. id quoque possunt, quoties id earumdem Monialium infirmitas exigit: 3. cum eædem Moniales nulla ratione induci possunt, ut suis confessariis regularibus peccata confiteantur: ita (teste Barbosa p. 2. *de officio & potestate Episcopi*, Allegatione 25. §. 63.) declaravit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum.

Quæres 2. an Parochi possint sibi aut aliis confessarium eligere.

Resp. parochos 1. non posse sibi in confessarium eligere sacerdotem sive sæcularem sive regularem ab Episcopo non approbatum: tum quia Conc. Trid. sess. 25. cap. 25. *De reform.* generaliter definiit, nullum presbyterum, sive sæcularem sive regularem posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo approbationem obtinuerit; tum etiam, quia Alexander Papa VII. die 24. Sept. ann. 1665. hanc propositionem proscripsit: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium, simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Resp. 2. parochos posse sibi in confessarium eligere, quem voluerint ex presbyteris ab Episcopo approbatis. Ratio est, quia parochi intelligi videntur nomine *Superiorum, ac Minorum Prælatorum*, quibus Cap. *Ne pro dilectione*, Extra *De Pœnitentiis & Remissionibus*, fit facultas, ut *prater sui superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere confessarium*. Si tamen parochos ea facultate in sui aut aliorum perniciem abuti constaret, posset Episcopus plures non multum distantes presbyteros assignare, quibus, & non aliis, illi parochi confiterentur: tuncque Episcopus declarare deberet, se pro hujusmodi parochis alios ab assignatis presbyteros non approbare.

Resp. 3. Parochos dare non posse facultatem audiendi confessiones in parochia sua sacerdotibus ab Episcopo non approbatis. Ratio est, quia contraria consuetudo, quæ (ut aliqui volunt) quondam vim legis obtinebat, abrogata est Concilii Trid. decreto, quod incipit, *Quamvis presbyteri*, quodque sæpius hoc in articulo laudatum est.

Quæres, utrum parochi possint extra parochiam, immo & extra diœcesim, suarum ovium confessiones audire.

Resp. affirmative. Ratio est, quia parochus ubicumque versetur, est suorum parochianorum pastor, ac proinde in eos exercere potest jurisdictionem, ubicumque potest exerceri sine strepitu. E contra id non possunt presbyteri simplices, seu qui non sunt parochi, hoc est, extra diœcesim in qua approbati sunt, diœcesanorum confessiones audire non possunt. Ratio est, quia presbyteri, de quibus agitur, delegatam tantum jurisdictionem habent; at delegata jurisdictio non valet extra territorium, pro quo concessa est.

CAPUT V.

De subjecto formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

Not. NEmini dubium est, quin soli fideles, seu baptizati, sint subjectum absolutionis sacramentalis, quæ (ut superius dictum fuit) est forma sacramenti pœnitentiæ; in homines enim qui foris sunt, hoc est, qui nondum sunt baptizati, Ecclesia nullum potest exercere jurisdictionis actum. Sed quæri solet 1. utrum impendenda sit iis, qui inveterata peccandi consuetudine implicati sunt: 2. an iis qui vel semel in grave aliquod aut flagitium aut facinus inciderunt: 3. an iis qui mysteriorum fidei ignorantia laborant: 4. utrum iis qui versantur in occasione peccati: 5. utrum dari debeat absentibus, qui eam per litteras exposcunt: 6. an conferenda sit iis omnibus, qui periculose laborant.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum absolutio impendi debeat consuetudinariis.

Not. NOn est hic quæstio de casu, in quo urget mortis periculum; qua enim ratione pœnitentiæ minister in eo casu sese gerere debeat erga homines, qui implicati sunt peccandi consuetudine, articulo quinto dicetur: sed est quæstio de casu, in quo non urget morale vitæ periculum.

CONCL. Qui lethaliter ex consuetudine peccarunt, *ordinarie* absolvi non debent, nisi prius emendationem operibus probaverint.

Probatur 1. Ii *ordinarie* non debent absolvi, quorum contritio est maxime dubia: atqui contritio eorum qui lethaliter peccarunt ex consuetudine, nec emendationem operibus probaverunt, maxime dubia est: ergo non debent absolvi.

Major propositio constat: nam si minister ordinarie absolveret homines, de quibus agitur, extra casum necessitatis uteretur materia dubia, quippe ex dictis superius, contritio est materia sacramenti pœnitentiæ: non licet autem sacramenti ministro uti materia dubia extra necessitatis casum, quia alioquin sacramentum exponeret nullitati: sic baptismatis minister non potest infantem, qui sanus est, baptizare liquore, de quo dubitatur, utrum sit aqua naturalis.

Minor ejusdem argumenti propositio, in quam vertitur difficultatis cardo, sic ostenditur. Eorum contritio maxime dubia est, de quibus dubium est, an habeant affectum ad peccatum mortale; siquidem contritio illum affectum excludit: atqui maxime dubium est, an ii qui lethaliter peccarunt ex consuetudine, nec operibus emendationem probarunt,

barunt, habeant affectum ad peccatum mortale, immo moraliter certum est illum affectum in eis reperiri: idque subsequentibus momentis demonstrari potest.

Primo, Patres judicarunt, eos qui sæpe in sua scelera relabuntur, non esse vere pœnitentes, sed irrisores: *Irrisor est, & non pœnitens* (inquit Isidorus Hispalensis lib. 2. Sent. cap. 13.) *qui adhuc agit, quod pœnitet, nec Deum videtur poscere subditus, sed subsannare superbus:* Idem docet Augustinus Serm. 66. de Tempore: idem quoque Gregorius Papa VII. lib. 7. Epist. 10.

Secundo, Ideo judicaretur, hominem, de quo est quæstio, liberum esse ab effectu peccati, quod aliquo brevi tempore in externum actum peccati non proruperit: atqui illa ratio nulla est; nam liber non est a febri qui illius æstu brevi cruciandus est, quamvis per aliquod temporis spatium eo non excruciatus fuerit: ergo neque liber est ab affectu peccati, qui (ut solet consuetudinarius) interdum quidem ab ejus actu temperat, sed in ipsum brevi (ut consuevit) relabetur. Voluntas non nocendi proximo in eo vera non est, qui per aliquot quidem dies non est ei detrimento, sed sæpius non multo post illius aut vitæ, aut famæ, aut fortunæ insidiatur: ergo nec sinceră voluntas non peccandi est in eo, qui paucis a confessione diebus, eodem aut altero se crimine sæpius devincit. Lazari mortem ideo dormitionis, non mortis loco Christus habuit, quod brevi, hoc est, quarto post die, e mortuis excitandus esset: ergo a pari vita loco spiritualis vitæ haberi non debet, si intra paucos dies (ut in consuetudinariis contingit) per peccatum amittenda sit.

Probatur iterum conclusio auctoritate Traditionis. Concilium Toletanum III. sub Pelagio Papa II. celebratum, docet, coerceri debere eorum præsumptionem, qui quoties peccare libuerit, toties velint a presbyteris absolvi: *Quoniam* (inquit) *comperimus per quasdam Ecclesias, non secundum canones, sed fœdissime, pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a presbyteris se reconciliari postulent: ideo pro coercenda tam execranda præsumptione, id a sancto Concilio jubetur, ut secundum formam canonum antiquorum detur pœnitentia.*

S. Carolus non minus districte, quam mox laudatum Concilium Toletanum, vetat pœnitentiæ ministris, ne peccandi consuetudine implicatos absolvant ordinarie, antequam contritionem operibus probaverint: *Confessarios* (inquit in Instructionibus de Sacramento Pœnitentiæ) *monitos volumus, ut iis quos peccata non dimissuros probabiliter existimabunt, quantumvis polliceantur ac spondeant ea se dimissuros, absolutionem procrastinent, quoad emendationem perspexerint; nec non iis qui per multos annos in eadem peccata prolapsi erunt, neque operam ullam ad correctionem vitæ contulerint.* Quanti vero sint ponderis (in Galliis præsertim) instructiones a S. Carolo pro confessariis editæ, colligitur ex Cleri Gallicani Comitiis Generalibus, quæ nonnullis abhinc annis præceperunt singulis sacerdotibus, ut eas in administratione sacramenti pœnitentiæ sedulo & accurate executioni mandarent. Idem præceptum quique fere Nostrates Episcopi in suis diœcesibus, editis peculiaribus ea de re statutis, renovarunt.

Innocentius Papa XI. eamdem disciplinam auctoritate Apostolica confirmavit, nempe tanquam perniciosam in praxi, damnavit hanc quorumdam recentiorum Casuistarum propositionem, quam multo ante Gallicani Præsules damnaverant: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem:* Atqui in lapsis de quibus agitur, seu qui, cum sint implicati consuetudine peccandi lethaliter, præviis operibus emendationem non probarunt, nulla spes emendationis apparet; si enim illi probandæ argumento esset illorum sponsio oretenus prolata, ut quid Pontifex Maximus damnasset ministros, qui quemvis lapsum absolvunt, *dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem?*

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Tritum est hoc apud Casuistas recentiores principium: *Pœnitenti in tribunali conscientiæ tam pro se, quam contra se allegandi fides debet adhiberi:* ergo sacramenti pœnitentiæ minister tenetur adhibere fidem pœnitenti, si præsertim cum lacrimis, testetur se peccatum detestari; ac proinde illi debet absolutionem impendere, quamvis emendationem præviis operibus non probaverit.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia illud axioma expresse repugnat Innocentii Papæ XI. decreto quod jam laudatum est; repugnat quoque Instructionibus a S. Carolo editis; repugnat denique toti traditioni, quæ non ad pœnitentis verba, sed ad opera attendit semper, ut de illius sincera conversione judicium ferret: *Confessionis ergo, adde & sponsionis, verba* (inquit Gregorius Magnus in lib. 1. Reg. lib. 6. cap. 15.) *quid sunt aliud nisi folia?*

Instabis. Sacerdos fidem adhibet pœnitenti, dum peccatum a se commissum accusat: ergo debet quoque illi fidem adhibere, cum se vere conversum esse protestatur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia Pœnitens sua scelera certo novit; sic fur certus est de commissis a se latrociniis: e contra nescit, an sincera sit contritio, quam experiri sibi videtur; Nam *primo* plerumque contingit iniquitatem ipsam non displi-

displicere, sed solos effectus qui ex ea sequuntur, cruciatus nimirum apud inferos, frequentes ac importunos conscientiæ stimulos, aliaque id generis. *Secundo*, Morbi spirituales, & præsertim si consuetudine radices egerint, hominis mentes excæcant, juxta celebrem hanc Augustini sententiam: *Lege infatigabili Deus spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*: Mirum igitur non est, quod errent impii in judicio, quod de interna animi sui dispositione ferre præsumunt.

Instabis iterum. Peccatori quantacumque peccandi consuetudine sit implicatus, fides adhibetur, dum in periculo vitæ constitutus, absolutionem exposcit: illi nimirum in eo vitæ periculo, ministri absolutionem aut differre, aut negare non possunt, quin se gravi scelere devinciant: Ergo pariter fides ei debet adhiberi, cum sanus protestatur sibi displicere commissum scelus, quamvis inveterata peccandi consuetudine sit implicatus.

Resp. equidem illo infirmo conferri debere sacramentalem absolutionem: nec tamen illud debitum, quod secundum præsentem Ecclesiæ disciplinam sacerdotibus incumbit, oritur ex eo quod infirmi, de quo agitur, verba, moralem de illius conversione certitudinem pariant; sed ex eo quod in casu urgentis necessitatis uti liceat materia dubia in iis sacramentis, quæ ad salutem necessaria sunt necessitate medii. Confirmatur responsio auctoritate Patrum: iis enim semper multum dubia visa est conversio impii, qui tunc tantum reconciliationem exposcit, cum ad extremas angustias redactus est: *Pœnitentia* (inquit Augustinus Serm. 57. de Tempore) *quæ a morituro tantum petitur, timeo ne & ipsa moriatur*.

Objicies 2. Praxis per quam absolutio prorogatur iis, qui lethaliter peccarunt ex consuetudine, nec emendationis opera confessioni præmiserunt, adversatur exemplo Christi, qui mulierem adulteram & paralyticum mox absolvit. Contraria est pariter Apostolorum exemplo, qui una die multa hominum millia baptizarunt, inter quos haud dubie non pauci erant iniquissimis consuetudinibus implicati: ergo consuetudinarii mox a confessione debent absolvi.

Resp. ad 1. Christum, cum Deus esset, in mulieris adulteræ & hominis paralytici cordibus intuitum fuisse veram animi conversionem, quam ipsemet potentissima sua virtute in eis operatus fuerat: at pœnitentiæ ministri, cum homines sint, non possunt confitentium corda scrutari; ex fructibus ergo, seu operibus, de pœnitentium conversione ferre debent judicium.

Resp. ad 2. miraculosas fuisse conversiones hominum, quos Apostoli baptizarunt: idque miraculi Deus tunc patravit, ut intra breve tempus Christi Ecclesia extremas orbis partes, prout prædictum fuerat, pervaderet: at miracula in exemplum trahi non debent; unde postremis his annis Illustrissimi Præsules Petrus Berytensis, & Franciscus Heliopolitanus, quorum memoria in benedictione erit semper propter innumeros quos Christi sponsæ filios in Tunchini & Cochinchinæ regnis pepererunt, publice editis statutis, compressere quosdam Indiarum Missionarios, qui obvium quemque abluebant, modo baptismum peteret; prohibueruntque, ne quis extra necessitatis casum sacramento regenerationis donaretur, nisi prius, saltem per quadraginta dies, se antiquis peccatis nuntium remisisse, bona conversatione ac pietatis operibus probasset.

Objicies 3. Fieri potest, quod eum qui lethaliter peccavit ex consuetudine, vere pœniteat dum confitetur, quamvis præviis operibus suam emendationem non probaverit: ergo iniquus in eum est minister, qui absolutionem illi non impendit.

Resp. 1. dist. ant. Fieri potest, metaphysice loquendo, conc. ant. moraliter loquendo, neg. ant. Metaphysica rei possibilitas, non est regula cujus minister in administratione sacramenti pœnitentiæ rationem *ordinarie* debeat habere; sed sola possibilitas moralis, seu rei quæ ut plurimum contingit. Confirmatur ex eo, quod si attendatur sola conversionis possibilitas metaphysica, ordinarie conferetur absolutio homini, de quo moraliter certum est, quod eum sceleris non pœniteat: nam certitudo moralis de re aliqua maxime stat cum rei contrariæ possibilitate metaphysica; sic quamvis metaphysice loquendo fieri possit, ut qui grave vulnus in capite passus est, non moriatur; tamen moraliter certum est, quod revera morietur.

Resp. 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia ministro, ut absolutionem impendat, satis non est quod lapsum interius pœniteat, sed requiritur præterea, cum judex sit ac medicus, ut moralem habeat certitudinem de illius pœnitentia: ea autem certitudo, non confitentis sermonibus, sed factis seu præviis pietatis operibus probatur: *Ecclesia* (inquit Ivo Carnotensis epist. 228.) *quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet resuscitatum, nisi de monumento elatum*.

Objicies 4. Varia sequuntur incommoda ex praxi, per quam absolutio iis procrastinatur, qui implicati sunt peccandi consuetudine. *Primo*, præ subito morbo mori possunt impii illi, qui, si absolutione donati fuissent, forte consecuti fuissent justitiam, qua tamen, propter sacramenti defectum, destituti exeunt ex hac vita. *Secundo*, Mulieres quamplurimæ de fama periclitabuntur, si ea die qua palam confitentur, ad sacram synaxim non accedant, aut si benedictionem nuptialem non recipiant in templo, in quod tum sponsi, tum sponsæ consanguinei confluxisse

xisse supponuntur. *Tertio*, nonnunquam prætermittenda foret Paschalis communio; quod tamen vix potest sine aut parochi, aut aliorum scandalo contingere, præsertim iis in domibus, ubi una eademque die toti familiæ consuetum est præcepto de paschali communione facere satis.

Resp. ad *primum*, Deum (ut ostendimus agentes de contritione) in casu necessitatis supplere sacramenti effectum in pœnitente, qui alioquin eo quo par est modo, ad illud recipiendum dispositus est, quique illius receptionem ardenter exoptat. Id ex Ecclesiæ praxi certissimum est, quippe quæ pro pœnitentibus & catechumenis mortuis, antequam sacramentis donarentur, quondam obtulerit & his etiam temporibus offerat tremendum Eucharistiæ sacrificium; ac proinde judicavit eos in gratia decessisse.

Resp. ad *secundum*, periculum famæ, si quod pœnitens, de quo agitur, incurrat, non esse casum necessitatis, in quo quidem uno minister uti potest materia dubia. Monitum tamen hic lectorem volumus, mulieri, de qua agitur, dispensandam esse Eucharistiam, si sacræ mensæ palam accubuerit; ipsi quoque impendi debet benedictio nuptialis, si eam publice petierit. Verum illa mulier sacramenta, tum Eucharistiæ, tum matrimonii, in sui perniciem recipiet, cum e contra sacerdos qui non contulit absolutionem mulieri implicatæ consuetudine peccandi lethaliter, suum munus, ut par est, obierit.

Resp. ad *tertium*, Concilium Lateranense, quo communio Paschalis injungitur, facultatem facere sacerdoti, ut eam in aliud tempus differat, si dilationem saluti pœnitentis expedire judicaverit.

Explicantur nonnulla dubia circa absolutionem consuetudinariis differendam.

Quæres 1. utrum praxis differendi sacramentalem absolutionem, servari debeat erga sacerdotes, ceterosque clericos consuetudine peccandi lethaliter implicatos.

Resp. affirm. tum quod graviora sint Clericorum crimina, quam quæ a laicis perpetrantur: tum quod periculum sit, ne si in casu, de quo agitur, absolvantur, permittanturque dare operam Sacris, innumerorum sacrilegiorum rei efficiantur; tum denique quod omnia argumenta quæ probant, absolutionem differri debere laicis implicatis consuetudine peccandi lethaliter, vim totam habeant suam in Clericis eadem implicatis consuetudine. Quæ vero adversus eam in Clericos, ac præsertim parochos, praxim objici possunt, soluta sunt superius iis locis, ubi actum est de dispositionibus ad Missam celebrandam requisitis.

Quæres 2. utrum eadem praxis in milites ac peregrinos servari debeat.

Resp. ad 1. exigi non debere pravis pietatis opera a militibus, qui in eo loco versantur, in quo cum hoste brevi manus conserere debent: tunc enim minister materia dubia uti potest, ut absolutionem impendat. E contra si milites nondum sint in eo loco in quo pugnaturi sunt cum hostibus, differri debet absolutio, donec ad eum locum aut alium vicinum pervenerint, monerique debent, ut per iter, quod tutum supponitur, temperent a peccatis, & identidem Deum orent, ut contritionis donum obtineant.

Resp. ad 2. peregrinos, qui lethaliter ex consuetudine peccarunt, duplicis esse generis: nonnulli enim longam ac difficilem peregrinationem suscepere, ac toto eo tempore temperarunt a peccatis: alii vero brevem ac facilem. De prioribus certitudo est moralis, quod eos vere pœniteat, ac proinde absque absolutione dimitti non debent in suam patriam: de posterioribus vero non adest illa moralis certitudo, & consequenter, ubi cum caritate ac mansuetudine moniti fuerint non expedire, ut absolvantur, jubendi sunt, ut in patriam reversi, parochum suum, aut alium presbyterum adeant, a quo absolvi poterunt, ubi sufficienti tempore emendationem operibus probaverint.

Quæres 3. ad quod temporis spatium differri debeat absolutio consuetudinariis.

Resp. haberi debere rationem, tum signorum pœnitentiæ, tum temporis quo perduravit peccandi consuetudo, tum necessitatis quæ urget: cum iis circumstantiis proportionem debet habere, aut longior, aut brevior absolutionis dilatio.

Ex iis quæ mox dicta sunt, concluditur 1. Missionarios post aliquot tantum hebdomadas non posse *ordinarie* eos absolvere, qui ab anno v. g. & a fortiori si a pluribus annis implicati sunt consuetudine peccandi lethaliter: sed præscriptis remediis, quibus ad emendationem homines ejusmodi uti possint, debent eos ad parochum, aut alium peritum sacerdotem curandos mittere. Concluditur 2. eos qui inveterata consuetudine peccandi lethaliter implicati sunt, *ordinarie* absolvi non debere, etiam paschatis tempore post quindecim dies, quibus in aliquo, aut monasterio aut seminario, ut supponitur, exercitiis spiritualibus dederint operam; neque enim breve illud tempus proportionem habet cum pravæ consuetudinis diuturnitate. Concluditur denique 3. lapsis in inveteratæ consuetudinis peccata, qui in monasteria se recipiunt, ut mutato habitu, religioni dent nomen, plurimum temporis, antequam absolvantur, concedi debere, tum ut diligentius revolvant abstrusos conscientiæ sinus, tum ut per orationem & religionis exercitia contritionis donum obtineant: nec absolutionem accelerare debet habitus mutatio: mutari nimirum potest, quamvis absolutio

concessa non fuerit; nam religionis habitus signum est pœnitentiæ, non reconciliationis: idem dici debet de laicis, qui in seminaria se conferunt, ut mutato habitu, clero dent nomen.

Quæres 4. utrum mera cessatio a peccato confessario sufficiens præbeat argumentum judicandi sinceram ac veram esse pœnitentis peccandi consuetudine implicati contritionem, ac proinde ipsum, eo quo par est, modo dispositum esse ad recipiendam absolutionem.

Resp. cessationem a peccato esse quidem signum contritionis, sed semper non est sufficiens signum. Ratio est, quia contritio duo dicit, vitæ veteris odium, & propositum novæ: istud reperitur quidem in casu de quo agitur, sed non aliud: nec id mirum est, nam ita aliquis potest esse affectus, ut deinceps nolit in externum criminis actum prorumpere, quamvis non doleat, quod alias in eum proruperit: sic plebeja mulier, quæ per illicitum sui amorem virum nobilem induxit ut cum ea nuberet, potest post contractas nuptias sincere nolle aliquos in illicitum sui amorem pellicere, quamvis non doleat, quod iniqua illa arte maritum sibi alias devinxerit.

Ex eo autem principio concluditur 1. confessarium teneri quidem habere rationem cessationis a peccato, ut absolutionem impendat consuetudinario; sed præterea necesse est, ut sedulo expendat, an per orationem, sensuum mortificationem, eleemosynas, aliaque pietatis opera, dolorem contritioni essentialem a Deo obtinuerit. Concluditur 2. absolvi non debere virum, qui consuetudine se se inebriandi implicatus, conjicitur in carcerem, aut peregrinatur ad loca, in quibus vinum non potest emere, aut laborat morbo, cujus curæ maxime contrarius est vini usus. Is si in carcere, in eo loco, in eo morbo præteritorum criminum veniam a Deo sæpius non postulet, si se cum Dei auxilio ad eorum detestationem non acuat, si non recogitet annos suos in amaritudine animæ suæ, absolutione *ordinarie* donari non potest. Concluditur 3. quid facto opus sit, cum is qui solitus est peccare lethaliter cum aliqua muliere, ne deinceps cum ea peccet, ducit illam in matrimonium; in eo nimirum casu confessarius habere quidem debet rationem periculi iterum peccandi, quod imminet illi homini, si suas cum illa muliere nuptias in multum tempus protrahat, sed mox ut eam in matrimonium ducere statuerit, donandus non est absolutione: quamvis enim illæ nuptiæ probarent hominem illum non habere voluntatem deinceps peccandi, non probant tamen, quod eum vere præteritorum peccatorum pœniteat. Sicut (inquit Gregorius Magnus) ex eo quod quis non scribat, non sequitur eum delere quæ prius scripserat. Et sane si homo de quo agitur, de præteritis peccatis dolere censeatur, *præcise* quod peccati sociam ducat in matrimonium, debet quoque censeri vere pœnitens, si pridie, immo & paucis horis, antequam nuptiæ celebrentur, cum ea muliere lethaliter peccarit: ejusmodi vero judicium ferre, quam absurdum sit, nemo non videt. Igitur vir de quo est quæstio, oportet, ut aliquo tempore (quod quidem, aut longius, aut contractius esse debet ratione imminentis periculi) a peccatis temperet, ac præteritos annos in amaritudine animæ suæ recogitet, antequam absolutio sacramentalis conferatur.

Quæres 5. utrum quolibet post confessionem lapsu probetur, fictam fuisse contritionem hominis, qui mortaliter ex consuetudine peccaverat.

Resp. neg. Ratio est, quia justitia, quantumcumque vera sit, non est inamissibilis; ac proinde peccatum quod confessionem subsecutum est, potest componi cum veritate contritionis quæ præcessit. Dicendum igitur, relapsum probare vanam fuisse pœnitentis conversionem tribus præsertim in casibus: 1. cum pœnitens incidit in peccatum, eo quod præscripta sibi a confessario remedia, licet facilia, neglexerit: 2. cum brevi post confessionem redit ad vomitum. 3. denique cum, non urgente extraordinaria, sed tantum levi & communi externa tentatione, in aliquod peccatum mortale, præsertim externum, relabitur.

Quæres 6. Utrum impius qui ex consuetudine semel in hebdomada peccabat lethaliter, ad absolutionem sufficienter dispositus censeri debeat, si semel tantum in mense in idem, aut simile peccatum labatur.

Resp. negat. quamvis enim vera conversio non excludat quodlibet futurum peccatum, quia non excludit futuram ejusdem voluntatis mutationem; tamen dicit præsentem præteriti peccati dolorem, præsens non peccandi deinceps propositum: at præsens ille dolor, præsens illud propositum, non censentur esse vera, si semel in mense mutentur. Et sane quis mulierem castam dixerit, quæ semel in mense incidit in adulterium? quis temperantem, qui quolibet mense ingurgitat se vino? quis medicus eum hominem judicaret sanum qui semel in mense ita laborat, ut ad extremam usque vitæ periodum reducatur? quis eum servum dixerit fidelem, qui semel in mense ingentem pecuniæ summam hero suo subripit? quis denique princeps fideret subdito, qui semel in mense regnum in hostium manus tradere conaretur?

Dices 1. Rituale Romanum sic habet Titulo, De sacramento pœnitentiæ: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus sollemnibus, confiteantur, & si expediat, communicent.* Unde sic arguitur: Ii sufficienter sunt ad absolutionem dispositi, quibus Rituale Romanum consulit, ut semel in mense confiteantur, & si expediat, communi-

cent:

cent: Atqui id consulit iis qui peccant ex consuetudine; intelliguntur enim eorum nomine, qui (ut ait idem Rituale) in peccata facile relabuntur: ergo, &c.

Sed falsa est major propositio. Ratio est, quia aliud est confiteri, aliud absolvi; illud consulit quidem Rituale, non autem istud; seu docet, utile esse relabentibus in peccatum, confiteri semel in mense: sed non docet, utile esse, ut absolvantur: unde ne nomen quidem absolutionis usurpat. Ratio est 2. quia idem Rituale non dicit absolute, quod sit utile recidentibus in peccata, ut semel in mense communicent, sed tantum conditionate, *Si expediat*: id vero *ordinarie* non expedire, superius ostensum est: an autem expediat *extraordinarie*, Rituale pendere vult ex judicio sacerdotis, qui pro majore vel minore pœnitentis fervore potest (ut jubent Concilia) hominis lapsi communionem aut differre, aut accellerare: præterea potest fieri, ut habita ratione quarumdam circumstantiarum, quæ raro accidunt, expediat pœnitentem, qui intensissimum fervorem per mensem probavit, communicare, & præsertim ubi Confessarius judicat id expedire, ut cautius futura peccata vitentur: verum quæ extraordinarie accidunt, in communem praxim, de qua est hic quæstio, trahi minime debent.

Dices 2. Idem Rituale innuere videtur, festi sollemnitatem rationem esse quæ Confessarium movere debet, ut cum absolutionem sacramentalem, tum communionem iis concedat, qui in peccata sua facile relabuntur.

Verum falso (ut ex mox dictis patet) id asseritur: neque id Rituale potuisset innuere, salva doctrina Patrum; inter quos sic loquitur Chrysost. hom. 3. in cap. 1. epist. ad Ephesios: *Neque enim Quadragesima, neque Epiphaniæ dies nobis conferunt, ut digne accedamus; sed integritas atque innocentia: hac si adsit, semper accedito: si absit, nunquam.*

Quæres 7. utrum conversus censeri debeat, qui ad judicium viri prudentis, multo tempore temperat quidem a peccatis, in quæ solitus erat incidere, sed incidit in aliud diversæ speciei.

Resp. neg. Ratio est, quia impius, ut vere conversus sit, debet detestari peccatum prout est offensa Dei: ergo cum offensa Dei in omnibus peccatis, cujuscumque sint speciei, reperiatur, impius non censetur detestari unum peccatum, quin alia omnia simul detestetur; nec censendus est habere propositum non peccandi, si illud propositum ad omnia omnino peccata non se extendat: sed in eo casu habenda erit ratio remissæ aut intensæ exterioris tentationis, ex qua pœnitens in aliud peccatum inciderit.

Quæres 8. utrum iterari debeant confessiones, quas peccandi consuetudine implicatus ediderit, quasque absolutio semper subsecuta fuerit.

Resp. eas *ordinarie* iterari debere. Ratio est, quia absolutionibus quæ confessiones ejusmodi subsecutæ sunt, dimissa non fuere pœnitentis peccata: neque enim valet forma cui debita materia subjecta non fuerit, ut revera subjecta non est in casu de quo agitur, cum nulla (ut ex factis conjicitur) adfuerit contritio. Præterea, tantum abest, ut pœnitens ille peccatorum remissionem consecutus sit, quin potius factus sit reus multorum sacrilegiorum, quippe qui indigne se subjecerit sacramento, ac proinde culpabiliter illud irritum reddiderit: unde in alia confessione præteritas illas absolutiones tanquam sacrilegia accusare necesse est. De absolutione consuetudinariis differenda vide tom. 11. secundæ edit. libri cui titulus, *Amor pœnitens*: vide etiam Instruct. S. Caroli, Rituale Parisiense, nec non Comment. Hist. *De Sacramentis*, a pag. 743. ad p. 757. primæ ed.

ARTICULUS II.

Utrum absolutio statim conferri debeat iis qui vel semel in aliquod grave crimen lapsi sunt.

Not. QUI in aliquod exterius grave crimen semel lapsi sunt, vel debitum, ad judicium viri prudentis, tempus impenderunt ad obtinendam a Deo contritionem, vel non impenderunt: de utrorumque absolutione hoc in articulo dicendum incumbit.

CONCL. 1. Rei gravium scelerum, etiam externorum, statim post confessionem absolvi possunt, si debitum, ad judicium viri prudentis, tempus ad obtinendam contritionem impenderint.

Probatur. Si impii, de quibus agitur in conclusione, absolvi non possent, id contingeret, aut defectu contritionis requisitæ, aut defectu satisfactionis Deo debitæ, atqui ex neutro capite repugnat eos absolvi; Non ex priore, quia sacerdos ex tempore quod impensum fuerit ad contritionem obtinendam, quo reus vacarit pietatis operibus, moraliter erit certus de hominis illius contritione. Non etiam ex altero: neque enim satisfactio in re exhibita, necessario, secundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam, debet, ut superius dictum est, absolutionem præcedere.

CONCL. 2. Qui vel semel, & a fortiori, si iterato in externum grave scelus lapsi sunt, idololatriam, v. g. perjurium, homicidium, adulterium, sodomiam, aliaque libidinis monstra, statim post confessionem absolvi non debent *ordinarie*, si debito tempore, ad viri prudentis judicium, oratione, aliisque pietatis operibus contritionem obtinere non curaverint.

Pro-

Probatur 1. Ut minister reum absolvat, debet esse moraliter certus de illius contritione, cum (ut jam sæpius dictum est) extra casum necessitatis ei non liceat uti materia dubia: atqui in casu de quo agitur, minister non est moraliter certus de rei contritione: nempe nullum est illius moralis certitudinis fundamentum. Non quidem verba, quibus reus protestatur se peccatum detestari: *Signum veræ conversionis* (inquit Gregor. Magnus l. 6. c. 15. in lib. 1. Reg.) *non est in ore confessionis, sed in affectione pœnitentiæ... Confessionis verba quid sunt aliud, nisi folia?* Non etiam opera, quia, ut supponitur, reus, de quo est quæstio, illis ante confessionem non vacavit.

Probatur 2. Tantum abest, ut in casu proposito sit fundamentum certitudinis moralis, quæ ad conferendam absolutionem ex parte ministri requiritur, quin potius sit fundamentum contrariæ certitudinis. Nam, tum Scriptura, tum Patres docent, 1. Deum brevi tempore non esse solitum convertere lapsum in atrocia scelera: docent 2. Deum inertibus hominibus, & cum perseverantia non orantibus, plerumque non conferre efficax auxilium, quod ad contritionem est necessarium, quod nec omnibus datur, nec alicui debetur: docent 3. ministros qui in conferenda absolutione ad ea principia non attendunt, & sibi & lapsis nocere quam maxime: *Si quis* (ait Cypr. lib. *de Lapsis*, de iis agens, qui non tantum ex consuetudine, aut iterato, sed vel semel, gravi crimine se commacularunt) *præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere, dans scilicet pacem nondum pœnitentia* (ea nimirum quæ ante absolutionem agi debet, seu per quam obtineatur conversionis donum) *perfunctis, non tantum nihil prodest, sed & obest lapsis: provocâsse est iram, non servasse sententiam; nec misericordiam Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facultate præsumere.*

Objicies 1. Vir qui in adulterium, fornicationem, vel in aliud æquale, aut gravius peccatum vel semel incidit, ordinarie quidem non debet absolvi, si ex sui criminis actu, nullaque interposita mora, prosiliat ad sacerdotis pedes: e contra vero videtur, quod absolvi debeat is qui a multis diebus lapsus est, sed præ negotiis non licuit de Deo cogitare, modo aliquibus ante confessionem horis scrutatus sit conscientiam, ac veniam a Deo poposcerit: nempe intra breve illud tempus Deus potest ei donum contritionis elargiri: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est 1. quia alienum est a doctrina Patrum, quod Deus per aliquot tantum horas segniter (ut a reis, de quibus agitur, fieri solet) orantibus, donum contritionis *ordinarie* largiatur. 2. Si Deus tam cito cor flagitiosorum illorum hominum converteret, cur Scriptura doceret arctam esse viam quæ ducit ad vitam, & paucos esse admodum qui eam inveniant? cur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 12. assereret secundam justificationem quæ fit per sacramentum pœnitentiæ, difficiliorem esse prima quæ fit in baptismate? cur SS. Patres tanto tempore probassent vel semel in flagitia lapsos, antequam eis absolutionem impertirentur?

Objicies 2. ex S. August. Enchiridii c. 65. in conversione peccatoris, *non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.* Ergo non est opus ut minister, ad conferendam absolutionem homini qui semel, vel aliquoties, in grave flagitium incidit, expendat, an a commisso illo flagitio, aliquandiu ante confessionem orationi ac pietatis operibus vacavit.

Resp. 1. Illud argumentum, si valeat, nimis probare: nempe probat, non ei tantum qui aliquoties in grave scelus lapsus est, statim post confessionem conferri debere absolutionem, sed etiam ei qui ex inveterata consuetudine peccarit: Non enim (inquiet is qui pro illo consuetudinario stabit) tam consideranda est mensura temporis, quam doloris; atque adeo si cum lacrimis protestetur se deinceps a peccato temperaturum, statim post confessionem absolvi debebit.

Resp. 2. dist. ant. Non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris in iis, qui proportionatam peccatis pœnitentiam egerunt, conc. ant. in iis, qui eam non egerunt, neg. ant. S. Augustinus de prioribus agit, non autem de posterioribus, seu docet & pœnitentes, qui sibi ab Ecclesia præfixas pœnitentiæ stationes decurrerunt, & ministros, quibus concessa est absolvendi potestas, non tam debere considerare mensuram temporis, quam doloris; seu nec illos ut reconciliationem sperent, nec istos ut eam conferant, debere habere rationem temporis, quantumcumque diuturnum fuerit, si segniter & cum ignavia fuerit impensum pœnitentiæ, cum Deus ipse non attendat ad externam pœnitentiæ durationem, si cor pœnitentis contritum non fuerit. Patet autem ea solutio ex ipso Augustini textu, qui sic habet: *Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est*, AGENTIBUS POENITENTIAM SECUNDUM MODUM SUI CUJUSQUE PECCATI. *In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est, ut is qui commisit, a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris: cor enim contritum & humiliatum non spernit.*

Objicies 3. Conclusio, qua asseritur, in flagitia aut facinora, aut graviora externa de-

lecta

lera vel semel lapsos, & a fortiori si (ut ajunt) recidivi sint, absolvi non debere, nisi per aliquod tempus, ad judicium viri prudentis, contritionem oratione, ac aliis pietatis operibus obtinere curaverint, adversatur decreto, quod die 23. Aprilis ann. 1667. Reverendissimi Belgarum Episcopi Bruxellis in Congregatione, cui præerat Illustriss. Archiepiscopus Mechliniensis, promulgarunt: sic enim illud decretum habet artic. IV. *Neque a quibusvis peccatoribus gravibus, etiam recidivis, stata lege* (confessarius) *exigat; ut per notabile tempus prævie exercuerint opera pœnitentiæ:* ergo &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia dici potest 1. laudatos Præsules per hæc verba, *Opera pœnitentiæ*, intellexisse opera satisfactoria, non autem contritionis impetratoria: hoc est, prohibuerunt, ne confessarius statâ lege exigat, ut gravium peccatorum rei satisfactionem adimpleant, antequam absolvantur; & in hoc executioni mandari voluerunt decretum Alexandri Papæ VIII. a quo in eum sensum proscripta est hæc propositio: *Per istam praxim mox* (hoc est, non impleta satisfactione) *absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus*. Dici potest 2. per hæc alia verba, *Notabile tempus*, eos intellexisse tempus, quod sua diuturnitate aliquo modo referat tempus, quod antiqui canones inter peccatum & absolutionem medium esse voluerunt. Unde laudatorum Episcoporum scopus fuit, damnare confessarios, qui veteres canones quoad externam, quæ multis abhinc sæculis non viget, disciplinam ad praxim necessario reducendos esse contenderunt. Dici potest 3. hæc verba, *Quibusvis peccatoribus*, esse generalia & complecti omnes omnino gravium scelerum reos; ac proinde eos etiam, qui in vitæ periculo versantur: hoc est, Illustrissimi Belgarum Episcopi vetarunt confessariis, ne a *quibusvis* sive de vita periclitantibus, sive non periclitantibus, exigant, ut per notabile tempus prævia exercuerint opera pœnitentiæ: sic autem intellecta regula, de qua agitur, certissima est, cum nemini qui in extremis sacramentum exposcat, absolutio aut negari aut differri debeat, cujuscumque sceleris reus sit, & quantumcumque dubia sit illius contritio.

Confirmatur responsio 1. ex eo, quod Illustrissimi Præsules profiteantur se per suum decretum circa administrationem sacramenti pœnitentiæ velle exequi mandatum Innocentii Papæ XII. *Juxta* (inquiunt) *ejusdem Sanctissimi Domini nostri mandatum advigilantes unanimiter constituimus*: sic autem habet illud mandatum in ejusdem Innocentii ad Episcopos Belgas litteris datis Romæ die 24. Novembris ann. 1696. *Quod pertinet ad pendentes controversias circa administrationem sacramentorum, donec aliquid specialius decernatur, ab iisdem Episcopis advigilandum est, ut juxta Sanctiones Canonicas, Statuta Conciliorum, & praxim Ecclesiæ administrentur, habita casuum atque eorum circumstantiarum ratione*. At si laudati Præsules suo Decreto jussissent, ut in flagitia, facinora, aliaque atrocia scelera lapsi absolverentur, quamvis debito tempore, ad viri prudentis judicium oratione aliisque pietatis operibus contritionem obtinere non curaverint, expresse (quod dictu nefas est) contradixissent *Sanctionibus, Canonibus, Statutis Conciliorum, & praxi Ecclesiæ*: siquidem eæ Sanctiones Canonicæ, ea Conciliorum Statuta, ipsa Ecclesiæ praxis expresse præscribunt, ut flagitiosi, ac facinorosi homines, præsertim si sint recidivi, aliquandiu probentur, antequam donentur absolutione: Eæ vero Sanctiones, ea Statuta, quoad illud caput, nullo unquam, qui proferri possit, canone, nulla Ecclesiæ praxi, quæ in probatis ritualibus, ac Conciliis Provincialibus eluceat, abrogata sunt: immo nec abrogari possunt, cum jure divino sacerdotes teneantur cavere, ne Sanctum canibus largiantur, idque cavere non possint, nisi aliquandiu, ad judicium viri prudentis, extra necessitatis casum probaverint graves peccatores, ac præsertim recidivos, quamvis nondum peccandi consuetudinem contraxerint.

Confirmatur 2. eadem responsio ex officio medici, quo sacerdos in confessione fungitur. Medicus corporis non solet remedia ægrotis applicare statim ubi ægrotus suum illi vulnus detexerit; expectat ordinarie, donec illius vulnus ad maturitatem remediis idoneam pervenerit: ergo a pari medicus spiritualis, si necessitas non urgeat, non confert absolutionis remedium hominibus in atrocia crimina lapsis, nisi aliquandiu probarit an illud remedium eis prodesse possit. Non potest in alicujus mentem venire, quod Illustrissimi Belgarum Episcopi, qui sui Decreti initio protestantur velle se Canonicis Sanctionibus inhærere, voluerint in regula, de qua agitur, ab illo principio recedere, cum sit Patrum, & in primis Ambrosii, qui in Psalmum 37. sic loquitur: *Medicus medendi tempus expectat, ut digestis ægritudinibus, medicinæ subsidia deferantur: ne acerba adhuc & immatura, ut asserunt, ægritudo, curationis remediis reluctetur, & beneficium sentire non possit.*

Instabis. Laudati Belgarum Præsules in suo Decreto testantur se regulas circa pœnitentiæ administrationem statuere, quæ conformes sint Ecclesiæ praxi, idque juxta Breve Innocentii Papæ XII. quo jubetur, ut sacramenta administrentur *juxta Ecclesiæ praxim*: Atqui praxis Ecclesiæ fert, ut hominibus in atrocia scelera lapsis, immo recidivis, mox a confessione conferatur absolutio: ergo ea quoque fuit mens Belgarum Episcoporum.

Resp.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia praxis Ecclesiæ aliena non est a Sanctionibus Canonicis, & Statutis Conciliorum; eam enim Innocentius XII. in suo Brevi cum eis conjunxit: *Juxta* (inquit) *Sanctiones Canonicas, Statuta Conciliorum, & praxim Ecclesiæ administrentur*. Eam pariter Belgarum Episcopi conjungunt, immo asserunt, eam ab illis non discrepare: *Considerantes* (inquiunt in suo Decreto) *Ecclesiæ praxim, quæ nusquam a sacris Canonibus discrepat*. Atqui Sanctiones Canonicæ, Statuta Conciliorum, sacri Canones nusquam edixerunt, lapsos, de quibus agitur, mox a confessione *ordinarie* absolvi debere: immo definiere contrarium, ut patet ex iis, quæ superius dicta sunt.

Si quis adversus datas a nobis solutiones vim faciat in quibusdam Decreti verbis, fatendum erit, Decretum plura continere tum in articulo, de quo agitur, tum in secundo, tertio & quinto, quæ propter nonnullos terminos indefinitos, universales, æquivocos, indigeant limitationibus, exceptionibus, quæ reperiuntur in Sanctionibus Canonicis, Statutis Conciliorum, Ecclesiæ praxi, a quibus Illustrissimi Belgarum Episcopi noluerunt (ut aperte profitentur) discedere. Humiliter igitur (ut nobis videtur) iidem Illustrissimi Præsules supplicandi essent, ut eas limitationes, exceptiones, explicationes (licet in Decreto subintellectas, cum relativum sit ad Sanctiones Canonicas, Statuta Conciliorum, & Ecclesiæ praxim) promulgare dignarentur, ne ii, quos Sanctiones Canonicæ, Statuta Conciliorum, Ecclesiæ praxis fugiunt, Decreto contra sensum ab Illustrissimis Præsulibus intentum abutantur. Plures ex iis limitationibus, exceptionibus, explicationibus tradidimus iis locis, ubi egimus de necessitate doloris concepti ex inchoata Dei caritate super omnia; de integritate ac secreto confessionis; de debito, quod nonnunquam incumbit Confessario, ut obliget pœnitentem ad deferendum complicem ad superiores; v. gr. ut Bulla *contra sollicitantes* Gregorii Papæ XV. executioni mandetur.

ARTICULUS III.

Utrum absolutio conferri debeat iis, qui mysteriorum fidei ignorantia laborant.

Not. MYsteria fidei sunt duplicis generis: Nonnullorum cognitio explicita est ad salutem necessaria necessitate medii; aliorum vero cognitio explicita non est quidem necessaria necessitate medii, sed præcepti tantum.

CONCLUSIO I. Absolutio non debet iis impendi, qui laborant ignorantia mysteriorum, quorum explicita fides est ad salutem necessaria necessitate medii.

Probatur. Absolutio non debet iis impendi, qui salutis sunt incapaces: siquidem, cum via dicat ordinem ad terminum, eis inutilis est via, qui ad terminum pervenire non possunt: atqui homines, de quibus agitur in conclusione, salutis sunt incapaces; nempe ideo ii, qui baptizari non possunt, salutis sunt incapaces, quod baptismus sit ad salutem necessarius necessitate medii; ergo, &c. Hinc autem concluditur, eum absolvi non posse, qui explicitam non habet cognitionem, seu fidem mysteriorum SS. Trinitatis, & Incarnationis; eorum enim mysteriorum explicita fides ad salutem necessaria est necessitate medii.

Confirmatur argumentum auctoritate Innocentii Papæ XI. a quo proscriptæ fuerunt duæ subsequentes propositiones: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.*

Objicies. Nonnulli sunt senes, qui obliti mysteriorum Trinitatis ac Incarnationis, ex præ ætatis infirmitate rursus discere non possunt: atqui senes illi debent absolvi: ergo falso asseritur, absolutionem iis impendi non debere, qui laborant ignorantia mysteriorum, quorum fides explicita est ad salutem necessaria necessitate medii.

Resp. argumentum esse de non supponente: nam vel illi senes sua ratione fruuntur, vel ea non fruuntur. Si primum, paullo ante absolutionem doceri possunt mysteria, de quibus agitur; nec requiritur, ut memoriter ea reddant, sed satis est, ut dicant se ea credere, ubi confessarius ipsis ea per interrogationem hac aut alia ratione proposuerit: *Credis tres esse personas in SS. Trinitate? Credis Verbum factum fuisse hominem? Credis Christum pro hominibus mortuum esse?* Si secundum, seu si senes illi sua ratione non fruantur, absolvi poterunt in mortis articulo, eorum adinstar, qui ubi sacerdotem advocarunt, rationis usum præ subito morbo, quo corripiuntur, amittunt.

CONCL. 2. Absolutio non debet iis impendi, qui laborant ignorantia rerum, quarum cognitio est necessaria necessitate præcepti.

Probatur. Absolutio iis non debet impendi, qui habent affectum ad peccatum lethale; nam contritio quæ necessario præsupponitur absolutioni, dicit essentialiter propositum non peccandi de cetero: Sed qui laborant ignorantia rerum, quarum cognitio est necessaria necessitate præcepti, habent affectum ad peccatum lethale; nempe saltem implicite, nolunt (ut supponitur) facere satis mandato, quo rerum illarum cognitio præcipitur.

Con-

Confirmatur argumentum auctoritate Ritualis Pariensis, jussu Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Ludovici Antonii de Noailles editi: *Moneant* (inquit pag. 93.) *frequenter Parochi suos parochianos, accedentes ad sacramentum pœnitentiæ cum hac ignorantia fidei nostræ rudimentorum, omnino imperatos esse ac indispositos ad absolutionem consequendam, atque adeo confessiones esse invalidas.*

Quæres 1. Quænam sint, quæ quisque necessitate præcepti scire tenetur.

Resp. quæstionem illam solutam fuisse in tractatu de Fide, ubi ostendimus 1. unumquemque divino præcepto teneri scire quoad substantiam symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, & Decalogum. Ostendimus 2. quemque fidelem præcepto Ecclesiastico teneri, quæ mox dicta sunt, scire memoriter. Addendum est hic teneri etiam quemque scire ea, quæ pertinent ad specialem vitæ statum, quem profitetur: ita S. Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 2.

Quæres 2. an pœnitentes, qui laborant ignorantia rerum, de quibus agitur in præcedenti quæsito, semper sine absolutione dimitti debeat.

Resp. 1. eos sine absolutione dimitti non debere in casu necessitatis: 2. nec cum præ mentis hebetudine capita, de quibus est quæstio, memoriæ commendare non possunt; 3. nec cum in ipso pœnitentiæ tribunali ea doceri possunt a confessario: 4. si ea sciant quoad substantiam, licet non ex ordine, prima, & altera vice, non autem tertia, si in vitæ periculo non versentur, absolvi possunt. Vide instructiones S. Caroli.

ARTICULUS IV.

Utrum absolutio debeat iis impendi, qui in occasione peccati versantur.

Not. Occasio peccati definitur id omne, quod potest esse moralis illius caussa. A S. Carolo in Instructionibus pro Confessariis, dividitur in occasionem *per se* & in occasionem *per accidens*. Prior est ea, quæ ex natura sua semper, aut fere semper ad peccatum inducit, aut quæ supposita hominum corruptione, ex se nata est ad caussandum peccatum, quamvis actu peccatum ex illa non sequatur. Posterior autem est ea, quæ ad peccatum ex se ipsa non inducit quidem, sed tantum habita ratione indispositionis, seu corruptionis specialis, quæ in nonnullis hominibus reperitur.

CONCLUSIO 1. Qui in occasione *per se* peccati versantur, absolvi non debent, nisi prius actu ab ea discesserint.

Probatur 1. Absolvi non debent, qui non habent propositum non peccandi de cetero: Sed qui voluntarie versantur in occasione *per se* peccati, non habent propositum non peccandi de cetero; immo habent efficax peccandi propositum; qui enim vult peccati caussam, ut est occasio *per se*, censetur velle ipsummet peccatum. 2. Ii non debent absolvi, qui actu peccant contra jus naturale: Sed qui voluntarie versantur in occasione *per se* peccati, actu peccant contra jus naturale: nimirum homines jure naturali, hoc est, ex vi præcepti caritatis quam sibi debent, tenentur ab occasione peccandi discedere; qui enim amat periculum, peribit in illo. 3. Innocentius Papa XI. hanc propositionem damnavit: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito quærit, & ei se ingerit.* 4. Idem præscribit S. Carolus in Instructionibus pro Confessariis: *Si ipsa occasio* (inquit) *talis sit, quæ tum etiam reipsa existat, veluti quod concubinam alit, vel quid hujusmodi, Confessarius eum absolvere non debet, nisi prius illam occasionem prorsus abscindat.*

Objicies. Domus, societas, quæ *per se* sunt occasio peccandi, nonnunquam dimitti non possunt sine gravi detrimento tum famæ, tum facultatum, ut patet in famula aut alia muliere qua quis ad peccandum abutitur: ergo saltem in eo casu, non est necesse ut occasio *per se* peccati deseratur, antequam minister absolutionem impendat; sed satis esse videtur, ut pœnitens polliceatur se ab ea discessurum, ubi id sine famæ aut bonorum detrimento fieri poterit.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia cuique eligenda est omnium bonorum jactura, ne salutis detrimentum patiatur: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te*, hoc est, si sit ruinæ & perditionis occasio, *abscinde eum & projice abs te... Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te. Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis:* In eam sententiam, quæ est ipsiusmet Christi, Matth. 18. hæc habet Chrysost. hom. 17. in Matth. *Et si tantum aliquem diligat, ut eo dextri oculi utaris vice, aut ita tibi quempiam esse utilem putes, ut eum dextra manus ducas loco, & hi animæ tuæ fortassis incommodent, etiam ipsos a te abscinde. Et quidem vim sermonis observa. Non enim dixit, A talium societate discede, sed maximam separationem indicans, Erue* (inquit) *& projice abs te.*

Quæres 1. quænam sint species occasionum, quæ *per se* ad peccatum inducunt.

Respondet his verbis S. Carolus in Instructionibus pro Confessariis: *Inter occasiones primi generis* (seu, per se) *hæc merito censeri possunt: Aleatorium omnem ludum profiteri; aleatores domi suæ recipere; cum ea vel cum eo habitare, vel in sua habere potestate, quicum soleat Deum offendere; sive aliam quamlibet ob caussam perseverare in*

eadem conversatione, colloquiis, aspectibus mutuis, similibusque aliis incentivis libidinis.

Quæres 2. num pœnitentiæ minister eadem prorsus ratione sese gerere debeat in omnes, qui in occasione *per se* peccati versantur.

Resp. negative. Si enim carnalis copula habita fuerit, lapsi discedant oportet, antequam absolvantur. Si vero nutus tantum, aut aspectus impudici, absolvi vult S. Carolus, modo tamen per multum tempus ab iis actibus temperaverint, & modo in aliis confessionibus eos actus non accusaverint, seu, modo jam alias in ejusmodi peccata lapsi non fuerint.

CONCL. 2. Qui versantur in occasionibus, quæ *per accidens* sunt caussa peccati mortalis, debent aliquandiu probari, antequam absolvantur: Probati vero, si a peccatis non temperaverint, absolvi non possunt, nisi illas occasiones actu deseruerint.

Probatur prior pars. Adhibitis quibusdam cautionibus ac remediis, oratione v. g. eleemosyna, advocatus a caussarum iniquarum patrocinio abstinere potest, nec non mercator ab usuris, fraudibus, & perjuriis, quibus ars, quam profitetur, præbet occasionem.

Probatur altera pars. Pœnitentiæ minister non habet moralem certitudinem, quod ii non peccaturi sint, qui revera (ut jam alias spoponderant) in occasionibus, de quibus agitur, a peccatis non temperarunt. Unde tunc circa lapsos hujusmodi sacerdos eodem modo debet se gerere, quo in eos qui in occasione *per se* peccati versantur.

Quæres 1. an sit aliquod discrimen inter occasiones *per se*, & eas, quas scholastici *proximas* vocant: item inter occasiones *per accidens*, & occasiones *remotas*.

Resp. 1. occasionem *per se* esse semper *proximam* respectu quarumcumque personarum. Ratio est, quia occasio proxima non est ea solum, in qua quis constitutus ordinarie peccat actu, sed etiam ea, quæ ex natura sua, supposita, ut est, hominum corruptione, ex se nata est ad caussandum peccatum, quamvis actu ex illa occasione peccatum non sequatur. Resp. 2. occasionem *per accidens* esse semper occasionem *proximam* respectu earum personarum, quæ adhibitis etiam remediis, ac cautionibus, expertæ sunt se in illis occasionibus, per accidens, a peccatis non temperare.

Quæres 2. qua ratione minister sese gerere debeat erga pœnitentes, quibus non est liberum discedere ab occasionibus quæ *per accidens* eis sunt peccati caussa, v. g. erga mulierem cui maritus, aut filii sunt *per accidens* peccatorum mortalium caussa.

Resp. sacerdotem in eo, aliisque similibus casibus, non posse quidem injungere secessionem ab occasionibus. Verum tenetur *ordinarie* absolutionem procrastinare; donec per congrua pietatis opera, per usum remediorum, quæ præscripta fuerint, per cessationem a peccatis, pœnitens suæ conversionis veritatem probaverit.

Quæres 3. quæ disciplina servari debeat erga viros ac mulieres, qui comedias, spectacula, vulgo *Opera*, choreas, vulgo *Bals*, aliosque hujusmodi mundanos conventus adeunt.

Respondet Sanctus Carolus in instructionibus, viros illos ac mulieres cogi debere ad promittendum, se conventibus hujusmodi nuntium remissuros. Si vero jam antè polliciti fuerint, nec tamen suis steterint promissis, non debent absolvi a confessario, nisi prius per aliquod tempus, ad judicium viri prudentis, ab iis omnibus cœtibus temperaverint. Ratio est, quia licet comœdiæ, choreæ, opera, aliaque ejusmodi spectacula non sint per se & intrinsece peccata, sicut sunt odium Dei v. g. aut perjurium; tamen sunt *ex se & intrinsece* mala, sicut concupiscentia, quæ licet in se non sit peccatum, per se tamen ad peccatum inclinat. Ratio est, quia spectacula, de quibus agitur, *per se & ex natura sua* homines, ut jam post primi parentis peccatum corrupti sunt, inclinant ad peccatum; excitant nimirum, acuunt passiones aut impudicitiæ, aut vindictæ, aut ambitionis, aliasque ejusmodi libidines, quæ per se malæ sunt.

Nec obest, quod nonnulli homines, alioquin fide digni, nonnullæ mulieres, quæ probitatis speciem præferunt, caussantur, se nimirum in cœtibus, de quibus agitur, nec veniale quidem, saltem quod noverint, peccatum commisisse.

Non obest (inquam); nam 1. ceteris sunt scandalo, nempe cum ii, qui pro viris frugi apud populum habentur, eo se conferunt, innumeri alii qui mundum diligunt, putant licere sibi quod illi factitant. 2. Mundi amor, quem illi cœtus generant, in animam sensim ac sine sensu obrepit, ac proinde innoxii non sunt, ut sibi videntur, illi homines, quorum alioquin mores populus probat. 3. Propensio ad malum, quæ in illis cœtibus hauritur, quamvis altissimas in corde radices agat, statim non se prodit exterius, nonnunquam tanquam ignis sub cinere latitat, qui tamen occasione data ingens parit incendium.

Ex iis autem evidenter patet, qua ratione confessarius sese gerere debeat erga matronas quasdam, quæ in eos mundanos cœtus filias suas ducunt, ut (inquiunt) mundi agendi morem doceantur, sicque facilius maritos inveniant. Quasi vero id puellæ doceri debeant, cui sollemniter abrenuntiarunt in baptismate; quasi vero Christiani vanissimis iis rebus, quibus excitatur ac nutritur libido, sese ad matrimonii sacramentum disponere

ponere debeant; quasi vero mulieres, ut fit in spectaculis, discere debeant artem, qua viros suos postea decipiant, ac aliorum oculis placere possint.

Quæres 4. qua ratione confessarius sese gerere debeat 1. erga mulierem conjugatam, quæ a marito jubetur, ut cum eo sese conferat ad spectacula: 2. erga officiales qui principem ad spectacula comitantur, quod eorum munus sit eum, quocumque publice ierit, comitandi.

Resp. 1. casum de muliere conjugata esse metaphysicum: neque enim in praxi aliquem maritum Christianum reperire est, qui uxorem quam expertus fuerit piam, præcepto, minis, aut iniqua alia agendi ratione urgeat, ut sese conferat ad spectacula, quibus scit eam non oblectari; immo quæ certò novit ipsi propter conscientiam horrori esse maximo.

Resp. 2. quod si maritus ejusmodi forte reperiatur, mulierem non posse sistere se præsentem spectaculis, si jam alias illorum occasione peccaverit, aut graves contra castitatem, humilitatem, aliasque virtutes passa fuerit tentationes. Ratio est, quia mulier viro non potest obtemperare cum salutis suæ periculo. Hincque colligitur, confessarium in iis circumstantiis teneri absolutionem negare mulieri, de qua agitur, si non polliceatur se deinceps ab illis mundanis conventibus temperaturam etiam cum pacis domesticæ ac privatæ quietis dispendio.

Resp. 3. mulierem illam, si nec illis mundanis cœtibus unquam peccaverit, nec illorum occasione tentationes passa fuerit, posse obtemperare insipienti ac injusto mariti præcepto; sed in hac tantum circumstantia, nempe, cum, si non obtemperet, pax domestica *non leviter, sed plurimum* turbari debet, estque periculum, ne maritus, cujus propensionem ad malum novit, in illis spectaculis societates ineat, quæ cor illius avocent a casto uxoris amore.

Resp. 4. idem de officiale Principis ferri debere judicium, quod mox de muliere conjugata latum est; seu, si sit vir frugi, nec spectacula ipsi ruinæ caussa fuerint, & non alias, potest illis se præsentem sistere, ut suo politico munere fungatur, quo alioquin (ut supponitur) a Principe spoliaretur. Verum, sive mulier illa, sive officialis, jubendi sunt: 1. ut per orationem præparent animum, ne spectaculis, ad quæ *inviti* se conferunt, corrumpantur: 2. ut dum actu exhibentur spectacula, cogitet (ut vult Salesius) plurimos in inferis torqueri, quod iis spectaculis adfuerint: 3. ut ubi, & quoties se dederit occasio, testentur se damnare ejusmodi cœtus, ac in eos se invitos conferre: 4. ut sensuum mortificatione aliisque pœnitentiæ laboribus redimant, quod impendunt spectaculis tempus. Cum iis cautionibus (si aliunde sint viri frugi) sperare possunt se per Dei auxilium liberandos esse pestilenti aura, cui non libere, sed coacte exponuntur.

Quæres 5. qua ratione tum confessarius, tum parochus sese in administratione pœnitentiæ ac reliquorum sacramentorum gerere debeant circa theatricos, comœdos, aliosque prohibitorum spectaculorum Actores & Actrices.

Resp. 1. hominibus de quo agitur, nullum sacramentum administrari debere, nisi publice eos pœniteat. Ratio est, quia illi homines sunt peccatores publici, atque adeo a quibusvis sacramentis ante publicam satisfactionem repellendi sunt: *Cavendum autem in primis est* (inquit Rituale Parisiense, titulo de Communione infirmorum pag. 73.) *ne* (Eucharistia) *ad indignos cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici usurarii, concubinarii, comœdi, notorie criminosi, nominatim excommunicati, aut denunciati; nisi sese prius sacra confessione purgaverint, & publicæ offensioni, prout de jure, satisfecerint.*

Resp. 2. iisdem hominibus ad extremas angustias redactis, si præ infirmitatis acerbitate, aut propter defectum testium, publicæ satisfactionis signa dare non possunt, absolutionem impendi debere; modo tamen signa, quæ tunc possunt, doloris præbeant, aut, si nulla tunc præbere possint, antea sacerdotem advocarint. Verum, si forte convaleant, parochus eos, licet in extremis illis angustiis absolutos, ad sacramenta, non nisi post publicam satisfactionem, admittere poterit. Parisiis (ut audio) hic mos apud sapientes parochos obtinet, ut si comœdi admitti postulent ad matrimonium, aut ad communionem paschalem, cogantur antea publico coram notariis instrumento, quod parochus in Missa Parochiali evulget postea, polliceri se nunquam iniquæ suæ arti daturos esse operam.

De spectaculis, de quibus pauca hic attigimus, vide Tertullianum libro, quem *de Spectaculis* inscripsit. Vide etiam eximium librum, quem de eodem argumento gallico idiomate conscripsit doctissimus Bossuetus, Episcopus Meldensis. Videri etiam potest Commentarius Historicus de Sacramentis, a pag. 761. ad pag. 768. primæ editionis.

ARTICULUS V.

Utrum absolutio dari debeat absentibus.

Not. STatus quæstionis est, utrum absolutio sacramentalis dari debeat absentibus, qui per litteras confessi sunt. Ut autem clarius difficultas illa pertractetur, quæremus 1. utrum ministro liceat absolutionem absentibus impendere: 2. utrum collata valeat.

CONCLUSIO I. Ministro non licet impendere absolutionem absentibus, qui per litteras confessi sunt.

Probatur. *Primo*: Nullus, non dico ex Pa-

Patribus, sed nec ex Scholasticis ante hoc sæculum asseruit licere ministro conferre sacramentalem absolutionem absentibus: *Secundo* Praxis, de qua est quæstio, speciali decreto prohibita est a Clemente Papa VIII. nec non a Paulo Papa V.

CONCLUSIO 2. Irrita foret absolutio, si daretur absenti.

Probatur 1. Irritum est sacramentum, cujus subjectum, quando forma profertur, non est moraliter præsens; in ea enim suppositione non verificaretur ipsa forma, quæ subjectum per pronomen *Te* designat: atqui absens, seu qui per litteras petit absolutionem, non est moraliter præsens: ergo irrita foret absolutio, si daretur absenti. 2. Si absolutio, de qua est quæstio, valeret, foret, urgente necessitate, licita ob fructum alioquin necessarium, quem ex ea tunc fideles perciperent.

Objicies. Nonnullæ absolutiones absentibus datæ leguntur in veteribus Ecclesiæ monumentis, ut videre est in Synodo quæ Duziaci ad Andegavum anno 872. celebrata est: illius nempe Concilii Patres Robertum Cœnomanensem, absentem licet, jamjam moriturum donarunt absolutione.

Resp. absolutionem illam datam fuisse scriptis non autem aliquorum verborum prolatione; atque adeo non fuit sacramentalis, sed votum quo Patres Duziacenses Roberto Cœnomanensi peccatorum remissionem apprecati sunt.

ARTICULUS VI.

Utrum absolutio infirmis omnibus conferri debeat.

Not. INfirmi quadruplicis sunt generis. Nonnulli absolutionem nusquam petierunt dum sani essent: Alii petierunt quidem, sed ad morbum usque mortaliter ex consuetudine peccarunt: Tertii in infirmitate advocarunt sacerdotem, sed antequam accederet, usum rationis amiserunt: Quarti denique nec in morbo, præ cujus acerbitate rationis usu non fruuntur; nec ante morbum advocarunt sacerdotem a quo absolutionem reciperent. Quærendum igitur est, quid in quadruplex illud infirmorum genus disciplinæ servari debeat.

CONCL. 1. Periculose ægrotantibus, quacumque peccandi consuetudine implicati sint, impendi debet absolutio, licet in morbo tantum, & non antea, eam petierint: licet etiam rationis usum amiserint, antequam sacerdos accesserit.

Probatur auctoritate IV. Concilii Carthaginiensis, quod quidem sic habet canone 76. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutescat, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierint, & accipiat pœnitentiam.* Idem antea decreverat Innocentius Papa I. in epistola ad Exuperium Tolosanum; idem etiam omnia hodierna Ritualia præscribunt.

Objic. 1. Antiquitus absolutio non conferebatur iis, qui in morbo tantum eam petierant: *Prohibendos censuimus a spe communicationis & pacis* (inquit Cyprianus Epist. ad Antonianum) *si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis admonitio compellit*: ergo nec his temporibus absolutio conferri debet infirmis, de quibus agitur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Ecclesia hoc in capite disciplinam mutavit, satiusque duxit sacramentum exponere nullitati, quam illius defectu periculo salutem pœnitentis exponere: *Observatio prior durior* (inquit Innocentius Papa I.), *posterior interveniente misericordia inclinatior: nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.*

Objicies 2. Implicatis peccandi consuetudine non impenditur absolutio, dum sani sunt: ergo neque debet eis impendi constitutis in infirmitate.

Resp. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia (ut jam sæpius observatum est) minister, cum urget necessitatis casus, potest ad conferendum sacramentum necessarium necessitate medii uti materia dubia, qua tamen ei uti non licet extra necessitatis casum.

Quæres, an implicatis peccandi consuetudine statim atque per morbum aliquem inciderunt in periculum vitæ conferri debeat absolutio.

Resp. in impendenda ægrotis, de quibus agitur, absolutione, habendam esse rationem periculi, & signorum contritionis, quæ tunc in eis apparet; unde si præsens sit illud periculum, signum, vel minimam, satis est, ut pœnitens statim absolvatur, immo ne ullum quidem requiritur præter externum sacramenti desiderium. Si e contra mortalis quidem sit morbus, sed aliquandiu perduraturus sit, aliquandiu quoque differri poterit absolutio, ut pœnitenti sit locus obtinendi sinceram sui peccati contritionem. Verum constans est axioma, in dubio proportionis signorum pœnitentiæ cum vitæ periculo, satius esse, ut absolutio citius impendatur, nec expectetur ultima vitæ periodus, in qua forte ægrotus ex improviso rapietur, aut saltem tanto cum fructu, quam si esset sui compos, absolutionem non recipiet.

CONCL. 2. Absolutio conferri non debet iis, qui in ipso peccati actu usu rationis amiserunt.

Probatur. Iis absolutio non debet impendi, quorum certa est impœnitentia: atqui hominum, de quibus agitur, certa est impœnitentia: neque enim quis ubi rationis usum amisit potest peccatum suum detestari. Hinc colligitur, facultatem Theologicam Parisiensem merito damnasse hanc propositionem ex libro Amadæi Guimenii excerptam: *Quod si forte ita actualiter peccando subito delinquatur sensibus, ut non possit, humanitus loquendo,*

quendo, atteri, respondeo tunc non esse præsumendum attritum, atque adeo nec absolvendum docent communiter. Sed ego sub prædicta conditione vix illum regulariter sine absolutione dimitterem, quia rarissime evenit, ut tam cito sensibus quis, dum actu peccat, destituatur: ita ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem. Sic ille. Et ego cum e suggestu tractatum de Pœnitentia discipulis dictavi an. 1646.

CONCLUSIO 3. Absolutio conferri non debet publicis peccatoribus, qui rationis usum amiserunt antequam, aut per se, aut per alios, sacerdotem advocarint.

Probatur. Iis absolutio conferri non debet, de quibus confessarius saltem dubitare non potest, an eos pœniteat: atqui confessarius dubitare non potest, an publicos peccatores, de quibus agitur, pœniteat; nec enim, aut probata vita, aut emendatione, aut verbis, aut nutu aliquo suam contritionem probaverunt. Qua autem ratione idem confessarius se gerere debeat erga eosdem publicos peccatores, qui aut eum advocarunt, aut qui signis aliquibus, aut viva voce sacramenta in extremis exposcunt, dictum est superius, cum de Theatricis actum est.

Quæres 1. utrum absolutio sacramentalis impendi debeat viro frugi, qui præ subito morbo obmutescens sacramentum nec petit, nec petiit antea.

Resp. non unam esse ea de re Theologorum sententiam.

Morinus noster lib. x. *de Administratione sacramenti Pœnitentiæ*, cap. 6. Hesselius in suo Catechismo, Genetius Episcopus Vasionensis, libro quem Gallice inscripsit *Theologie Morale*, pluresque alii doctissimi scriptores, homini, de quo agitur, absolutionem conferri debere contendunt: his vero momentis nituntur.

Proferunt *primo*, Sacerdotale Romanum Venetiis apud Joannem Voriscum & socios an. 1560. excusum. Proferunt quoque Cleri Lemovicensis Statuta Synodalia anni *1619*. Iis vero monumentis, quæ legere est apud Merbesium, præscribitur pœnitentiæ ministris, ut absolutionem conferant infirmis, de quibus est quæstio.

Proferunt *secundo*, Augustinum lib. 1. *De adulterinis conjugiis*, cap. ultimo, ubi expresse asserit quod sicut catechumenus in iis circumstantiis baptizari debet, ita & pœnitens absolvi: *Quæ autem baptismatis* (inquit) *eadem reconciliationis est caussa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupavit: nec ipsos enim ex hac vita sine arrha exire velle debet mater Ecclesia.*

Nec valet (inquiunt) eorum solutio, qui respondent, pœnitentem, de quo loquitur Augustinus, confessum fuisse peccata, quando pœnitentibus adscriptus est, proindeque tunc ipsum absolutionem petiisse. Non valet (inquiunt) tum quia Augustinus nullam vim fecit in ea pœnitentiæ professione, sed tantum in eo quod fortasse hominem, de quo agitur, interius pœniteat: tum quia vult, ut in eodem casu absolvatur qui post pœnitentiæ professionem incidit in adulteria paucis ante morbum horis: at parvi videtur esse momenti pœnitentiæ professio quam tantum flagitium sæpius subsecutum est.

Proferunt *tertio* argumentum sumptum a simili. Qui privatum duellum iniit, & lethaliter vulneratus amisit vocis usum, absolvi debet, si vel levissima det pœnitentiæ signa, tunsionem v. g. pectoris: ergo (inquiunt) a fortiori conferri debet viro frugi, de quo agitur; nempe vita ejus probata majus fundamentum præbet ministro, ut judicet eum pœnitere, quam præbeat æquivocum maxime signum, quod apparere supponitur in aliquo externo motu hominis in duello vulnerati.

Proferunt *quarto* rationem desumptam ex principio apud Theologos maxime probato: Scilicet (inquiunt) minister, ut sacramentum necessitate medii necessarium conferat, potest ac debet in casu necessitatis uti materia dubia cum non adest certa: atqui in casu, de quo est quæstio, adest materia dubia, seu contritio; fortasse enim (inquit Augustinus) homo ille interius pœnitens jacet. Nec vim argumenti effugiunt, qui respondent, contritionem *sensibilem* necessario requiri, ut sacramentum pœnitentiæ valeat. Nam 1. dubium est, an sine illa contritionis sensibilitate valeat ac prosit sacramentum: nempe absque ea sensibilitate Scotistæ ipsum & valere & prodesse contendunt, quippe qui (ut superius observatum est) docent, non requiri necessario quod contritio sit sensibilis, eo quod velint eam non esse materiam, *ex qua* constet sacramentum pœnitentiæ, sed tantum materiam, *circa quam* versetur, hoc est, dispositionem ad recipiendum illius effectum: dispositio autem necessario non debet esse sensibilis. 2. Exercitia pietatis, quæ infirmus, de quo agitur, omnium oculis exhibuit dum sanus esset, sunt (ut jam observavimus) argumenta, quibus contritio non minus redditur sensibilis, quam nutus, aut signa, quæ in extrema periodo præbent perditi quidam homines, qui totam vitam in flagitiis ac facinoribus duxerunt: ergo, quamvis daretur necessario requiri contritionem sensibilem, non sequeretur hominem, de quo est quæstio, absolvi non debere.

Proferunt *quinto* argumentum negativum, desumptum ex eo quod contrariæ sententiæ defensores nullam rationem adhibeant, quæ facile solvi non possit.

Et sane (inquiunt) laudant adversarii doctrinale judicium Facultatis Theologicæ Parisiensis, quæ praxim, de qua agitur,

damnavit in Amadæi Guimenii libro. Verum illud monumentum non videtur esse magni ponderis. Nam Facultas Theologica Parisiensis non damnat eam praxim in circumstantiis particularibus, quæ eam honestam reddere possunt; sed tantum generatim sumptam, ne scilicet imperiti quidam ministri ea abutantur. *Doctrina hujus propositionis* (inquit), *universim & absolute sumpta, est in praxi perniciosa*. Confirmatur ex eo, quod praxim, de qua agitur, Baccalaurei Parisienses cum facultatis approbatione in suis thesibus defendant. Instar omnium sit ea, quæ die trigesima mensis Octobris anno 1666. propugnata est ab eximio Baccalaureo, Francisco Hyacintho Delan, Præside clarissimo ac erudito DD. Ludovico de Targny, ejusdem sacræ Facultatis Parisiensis Doctore Theologo, ac Collegii Dainvillæi Primario: nempe hæc habentur positione VI. *Ægris qui instante fato signa doloris dederint, concedenda est absolutio: immo illis non neganda, qui, licet confessionis voluntatem actu non significent, pie & quomodo virum probum decet, vixerunt*. Laudant iterum receptam in scholis doctrinam de effectu Unctionis extremæ; si enim (inquiunt) Extrema Unctio primam gratiam conferat, necesse non est, ut ægroto, qui sacramentum non petiit, absolutio sacramentalis impendatur. Verum non est omnino certum, an Extrema Unctio nonnunquam primam gratiam *per se* conferat: id enim negant graves Theologi, quorum doctrinam in nostro Commentario Historico defendimus. Præterea accidere potest casus, quo defectu v. g. materiæ, Extrema Unctio dari non poterit: igitur, eo saltem in casu conferri debebit absolutio.

Econtra plures alii Theologi contendunt, ægroto de quo agitur, impendi non debere sacramentalem absolutionem: ita sentiunt Sylvius, Cabassutius, Natalis Alexander, ac passim Sorbonici. His vero rationibus nituntur. *Primo* (inquiunt) praxeos ejusmodi ne vestigium quidem est in canonibus, qui tamen aliunde definiunt, absolutionem conferri debere infirmis, qui ubi sacerdotem advocarunt, amittunt sensuum ac rationis usum. *Secundo*, conciliari non potest (addunt) cum Concilio Tridentino, quod definiit, actus pœnitentis esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ. *Tertio*, tandem non cohæret cum decreto facultatis theologicæ Parisiensis.

Quæres 2. quid in eo sententiarum conflictu ministro pœnitentiæ in casu proposito sit agendum.

Resp. 1. ministrum, cui persuasum esset, ægrotum, de quo agitur, absolvendum esse, debere has Augustini voces usurpare: *Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere*.

Resp. 2. nos in aliis nostris operibus, quæ lector adire poterit, clare de quæstione proposita mentem nostram aperuisse: unde necesse non est, ut hic eam novis argumentis confirmemus.

CAPUT VI.

De proprietatibus formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

Not. Duæ sunt proprietates formæ sacramenti pœnitentiæ, necessitas & virtus, de quibus hic nonnulla dicenda sunt.

CONCLUSIO 1. Absolutio necessitate medii necessaria est post baptismum lapsis.

Probatur conclusio iis omnibus argumentis quibus superius assertum est, omnium ac singulorum peccatorum lethalium confessionem esse lapsis necessariam necessitate medii; quibus ostensum est, eosdem lapsos jure divino teneri adimplere satisfactionem a sacerdotibus injunctam; quibus tandem probatum est, solos sacerdotes esse absolutionis sacramentalis ministros: ea enim argumenta demonstrant quoque, eos, quos sacerdotes non solverint, remanere peccatorum vinculis illigatos.

Objicies 1. Patres docent, peccata remitti peccatori eo instanti, quo eum pœnitet delictorum: *Si conversus ingemuerit*, &c. ergo absolutio non est necessaria necessitate medii.

Resp. instans ejusmodi esse illud, quo peccator utitur, aut, si necessitas urgeat, proponit uti remedio, quod Christus ad hominis lapsi justificationem instituit; illud vero remedium non aliud est quam sacerdotis absolutio, per quam homini debite contrito Christi sanguis ad justificationem applicatur.

CONCLUSIO 2. Absolutio non est sententia mere declaratoria peccati, quod per fidem aut per aliquem alium actum prius remissum sit.

Probatur 1. Concilium Tridentinum hæc habet sess. 14. c. 6. *Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio: tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed adinstar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sententia pronunciatur*. 2. Patres qui Concilii Tridentini tempora præcesserunt, sæpius asserunt, peccata non dimitti nisi per claves Ecclesiæ: atqui clavium nomine intellexerunt sacerdotis absolutionem, ut agentes de confessione diximus. 3. Urgente necessitate pastores sedulo curarunt pœnitentibus absolutionem ante mortem conferre, eamque pœnitentes tunc enixe petierunt, caussati se alioquin sine ea in æternum perituros. Utrique ergo judicarunt, eam non esse externam tantum declarationem remissi per fidem peccati: ut quid enim morituri illa declaratione indiguissent? 4. Hæc Christi verba, *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt*, ad litteram sumpta, ut revera sumi debent, non significant declarationem remissi peccati,

ti, sed veram illius remissionem, quam in iis Ecclesia, ut ex illius contra Montanistas & Novatianos disputatione patet, intellexit.

Objicies. Contritio perfecta remittit peccata: ergo absolutio quæ homini, saltem perfecte contrito, confertur, est mera peccati jam remissi declaratio.

Resp. dist. ant. remittit ratione voti absolutionis quod in ea includitur, conc. ant. per se, ac ratione sui, neg. ant.

Instabis. Sive contritio perfecta per se, sive ratione voti absolutionis, quod includit, remittat peccatum, certum est, illud esse vere remissum cum absolutio confertur: ergo, in eo saltem casu, actualis collatio absolutionis est sententia mere declaratoria peccati prius remissi.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia tunc absolutio auget gratiam, quam per sui desiderium in subjecto perfecte contrito jam produxerat. Idem quoque respondent, qui post Magistrum Sentent. S. Bonaventuram, Episcopum Castoriensem, contendunt, non solum perfectam contritionem, sed etiam imperfectam, modo tamen ex inchoata Dei caritate super omnia concepta sit, semper remittere peccatum, antequam absolutio actu conferatur: in hocque a Lutheranis discrepant, quod Lutherani absolutioni sive in voto, sive actu recepta, nullam omnino vim tribuant; unde concludunt eam nec in re, nec in voto lapsis esse necessariam. Ex his patet quantum a veritate aliena sit cujusdam recentioris doctrina, qua contendit, quod tantum abest ut perfecta contritio disponat ad recipiendam gratiam in sacramento pœnitentiæ, quin potius ipsi sit impedimento. Quasi vero qui Deum perfecte diligit, ad recipiendum sacramentum minus idoneus sit, quam qui imperfecte tantum illum amat.

Quæres, quinam sit sensus horum verborum: *Ego te absolvo.*

Resp. Illorum verborum sensum non esse illum: *Declaro peccata tibi esse remissa*, sed istum: *Impendo tibi sacramentum absolutionis, quod ex se vim habet remittendi peccata*: unde ea verba nihil falsi continent, etiam cum absolutio fictis hominibus, seu, debite non contritis, aut prius per contritionem perfectam cum sacramenti voto conjunctam justificatis, impenditur.

DISSERTATIO SEXTA.

De Extrema-Unctione.

Not. SAcramentum, de quo agitur in hac dissertatione, vocatur *Unctio*, eo quod per unctionem detur: dicitur *Unctio Extrema*, quia confertur post alias omnes, baptismalem nimirum & confirmatoriam. Propter subjectum cui confertur, appellatur *Unctio infirmorum*, & nonnunquam etiam *Sacramentum exeuntium*. Tandem propter effectum sibi intrinsecum, a Concilio Tridentino vocatur, *Sacramentum consummativum pœnitentiæ*. Ea ratione adducti quidam apud Græcos ministri, unctionem olei post auditam peccatorum confessionem injungebant satisfactionis Sacramentalis loco.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Extremæ Unctionis.

Not. LUtherus & Calvinus, aliique recentiores hæretici Extremam Unctionem expunxerunt ex albo sacramentorum novæ legis. Nonnulli, etiam inter Catholicos, contendunt, Waldenses & Wiclefistas eo in capite Lutheranis & Calvinistis præivisse: sed immerito; nec enim aliud arguerunt in Extrema Unctione, quam abusus qui aut vere, aut saltem in eorum sententia, irrepserunt in illius administrationem, ut fuse ostendimus in Commentario Historico p. 774. & sequentibus primæ editionis.

CONCLUSIO. Extrema Unctio recte definitur, Sacramentum, quo præter gratiam sanctificantem datur jus ad auxilia specialia necessaria, ut quis patienter ferat morbi incommoda, recuperetve corporis sanitatem, ubi animæ saluti expedierit.

Probatur prior pars, seu Extremam Unctionem esse *Sacramentum*. Tria ad Sacramentum proprie dictum requiruntur, signum sensibile, productio gratiæ sanctificantis, institutio divina: atqui tria hæc in Extrema Unctione reperiuntur. Et quidem 1. signum est sensibile: olei scilicet unctione & sacerdotis oratione constat. *Orent super eum* (inquit Jacobus Epist. can. c. 5.) *ungentes eum oleo in nomine Domini*: 2. producit gratiam sanctificantem, nempe (eodem Jacobo teste) dimittit peccata: *Si in peccatis sit, dimittentur illi*: ac proinde producit gratiam, cum (ut agentes de justificatione diximus) peccata sine gratiæ collatione non dimittantur. 3. Divinam habet institutionem: nec enim Jacobus, a quo promulgata est, nec aliquis alius homo, potuit gratiam cum exteriori signo conjungere: ergo, &c.

Objicies 1. Unctio, de qua Jacobus loquitur, non aliud fuit, quam signum quod evanuit, ex quo desiit miraculosa infirmorum curatio: ergo non est sacramentum, cum sacramentum debeat esse signum permanens ac stabile.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia paullo post Apostolorum ætatem desiit in Ecclesia externorum curationum gratia, & tamen non desiit unctio de qua est hic quæstio: nempe illius meminerunt Origenes hom. 1. in Leviticum, Chrysostomus l. 3. de Sacerdotio, Innocentius Papa I. in Epistola ad Decentium, Gregorium

gorius Magnus in Sacramentario, & quotquot postea scriptores libros rituales ediderunt.

Objicies 2. Auctores qui sex prioribus sæculis descripserunt sanctorum mortem, non asserunt eos ante obitum inunctos fuisse; ergo tum iis sanctis, tum iis auctoribus persuasum fuit, Unctionem Extremam non esse novæ legis sacramentum.

Resp. 1. nimis probare illud argumentum; nec enim qui iisdem sæculis sanctorum mortem descripsere, passim meminerunt Eucharistiæ, quæ tamen in exitu positis semper, ut suo loco probatum est, concessa fuit.

Resp. 2. dato ant. neg. conf. Ratio est 1. quia plures ex iis viris, mox post baptismum, ut Constantinus Magnus, mortui sunt, ac proinde hocce sacramento non indigebant. 2. Nonnulli subita morte intercepti sunt, ut S. Joannes Chrysostomus, S. Paulus Eremita, Simeon Stilites, Barlaam, Josaphat, Paphnutius. 3. Cum Extrema Unctio sit pœnitentiæ consummativa, implicite intelligitur iis locis, ubi viri pii diem ultimam in pœnitentia clausisse referuntur: *Post perceptum baptismum* (inquit Possidius in Augustini vita) *laudatos Christianos & sacerdotes absque digna & competenti pænitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse* (Aug.) *fecit ultimo qua defunctus est die.*

Probatur altera pars conclusionis, seu Extremam Unctionem dare jus ad auxilia specialia quæ requiruntur, ut quis morbi incommoda patienter ferat, immo & ad recuperandam corporis sanitatem: probatur (inquam) ex iis Jacobi verbis: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*; sed de ea virtute dicetur inferius, ubi hujusce sacramenti effectus exponentur. Vide de hoc argumento Sambovii *De Extrema Unctione* librum, Morinum variis in locis libri *De Administratione Sacramenti pænitentiæ*, Comment. Hist. a pag. 774. ad pag. 783. primæ edit.

QUÆSTIO II.

De materia Extremæ Unctionis.

Not. Materia (ut sæpius jam observatum est) duplex est, remota nimirum & proxima: de utraque paucis est hic agendum.

CONCL. 1. Remota Unctionis Extremæ materia est oleum ex olivis expressum.

Probatur prior pars. Olei meminit Jacobus cum agit de Unctione Extrema: *Ungentes eum oleo*: Illud quoque recensent tum Patres, tum libri rituales sive Græci sive Latini, ut constat ex Gregorii Sacramentario, & Græcorum Euchologio.

Probatur altera pars ex eo, quod oleum, quod ex olivis expressum non fuerit, non sit oleum simpliciter, & proprie dictum, sed tantum secundum quid & improprie; unde non intelligitur, cum vox *oleum* sine addito profertur.

Quæres 1. utrum oleum infirmorum ab Episcopo consecrari debeat.

Resp. affirm. Ratio est, quia Gregorii Sacramentarium, & libri rituales, consecrationem, de qua agitur, injungunt: cum vero apud Græcos ea consecratio a Presbyteris fiat, ut constat ex eorum Euchologiis, evidens est, *Episcopalem* consecrationem esse necessariam sola necessitate præcepti Ecclesiastici, immo & ipsam *consecrationem*; nec enim monumentum proferri potest, quo probetur, eam necessariam esse necessitate sacramenti. Sed cum id inficientur doctissimi quidam Theologi, nusquam licet uti oleo per Episcopum non consecrato, quia cum agitur de sacramentis quæ ad salutem non sunt necessaria necessitate medii, nusquam licitum est uti materia dubia.

Quæres 2. quid facto opus sit, cum deficit oleum ab Episcopo consecratum.

Resp. admisceri debere non consecratum, sed in minori quantitate, Cap. *Quod in dubiis de Consecrat.*

CONCL. 2. Materia proxima Unctionis Extremæ est unctio.

Probatur. Illud est materia proxima, per quod remota applicatur subjecto: atqui per unctionem materia remota Unctionis Extremæ, seu oleum, applicatur subjecto: ergo, &c.

Quæres 1. in qua parte corporis fieri debeat unctio.

Resp. unctionem in Ecclesia Latina fieri debere in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedum planta, aut in vicinis partibus eorum respectu qui carent alicujus sensus organo; & in renibus virorum respectu: nam in mulieribus semper omittitur, immo & in viris, si absque periculo moveri non possint. Id nimirum præcipitur tum in Gregorii Sacramentario, tum in Romano Rituali. In Ecclesia vero Græca unctio fit in fronte, genis, mento, pectore, manibus ac pedibus. Verum usus ille non reperitur in Euchologio, sed tantum per consuetudinem obtinuit.

Quæres 2. an unius sensus unctio satis sit, ut sacramentum valeat.

Resp. affirm. Ratio est, quia Ritualia præscribunt, ut urgente mortis periculo una tantum unctio fiat in sensu magis obvio cum prolatione formæ universalis: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus*. Præterea Jacobus non multiplices præscribit unctiones, sed simpliciter præcipit, ut ægrotus ungatur.

QUÆSTIO III.

De forma Unctionis Extremæ.

Not. Difficultas potest esse, aut de forma quæ a Latinis adhibetur, aut de ea quæ apud Græcos est in usu.

CONCL.

CONCLUSIO 1. Forma Unctionis Extremæ apud Latinos sunt hæc verba: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, odoratum, gustum, tactum, auditum.*

Probatur. Eam formam recenset Eugenius Papa IV. in decreto pro Instructione Armenorum: eam quoque præscribit Rituale Romanum: illius etiam meminit Concil. Trid. sess. 14. c. 1. *De Institutione Sacramenti Extremæ Unctionis.*

Quæres, utrum singula formæ verba necessaria sint, ut sacramentum valeat.

Resp. neg. Nam 1. expressio quinque sensuum, aut renum non requiritur, ut sacramentum valeat, cum nec ipsa singulorum sensuum unctio necessaria sit. 2. Non est opus, ut in forma sacramenti exprimatur materia quam hæc verba, *Per istam Unctionem*, designant, sicut cum quis baptizat, non est necesse, ut dicat: *Per istam aquam baptizo te.* 3. Hæ voces: *Per suam piissimam misericordiam*, non requiruntur, quia Dei misericordia sat istis exprimitur: *Indulgeat tibi Deus.* 4. Dicendum est igitur, hæc sola, *Indulgeat tibi Deus*, satis esse, ut sacramentum valeat.

CONCLUSIO 2. Extremæ Unctionis forma apud Græcos est oratio quam sacerdos fundit dum inungit infirmum, quæque incipit: *Pater sancte.*

Probatur 1. Eam orationem præscribit Euchologium Græcorum: 2. exprimit singulos effectus sacramenti; sanitatem nempe corporis: *Sana servum tuum*, & gratiam quæ animæ confertur: *Vivifica illum per Christi tui gratiam.*

Quæres, utrum quædam Ecclesiæ Latinæ olim in conferenda Extrema Unctione usæ sint forma indicativa, cujusmodi esset ista: *Ungo te hoc oleo, &c.*

Resp. affirm. monumenta quibus ea responsio nititur, retulimus in Comment. Historic. pag. 788. primæ edit.

QUÆSTIO IV.

De auctore Extremæ Unctionis.

Not. SEctarii, qui elapso proxime sæculo vexarunt Ecclesiam, asseruerunt, Extremam Unctionem a Christo institutam non fuisse. Contrarium definiit Concilium Tridentinum.

CONCLUSIO. Christus instituit Unctionem Extremam.

Probatur. Christus (ut suo loco dictum fuit) est auctor omnium ac singulorum sacramentorum novæ legis: ergo cum Unctio Extrema sit Sacramentum proprie dictum, necesse est, ut a Christo fuerit instituta.

Quæres 1. utrum Christus immediate, an vero mediate tantum instituerit Extremam Unctionem.

Resp. 1. neutrum esse de fide: nempe quando Concilium Trid. definit, hoc Sacramentum esse institutum a Christo, non utitur his vocibus, *mediate*, *immediate*. Resp. 2. probabiliorem esse sententiam quæ asserit, unctionem Extremam *immediate* fuisse institutam a Christo, quia Concil. Tridentinum solam illius promulgationem Jacobo tribuit, eamque opponit institutioni a Christo factæ: *Instituta est autem* (inquit) *sacra hæc unctio a Christo Domino nostro tamquam sacramentum, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum.* Vide Comment. Hist. pag. 18. primæ edit. Vide etiam quæ superius diximus agentes de Institutione Sacramentorum in genere.

Quæres 2. quandonam Christus Extremam Unctionem instituerit.

Respondent nonnulli, institutam fuisse, cum Christus Marci 6. discipulos misit, ut infirmos inungerent: *Ungebant oleo multos ægros, & sanabantur.* Verum ea responsio graves difficultates patitur. Nam 1. discipuli solos Judæos inunxerunt, qui tunc, utpote nondum baptizati, recipiendo sacramento idonei non erant. 2. Discipuli nondum tunc erant sacerdotes, nonnisi enim in ultima cœna inaugurati sunt sacerdotio: conferre igitur non poterant sacramentum, cujus dispensatio jure divino pertinet ad solos sacerdotes. 3. Concilium Trid. non dicit, hoc sacramentum tunc fuisse *institutum*, sed tantum *insinuatum*; quia nimirum Judæorum unctione fuit adumbratum.

Respondent alii, quibus subscribimus, probabilius esse, Christum Extremam Unctionem instituisse post institutum pœnitentiæ sacramentum. Nec mirum: est enim gratiæ, quæ per Pœnitentiam datur, perfectiva, ac consummativa, ut Patres passim asserunt. Nihil vetat, quin ad ejusdem sacramenti institutionem referatur præclara hæc Leonis sententia: *Hi dies, qui inter Resurrectionem, Ascensionemque fluxerunt, non otioso transierunt decursu: sed magna in eis confirmata sunt sacramenta, magna revelata mysteria.*

QUÆSTIO V.

De ministro Extremæ Unctionis.

Not. 1. CAlvinus vult, nomine Presbyterorum, quos Jacobus ad ungendum infirmum vocari jubet, intelligi presbyteros ætate, seu seniores; non autem Presbyteros dignitate, hoc est, per impositionem manuum ordinatos.

Not. 2. Nonnulli quinto sæculo contendebant Presbyteros ita esse Extremæ Unctionis mini-

ministros, ut ab illo officio Episcopi excluderentur: de iis nimirum agit Innocent. Papa I. in sua ad Decentium Epistola.

CONCLUSIO 1. Presbyteri per manuum impositionem ordinati sunt Extremæ Unctionis ministri.

Probatur. Ii sunt ministri Extremæ Unctionis, quos Jacobus vocari jubet, ut infirmos inungant: atqui jubet vocari presbyteros seu seniores dignitate, non ætate tantum; *Primo* quia vox *Presbyter* nusquam in novo testamento sumitur nisi pro Ecclesiæ ministris: *Secundo*, Jacobus vocari vult Presbyteros illos, ut orent, & peccata remittant: at id muneris in scripturis committi non solet hominibus laicis, sed iis tantum qui sacro ministerio in Ecclesia funguntur: *Tertio*, quovis sæculo per sacerdotes, & nusquam per laicos, licet ætate provectos, Ecclesia Extremam Unctionem dispensavit, sive apud Latinos, sive apud Græcos. Vide Gregorii Magni Sacramentarium, & Græcorum Euchologium.

Quæres 1. Utrum plures sacerdotes ad conferendam Extremam Unctionem requirantur.

Resp. septem vocari apud Græcos, ut patet ex eorum Euchologiis. Multi quoque vocabantur olim apud Latinos, ut fidem facit Gregorii Sacramentarium; sed tamen jam temporis satis est unus, tum ut sacramentum valeat, tum etiam ut liceat. Nec obest, quod Jacobus utatur plurali numero: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ:* mos enim est in Scripturis frequens, ut pluralis numerus pro singulari ponatur, ut patet ex Marco, qui ait, latrones in Christum crucifixum blaspemasse, quamvis, ex Luca, unus tantum blasphemarit.

Quæres 2. utrum quilibet sacerdos non modo valide, sed etiam licite conferre possit Unctionem Extremam.

Resp. negat. id nimirum prohibetur Presbyteris non Parochis, aut ab eo non delegatis, sub excommunicationis pœna, in Clementina 1. *De Privilegiis*. Idem prohibetur Religiosis etiam ex Ordinibus Mendicantium in Clementina, *Dudum de Sepulturis*. Ab ea regula S. Carolus in Conc. Mediolanensi V. excipit casum necessitatis: *Si porro Curatus* (inquit) *impeditus, aut in mora est, mortisque periculum instat, alius administret*.

CONCL. 2. Presbyteri non ita sunt ministri Extremæ Unctionis, ut Episcopi excludantur.

Probatur 1. auctoritate Innocent. Papæ I. in Epist. ad Decentium, a quo ea de re interrogatus fuerat occasione quorumdam Presbyterorum, qui, exclusis Episcopis, jus illud sibi in Umbria arrogabant. 2. Episcopus, cum habeat presbyteratus perfectionem, potest omnia quæ a simplici Presbytero, suo inferiore, fieri possunt: ergo, &c.

QUÆSTIO VI.

De subjecto Extremæ Unctionis.

Not. Quæri potest hic 1. utrum pueris & amentibus hoc sacramentum conferri possit: 2. utrum hominibus sanis: 3. quibusnam infirmis conferri debeat.

CONCL. 1. Pueris, & amentibus a nativitate, valide conferri non potest Extremæ Unctionis sacramentum: Secus vero si illi amentes aliquando lucidis intervallis fruiti sunt.

Probatur prior pars. In pueris & amentibus a nativitate forma Extremæ Unctionis non potest habere locum, cum numquam peccarint actu; nec sperari possit corporis sanitas per Extremam Unctionem producenda, ubi primarius illius effectus, peccatorum scilicet remissio, produci non potest. Altera vero conclusionis pars est evidens ex eo, quod amentes qui lucidis intervallis fruiti sunt, actu peccaverint, proindeque indigeant peccatorum remissione, quam Extrema Unctio operatur.

CONCLUSIO 2. Solis infirmis conferri debet Unctio Extrema.

Probatur 1. Jacobus, cum de hujusce sacramenti subjecto loquitur, non aliorum quam ægrotantium meminit: *Infirmatur* (inquit) *quis in vobis, &c.* 2. Innocentius Papa I. in epistola ad Decentium, Gregorius Magnus in Sacramentario, Bernardus in vita S. Malachiæ, Eugenius Papa IV. in decreto pro Instructione Armenorum, Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. *De Extrema Unctione*, solos infirmos recensent.

Objicies. Tota Ecclesia Græca contulit olim & nunc etiam confert Extremam Unctionem non solum hominibus infirmis, sed etiam sanitate fruentibus: ergo dari debet non infirmis solum, sed etiam sanis hominibus.

Resp. concesso antecedente, cujus veritatem variis argumentis probavimus in Comment. Hist. pag. 800. primæ edit. neg. conf. Ratio est, quia Latinis hac in parte usurpare non licet Græcorum usum; qui quidem etsi ex Jacobo probari non possit, ab eo tamen expresse non rejicitur. Vid. Arcudium l. 5. *de Extrema Unctione* c. 4. Goarium in suis notis *ad sancti olei officium*. Hinc patet, violenta morte damnatis, aut in naufragio periclitantibus, aut militibus prælium inituris Extremam Unctionem conferri non debere.

Quer. 1. quinam numerari debeant inter infirmos, quibus Extrema Unctio conferri debet.

Resp. ex S. Carolo numerari debere 1. senes qui nullo alio morbo laborant, quam senectutis languore. 2. Numerari pariter debent, ex eodem S. Carolo, infirmi jamjam morituri, qui omnem rationis usum amiserunt: sunt enim capaces præcipui effectus hujus sacramenti, peccatorum scilicet remissionis.

nis. 3. Numerari etiam debent ii omnes, qui periculose laborant, sive in exitu constituti videantur, sive non: *Declarat etiam* (inquit Conc. Trid.) *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, unde & sacramentum exeuntium nuncupatur*. 4. Numerari etiam debent, ex Rituali Parisiensi, pueri, si septimum annum attigerint, licet nondum communicaverint. 5. Monet S. Carolus in Conc. Mediolanensi primo, parochum curare debere, ut ægroto, dum est integris sensibus, hocce sacramentum conferatur: nec immerito; indiget nimirum alleviatione mentis, ac virtute, qua morbi incommoda patienter ferat: quæ quidem duo supponunt infirmum, qui rationis usu fruatur.

QUÆSTIO VII.

De effectibus Extremæ Unctionis.

Not. Circa effectus Extremæ Unctionis quæri potest 1. utrum remittat peccata: 2. utrum peccatorum reliquias abstergat: 3. an alleviet animum infirmi: 4. utrum corporis sanitatem conferat: 5. utrum imprimat characterem.

CONCL. 1. Extrema Unctio remittit peccata.

Probatur 1. Id Jacobus asserit: *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*. 2. Peccatorum remissionem exprimit sacramenti forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*. Eumdem effectum post Gregorium Magnum recenset Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. *de Extrema Unctione*.

Quæres, quænam peccata Unctio Extrema *per se* remittat, an mortalia, an venialia tantum.

Resp. duas esse Theologorum sententias circa propositam quæstionem. Prior, quæ est Sambovii, in tractatu *De Extrema Unctione*, docet, peccata mortalia per hoc sacramentum non minus *per se* remitti, quam venialia, eo quod Extrema Unctio sit veluti appendix sacramenti pœnitentiæ; Altera cui subscribimus, asserit, sola venialia *per se* remitti. Et quidem 1. Si Extrema Unctio *per se* peccata mortalia remitteret, immerito Concilium Tridentinum docuisset, pœnitentiæ sacramentum esse lapsis necessarium necessitate medii. Nec valet solutio Sambovii contendentis, Concilium sub nomine pœnitentiæ complexum quoque fuisse Extremam Unctionem: siquidem unum sacramentum aperte ab alio distinguit, diversosque utriusque effectus recenset. 2. Trita est in scholis sententia, duo tantum esse sacramenta mortuorum, seu quæ jacentibus in peccato mortali conferri possint, baptismum & pœnitentiam: at id falsum esset in Sambovii systemate.

CONCLUSIO 2. Extrema Unctio *per se* abstergit peccatorum reliquias.

Probatur. Per peccatorum reliquias intelliguntur propensio ad malum, torpor ad faciendum bonum, mentis debilitas ad cælestium contemplationem: atqui Extrema Unctio ea omnia abstergit. Nam remittendo peccatum, minuit cupiditatem, proindeque efficit, ut mens liberius ea contempletur, quæ ad salutem pertinent, pronaque fit magis ad bonum agendum. 2. Extrema Unctio est pœnitentiæ consummativa, seu datur per modum perfectæ curationis: ergo *per se* operatur effectus, de quibus est quæstio; perfecta nimirum curatio abstergit propensionem ad malum, torporem ad bonum, debilitatem ad cælestium contemplationem.

CONCLUSIO 3. Extrema Unctio *primario* & *per se* ægrotantis animum alleviat.

Probatur 1. Illum effectum Extrema Unctio *primario & per se* producit, quem ei Scriptura tribuit: atqui ei tribuit animi alleviationem: *Et* (inquit Jacobus) *alleviabit eum Dominus*. 2. Eum effectum Concil. Trident. sess. 14. recenset.

Quæres, in quo posita sit animæ alleviatio, quæ per Extremam Unctionem producitur.

Resp. in eo positam esse, quod anima fiat magis expedita, ac magis apta, tum ad patienter ferendum morbi incommoda, tum etiam ut resistat diabolo, qui ei, in extremis præsertim horis, struit insidias.

Quæres 2. Utrum Extrema Unctio animæ alleviationem *immediate* operetur.

Resp. negative, nempe illum effectum operatur *mediate* tantum, quatenus nimirum infirmo dat jus ad auxilia actualia, quibus anima eam, de qua agitur, alleviationem consequatur.

CONCLUSIO 4. Extrema Unctio sanitatem corporis operatur.

Probatur ex Jacobi Epistola: *Oratio fidei* (inquit) *salvabit infirmum*. Nec ea salus intelligi debet de spirituali sanitate, ejusdem enim est generis, cujus est infirmitas, de qua ibidem Jacobus loquitur: *Infirmatur quis in vobis &c.* Scilicet ad eam depellendam jubet unctionem adhiberi. Idem effectus a Concilio Tridentino recensetur.

Quæres, qua ratione, seu, an *ex opere operato*, an vero *ex opere operantis* tantum Extrema Unctio corpoream sanitatem restituat.

Respondent passim Thomistæ, illum effectum produci *ex opere operato*; Econtra Estius contendit produci tantum *ex opere operantis*, seu virtute publicarum Ecclesiæ orationum, quibus oleum infirmorum consecratum fuit: unde concludit 1. sanitatem corporis, etiam ubi animæ expedierit, non semper per Extremam Unctionem produci; ideoque innuere videntur hæc Concilii Tridentini verba: *Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequatur*. Concludit 2. restitutionem corporeæ sanitatis non esse primarium,

sed tantum secundarium effectum Unctionis Extremæ. Nec mirum (inquit idem auctor) neque enim sacramenta *per se & primario* ad hujus vitæ bona referuntur.

CONCLUSIO 5. Extrema Unctio non imprimit characterem.

Probatur 1. Concilium Tridentinum expresse asserit, Extremam Unctionem in diversis morbis iterari posse: *Quod si infirmi* (inquit) *post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint:* immo & in eadem infirmitate, si diversus fuerit illius status, hoc est, si infirmi fere convaluerint, & postea in vitæ periculum incidant: ita enim fert hodierna Ecclesiæ Latinæ praxis: *In eadem infirmitate* (inquit Rituale Parisiense) *hoc sacramentum iterari non debet, nisi ita diuturna sit, ut cum infirmus a præsenti periculo liber evaserit, iterum in periculum mortis incidat.* Olim tamen in eodem etiam infirmitatis statu pluries iterabatur: per septem nimirum dies continuos infirmus communicabat & ungebatur, ut patet ex Gregorii Sacramentario. 2. Character datur tantum, aut in signum distinctivum, aut ad sacram aliquam functionem obeundam, aut ut quis capax fiat ad aliquod sacramentum recipiendum; atqui nullum horum Extremæ Unctioni convenit: ergo nullum imprimit characterem. Vide peculiarem de eo argumento dissertationem in Comment. Histor. pag. 810. primæ edit.

QUÆSTIO VIII.

De dispositionibus Extremæ Unctioni prærequisitis.

Not. Dispositiones quædam prærequiruntur in sacramenti subjecto, ut ipsum sacramentum valeat, quædam vero ut illius receptio sit licita.

CONCLUSIO 1. Non valet Extrema Unctio si detur non baptizato, aut infantibus, aut stulto a nativitate.

Probatur prior pars, quia baptismus est janua ad alia omnia sacramenta. Altera vero pars constat ex eo, quod in infantibus aut amentibus a nativitate forma Extremæ Unctionis, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, locum habere non possit. An autem valeat data adultis qui sani sunt, vide quæ superius dicta sunt de hujusce sacramenti subjecto.

CONCLUSIO 2. Ut Extrema Unctio licite ac cum fructu recipiatur, *ordinarie* requiritur ex parte subjecti status gratiæ sanctificantis. Ita docent ii omnes qui asserunt, hoc sacramentum *per se* non producere primam gratiam, sed secundam tantum.

Probatur: Sacramentum vivorum, ut licite & cum fructu recipiatur, requirit in subjecto statum gratiæ sanctificantis: ob id enim dicitur sacramentum vivorum: atqui Extrema Unctio (ut ex superius dictis patet) est hujusmodi: ergo, &c. Hinc vero concluditur, eum qui sibi conscius est peccati mortalis, non debere ad hoc sacramentum accedere, nisi sacramentalem a peccatis absolutionem receperit: ita Sanctus Carolus part. 4. Instruct. *De Extrema Unctione*, ita etiam Rituale Parisiense pag. 202.

Quæres, quo ordine conferri debeat Extrema Unctio, an ante, an vero post Viaticum.

Resp. 1. Extremam Unctionem olim ordinarie infirmis collatam fuisse ante Eucharistiam. Vide Commentarium Historicum pag. 817. primæ edit.

Resp. 2. aliquibus abhinc sæculis in pluribus Ecclesiis Latinis dari tantum post Viaticum, cum infirmus potest Viaticum recipere. De ordine, quo administrari debet in Ecclesia Parisiensi, hæc habet Rituale ejusdem Ecclesiæ: Circa ordinem vero inter sacramenta infirmis administranda servandum, hæc quatuor sunt in praxi notanda, *Primum*, curandum esse, ut quantum status ægroti permiserit, Extremam Unctionem, Sacramenti Pœnitentiæ administratio præcedat. *Secundum*, conveniens esse, ut cum diversis temporibus Extrema Unctio & Eucharistia infirmo præbendæ sunt, Eucharistiam sequatur Extrema Unctio, ne si aliter fiat, ægrotus nimis vitæ quasi desperatæ timore perculsus, aut omnino animo concidat, aut a recipiendis refugiat sacramentis. Si tamen devotio infirmi aliud postulaverit, id ei concedatur. *Tertium*, observandum esse, ut quoties cum oleo infirmorum Viaticum ad ægrotum defertur, antequam æger Viaticum sumat, inungatur a sacerdote. *Quartum* denique, cavendum esse, etiam quando oleum infirmorum cum Viatico delatum est, ut, si periculum adsit, ne infirmus sine Viatico decedat, statim Viaticum ante Unctionem administretur.

QUÆSTIO IX.

De proprietatibus Extremæ Unctionis.

Not. 1. Inter proprietates Extremæ Unctionis principem tenet locum illius necessitas. Certum est autem, eam non esse necessariam necessitate medii, sed dubium est an necessaria sit necessitate præcepti.

Not. 2. Circa eam quæstionem duplex est Theologorum sententia. Sambovius & aliqui alii fatentur quidem, Extremam Unctionem esse quibusdam in locis necessariam necessitate præcepti Ecclesiastici, sed negant esse necessariam necessitate præcepti divini: E contra contendunt alii eam esse necessariam necessitate præcepti tum divini, tum Ecclesiastici.

CON-

CONCL. Extrema Unctio infirmis in vitæ periculo constitutis necessaria est necessitate præcepti, tum divini, tum Ecclesiastici.

Probatur prior pars. *Primo*: hæc Jacobi verba, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, non minus quam ista, *Hoc facite*, absoluta sunt; ac proinde cum hæc præceptum stricte sumptum contineant, continent & illa. *Secundo*: effectus Extremæ Unctionis necessarius est, tum ad ferenda patienter incommoda morbi, tum ad superandas tentationes, quæ de vita periclitantes plerumque urgent: ergo necessaria est quoque caussa, quam ad illorum effectum productionem Christus instituit. *Tertio*: infirmus qui data opportunitate hocce sacramentum recipere non curat, illud contemnere censetur. Simile urgebamus argumentum agentes de Confirmationis necessitate, pag. 69, 70.

Probatur altera conclusionis pars ex cura, quam Ecclesia quovis sæculo adhibuit, ut infirmos inungeret: sollicitudinem illam legere est in Gregorii Magni Sacramentario, Græcorum Euchologiis, Ritualibus Latinorum, aliisque monumentis Ecclesiasticis, quæ diserte præceperunt, ut nullus infirmus ex hac vita inunctus dimitteretur; *Secundum beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt* (inquit alterum Concilium Cabilonense cap. 48.) *infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent.*

Objicies. Cum in Ecclesia Latina Extrema Unctio detur tantum aut brevi morituris, aut saltem de vita periclitantibus, mortis brevi futuræ cogitationem excitat in infirmo, aut saltem indicat ægroto eum in discrimine versari: ea autem cogitatio plerumque ita mentem infirmi perturbat, ut eum reddat ineptum ad actus pios, eique metum incutiat, qui morbum augens, vitam illius in majus periculum adducit: atqui præcepta positiva, sive sint divina, sive humana, cum tanto eorum, quibus imponuntur, discrimine non obligant, præsertim si sint de rebus quæ non sunt absolute ad salutem necessariæ: ergo in eo saltem casu, nullum est præceptum recipiendi sacramentum Extremæ Unctionis.

Resp. 1. non valere argumentum in iis, qui sicut Apostolus cupiunt dissolvi, & esse cum Christo. 2. Objectum supponit, infirmos ordinarie non monendos de vitæ periculo, in quo versantur; quod est falsum. 3. Si valeret illud argumentum, probaret, pluribus infirmis Eucharistiam per modum Viatici conferri non debere: omnes enim vel agrestiores sciunt, sic non dari nisi de vita periclitantibus. 4. Illius periculi rationem non habuerunt Majores nostri, cum per multa sæcula (ut patet ex Gregorii Sacramentario, aliisque Veterum monumentis) infirmos unxerint, antequam Viaticum dispensarint. 5. Infirmi doceri debent hoc sacramentum non dari tantum iis, quorum salus corporea plane desperata sit, sed etiam iis, qui attentis aut ordinario caussarum secundarum ordine, aut arte medicinæ, priorem valetudinem recuperare non possunt. 6. Tandem doceri debent, corporis laborantis vires & medicamentorum virtutem plurimum augeri per Extremam Unctionem, ita ut ægrotus per sacramenti virtutem nonnumquam perducendus esset ad corporis sanitatem, si animæ saluti expediret.

Confirmatur responsio ex Concilio Burdigalensi, quod habitum est anno 1583. *Quapropter* (inquit) *Parochis, præcipimus, ut omnes curæ suæ creditos frequenter moneant, ne sint hac in re lentiores, aut negligentiores, cum inter eos aliquis periculose laborare videbitur. Curent etiam vulgus ab illa inani & impia opinione abducere, qua plerique sinistre de hujus Sacramenti virtute sentiunt, perindeque ac si mortem ægris acceleret.*

Iis, quæ hucusque de Extremæ Unctionis sacramento dicta sunt, adjungi deberet quæstio de ritibus qui in infirmorum unctione quondam adhibebantur, & nunc etiam adhibentur; sed de eo argumento vide Hugonem Menardum in notis ad Gregorii Magni Sacramentarium, Goarium in notis ad Euchologium Græcorum, Bellarminum lib. 2. De arte bene vivendi, c. 7. Comment. Historicum pag. 816. & seq. primæ edit.

DISSERTATIO SEPTIMA.

De Sacramento Ordinis.

Not. ORdinis nomen accipitur 1. pro debita & conveniente rerum dispositione: sumitur 2. pro statu, qui pluribus communis sit: 3. significat actionem, per quam aliquis Ecclesiæ ministris accensetur; ea autem actio appellatur *Ordinatio*, de qua in hac dissertatione dicendum incumbit.

QUÆSTIO PRIMA.

De Ordinis essentia.

Not. UT recte explicetur Ordinis essentia, tradenda est definitio, quæ singulis in specie ordinibus conveniat: expendendum est pariter, utrum Ordo sit sacramentum.

CONCLUSIO 1. Ordo definitur: *Ritus sacer quo spiritualis potestas confertur ad ea quæ ad Eucharistia tum confectionem, tum dispensationem pertinent.*

Probatur ac simul explicatur conclusio. Ordo dicitur 1. *Ritus sacer*, tum quod caremonia sensibilis, ex qua constat, aut a Christo, aut ab Ecclesia instituta sit, tum etiam quod ad sacrum finem referatur. Dicitur 2. Ritus sacer quo *spiritualis potestas* confertur, & in hoc ab aliis sacramentis discre-

discrepat; in iis enim recipitur quidem gratia, sed nec in corpus naturale Christi, nec in mysticum aliqua potestas activa confertur. Dicitur 3. Ritus, quo spiritualis potestas confertur *ad ea, quæ ad Eucharistiæ tum confectionem, tum dispensationem pertinent;* nullus est enim Ordo in specie, qui institutus non sit aut ad Eucharistiæ confectionem, ut Presbyteratus, vel dispensationem, ut Diaconatus, vel cultum illius singularem, ut Subdiaconatus & Minores Ordines.

Quæres cur in Ordinis definitione dictum non sit, quod sit *sacramentum novæ legis*.

Resp. id omissum fuisse, quod definitio convenire debeat omni definito: at singuli ordines non sunt (ut mox dicetur) verum ac proprie dictum sacramentum, licet quilibet vere ac proprie sit Ordo.

CONCL. 2. Ordo est vere ac proprie dictum sacramentum novæ legis.

Probatur 1. ex Scriptura. Cæremonia sensibilis, quæ producit gratiam sanctificantem, est vere ac proprie dictum sacramentum novæ legis: atqui Ordo est ejusmodi: *Admoneo te* (inquit Apostolus 2. epist. cap. 1. alloquens Timotheum, quem Episcopum & Presbyterum consecraverat) *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ita ratiocinatur Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 3.

Probatur 2. ex Patribus. Augustinus ordinationem expresse vocat sacramentum: *Utrumque* (inquit lib. 2. contra Epistolam Parmeniani, c. 13. agens de Baptismate & Ordine) *sacramentum est . . . . . Neutri sacramento* (per iterationem) *injuria facienda est.* Ambrosius lib. De Dignitate Sacerdotali, cap. 5. hæc habet: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam.* Ritum per quem Ordinatio confertur, & gratiam, quæ per illum ritum producitur, recensent, tum Latinorum Pontificalia, tum Græcorum Euchologia.

Quæres 1. Utrum quilibet Ordo sit sacramentum.

Resp. circa quæstionem illam esse plures Theologorum sententias. Prior, quæ multorum Thomistarum est, docet, omnes ac singulos in specie Ordines esse vere ac proprie dicta sacramenta: Altera id nec Subdiaconatui, nec Minoribus Ordinibus concedit: Tertia quæ Durandi est ac Cajetani, ne Diaconatui quidem concedit: Quarta fatetur, Diaconatum & Presbyteratum esse sacramenta, sed contendit id Episcopatui non convenire: Quinta denique vult & Episcopatum, & Presbyteratum, & Diaconatum esse sacramenta, non vero reliquos alios Ordines. Quid nos de ea controversia sentiamus, subsequentes conclusiones aperient.

CONCL. 3. Nec Subdiaconatus, nec Minores Ordines sunt sacramenta. Ita Estius, cui in suis thesibus Sorbonici passim subscribunt (

Probatur 3. Nulli Patres docuerunt, per Subdiaconatum aut Minores Ordines dari Spiritum sanctum, seu gratiam sanctificantem: 2. Nullus ex antiquis asseruit, eos esse ex institutione divina, immo nonnulli id expresse negarunt, ut Urbanus Papa II. in Concilio Beneventano, apud Yvonem Decreti par. 4. c. 71. *Super his solis* (Presbyteratu & Diaconatu) *præceptum Apostolicum habemus. Subdiaconis vero, quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus.* 3. Nusquam Subdiaconatus, aut Minores Ordines (saltem apud Latinos) collati sunt per impositionem manuum, cui tamen soli gratiam ordinationis, cum Scriptura, tum Patres adscribunt.

Objicies 1. Subdiaconatus, ex Concilio Tridentino, inter Majores Ordines refertur. 2. Subdiaconatui annexa est lex cœlibatus. 3. iterari non potest. Atqui ideo gaudet iis privilegiis, quod sit sacramentum proprie dictum: ergo, &c.

Resp. neg. min. Nam 1. Subdiaconatus per 12. priora sæcula, etiam apud Latinos, non fuit relatus inter Majores Ordines; nec his etiam temporibus apud Græcos. 2. Subdiaconis, aliquot sæculis, etiam apud Latinos, licitum fuit uti uxoribus ante ordinationem ductis. Vide Commentarium Historicum pag. 1029. ac sequentibus primæ edit. 3. Quod Subdiaconatus non iteretur, oritur ex sola Ecclesiastica lege, per quam fit, ut ipsa etiam Tonsura non iteretur. Ii tamen qui Subdiaconatum aut recipiunt, aut exercent in statu peccati mortalis, videntur peccare lethaliter, quia licet multum probabilis sit opinio quæ docet, Subdiaconatum non esse Sacramentum, non est tamen omnino certa (sunt enim plures non ignoti nominis Theologi, qui censent, ipsum esse vere, ac proprie dictum Sacramentum) ac proinde qui in peccati mortalis statu illum aut recipiunt, aut exercent, videntur sese exponere periculo ipsum indigne recipiendi, aut exercendi.

CONCL. 4. Diaconatus est Sacramentum proprie dictum; ita passim Theologi contra Durandum & Cajetanum.

Probatur. Ritus externus qui producit gratiam sanctificantem, est sacramentum proprie dictum: atqui Diaconatus est ejusmodi; nam quovis sæculo (ut infra dicetur) datus fuit per Episcopalem impositionem manuum conjunctam cum invocatione Spiritus sancti, & his etiam temporibus cum hac formula: *Accipe Spiritum sanctum ad robur,* qua virtus illius explicatur.

Objicies 1. Diaconatus non est ex institutione divina, sed Ecclesiastica tantum; nullibi enim videtur, quod a Christo institutus sit. 2. Institutus est ab Apostolis ad usum mere prophanum, distributionem scilicet eleemosynarum, quæ apud Apostolos deponebantur.

Resp.

Resp. ad 1. Divinam Diaconorum institutionem non referri quidem explicite in scripturis, sed implicite refertur; nec enim alioquin eorum ordinatio ab Apostolis, ut describitur Actor. 6. peracta fuisset. Præterea refertur etiam in Traditione, qua docemur esse in Ecclesia hierarchiam divinitus institutam: at in ea hierarchia Diaconi locum habuerunt semper; intelliguntur enim nomine *Ministrorum*, quod Concilium Tridentinum sess. 23. can. 3. docet ad divinam illam hierarchiam pertinere.

Resp. ad 2. neg. ant. Quamvis enim eleemosynarum dispensatio (ut Lucas in Actis refert) fuerit Apostolis occasio exequendi divinum de Diaconis instituendis præceptum, ea tamen dispensatio non fuit præcipuum ac unicum illorum officium; unde in ipsis Actis leguntur, catechumenos baptizasse ac prædicasse Evangelium. In Patribus etiam non raro asseritur, quod sacrum eis ministerium creditum sit, ut videre est apud Ignatium in epistola ad Trallianos, Cyprianum epistola 65. Concilium Neocæsariense, Hieronymum in Apologia adversus Jovinianum. Præterea in illis mensis passim (ut docent Patres) Eucharistia fidelibus dispensabatur.

Instabis. Concilium Quini sextum can. 16. negat, prioribus Diaconis creditum fuisse sacrum aliquod ministerium. Hieronymus in Epistola ad Evagrium eos vocat *Mensarum ac viduarum ministros*.

Resp. ad 1. Concilium Quini sextum nusquam ab Ecclesia Catholica fuisse receptum, nec mirum, in multis enim capitibus recessit a Patrum traditione, in eo præsertim; de quo agitur, ut videre est in Concilio Neocæsariensi, & aliis quæ laudata sunt, monumentis. Resp. ad 2. Hieronymum intelligi debere de Diaconis, habita ratione occasionis quæ movit Apostolos ad exequendum de illorum institutione Christi mandatum, non autem habita ratione finis præcipui, ad quem ab Apostolis consecrati fuere.

CONCL. 5. Presbyteratus est Sacramentum proprie dictum.

Probatur 1. Ex dictis, tria requiruntur ad sacramentum, institutio divina, ritus sensibilis, productio gratiæ sanctificantis: atqui tria illa reperiuntur in presbyteratu. Et quidem 1. est ex institutione divina, cum ex scriptura constet, Christum contulisse duplicem potestatem quæ Presbyteratui tribuitur; potestatem nimirum in ipsius Christi corpus naturale, hisce verbis Matth. 26. collatam: *Hoc facite*; & potestatem in corpus mysticum his aliis verbis Joannis 20. receptam: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. 2. Ritum habet sensibilem, impositionem nimirum manuum & invocationem Spiritus sancti, quibus (ut ex dicendis patebit) Ecclesia ab ipsis Apostolis ad hæc usque tempora ubique in conferendo Presbyteratu usa est: 3. Ritus ille producit gratiam sanctificantem: exprimitur enim in illius forma, & asseritur in scripturis: *Noli negligere gratiam quæ in te est* (inquit Paulus Timotheum alloquens 1. Epist. cap. 4.) *quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*.

CONCL. 6. Episcopatus est sacramentum proprie dictum: ita Bellarminus contra nonnullos recentiores, qui docent Episcopatum non aliud esse, quam sacerdotii extensionem, seu esse ipsummet sacerdotium, sed cui addita sit potestas ordines conferendi, ac Ecclesiam regendi.

Probatur 1. Episcopatus est ex institutione divina: *Spiritus sanctus* (inquit Paulus Actor 20.) *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. 2. Constat ritu sensibili, qui producit gratiam sanctificantem: de Episcopali nimirum gratia præsertim agebat Apostolus, tum 1. ad Timoth. 4. sic Timotheum Episcopum alloquebatur: *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*. Erat quoque quæstio de eadem Episcopali gratia, tum idem Apostolus eumdem Episcopum 2. ad Timoth. 1. sic alloquebatur: *Admoneo te, ut resuscites gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum*.

Objicies. Episcopatus non est Ordo, alioquin essent octo ordines; quod tamen negare videtur Concilium Tridentinum, nempe septem tantum ordines in eo recensentur: ergo non est sacramentum.

Resp. neg. ant. Ad cujus probationem dicendum est, quod cum Concilium Tridentinum septem ordines recenset, non excludat majorem numerum; nec enim voluit Catholicos damnare, qui Episcopatum & ordinem & sacramentum esse contendunt, sed damnare voluit Lutheranos contendentes, septem ordines, qui ab Ecclesia probantur, non esse veros ordines.

QUÆSTIO II.

De materia & forma Ordinationis.

Not. Certum est, nullam unquam ordinationem fuisse celebratam absque materia & forma; singulorum enim ordinum materiam & formam aut Scripturæ aut Patres recensent: sed quæstio est, quænam singulis ordinibus assignandæ sint.

CONCL. 1. Essentialis materia Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, est sola manuum impositio. Ita Morinus noster, ac passim Sorbonici in suis thesibus, contra plures recentiores.

Probatur 1. Ille ritus est sola essentialis ma-

materia Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, cujus Scriptura, Canones, Patres per mille priores annos meminerunt, & cui soli adscripserunt productionem gratiæ sanctificantis: atqui Scriptura, Canones, Patres, cum agunt de Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ordinatione, per mille priores annos meminerunt solius impositionis manuum, eique soli adscripserunt productionem gratiæ sanctificantis: ergo, &c.

Probatur minor. *Primo*, Apostolus in duplici ad Timotheum Epistola, cum agit de Timothei ordinatione sive in Episcopum, sive in Presbyterum, hæc ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Eadem ratione loquitur 2. ad Timoth. 4. *Secundo*, Lucas Actorum 6. referens Diaconorum ordinationem, hæc scribit: *Hoc statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Si alia sit hierarchicorum illorum ordinum essentialis materia, cur scriptura illius non meminit? cur illi soli adscripsit gratiæ productionem? *Tertio*, Concilium 4. Carthaginiense describens eorumdem Ordinum collationem, expresse recenset manuum impositionem, eique conjungit orationem, per quam gratia Sancti Spiritus invocatur. *Quarto*, Concilium Tridentinum explicans sess. 14. quinam presbyteri sint Extremæ Unctionis ministri, ait, esse sacerdotes ab Episcopis rite *ordinatos per impositionem manuum Presbyterii*. Tandem *Quinto*: Ordines de quibus agitur, in Ecclesia Orientali (ut patet ex Euchologiis) semper collati fuerunt & nunc etiam conferuntur per solam manuum impositionem: ergo & in Ecclesia Latina, cum una semper & ubique debeat esse essentialis sacramentorum materia, ut ostendimus agentes de Sacramentis in genere.

Objicies 1. Eugenius Papa IV in Decreto pro Instructione Armenorum, asserit, materiam Presbyteratus esse traditionem calicis cum vino, ac porrectionem patenæ cum superimposito pane.

Resp. Eugenium IV. loqui de materia integrante & accessoria, non autem de materia essentiali. Ratio est, quia Eugenii scopus fuit docere Armenos Ecclesiæ Romanæ ritus: ac proinde debuit eis tradere solam materiam integrantem; cum essentiali, seu, manuum impositione, jam uterentur.

Objicies 2. Qui ordinantur in Presbyteros, in Pontificali Romano post peractam impositionem manuum & ante porrectionem instrumentorum, adhuc vocantur *ordinandi*. Præterea Episcopus, dum patenam & calicem post factam manuum impositionem porrigit, sic loquitur: *Accipite potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis*: ergo ante illum ritum, is qui ordinatur, nondum habet potestatem offerendi sacrificium; atque adeo nondum in eum peracta est essentialis Presbyteratus cæremonia.

Resp. ad 1. eos, de quibus agitur, vocari *ordinandos*, non quidem, quod essentialis ritus nondum peractus sit, sed quod nondum completa sit tota ordinationis cæremonia, etiam quæ integrans est tantum & accessoria. Ad 2. vero dicendum est, hæc ordinantis Episcopi verba, *Accipe potestatem*, &c. non esse collativa potestatis offerendi sacrificium, sed explicativam tantum, seu Episcopus monet Presbyteros quam acceperint potestatem.

CONCL. 2. Materia Subdiaconatus & Minorum Ordinum apud Græcos est impositio manuum, apud Latinos vero est instrumentorum porrectio.

Probatur prior pars ex eo, quod ritum alium ab impositione manuum non recenseant Græcorum Euchologia, cum Subdiaconorum & Lectorum ordinationem describunt. Altera vero pars evidens est in Pontificali Romano, quod quidem referens ordinationem Subdiaconorum & Minorum Ordinum, nullam recenset impositionem manuum, sed solam instrumentorum porrectionem; idque juxta ritum in Concilio Carthaginiensi IV. præscriptum: *Subdiaconus (inquit) cum ordinatur, quia manus impositionem non accepit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum*.

Objicies. Materia Ordinis debet esse eadem ubique: ergo cum apud Græcos manuum impositio sit materia Subdiaconatus, ac Lectoratus, debet quoque esse apud Latinos eorumdem ordinum essentialis materia.

Resp. dist. ant. Materia Ordinis qui sit sacramentum, conc. ant. qui non sit sacramentum, ut revera non sunt Subdiaconatus & Minores Ordines, neg. ant.

Quæres, quænam in specie sit tum Subdiaconatus, tum Minorum Ordinum essentialis materia apud Latinos.

Resp. 1. Subdiaconatus materiam esse traditionem calicis vacui, & patenæ vacuæ, nec non urceoli cum aqua & manutergio: Ea nimirum omnia refert Gregorius in Sacramentario, & Pontificale Romanum. Aliquibus abhinc sæculis porrectioni vasorum addita fuit traditio libri Epistolarum: cujus cum nec Magister Sententiarum, nec S. Thomas meminerit, facile colligitur, eam obtinuisse tantum post eorum tempora.

Resp. 2. materiam Acolythatus esse traditionem ceroferarii cum cereo, nec non urceoli vacui; materiam Lectoratus esse traditionem libri, ex quo lectores sunt lecturi; materiam Exorcistatus esse traditionem libri Exorcismorum; materiam denique Ostiariatus esse traditionem clavium templi, & tactus funis campanarum.

Ra-

Ratio est, quia ordines, de quibus agitur, per eos ritus apud Latinos conferuntur, ut in Pontificali Romano videre est.

CONCL. 3. Forma Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus est oratio per quam Episcopus invocat Spiritum sanctum in eos quibus manus imponit.

Probatur. *Primo*; nec Concilium Cathaginiense IV. nec Gregorius in suo Sacramentario, nec Pontificalia Latina ante quingentos abhinc annos edita, referunt alia verba quæ ab Episcopo ordinante proferantur, quam oratio quæ ab eo funditur, dum manus imponit: unde ista quæ ad Presbyteros spectant: *Accipe potestatem offerre &c.* aut ista quæ post communionem dicuntur: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* hæc quoque quæ ad Diaconos pertinent: *Accipite Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus, in nomine Domini*; non sunt essentialis, sed integralis tantum aut Presbyteratus aut Diaconatus forma. *Secundo*, apud Græcos non aliud in Euchologiis, etiam his temporibus, legitur, quam oratio, quæ manuum impositionem comitatur.

Verum in praxi præter impositionem manuum & orationem adhibendi sunt quoque alii ritus, in quibus plures Scholastici constituunt Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus materiam & formam. Ratio est, quia licet sententia, quam defendimus, sit multo probabilior contraria, cum Ordinibus hierarchicis easdem in specie tribuat materias & formas, quas per mille priores annos Ecclesia ubique tribuit; tamen opinio quæ porrectionem instrumentorum adjungit impositioni manuum, tutior est; ac proinde, donec Ecclesia de hoc argumento aliquid specialius definierit, est in praxi servanda, cum (ex Innocentio Papa XI.) in sacramentis conficiendis minister teneatur sequi opinionem tutiorem, relicta etiam probabiliore, quæ minus sit tuta.

CONCL. 4. Verba quæ comitantur instrumentorum traditionem, sunt apud Latinos tum Subdiaconatus, tum Minorum Ordinum essentialis forma.

Probatur. *Primo*, illa verba explicant ordinum illorum ministeria; *Secundo*, non alia tum in antiquis tum in hodiernis Pontificalibus referuntur.

De singulorum in specie Ordinum materia & forma vide Morinum nostrum *De Sacris Ordinationibus*, par. 3. Exercitatione 7. Maldonatum Tom. 1. *De Sacramentis*, Tractatu *De Ordine*, q. 2. par. 2. Hugonem Menardum in notis in Gregorii Magni Sacramentarium, Commentarium nostrum Historicum, pag. 877. 910. 926. 935. primæ editionis.

QUÆSTIO III.

De Ordinis Auctore.

CONCL. 1. CHristus Ordinis sacramentum instituit.

Probatur. Ex dictis superius, Ordinis sacramentum complectitur Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum: atqui Christus triplicem illum Ordinem instituit, ut quæstione 5. demonstravimus.

Quæres, quo præcise tempore Christus triplicem illum Ordinem instituerit.

Resp. Christum Episcopatus & Presbyteratus effectum Apostolis contulisse non collatis Episcopatus aut Presbyteratus Ordinibus; neque enim usus est aliquo signo sensibili, quo illorum Ordinum virtutem ac potestatem eis conferret; sed docuit eos quænam signa ipsi deinceps adhibere deberent, ut Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos consecrarent; id enim evincit constans ratio, qua tum ipsi post Christi mortem, tum tota Ecclesia ubique semper Ordines illos contulit. Verisimile est autem id factum fuisse in ultima cœna, in qua Apostoli creati sunt Novi Testamenti sacerdotes, aut saltem post resurrectionem.

QUÆSTIO IV.

De ministro Ordinis.

Not. ORdinis minister duplex est, ordinarius nimirum & extraordinarius: de utroque hac in quæstione dicemus.

CONCL. 1. Ordinarius Ordinationis minister est solus Episcopus.

Probatur 1. Sacri Codices nulli alteri, quam Episcopo, ordinationem tribuunt: 2. Ei quoque soli idem jus tribuitur tum in Conciliis, tum in Patribus, tum in Gregorii Sacramentario, tum in Euchologio Græcorum: 3. Qui ausi sunt asserere, Ordinationes ad Presbyteros pertinere, proscripti fuerunt ab Ecclesia, ut videre est in Colluthо, de quo loquitur Athanasius in secunda Apologia; in Aerio, de quo agit Epiphanius hæresi 56. in VVicleffo, cujus meminit Constantiense Concil. sess. 8. & tandem in Luthero & Calvino, quorum eo in capite praxim & dogma Concilium Tridentinum damnavit sess. 23. cap. 4. & canone 7. Tandem 4. una vox est Patrum, in eo præsertim eminere Episcopos, quod soli ordinationum jus habeant: *Quid facit Episcopus* (inquit Hieronymus in Epist. ad Evagrium) *excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?*

Quæres 1. Utrum ab Omni Episcopo ordinationem recipere liceat.

Resp. negative, idque sub pœna suspensionis ad arbitrium Ordinarii; nempe Concilium Tridentinum decrevit, unumquemque teneri ordi-

ordines a proprio Episcopo recipere, aut si ab alieno, de proprii tamen licentia, quæ litteris dimissoriis constet.

Quæres 2. quotuplex sit *proprius* Episcopus.

Resp. triplicem distingui a Bonifacio Papa VIII. Originis nimirum, Domicilii, & Beneficii. In Galliis prioris tantum & non aliorum habetur ratio, ut constat ex decreto Cleri Gallicani ad Comitia Generalia Parisiis anno *1657.* congregati. De iis quæ ad hanc materiam spectant, Romæ pridie nonas Novembris ann. 1694. promulgata est Innocentii Papæ XII. Constitutio, cujus capita iisdem, quibus edita sunt verbis, placet hic inserere, quod iis Ecclesiasticæ disciplinæ sapientissime ac canonice consulatur.

Decernitur & declaratur *primo*, nulli Episcopo seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii legitime contracti non subditum, ad Clericalem tonsuram promovere, cujusvis Beneficii Ecclesiastici ei statim ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is a Patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit, prætextu, etiamsi Beneficium prædictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quia immediate post Clericalem characterem susceptum ad illud instituatur. Præterea Clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eamdem Clericalem tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii in illius diœcesi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ observandas exhibuerit.

Decernitur ac declaratur *secundo*, quod licet Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus diœcesi Beneficium hujusmodi situm est, ea tamen de cetero hac in re inconcusse servari debeat regula, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines requirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta Taxam Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii, cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis diœcesi obtineret: ac Episcopus sic ordinans, tam de prædictis Testimonialibus Litteris, quam de reditu Beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

Decernitur ac declaratur *tertio*, ut Subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco, & quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum & naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales obtinere, illasque Episcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas præsentare teneatur.

Decernitur ac declaratur *quarto*; quod si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per patrem legitime contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi debet.

Decernitur ac declaratur, *quinto*, ut Subditus ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines, is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo alio loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulterius utroque casu se vere & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum litteris facienda erit.

Decernitur ac declaratur *sexto*, ut nullus Episcopus alienæ diœcesis Subditum familiarem suum ad aliquos Sacros, seu Minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat, absque ejus proprii, Originis scilicet, seu Domicilii, Prælati testimonialibus litteris, ut supra, & nisi ad præscriptum Concilii Tridentini præfati sess. 23. c. 9. *De Reform.* familiarem prædictum per integrum & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; Beneficium insuper conferre,

ferre, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factæ Ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Decernitur ac declaratur *septimo*, quod, ut aditus fraudibus præcludatur, Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis Commendatitiis litteris promotos, nedum ad summam Concilii Tridentini supradicti sess. 24. cap. 3. *De Reform.* quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis constitutionis forma & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapso id minime præstitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

CONCL. 2. Presbyteri simplices non sunt cujuscumque Ordinis, sed aliquorum tantum extraordinarii ministri.

Probatur. *Primo*, Presbyteri simplices, etiam ex delegatione, conferre non possunt, aut Episcopatum, aut Presbyteratum; nullum enim ejusmodi delegationis exemplum in traditione reperitur, immo concedi non posse delegationem illam etiam ad Presbyterorum ordinationem, docent hæc Chrysostomi verba: *Sola ordinatione Episcopi Presbyteros videntur superare & antecedere*. Contrarium tamen, saltem Presbyterorum ordinandorum respectu, negant Meratius, aliique recentiores. *Secundo*, nullum pariter est momentum (saltem de cujus veritate omnes conveniant) quo probetur, Presbyteros fuisse ab Ecclesia commissos, ut Diaconos ordinarent. *Tertio*, Abbates Cistercienses proferunt bullas, quibus fit eis facultas Subdiaconatum ac Minores Ordines conferendi subditis sibi monachis: proindeque tum Subdiaconatus, tum Minorum Ordinum sunt extraordinarii ministri.

QUÆSTIO PRIMA.

De Ordinis subjecto.

CONCL. Muliebris sexus jure divino incapax est sacræ Ordinationis.

Probatur 1. ex Scriptura qua docemur, muliebrem sexum ad docendum, aliasque publicas functiones ordinationi convenientes, nativo quodam pudore, & naturali subjectione ineptum esse: 2. ex Traditione, qua constat, Patres damnasse Gnosticos, Collyridianos, Montanum, & alios qui mulieribus sacros Ordines, ipsum etiam Sacerdotium, in suis sectis concedebant.

Objicies 1. In antiquis canonibus multæ mulieres dicuntur Episcopæ, Presbyteræ, Diaconæ. 2. In Ecclesia, tum Occidentali, tum Orientali visæ sunt per plura sæcula Diaconissæ, quæ multis sacris muneribus perfunctæ sunt.

Resp. ad 1. sic dictas fuisse mulieres illas, non quod Clero dedissent nomen, sed quod earum mariti ad Episcopatum, Presbyteratum, aut Diaconatum, promoti fuissent. Resp. ad 2. Diaconissarum inaugurationem, quæ tum in Euchologiis Græcorum, tum in veteribus Latinorum Pontificalibus describitur, non aliud fuisse, quam commissionem officiorum quorumdam spiritualium erga mulieres, quas Diaconissæ privatim docebant, vel denudabant baptismi sollemnis tempore. De Diaconissis, vide Morinum nostrum libro *de sacris Ordinationibus*, Commentarium nostrum Historicum a pag. 930. ad pag. 933. primæ editionis.

CONCLUSIO 1. Nonnullæ qualitates in Ordinis subjecto requiruntur.

Probatur. *Primo*, certa ætas est necessaria, de qua Concilium Tridentinum statuit, ut nullus promoveatur ad Subdiaconatum ante 22. annum, ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. quod quidem est intelligendum de annis inchoatis: pro Minoribus Ordinibus & pro Tonsura, certa ætas non determinatur jure novo: Tonsura a nostratibus Episcopis passim non datur ante annum 14. saltem inchoatum. *Secundo*, requiritur vitæ probitas, quæ posita est tum in eo, quod ordinandus publica crimina non perpetrarit, nec addictus sit occultis, carnis præsertim. *Tertio*, requiritur doctrina, quæ varia est pro variis ordinibus. *Quarto*, ad Subdiaconatum in sæcularibus requiritur Beneficium sufficiens ad victum, aut Patrimonium; quod quidem si fictum sit, præter peccatum mortale incurritur suspensio iis in locis, aut in quibus promulgatum fuit Concilii Tridentini decretum, quo antiqui canones contra promotos sine titulo innovantur, an in quibus speciales ea de re leges Ecclesiasticæ vigent, ut in diœcesi Parisiensi, quæ in suo Rituali promotos cum ficto titulo recenset inter irregulares. *Quinto*, requiritur vocatio: nemo enim sibi sumit honorem. *Sexto*, requiritur legitimum tempus: Tonsura quovis anni tempore confertur: Minores quavis die Dominica; Majores vero non conferuntur, nisi sabbatis Quatuor (ut vocant) Temporum, & sabbatis quæ Dominicas Passionis & Resurrectionis præcedunt. *Septimo*, requiruntur interstitia, & quidem trium mensium inter Minores Ordines, unius anni ab Acolythatu ad Subdiaconatum, nec non a Subdia-

Subdiaconatu ad Diaconatum, & a Diaconatu ad Presbyteratum. Ita decernit Concilium Tridentinum sess. 23. c. 11. *De Reform.* ubi etiam notandum est hocce ejusdem Concilii monitum: *Cumque hinc* (de Minoribus loquitur) *ad altiores gradus, & sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes Majoribus Ordinibus dignum ostendat.*

Quæres, an director laico qui lapsus est in carnis flagitia, consulere debeat, ut clero det nomen.

Resp. 1. lapsos in carnis flagitia, per mille priores annos fuisse irregulares. Resp. 2. permittere nunc Ecclesiam, ut homines de quibus agitur, diu per pœnitentiam probati, & non alias, Ordines suscipiant. Resp. 3. iis hominibus, nisi dotibus emineant, quibus Ecclesiæ possint esse multum utiles, suadendum esse, ut in statu laico remaneant, præsertim si actum externum fornicationis cum mulieribus, aut peccatum contra naturam commiserint: nempe Seminariorum directores (ut ex pluribus audivi) sæpius experti sunt, eos, si sui juris fuerint, ac cum mulieribus etiam ex necessitate egerint, vix ab iniquis illis actibus temperare. Verum, cum paucæ sint regulæ, quæ aliquas exceptiones non patiantur, negotium hoc sapientis ac eruditi directoris prudentiæ committendum est.

QUÆSTIO VI.

De Ordinis effectibus.

Not. NOn est hic quæstio de effectibus Ordinum qui non sunt sacramenta, sed de iis tantum qui sunt sacramenta vere ac proprie dicta: Illi autem effectus sunt duo, Gratia nimirum & Character, ac proinde de iis est hac in quæstione disputandum.

CONCL. 1. Gratia sanctificans est effectus Ordinum, qui sunt sacramenta proprie dicta.

Probatur iis omnibus argumentis, quibus quæstione 1. ostensum est Ordinationem esse novæ Legis sacramentum.

CONCL. 2. Character est proprius sacræ ordinationis effectus.

Probatur. Ordo legitime & secundum canones datus in Ecclesia, nunquam iteratus fuit, id nimirum districte prohibet can. 68. Apostolicus, can. 38. tertii Concilii Carthaginiensis, Augustinus *De Bono Conjugali* c. 24. Ita etiam definiit Concilium Tridentinum sess. 7. *De Sacramentis in genere.*

Objicies plurima veterum facta, 1. Stephanus Papa IV. circa annum 769. declaravit invalidas ordinationes factas a Constantino Papa, qui post mortem Pauli Papæ I. Sedem Romanam invaserat. 2. Hincmarus Remensis iteravit ordinationes ab Ebbone Remensi factas post canonicam illius depositionem. 3. Stephanus Papa VI. circa annum 896. irritas fecit ordinationes omnes celebratas a Formoso, qui ab Episcopatu Portuensi convolarat ad Romanum, easque ipse iteravit, ac ab eodem Formoso consecratos ministros iterum ipse consecravit.

Respondent nonnulli, ordinationes a Constantino, Ebbone & Formoso factas, declaratas fuisse irritas & nullas quoad actum, non autem quoad substantiam; ita ut ministri ab eis valide consecrati, ab exercitio suorum ordinum prohibiti fuerint. Alias eorumdem factorum solutiones vide in Comment. Histor. pag. 835. ac seq. primæ edit. ubi retulimus sententiam Morini contendentis, ordinationes tentatas contra canones, irritas fuisse, eo quod Ecclesia suis decretis inhabiles ad Ordines conferendos effecisset eos, qui contra canones aliquid tentarent.

QUÆSTIO VII.

De Ordinum numero.

Not. NUmerum Ordinum in Ecclesia receptum damnarunt Lutherani & Calvinistæ, contra quos paucis hic Ecclesiæ fidem proponamus oportet.

CONCLUSIO. De fide est, septem esse Ordines, certumque est eorum nomina ac officia ab initio Ecclesiæ fuisse in usu.

Probatur prior pars ex Concilii Tridentini sessione 23. c. 2. ubi damnantur anathemate qui negant esse quatuor Minores Ordines, Acolythatum nempe, Exorcistatum, Lectoratum, & Ostiariatum: tres etiam Majores, scilicet presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum.

Probatur altera pars 1. ex Fabiano Papa, qui tertio Ecclesiæ sæculo singulos septem Ordines recenset in sua ad Fabium Antiochenum epist. 2. recensentur quoque in Conc. Carthaginiensi IV. plures etiam refert priore Ecclesiæ sæculo Ignatius in epistola ad Antiochenses.

Quæres 1. utrum sit de fide, quod sint tantum septem Ordines: 2. utrum omnes sint in usu apud Orientales.

Resp. ad 1. negative; multi enim cum Bellarmino, cui alibi subscripsimus, contendunt, Episcopatum esse Ordinem & Sacramentum a ceteris distinctum. Unde Concilium Tridentinum non dixit esse septem *tantum* Ordines, quemadmodum definiit esse septem *tantum* Novæ Legis Sacramenta.

Resp. ad 2. neg. siquidem Græci ex Minoribus Ordinibus non admittunt, nec administerunt unquam, nisi solum Lectoratum: nempe solius Lectoratus meminerunt Euchologia, quibus a mille annis & amplius utuntur. Illam Græcorum praxim probarunt octava Synodus Œcumenica, Joannes Papa VIII. & exempla virorum sanctissimorum, qui apud Orientales floruerunt.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De singulis in specie Ordinibus.

Not. Cum præcedentibus quæstionibus jam a nobis dictum sit de materia, forma, auctore, ministro, subjecto, effectibus, numero singulorum Ordinum, hic pauca pertractanda supersunt.

CONCLUSIO 1. Episcopi jure divino sunt Presbyteris superiores.

Probatur. *Primo*, quod sint superiores, definiit Conc. Trid. sess. 23. can. 7. *Secundo*, quod ea superioritas eis *jure divino* competat, definitum quoque videtur eadem sess. c. 4. ubi asseritur, Episcopos primum locum tenere in Hierarchia, quam ipse Christus instituit.

Quæres 1. utrum Episcopi sint Ecclesiæ necessarii.

Resp. Episcopos necessarios esse 1. ad ministrorum ordinationem: nempe Presbyteri præsertim, a nullis aliis quam ab Episcopis ordinari possunt etiam per delegationem, quidquid in contrarium Meratius aliique recentiores scripserint. 2. Seposita etiam illa ministrorum consecratione, Episcopi sunt necessarii ad singularum Ecclesiarum regimen: Siquidem semper & ubique mos fuit præficiendi Episcopos Ecclesiis, quæ in populosis urbibus, aut saltem provinciis, reperirentur. Præterea Patres docuerunt, imperfectam & viduam esse Ecclesiam quæ caret Episcopo. Contrarium tamen senserunt nonnulli, contra quos scripsit Petrus Aurelius, quique a Clero Gallicano in Comitiis Generalibus anno 1631. damnati sunt.

Quæres 3. quinam sint in Episcopatu gradus.

Resp. 1. Papatum *jure divino* supremum esse totius ordinis Episcopalis gradum, nempe Papa successor est Petri, cujus curæ ac regimini Christus non agnos tantum, sed etiam oves, a quibus agni generantur, credidit, cum hisce verbis eum allocutus est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Resp. 2. in Episcopatu *jure Ecclesiastico* esse gradus Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum & Episcoporum simplicium. De quæstionibus ad Episcopos spectantibus, vide Morinum nostrum lib. *De sacris ordinationibus*, Thomassinum nostrum Tomo I. *De veteri & nova Ecclesiæ disciplina*, Comm. Hist. a pag. 867. ad pag. 909. primæ edit.

CONCL. 2. Presbyterorum officia sunt Eucharistiæ consecratio, aliorum ab Ordine ac Confirmatione sacramentorum dispensatio, Ecclesiæ sub Episcopis regimen.

Probatur. Ea officia Presbyteris tribuit traditio; recensentur quoque iis Pontificalis Romani locis, in quibus Presbyterorum ordinatio describitur.

Quæres, quinam sint in Presbyteratu gradus.

Resp. inter Presbyteros eminere Parochos, quos jus canonicum & S. Thomas vocant *Prælatos Minores*. De divina Parochorum institutione legi possunt Petrus Aurelius, variæ facultatis Theologicæ Parisiensis censuræ adversus eos qui negarunt, Parochos esse divinæ institutionis.

CONCL. 3. Varia sunt Diaconorum officia.

Probatur 1. Eorum est panem & vinum sacerdoti sacrificanti ministrare; docere populum, ubi id jussi fuerint ab Episcopo; baptizare sollemniter ex commissione, & absente Presbytero; Eucharistiam in casu necessitatis administrare. Scilicet, sive in Pontificali Romano, sive in jure Canonico, officia illa Diaconis tribuuntur.

CONCLUSIO 4. Varia sunt Subdiaconatus & Minorum Ordinum officia.

Probatur enumeratione. 1. Subdiaconi vasa sacra disponunt ad sacrificium; præparant panem & vinum & aquam, quæ sunt proxima Eucharistiæ materia; post Offertorium infundunt aquam in calicem, in quem Diaconus immisit vinum; tandem secundum hodiernum usum Epistolam cum manipulo sollemniter legunt intra Missarum sollemnia. 2. Acolythi accendunt cereos; deferunt ceroferarium; urceolos offerunt Subdiacono. Lectores recitant alta voce lectiones & prophetias, quæ tum in Missa, tum in officio matutino decantari solent: potest Parochus eis committere ut pueros doceant orationem Dominicam, salutationem Angelicam, fidei rudimenta & decalogum. Exorcistæ dæmones fugant exorcismis: operæ pretium esset, ut eo munere, etiam præsentibus majoribus ministris, fungerentur, cum ad illud specialiter ordinentur. Ostiarii aperiunt ac claudunt templorum fores; campanas pulsant, ut ad synaxes fidelem populum advocent.

QUÆSTIO X.

De Tonsura Clericali.

Not. Tonsuræ nomen sumitur 1. pro corona seu abrasione pilorum, quæ in capitis summitate desinit in circulum: 2. pro cæremonia peculiari, qua quis ex laico fit clericus: de tonsura sumpta in posteriore sensu hic nonnulla dicenda sunt.

CONCL. Tonsura Clericalis definitur: *Cæremonia sacra qua quis ex laico fit Clericus.*

Probatur 1. Tonsura confertur per capillorum tonsionem, per superpelliceum quod induitur, & per varias orationes quæ ab illius ministro proferuntur: ergo est cæremonia sacra: 2. ubi quis initiatus est ea cæremonia, fruitur Clericatus privilegiis, nempe potest possidere beneficia, & suo tempore ad Ordines promoveri: ergo per eam cæremoniam aliquis ex laico fit Clericus.

Quæres 1. Utrum Tonsura sit Ordo: 2. a quo conferri possit: 3. quibus sit conferenda.

Resp. ad 1. negative, est enim mera ad Ordines dispositio; nempe prout laicus mundo ac iis qui eo continentur, quoad affectum, nuntium remittit, dicendo: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi;* sese, cum ab Episcopo vocatus fuerit, ad ordines recipiendos disponit.

Resp. ad 2. Tonsuram *ordinarie* non posse conferri, nisi ab Episcopo; *extraordinarie* tamen, seu per commissionem, confertur a Presbyteris Cardinalibus in Ecclesiis quarum sunt titulares: confertur etiam a quibusdam Abbatibus. Vide quæ superius dicta sunt, tum de Minorum Ordinum ministro, tum de proprio cujusque Episcopo.

Resp. ad 3. hisce Concilii Tridentini verbis, sess. 23. c. 4. de Reform. *Prima Tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit eos, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

Ex eo autem Concilii textu Navarrus *De Orat. & horis Canonicis*, cap. 7. concludit eos peccare lethaliter, qui Tonsura initiari volunt solum propter commodum aliquod temporale: ac proinde (inquit) *satius foret, ipso ordinationis die, ipsis frangi crura, quam Tonsura initiari*. Id Parochi monere debent carnales parentes, qui non ob aliud natos suos Ecclesiæ tonsurandos offerunt, quam ut familiam beneficiorum proventibus augeant, sæpe etiam parum solliciti, an iidem nati vocationem, ingenio ac morum probitate probaverint. Meminerint iidem parentes, specialem curam circa eos adhibendam esse, quos conjecerint nomen aliquando daturos esse clero; ac præsertim caveant, ne carnis spurcitiis in pueritia commaculentur.

DISSERTATIO OCTAVA.

De Matrimonio.

Not. 1. Apud auctores tria leguntur Matrimonii nomina: 1. a matre dicitur *Matrimonium*, potius quam Patrimonium a patre, eo quod procreatio prolis, cujus caussa matrimonium institutum est, in matre, non autem in patre, evidens fiat: 2. vocatur *Connubium*, a velo, quo in subjectionis signum sponsæ caput obducitur: 3. nuncupatur *Conjugium* a communi jugo cui vir & mulier se se subjiciunt, cum ad prolis generationem sibi invicem corpora tradunt.

Not. 2. Matrimonium duobus modis potest considerari: 1. prout est politicus ac civilis contractus: 2. prout est Novæ legis sacramentum. De eo sub illo duplici respectu est hic agendum.

QUÆSTIO PRIMA.

De Matrimonii contractu.

Not. In Matrimonii contractu perpendi possunt essentia, materia, forma, auctor, proprietates, sollemnitates, impedimenta, actus conjugalis, ad quem ordinatur.

CAPUT PRIMUM.

De essentia, materia, forma, auctore contractus matrimonialis.

CONCL. 1. Contractus matrimonialis essentia hac illius definitione continetur: *Contractus matrimonialis est actio, per quam vir & mulier corporum suorum dominium ad usum conjugalem sibi invicem tradunt, & accipiunt.*

Probatur 1. Posita actione, de qua in conclusione, ponitur matrimonium, & ea sublata, tollitur: ergo, &c. 2. Si contractus matrimonialis essentia non esset posita in actione, de qua agitur, deberet esse posita aut in jure ad actum conjugalem, aut in vinculo, quod resultat ex matrimonio: atqui in neutro posita est. Non in priore, quia jus ad actum conjugalem, tollitur per unius e conjugibus fornicationem, quamvis stet matrimonium. Non etiam in altero, nempe vinculum est effectus contractus matrimonialis, proindeque non potest esse illius essentia.

Objicies. Matrimonium est aliquid permanens, cum sit indissolubile: ergo non est positum in actione, quæ sit transiens. 2. Eugenius Papa IV. ait, mutuum consensum esse caussam efficientem matrimonii: ergo non est caussa illius intrinseca.

Resp. Matrimonium secundum vinculum, esse aliquid permanens, non autem secundum essentiam: Eugenius loquitur de Matrimonio in illo sensu, non autem in isto.

CONCL. 2. Materia, ex qua constat contractus matrimonialis, est nubentium consensus.

Probatur. Illud est materia *ex qua* contractus matrimonialis, quo contractus matrimonialis intrinsece componitur: atqui componitur ex nubentium consensu; nempe ex eo consensu sequitur effectus matrimonii, alienatio nimirum proprii corporis, & jus ad alienum.

Quæres 1. utrum consensus matrimonialis debeat esse exterior, seu utrum necesse sit, quod signis exprimatur.

Resp. affirm. Ratio est, quia alioquin consensus unius ex conjugibus non posset ab altero conjuge acceptari, ab eo scilicet non posset cognosci. Manifestatur autem regulariter (ut ait Eugenius Papa IV.) per verba

de

de præsenti, quæ quidem (ut docet Innocentius III. cap. Fraternitatis) *quantum ad Ecclesiam necessaria sunt*, idest, ea requirit in iis, qui loqui possunt; extraordinarie vero exprimitur per nutus & alia signa exteriora, in iis qui loqui non possunt.

Resp. 1. certum esse apud omnes Theologos requiri consensum internum ad verba quæ a conjugibus proferuntur, hoc est, necesse est, ut a contrahentibus, libere, seu nulla vi exteriore cogente, proferantur: Verum apud eosdem Theologos dubium est, an requiratur consensus internus ad traditionem proprii corporis in ordine ad actum conjugalem, & acceptationem alieni.

Resp. 2. probabilius censere, qui asserunt satis esse, ut internus consensus terminetur ad verba quibus contractus matrimonialis exprimitur. Ratio est 1. quia alioquin incerta essent fere omnia matrimonia: 2. Qui in una regione præbuisset consensum, & suam intentionem retinuisset, posset in alia regione nubere cum altera muliere, quod est absurdum: 3. Sequitur conclusio ex iis quæ agentes de sacramentis in genere diximus de intentione requisita, sive in ministro, sive in subjecto sacramentorum.

Quæres 3. an consensus matrimonialis debeat habere pro objecto prolis generationem.

Resp. 1. non esse necesse, ut illam habeat explicite, immo (ut mox dictum est) valeret matrimonium initum ab eo; qui dum libere profert verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, interius diceret: *Nolo tradere meum corpus in ordine ad actum conjugalem*. Resp. 2. contractum matrimonii pro objecto habere, saltem implicite ac indirecte, prolis generationem. Ratio est, quia is qui nubit, dat alteri jus ad suum corpus, ac proinde indirecte consentit, ut eo utatur ad generationem prolis. Nec est, quod quis objiciat Mariæ Virginis matrimonium cum Josepho: Nam Maria ex divina revelatione didicerat, Josephum nusquam usurum esse suo jure. Præterea S. Thomas contendit, eam post suum cum Josepho matrimonium, non ante, emisisse perpetuæ virginitatis votum.

CONCL. 3. Materia, *circa quam* versatur contractus matrimonialis, sunt propria conjugum corpora.

Probatur. Propria conjugum corpora per contractum matrimonialem dantur & acceptantur a conjugibus: ergo sunt materia, circa quam versatur.

CONCL. 4 Forma contractus matrimonialis sunt hæc verba, aut in mutis, signa illis æquivalentia: *Accipio te in meam*, *Accipio te in meum*.

Probatur. Per illa verba aut signa eis æquivalentia (modo tamen servatis servandis proferantur) matrimonialis contractus perficitur: dantur nimirum (ut mox dictum est) & acceptantur corpora conjugum in ordine ad actum conjugalem.

CONCL. 5. Deus matrimonium instituit ante lapsum Adami, confirmavit in Lege Mosaica, ac probavit in Evangelica.

Probatur prior pars. Deus Adamo & Evæ ante lapsum fecunditatis virtutem impertitus est: *Crescite & multiplicamini*: eos conjunxit arctissima societate, quam Adamus de Eva loquens sic expressit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: atqui ea societas fuit matrimonialis: ad eam alludens Adamus hæc protulit spiritu prophetico: *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*.

Probatur altera pars. Lex Deuteronomii 25. injungit fratri superstiti, ut ducat in matrimonium relictam a fratre, qui sine liberis e vivis excessisset.

Probatur tertia pars. Christus ipse, Joannis 2. adfuit nuptiis in oppido Cana celebratis Matthæi 19. asseritur, quod Deus conjungat eos qui nubunt. Unde Paulus ad Timotheum scribens, eos arguit, qui in Evangelio nuptias damnaturi erant.

CAPUT II.

De proprietatibus contractus matrimonialis.

Not. PRoprietates contractus matrimonialis reduci possunt ad matrimonii unitatem, necessitatem, indissolubilitatem.

ARTICULUS I.

De Matrimonii Unitate.

CONCL. 1. POlygamia simultanea jure divino prohibita est in Evangelio.

Probatur 1. Christus Matthæi 19. matrimonium reduxit ad primam institutionem, seu, ad unius cum una conjunctionem: *Masculum & Feminam fecit eos*. 2. Lucæ 16. asserit, adulterii reum esse, qui dimissa uxore, aliam duxerit. *Quicumque* (inquit) *dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur*: 3. Merito igitur Conc. Trid. sess. 24. can. 2. anathemate damnavit eos qui contenderant, nulla divina lege Christianis prohibitum esse plures simul uxores habere. Impie igitur Lutherus, Melancthon & Bucer Philippo Landgravio Hassiæ facultatem fecerunt nubendi simul cum duabus uxoribus. Novatorum ea de re consultationem descripsimus in Comment. Hist. pag. 958. primæ edit.

Quæres, utrum polygamia simultanea non tantum jure divino positivo, sed etiam naturali prohibita sit.

Respondent aliqui negative; hincque concludunt, absque ulla dispensatione ante Evangelium licuisse plures simul uxores ducere: 2. infideles qui nihil unquam audire potuerunt de Evangelio, invalide quidem nubere cum pluribus simul uxoribus propter legem

qua Christus ea matrimonia fecit irrita, sed non peccare, eo quod ejusmodi legis invincibili ignorantia laborent. Alii e contra respondent, nuptias, de quibus agitur, absolute sumptas, esse contra jus naturale, non autem in circumstantiis, in quibus necessariæ fuerunt ad generationem populi fidelis, qui ante Evangelium sola generatione carnali erat propagandus. Alii tandem volunt, polygamiam simultaneam eo sensu esse contra jus naturale, quod sit contra finem secundarium matrimonii, domesticam scilicet pacem, non autem contra finem primarium, qui alius non est, quam prolis generatio.

CONCLUSIO 2. Polygamia successiva, qua quis successive plures habeat uxores, licita est.

Probatur 1. Nullo jure prohibita est: 1. Paulus 1. ad Corinth. 7. de non nuptis & viduis ait: *Quod si non se continent, nubant*. 3. Ecclesia proscripsit Montanistas, quod olim secundas nuptias damnarent.

Quæres 1. cur secundæ nuptiæ inducant irregularitatem: 2. cur Concilium Neocæsariense secundo nubentibus pœnitentiam imposuerit: 3. cur sacerdoti non liceat benedicere secundas nuptias.

Resp. ad 1. id fieri, quod bigami non possint perfecte exhibere matrimonium Christi cum Ecclesia: ipse enim non duas, sed unam tantum sponsam sibi conjunxit. Vide dissertationem nostram de Bigamia, in Commentario Historico pagina 1093. primæ edit.

Resp. ad 2. id fuisse præscriptum, quod plerumque secundæ nuptiæ sint libidinis & incontinentiæ signum.

Resp. ad 3. id vetari, quod in priori matrimonio Ecclesia per eam benedictionem mulieri fecunditatem apprecata sit.

CONCLUSIO 3. Matrimonium initio mundi præceptum fuit jure naturali singulis humanæ naturæ individuis. Illud quoque Deus injunxerat Israelitis, quamdiu populus fidelis exiguo fuit numero: In Nova Lege liberum est iis omnibus, qui continentiæ consilium capere possunt; præceptum vero iis qui non possunt.

Probatur prior pars ex eo, quod ratio naturalis præcipiat speciei conservationem per matrimonium, quemadmodum præcipit conservationem individui per sumptionem alimenti. Altera pars ex eo constat, quod in eo casu quisque consulere teneretur incremento Ecclesiæ Dei, quæ tunc per solam carnalem generationem erat propaganda. Tertia pars ostenditur ex Paulo, qui fideles ad virginitatem hortatur. Quarta tandem ostenditur ex eo, quod matrimonium post Adami peccatum, hominibus liberis, hoc est, nullo priore voto aut impedimento irretitis, factum fuerit incontinentiæ remedium.

ARTICULUS II.

De indissolubilitate contractus matrimonialis.

Not. MAtrimonii indissolubilitas potest spectari vel ratione vinculi, vel ratione thori: unde quærendum est 1. utrum matrimonium sit indissolubile quoad vinculum: 2. utrum sit indissolubile quoad thorum.

CONCLUSIO 1. Matrimonium ex natura sua, nec non ex lege positiva divina, est indissolubile quoad vinculum.

Probatur 1. Indissolubilitas matrimonii necessaria est tum ad prolis educationem, tum ut amicitia inter conjuges firmetur, tum ob reipublicæ pacem. Christus de quocumque matrimonio valide contracto hæc ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Idem confirmant hæc Pauli verba primæ ad Corinth. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*.

Objicies 1. Judæi ex permissione legis, dato libello repudii, suas uxores dimittebant: ergo dissolubilitas matrimonii non est contra jus naturale; neque enim Deus in jure naturali dispensare potest.

Respondent nonnulli, Deum Judæos in capite, de quo agitur, dispensasse: Quamvis enim (ajunt) matrimonii dissolubilitas in se sumpta, sit contra jus naturale, respective tamen, seu in circumstantia, quod expediret Judaicæ reipublicæ bono, non erat contra jus naturale; atque adeo Deus circa eam in mox relato casu dispensare potuit. Respondent alii, quibus subscripsimus, non peccasse quidem Judæos, quod viventibus prioribus uxoribus, alias ducerent, nimirum licita eis erat polygamia; sed peccabant, quod ductas uxores dimitterent & a thoro & a domo, peccabant pariter, quod ab aliis dimissas ducerent. Eas tamen nuptias lex toleravit ad duritiam cordis Judæorum, qui alioquin sustulissent de medio uxores, quibuscum habitare coacti fuissent.

Objicies 2. Christus Matthæi 19. a Judæis interrogatus de repudio, sic respondit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Atqui exceptio illa, *Nisi ob fornicationem*, significare videtur, matrimonium non esse, etiam quoad vinculum, indissolubile in casu fornicationis.

Resp. neg. min. Ratio est, quia exceptio *Nisi*, conjungenda est cum hoc priore membro responsionis Christi: *Quicumque dimiserit uxorem suam*; ita ut sensus sit, eum qui uxorem a thoro in perpetuum dimiserit, nisi ob *fornicationem*, peccare: non est autem conjungenda cum posteriore ejusdem responsionis membro. *Et aliam duxerit, mœchatur*; ita ut sensus sit, in casu fornicationis licitum esse aliam ducere.

Confir-

Confirmatur ex ipsa Pharisæorum interrogatione. In ea duo a Christo quæsierant, 1. utrum qualibet ex caussa viro liceret uxorem a thoro dimittere; 2. an liceret aliam ducere. Ad primum Christus respondet, id non licere nisi in casu fornicationis: Ad secundum vero respondet, id nusquam licere: *Et si aliam duxerit, mœchatur.*

Objicies 3. Ex Concilio Tridentino, matrimonium ratum tantum, seu non consummatum, dirimitur per sollemnem professionem in approbata religione: ergo quodlibet verum matrimonium non est in nova lege *jure divino* indissolubile quoad vinculum.

Resp. neg. conf. nempe in eo casu matrimonium non solvitur humana lege, sed divina, quæ ob status religiosi perfectionem, in vinculo matrimonii, quod est ratum tantum, dispensavit. Ecclesia vero, cujus prudentiæ Christus reliquit determinationem temporis, quo quis post ratum matrimonium, invita conjuge, potest nomen dare religioni, duorum mensium spatium præfixit, ultra quod id minime licet, ut videre est in Capite *Ex publico*. De indissolubilitate matrimonii tum inter Gentiles, tum inter Judæos, tum inter Christianos, vide Commentarium Historicum a pagina 966. ad paginam 977. primæ edit.

CONCL. 2. Matrimonium non est indissolubile quoad thorum & quoad cohabitationem.

Probatur auctoritate Concilii Tridentini: *Si quis dixerit* (inquit sess. 24. can. 8.) *Ecclesiam errare, cum ob multas caussas separationem inter conjuges quoad thorum, seu cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Quæres, quinam sint casus, quibus licet facere divortium seu quoad copulam, seu quoad cohabitationem.

Resp. 1. licere propter alterius e conjugibus adulterium: *Omnis* (inquit Christus Matth. 5.) *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari.* Id tamen non licet, cum uterque e conjugibus adulterii sive occulti, sive publici, reus est, Cap. *Significasti*, Extr. *De Divortiis*; aut cum vir ipse prostituit uxorem, Cap. *Discretionem*, Extr. *De Divortiis*, aut cum uxor vi oppressa est, Canone *Proposito*, caussa 31. quæst. 5. aut etiam cum vir fuitus est uxore, quam sciebat adulteram, Canone *Benedicto*, caussa 33. q. 1. In casu de quo agitur, si mulier pœnitentiam non egerit, vir non solum potest, sed etiam debet uxorem dimittere, Canone *Sicut*, caussa 32. q. 1. Post pœnitentiam potest uxorem recipere, sed non tenetur lege justitiæ, Capite *Si vir*. Si etiam non recipiat, in monasterio ad agendam pœnitentiam collocari debet, Capite *Gaudemus*, Extr. *De conversione conjugatorum*: Si recipere velit, adultera redire tenetur, quia divortium in innocentis, non autem in rei favorem conceditur.

Resp. 2. licere quoque divortium ob lapsum alterius conjugum in hæresim vel apostasiam, Capite *De illa*, Extr. *De Divortiis*: sed ad id non sufficit actus unus infidelitatis, sed plures requiruntur. Ita S. Thomas in IV. Dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad tertium.

Resp. 3. licere quoque, si conjugum alter provocet ad peccatum mortale, nec monitus desistat, Capite *Quæsivit*, Extr. *De Divortiis*. Licet etiam propter aut sævitiam aut furorem conjugis, Capite, *Litteras*, Extr. *De restitutione spoliatorum*. Si divortium, sive propter fornicationem, sive propter aliam caussam decretum fuerit per errorem, conjux qui divortium obtinuit, debet reconciliari conjugi: Capite *Lator*, Extr. *De Sent. & Re judic.* Ad faciendum divortium par est jus viri ac mulieris, Canone *Præcepit*, caussa 32. qu. 5. Neuter, saltem quoad cohabitationem, potest ab altero facere divortium sine judicis Ecclesiastici sententia, Cap. *Maritis*, Extr. *De Adulteriis*.

CAPUT III.

De sollemnitatibus contractus matrimonialis.

Not. Quædam sollemnitates contractum matrimonialem præcedunt, Sponsalia nimirum, Proclamationes, Consensus parentum; nonnullæ vero ipsum comitantur, nempe Parochi, testium, & amborum contrahentium præsentia.

ARTICULUS PRIMUS.

De Sponsalibus.

Not. Circa Sponsalia dicendum est 1. Sponsalia recte definiri, futuri matrimonii promissio acceptata inter personas ad contrahendum habiles.

Dicendum est 2. duplicem esse sponsaliorum effectum, obligationem nimirum contrahendi matrimonium, & impedimentum publicæ honestatis, de quo inferius dicetur.

Dicendum est 3. sponsalia clandestina, modo tamen non obstent particulares locorum leges, valere, sicut valebant ante Concilium Tridentinum: nec enim per Concilium, quoad illud caput, facta est aliqua mutatio. Parisiis prohibentur ejusmodi sponsalia: injungitur nimirum, ne fiant sine præsentia Parochi & extra Parochialem Ecclesiam: *Ne fiant sponsalia* (inquit Rituale pag. 349.) *nisi coram proprio Parocho alterutrius spondentium. Quod vero in more positum est, ut quando diversæ parochiæ sunt contrahentes, coram mulieris Parocho celebrentur, illud religiose custodiatur... Ne domi, seu in loco prophano, aut etiam in loco sacro extra parochialem Ecclesiam, Sponsalia fiant, neque post horam nonam serotinam, quantum fieri potest.*

Dicendum est 4. non omnes indifferenter esse admittendos ad sponsalia. Nam 1. irrita erunt, si ante annum septimum completum ab impuberibus celebrentur, Cap. *Accessit*, lib. 4. Decret. 2. Nec impuberes, nec alii minores, ad ea debent admitti sine eorum consensu, quorum curæ subjacent. Ad ea quoque admitti non debent homines vagi, nisi adhibita de iisdem diligenti inquisitione, ac re ad Ordinarium delata.

Dicendum est 5. sponsalia, etiam juramento firmata, multis modis dissolvi. Nam 1. dissolvuntur ex mutuo partium consensu; 2. per longiorem unius partis absentiam, ut est biennium; 3. per ingressum in religionem; 4. per susceptionem ordinis sacri; 5. per subsequentem fornicationem, idque in favorem solius partis innocentis; 6. per superveniens impedimentum affinitatis; 7. per gravem aliquam infirmitatem, aut deformitatem subsequentem quæ perduret; 8. per capitales inimicitias quæ inter dispensatos subortæ sint. Vide Cabassutii nostri *Theoriam & Praxim*, Commentarium Historic. pag. 979. primæ edit.

ARTICULUS II.

De Proclamationibus,

Circa proclamationes quæ sunt futuri matrimonii publica denuntiatio, dicendum est, peccare graviter, qui eis non præmissis contrahunt matrimonium. Idque patet ex eo, quod usus Proclamationum a Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & a Concilio Tridentino, sess. 24. de reform. cap. 3. multisque apud Francos, ceterasque gentes, Synodis Provincialibus sit præceptus, sitque materia gravis propter periculum celebrandi alioquin conjugia invalida propter impedimentum occultum, quod forte per proclamationes detegeretur.

Dicendum est 2. ex vi Concilii Tridentini proclamationes absolute non requiri, ut matrimonium valeat: nec enim sacra Synodus, cum de proclamationibus agit, addit clausulam irritantem.

Dicendum est 3. proclamationes ter fieri debere a proprio contrahentium Parocho, id est, in cujus Parochia habitant, tribus continuis diebus Dominicis vel festivis de præcepto celebrandis, & non alio die; in Ecclesia etiam utriusque, si diversæ Parochiæ sint, intra Missæ Parochialis sollemnia. *Si tres dies Festi se immediate subsequantur nullo alio interjecto, non debent intra illud triduum fieri omnes denuntiationes, sed oportet intra primam & secundam, vel inter secundam, & tertiam, diem unum intercedere, ne brevitate temporis eludantur, qui tenentur aliquod impedimentum sibi cognitum revelare.* Si quis habet duo in distinctis Parochiis domicilia, in quibus ex æquo commoretur, omnes ac singulæ proclamationes fieri debent in utriusque habitationis parochia. Vide Rituale Parisiense pag. 350.

Dicendum est 4. denuntiationes futuri matrimonii minorum qui in aliena potestate, parentum, tutorum, vel curatorum, fieri debere non solum in parochia in qua minores commorantur; sed & in parochia parentum, tutorum, vel curatorum, si minores, & ii in quorum potestate sunt, in diversis Parochiis commorentur. Ita fert Ecclesiarum Gallicanarum praxis.

Dicendum est 5. quod si infra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non celebretur, denuntiationes iterari debeant, perinde ac si nullæ factæ fuissent. Ita jubet Romanum Rituale, a quo discrepat Parisiense, quod quidem non præcipit eas iterari, nisi infra sex menses matrimonium non contrahatur.

Dicendum est 6. Episcopum posse *ex caussa* a proclamationibus dispensare: id nimirum juris ei concedit Tridentina Synodus. In Edicto Blesensi Henricus III. Francorum Rex edixit *obtineri non posse dispensationem a promulgationibus, nisi post primam promulgationem factam, idque solum propter urgentem & legitimam caussam.*

Dicendum est 7. perutilia esse hæc Ecclesiæ Parisiensis statuta: *Testimonium quo de factis denunciationibus* (inquit Rituale pag. 352.) *constat, scripto Parochus non tradat, antequam qui matrimonio conjungi volunt, confessi fuerint peccata sua sacramentaliter in Ecclesia parochiali, cujus confessionis in litteris testimonialibus mentio fiat. Neque vero tradatur unquam illud testimonium, nisi post elapsas 24. horas a factis denunciationibus, de quibus testatur.* De antiquo Proclamationum usu, vide Commentarium Historicum pag. 980. primæ edit.

ARTICULUS III.

De Parentum consensu, præsentia Parochi, ac testium.

Circa consensum parentum dicendum est 1. Matrimonia inita a filiisfamilias invitis aut inconsultis parentibus, esse ac fuisse semper illicita, ut definiit Tridentinum: 2. esse tamen valida, ubi promulgatum fuit Concilium Tridentinum, saltem quoad substantiam: 3. omnes convenire, ea in Galliis irrita esse saltem quoad effectus civiles, ut constat ex Edicto Blesensi, art. 40. Quid de ejusmodi matrimoniis, tum jus naturale, tum divinum, tum antiquæ Ecclesiæ monumenta, tum civiles ac præsertim Francorum leges decernant, vide in nostro Commentario Historico pag. 985. primæ edit.

Circa præsentiam Parochi, aut alterius sacerdo-

cerdotis de illius aut Ordinarii licentia, *dicendum est* 1. eam ante Concilium Tridentinum non fuisse necessariam, ut contractus matrimonialis valeret, secus vero post Tridentinum iis in locis in quibus sacra Synodus promulgata fuit; nempe sess. 24. c. 1. *De Reformatione Matrimonii*, præsentia Parochi, aut alterius sacerdotis de ipsiusmet Parochi, aut Ordinarii licentia sub pœna nullitatis præscribitur. In Galliis absolute quoque requiritur, tum vi Canonicarum sanctionum quæ in Provincialibus Regni Synodis promulgatæ sunt, tum vi Legum Civilium quas in edicto Blesensi legere est. *Dicendum est* 2. proprium Parochum qui matrimonio adesse debet, esse illum, in cujus Parochia contrahentes habitant; si vero Parochiæ diversæ sint, esse illum in cujus Parochia matrimonium celebratur, sive viri, sive mulieris. *Antiqua tamen consuetudo* (inquit Rituale Parisiense) *servetur, qua in præsentia Parochi mulieris matrimonium contrahitur*. Præterea *dicendum est* 3. Parochum vetari, ne conjungat eos qui sunt ex alia Parochia, nisi per sex menses in sua Parochia bona fide fuerint commorati; qui ex aliena diœcesi in Parochiam transmigraverint, nisi in ea per annum integrum bona fide commorati sint. Non censentur vero bona fide commorari, si extra parochiam aut diœcesim, aliud domicilium conservaverint, unde in eo casu Parochus contrahentes admittere non potest ad matrimonium, nisi tres denuntiationes pro futuro matrimonio factæ fuerint non modo in Parochia diœcesis, in qua ab anno contrahentes habitant de præsenti, sed etiam in Parochia alterius diœcesis, in qua ultimo commorabantur. Vetatur etiam, ne conjungat Parochianum vel Parochianam suam cum sponso vel sponsa alterius Parochiæ sine testimonio proprii ipsorum Parochi, quo testetur, denuntiationes necessarias a se fuisse factas absque ullo impedimento. Si sint in eadem diœcesi, sufficiet testimonium a proprio Parocho subscriptum; si vero sint alterius diœcesis, testimonium Parochi subscriptione ac sigillo Ordinarii comprobari debet. Vide idem Rituale de aliis multis huc spectantibus. Circa testes *dicendum est*, duos saltem, sub pœna nullitatis, requiri a Concilio Tridentino. Dicendum est 2. duos pariter sufficere in Galliis: nam articulus 40. edicti Blesensis, quo quatuor vel quinque requiruntur, nulla in regni provincia receptus fuit: noti, non vagi admitti debent.

CAPUT IV.

De matrimonii impedimentis.

Not. 1. Impedimenti nomine intelligitur aliquid præexistens, quod matrimonium reddit aut invalidum, aut illicitum, aut utrumque simul.

Not. 2. Matrimonii impedimenta duplicis sunt generis, Dirimentia nimirum quæ efficiunt, ne matrimonium valide contrahatur: & non Dirimentia, sed Impedientia tantum, quæ scilicet reddunt quidem illicitum matrimonium, sed non reddunt invalidum.

Not. 3. De matrimonii impedimentis quæri potest 1. utrum ab Ecclesia statui possint, 2. quis in eis possit dispensare, 3. quænam hactenus statuta fuerint.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Ecclesia statuere possit impedimenta Matrimonium dirimentia.

CONCL. Ecclesia potest statuere impedimenta matrimonium dirimentia.

Probatur 1. argumento quod *Præscriptionis* vocant. Certum est, antequam Lutherani & Calvinistæ prodirent, omnibus Christianis persuasum fuisse, Ecclesiam posse statuere impedimenta matrimonium dirimentia: Si enim id eis persuasum non fuisset, non sese subjecissent legibus ea de re ab Ecclesia statutis; ergo idem crediderunt semper: nempe assignari non potest tempus, quo id credere cœperint, nec possunt recenseri auctores, per quos novus ille (ut volunt adversarii) articulus fidei mundum universum, nemine contradicente, pervadere cœperit.

Probatur 2. argumento, quod vocant *Discussionis*. Exceptis impedimentis quæ juris sunt naturalis, nullum est, quod Ecclesia prioribus sæculis non statuerit. Vide Basilium in epistolis ad Diodorum, & ad Amphilochium; Siricium in epistola ad Himerium Taraconensem; Gregorium Magnum in epistola ad Augustinum Archiepiscopum Cantuariensem: Nicolaum Papam I. in responsis ad Bulgaros: Comment. Hist. p. 991. ac seq. primæ edit. Nec dici potest, illas Ecclesiæ leges vim habuisse, quod essent legum Imperialium executio: Scilicet vim habuerunt in regnis Imperio Romano nequaquam subditis, immo & in Imperatores ipsos; ac proinde obtinuerunt ex sola Ecclesiæ auctoritate.

Objicies 1. Ecclesia non potest mutare materiam alicujus sacramenti, quia materia & forma sacramentorum, fuerunt a Christo determinatæ secundum speciem: atqui in conclusionis suppositione, eas mutare posset; nempe apponendo novum impedimentum, efficeret, ut id, quod antea erat sacramenti materia, jam post appositum impedimentum non esset materia: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ratio est, quia matrimonii materia non est quilibet contractus viri cum femina in ordine ad generandam prolem, sed est solus contractus

legitimus, id est, initus secundum leges, ac proinde secundum Ecclesiæ constitutiones.

Objicies 2. Imperatores quondam statuerunt omnia fere impedimenta, quæ matrimonium dirimunt; nam reperiuntur in codicibus politicis: ergo penes Imperatores, non autem penes Ecclesiam, est statuere impedimenta matrimonium dirimentia.

Resp. 1. neg. ant. Scilicet multa nunc obtinent & obtinuerunt olim, quæ ab Imperatoribus statuta non fuerint.

Resp. 2. dato antecedente, neg. conseq. Ratio est, quia impedimenta ab Imperatoribus quondam statuta, sola auctoritate Ecclesiæ, quæ illorum observationem præscripserat, vim habuerunt in Galliis, in Anglia, in Bulgaria, quæ quidem regna post quartum sæculum Romanis Imperatoribus subdita non fuerunt. Vide S. Thomam lib. 4. contra gentes cap. 74. ubi exponit qua ratione matrimonii contractus legibus canonicis subjaceat.

ARTICULUS II.

Quis in impedimentis matrimonii dispensare possit.

Not. MAtrimonii impedimenta dirimere possunt matrimonium, aut jure naturali, aut divino, aut humano: Certum est nullam humanam potestatem, sive canonicam, sive civilem, posse dispensare in impedimentis prioris ac secundi generis; hincque sequitur 1. nec Ecclesiam, nec Principes posse dispensare in aliquo consanguinitatis gradu lineæ directæ, ascendentium & descendentium, ut inter patrem & filiam; immo nec collateralium in primo gradu, seu inter fratrem & sororem: in iis enim gradibus cognatio jure naturali dirimit matrimonium. Sequitur 2. nec Ecclesiam, nec Principes posse dispensare circa impedimentum quod Ligaminis vocant; Ligamen enim jure divino dirimit matrimonium. Quæstio est igitur tantum de impedimentis, quæ matrimonium dirimunt humano jure.

CONCLUSIO. Ecclesia potest dispensare in impedimentis, quæ humano jure matrimonium dirimunt.

Probatur 1. Quælibet potestas de eo potest dispensare, quod ipsa statuerit: atqui Ecclesia statuit impedimenta omnia, quæ canonico jure matrimonium dirimunt: ergo, &c. 2. Innumeræ concessæ sunt ab Ecclesia dispensationes in impedimentis, de quibus agitur, ut videre est, tum in Decreto, tum in Decretalibus.

Objicies 1. Nulla impedimenta matrimonium dirimunt, quam quæ in Levitico leguntur: atqui Ecclesia in illis impedimentis dispensare non potest; sunt enim juris divini, seu a Deo ipso per Moysis ministerium statuta ac promulgata sunt.

Resp. 1. neg. maj. Ratio est, quia Ecclesia quovis sæculo agnovit alia impedimenta, quam quæ in Levitico leguntur. Vide Basilium in epistola ad Amphilochium; Augustinum l. 15. de Civitate Dei; Gregorium Magnum in rescripto ad Augustinum Anglorum Episcopum. Resp. 2. data majore, neg. min. Ratio est, quia in Levitico nonnulla sunt impedimenta juris naturalis, ut inter patrem & filiam, aliam vero juris divini cæremonialis. In illis Ecclesia quidem non potest dispensare; ista vero vim non habent in nova lege, cum omnia præcepta cæremonialia per Evangelium abrogata sint; ea autem omnia sunt cæremonialia, quæ non sunt juris naturalis, seu contra rectam rationem.

Objicies 2. Prioribus sæculis Principes dispensarunt circa matrimonii impedimenta, eique facto Ecclesia non contradixit: ergo penes Principes, non autem penes Ecclesiam est, dispensatio in impedimentis matrimonii. Probatur ant. ex dispensationum a Principibus concessarum formulis, quas Cassiodorus lib. 6. Variarum cap. 6. describit.

Resp. dato ant. neg. conseq. Ratio est 1. quia quatuor prioribus sæculis Ecclesia non statuerat impedimenta alia ab iis quæ imperialibus legibus sancita fuerant, ac proinde mirum non est, quod eorum dispensationem Imperatoribus permitteret. 2. Matrimonium (ut ex Sancto Thoma fuit observatum) est res politica simul & spiritualis, atque adeo utraque potestas specialem sibi in matrimonium jurisdictionem exercere potuit: hincque nuper in Galliis factum est, ut Regni leges Calvinistas toleratos dispensarint, ut in tertio & quarto consanguinitatis gradu *impune* nuberent.

Quæres, quis in Ecclesia dispensare possit circa matrimonii impedimenta.

Resp. solum Papam ex plenitudine potestatis & consuetudine multorum sæculorum usu comprobata, dispensare circa impedimenta dirimentia. In eis quoque dispensant Episcopi, *Primo* cum servatis servandis, matrimonium bona fide contractum fuit ac consummatum; modo tamen impedimentum sit occultum, sitque, si fiat separatio, periculum scandali, aut partes ita sint pauperes, ut ad Papam mittere non valeant. Dispensant *Secundo* respectu matrimonii contrahendi, cum Parocho per confessionem sacramentalem innotescit impedimentum affinitatis contractum illicita copula carnali, nec aliunde patet via, qua vitetur scandali & infamiæ periculum, quod ex dilatione nuptiarum oriretur. Dispensant *Tertio* in impedimentis non dirimentibus, exceptis votis absolutis perpetuæ castitatis ac religionis. Dispensant *Quarto* super impedimenta quæ prius contracto matrimonio superveniunt, ac illicitum efficiunt conjugii usum. Verum circa eas, fir-

mi-

milesque dispensationes observandum est, eas valere, quamvis sint illicitæ, modo tamen ratio quæ allegatur ad obtinendam dispensationem, sit vera: nempe secundum stylum Curiæ Romanæ, non conceduntur, nisi præsupposita hac conditione, *Si preces veritate nitantur.*

ARTICULUS III.

De numero impedimentorum matrimonii.

Not. EX iis, quæ superius observata sunt, constat, impedimenta matrimonii esse duplicis generis, Dirimentia nimirum & non Dirimentia, quæ passim Impedientia dicuntur: de utrisque breviter est hic agendum.

§. I. *De Impedimentis Dirimentibus.*

CONCLUSIO. Quindecim numerantur impedimenta matrimonium dirimentia.

Probatur enumeratione quæ sequentibus versiculis continetur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Amens, Affinis, si Clandestinus, & Impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

Error triplex est, personæ, qualitatis, fortunæ. *Prior* definitur, actus quo quis judicat personam cum qua matrimonium contrahit, esse aliam quam sit a parte rei. Error ille impedit matrimonium, quia consensum absolute tollit. *Alter* est actus quo quis judicat personam, cum qua nubit, habere qualitatem inhærentem, virginitatem v. g. quam non habet. *Tertius* est actus quo quis judicat personam, quam in matrimonium ducit, abundare divitiis, quibus tamen non abundat. Duplex ille, tum qualitatis, tum fortunæ error matrimonium non dirimit, quia quamvis & qualitates inhærentes, & divitiæ, sint motivum matrimonialis consensus, non sunt tamen illius objectum primarium.

Conditio, est status servilis, quo scilicet persona ita est sub alterius dominio, ut sit illius mancipium. Conditio cognita non dirimit matrimonium, secus vero si ignoretur a parte libera. Ita decernit Innocentius Papa III. lib. 4. Decretal. *De Conjugio Servorum.*

Votum sollemne, seu professio in approbata religione, dirimit matrimonium. In eo, secundum Scotistas, Ecclesia potest dispensare; non enim (inquiunt) differt a voto simplici, nisi penes sollemnitatem, quæ solius est humani juris; at vero, secundum Thomistas, Ecclesia id non potest, quia (ajunt) professio in approbata religione est quædam consecratio, quæ ex jure divino semper in suo subjecto permanet.

Cognatio dividitur in carnalem, quæ dicitur Consanguinitas, in spiritualem quæ vocatur Compaternitas, & in Legalem quæ appellatur Adoptio. *Consanguinitas* definitur, vinculum eorum qui a communi stipite per sanguinis propagationem descendunt: Dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive. *Spiritualis cognatio*, definitur quædam propinquitas personarum orta ex exhibito aliquo officio spirituali, collatione nimirum baptismatis & confirmationis, ac susceptione in utroque illo sacramento. Contrahitur inter ministrum & personam cui collatum est sacramentum, & illius patrem ac matrem. Contrahitur quoque inter susceptores, eum qui suscipitur, necnon illius patrem & matrem. Hæc cognationis species contrahitur a baptizante etiam in casu necessitatis, si tamen baptizans alius sit a patre, aut matre baptizati. *Legalis cognatio*, est propinquitas ex adoptione proveniens: Dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive: Est perpetua inter ascendentes & descendentes; inter collaterales vero desinit, vel per mortem adoptantis, vel per emancipationem adoptati.

Crimen duplex jure Ecclesiastico matrimonium dirimit. Primum est cædes alterius conjugibus eo fine ab utroque machinante perpetrata aut procurata, ut inter eas postea matrimonium contrahatur: Alterum est adulterium scienter a duobus commissum cum acceptatione & promissione, quod post mortem uxoris aut mariti, matrimonium inter se celebraturi sint.

Cultus disparitas jure Ecclesiastico dirimit matrimonium baptizati cum non baptizata. Inter Catholicum & hæreticum reddit illicitum tantum; an autem jure divino, vel humano tantum, inter Theologos controvertitur.

Vis, seu metus qui parit omnino involuntarium, jure naturali dirimit matrimonium. Qui reddit actionem simpliciter quidem voluntariam, sed involuntariam secundum quid, caditque in virum constantem, oriturque a caussa extrinseca, dirimit quoque matrimonium, si injuste incussus fuerit; secus vero si juste, ut fit cum in pœnam raptus præcipitur raptori sub pœna capitis, ut vel vi, vel seductione raptam in matrimonium ducat.

Ordo non quilibet, sed sacer tantum dirimit matrimonium, idque (ait Estius) sexcentis tantum abhinc annis, quamvis (addit) semper reddiderit illicitum propter Ecclesiæ prohibitionem. Usus ille non apud Latinos tantum, sed etiam apud Græcos viget: neque enim nubunt post susceptos ordines sacros, quamvis permittantur (Episcopis exceptis) uti matrimonio, quod ante suam ordinationem contraxerint.

Ligamen est prioris matrimonii vinculum, quo stante, alterum matrimonium est irritum jure divino. Parochis non licet mulierem cum alio viro conjungere, nisi de prio-

ris mariti morte constet per diplomata fide digna, aut testes omni exceptione majores, quantocumque annorum numero absit ille maritus; Capite *In præsentia de Sponsalibus*. Eo in casu aliisque similibus operæ pretium est Episcopum consulere.

Honestas est propinquitas orta aut ex sponsalibus validis, dirimitque tunc matrimonium cum consanguineis sponsi ac sponsæ in primo gradu tantum, juxta Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. *De Reformatione Matrimonii*; aut ex matrimonio rato, sed non consummato: tuncque ex Pii Papæ V. decreto quod incipit, *Ad Romanum*, extenditur ad quartum gradum inclusive, ut jam ante Concilium Tridentinum extendebatur.

Affinitas definitur, propinquitas procedens ex carnali copula. Si fit ex copula licita, dirimit matrimonium intra quartum gradum: si autem ex illicita, dirimit intra primum & secundum tantum. Circa affinitatis impedimentum, notanda sunt hæc axiomata. *Primo*; Quo gradu aliquis viro consanguineus est, eodem gradu est affinis illius uxori, & e contra. *Secundo*: Affinitas affinitatem non parit; unde affinis Petro, non est affinis Joanni illius fratri: hincque fit, ut duo fratres ducere possint duas sorores. *Tertio*; Jure naturæ affinitas dirimit matrimonium in linea recta ascendentium & descendentium, unde nemini unquam licuit novercam in matrimonium ducere. *Quarto*: in linea obliqua & in collaterali dirimit nuptias solo jure Ecclesiastico; unde tum in lege naturæ, tum in Mosaica quisque ducebat uxorem fratris sui sine liberis mortui: valuit igitur matrimonium, quod Henricus VIII. Anglorum Rex inierat ex dispensatione Julii Papæ cum Catarina Austriaca vidua Arturi, fratris ejusdem Henrici.

Impotentia, est inhabilitas ad copulam carnalem, orta, in muliere quidem, ex arctitudine, & in viro ex impotentia ad semel emittendum. Duplex est, absoluta & respectiva. Prior impedit copulam carnalem cum persona qualibet; posterior non cum qualibet, sed cum hac tantum individuo persona. Utraque, seu tum absoluta tum respectiva, duplex est, perpetua nempe & temporalis. Perpetua, ea est quæ sine miraculo, aut peccato, aut gravi corporis damno, tolli non potest. In jure autem censetur perpetua, quæ probatur durasse per triennium. Impotentia absoluta ac perpetua cum quibusque dirimit matrimonium jure naturali, quia per matrimonium traduntur corpora in ordine ad actum conjugalem. Respectiva vero dirimit matrimonium inter eos tantum, respectu quorum est. Sed in Galliis non est in usu distinctio duplicis illius impotentiæ; unde qui respectu unius mulieris declaratus est impotens, non permittitur matrimonium cum alia muliere contrahere.

Raptus, est personæ alicujus per vim, aut per seductionem, de loco in locum adductio, ita ut eam raptor habeat in sua potestate. Inter raptorem & raptam matrimonium valide contrahi non potest, quamdiu rapta est in raptoris potestate; Ita decernit Concil. Trid. sess. 24. cap. 7.

Quæ breviter hic dicta sunt de impedimentis matrimonium dirimentibus, vide fusius pertractata in Commentario Historico à pag. 1000. ad pag. 1046. primæ edit. Ibi singulorum in specie impedimentorum originem, progressum, amplitudinem, restrictionem, variam tum in lege naturæ, tum in lege Mosaica, tum in lege Evangelica, observationem, plurimasque nonnullarum provinciarum consuetudines lector explicatas reperiet.

§. II. *De Impedimentis non dirimentibus.*

CONCL. Quinque numerantur impedimenta, quæ matrimonium non dirimunt, sed impediunt tantum.

Probatur enumeratione, quæ duobus hisce versiculis continetur.

Ecclesia vetitum, nec non Tempus feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito Votum.

Ecclesia vetitum est, cum Ecclesia propter aliquas caussas quosdam ad tempus interdicit matrimonii celebratione. Qui vero vetitum illud infringit, nubit quidem valide, sed illicite.

Tempus feriatum, est illud quod fluit a prima die Adventus usque ad diem Epiphaniæ, & a die Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive. Putarunt nonnulli, matrimonium absolute non prohiberi eo tempore; sed tantum ne fiat cum sollemnitate. Verum id asseritur absque fundamento, & contra omnium Ecclesiarum praxim.

Catechismus, qui nihil aliud est, quam susceptio catechumeni non in baptismate, sed tantum in cæremoniis baptismatis, jam non est in usu ex decreto Concil. Trid. sess. 24. *De Reformat. Matrimonii.*

Sponsalia, quando matrimonium impediant superius diximus, de Sponsalibus specialiter agentes.

Votum Simplex castitatis efficit 1. ne quis licite nubat; 2. ne licite petat debitum, quamvis licite reddat, & reddere teneatur; 3. is qui vovit religionem, potest, si nubat, petere debitum, quia non vovit castitatem, nisi in religione servandam. Ut hujusce impedimenti dispensatio licite petatur, & ut quis obtenta licite utatur, necesse est, ut frequentem orationem adhibuerit, corpus suum vigiliis ac aliis operibus castigarit, ac præsertim sedulo peccati occasiones declinarit: unde in formula dispensationum hæc additur clausula: *Quod orator vel oratrix ita stimulis carnis incitatur, ut continentiam servare posse non speret, ac propterea matrimonium contrahere desideret.*

CAPUT V.

De Actu Conjugali.

Not. Actus conjugalis potest esse licitus, vel illicitus: cum autem est illicitus, vel est peccatum veniale, vel mortale: quibus autem in casibus id fiat, breviter (quod caste) pertractandum est.

CONCL. 1. Duplex est casus, quo actus conjugalis est licitus.

Probatur. Actus conjugalis vel exercetur ad generandam prolem, vel ad reddendum debitum: atqui in utroque illo casu licitus est, si aliunde prava circumstantia non vitietur: nempe in priore habet finem, ad quem matrimonium est ordinatum, & in posteriore habet pro fine justitiam: *Reddere debitum conjugale* (inquit August. lib. de Bono conjugali c. 7.) *nullius est criminis, exigere vero ultra generandi necessitatem, culpæ venialis.*

CONCL. 2. Actus conjugalis, qui aut propter procreandam prolem, aut propter justitiam non exercetur, est peccatum.

Probatur. Actus conjugalis qui non fit propter duplicem, de quo in conclusione, finem, exercetur tantum aut voluptatis caussa, vel simpliciter ad evitandam fornicationem: atqui in duplici illo casu, est peccatum veniale; ita nimirum docet Innocentius Papa XI. a quo proscripta fuit hæc propositio: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, & defectu veniali.* Idem etiam docet Augustinus tum lib. de bono conjugali cap. 5. ubi sic loquitur: *Conjugalis concubitus concupiscentiæ satiandæ caussa, sed tamen cum conjuge, venialem habet culpam:* tum etiam ejusdem libri cap. 10. ubi hæc Apostoli verba: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, de iis exponit, qui cum conjuge explent libidinem, ut vitent fornicationem: *Quis ambigat* (inquit) *absurdissime dici non eos peccasse, quibus venia datur?* Nec est, quod quis dicat, matrimonium institutum fuisse in remedium concupiscentiæ: nam ille finis non est Dei instituentis, sed tantum hominis utentis. Vide S. Thomam, & Estium in laudatum ex Apostolo locum.

CONCL. 3. Actus conjugalis variis in casibus est peccatum lethale.

Probatur enumeratione illorum casuum. *Primo*, actus conjugalis est peccatum mortale, quando ita frequens est, ac intempestivus, ut impediat tempora, quæ orationi debentur: *Secundo*, cum aliquis paratus est cum alia non conjuge, vel cum eadem, si non esset conjux, libidinem suam explere: *Tertio*, cum quis prægnante uxore fruitur cum gravi periculo fetus: *Quarto*, cum quis per immoderatum veneris usum suæ aut conjugis sanitati quamplurimum nocet: *Quinto*, cum usus naturalis mutatur in eum usum, quo secundum naturam fetus concipi non potest: *Sexto*, cum exigitur debitum ex menstruata, si tamen verum est, tunc nasci prolem lepra aut alio morbo infectam; quod tamen negant plures medici, ipsaque experientia falsum esse conjuges asserunt: *Septimo*, est peccatum mortale, si interveniat factum Onan, Genesis 38. Est (inquam) ex parte illius conjugis, qui rem illam procurat, & etiam ex parte alterius, si ipse consentiat. Vide cum opus fuerit, & non alias, hoc de argumento Summistas castiores ac probatiores.

CONCL. 4. Negatio debiti conjugalis *per se* est peccatum mortale.

Probatur. Per debiti conjugalis negationem justitia in re gravi violatur, nempe conjux qui corpus alteri subtrahit, illum re debita fraudans exponit fornicationis periculo, juxta illud Christi in Evangelio: *Qui dimittit uxorem suam, excepta fornicationis caussa, facit illam mœchari.*

CONCLUSIO 5. Nonnulli sunt casus, in quibus conjuges debitum conjugale sibi invicem reddere non tenentur.

Probatur. *Primo*, conjux non tenetur, si id non possit absque detrimento propriæ sanitatis, aut ejus, a quo petitur. *Secundo*, si conjux sese commacularit adulterio, nec ipsi per subsequentem commixtionem condonatum fuerit, aut per compartis adulterium similis injustitia sibi illata non fuerit, jus non habet ad petendum debitum. *Tertio*, cum in eo loco petitur, ubi honestas aut scandali periculum non permittit, ut reddatur. *Quarto*, cum ex medicorum judicio periculum est ne gravis morbus, lepra v. g. contrahatur.

QUÆSTIO II.

De Matrimonio prout est Sacramentum.

Not. Lutherani, Calvinistæ, Sociniani, aliique sectarii, qui elapso proxime sæculo vexarunt Ecclesiam, Matrimonium ex albo sacramentorum expunxerunt. Non una est apud omnes Catholicos de illius materia, forma, ministro sententia: operæ pretium est, ut de iis omnibus hac in quæstione disseramus.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Matrimonium sit Sacramentum.

Not. Certum est, matrimonium esse sacramentum *late* sumptum, juxta illud Apostoli ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc* (de matrimonio loquitur) *magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Sed quæstio est, utrum sit sacramentum *stricte* sumptum.

CON-

CONCLUSIO. Matrimonium est novæ legis sacramentum *stricte ac proprie* sumptum.

Probatur 1. *Ex consensu utriusque Ecclesiæ*. Occidentalis & Orientalis Ecclesia etiam schismatica, inter Legis Novæ sacramenta matrimonium recensent, ut videre est in censura quam Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha schismaticus edidit adversus Augustanam Lutheranorum Confessionem: 2. *Ex Patribus*. Augustinus lib. de Bono conjugali c. 24. Matrimonium comparat cum Baptismo & Ordinatione. Innocentius Papa I. Epist. 6. docet, legitimum fidelium conjugium divina gratia fundari. 3. *Ex Conciliis*. Constantiense sess. 13. definit, septem esse sacramenta novæ legis: proindeque iis matrimonium accenfuit. Eugenius Papa IV. in Decreto pro Instructione Armenorum, matrimonium numerat inter sacramenta proprie dicta. Concilium Tridentinum sess. 22. anathema dicit Lutheranis, quod contrarium sentiant.

Objicies. *Primo*, dici non potest, quo tempore Christus contractum matrimonialem ad sacramenti dignitatem evexerit. *Secundo*, asseri non potest matrimonium inter mutos initum esse sacramentum, cum nulla in eo sint verba, ex quibus tamen singula novæ legis sacramenta constare debent. *Tertio*, matrimonium per procuratores initum non potest esse sacramentum, alioquin sacramenta dari possent absentibus, quod est absurdum.

Resp. ad 1. Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti, aut cum in Cana Galilææ benedixit nuptiis, aut cum Matthæi 19. matrimonium ad primum statum reducens dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*.

Resp. ad secundum & tertium, quod ut matrimonium sit sacramentum, non requiratur, ut id omni prorsus matrimonio conveniat: unde licet (ut infra dicetur) matrimonium inter mutos aut absentes initum, non sit sacramentum stricte sumptum, non sequitur, quod ratio sacramenti stricte sumpti nulli matrimonio conveniat: sicut ex eo, quod omnis contritio non sit materia sacramenti pœnitentiæ, non sequitur, quod id nulli contritioni tribui debeat.

CAPUT II.

De Materia, Forma, Ministro, Effectibus Sacramenti Matrimonii.

Not. Scholastici, quibus placet quodlibet matrimonium inter baptizatos initum esse sacramentum novæ legis, docent, materiam sacramenti matrimonii esse contrahentium corpora; formam esse verba aut nutus, quibus contrahentes exprimunt suum consensum: ministrum vero esse ipsosmet contrahentes, qui mutuum consensum exprimentes sibi invicem sacramentum conferant.

Not. 2. Theologi qui docent, non omne matrimonium esse sacramentum novæ legis, passim asserunt, materiam matrimonii, prout est sacramentum, esse contractum legitimum inter nubentes initum per verba de præsenti; formam esse hæc aut similia verba, quæ a Parocho proferuntur: *Ego vos in matrimonium conjungo*; ministrum vero esse Parochum aut alium sacerdotem, qui de Parochi licentia illa aut similia verba profert.

CONCL. 1. Materia matrimonii, prout est sacramentum novæ legis, est legitimus contractus inter nubentes initus.

Probatur 1. auctoritate S. Thomæ: *In aliis autem sacramentis* (inquit 3. p. q. 84. art. 1. ad 1.) *quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia & Matrimonio*. 2. Contractus legitimus, accedente debita sacramenti forma, gratiam in nubentibus producit: ergo est sacramenti materia.

CONCL. 2. Forma sacramenti matrimonii sunt hæc vel similia verba: *Ego vos in matrimonium conjungo*.

Probatur. Ea verba sunt forma sacramenti matrimonii, per quæ confertur gratia sanctificans: atqui confertur per ea, de quibus est quæstio; confertur enim, ex Synodo Coloniensi quæ celebrata est anno 1536. *accedente sacerdotali precatione*. 2. Verbis, de quibus agitur, Patres adscripserunt gratiam, quæ per matrimonium confertur: nempe sunt idem cum benedictione, de qua loquitur Cyrillus tum l. 2. in Joannem c. 22. tum in Epistola ad Nestorium. 3. Hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, exprimunt singularem matrimonii effectum, indissolubilem nimirum conjugum nexum; hunc enim habent sensum: *Ego sacramentum conjunctionis vobis impertior, & quantum quidem in me est, ex potestate mihi concessa, non corpore solum, sed & animo vos conjungo*.

CONCL. 3. Minister sacramenti matrimonii non sunt contrahentes, sed solus sacerdos. Ita docent Melchior Canus, Estius, Sylvius, id quoque Baccalaurei Sorbonici passim in suis thesibus propugnant.

Probatur 1. Ille est minister, a quo sacramenti forma profertur: atqui forma sacramenti matrimonii profertur a sacerdote, ut superiori conclusione dictum est. 2. Concilia Provincialia sacerdotem expresse vocant ministrum sacramenti matrimonii: *Admonendos esse duximus* (inquiunt Patres Synodi Cameracensis ann. 1567.) *Parochos hujus* (sacramenti) *ministros*. S. Carolus in Actis Ecclesiæ Mediolanensis part. 4. §. 1. expresse docet, sacerdotem ex officio administrare quinque sacramenta, Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Matrimo-

monium. 3. Nonnulla Ritualia eadem utuntur loquendi ratione: Romanum jussu Pauli Papæ V. editum asserit, matrimonium ex iis esse sacramentis, quorum administratio ad Parochum pertinet. Aliud Sacerdotale Romanum, quod (Sylvio teste) an. 1494. Albertus Castellanus collegit, hæc ait agens de Matrimonio: *Sacerdos pronuntiat verba quæ sunt forma hujus sacramenti cum consensu utriusque*. 4. Ii qui negant, sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii, vix ex traditione probare possunt, matrimonium esse sacramentum novæ legis: nam potior ratio petitur ex eo, quod Patres gratiæ productionem adscripserint benedictioni, quam sacerdos nubentibus impertitur: at ea ratio corrueret, quia in adversariorum suppositione, illa benedictio non esset sacramenti forma, cum forma a ministro proferri debeat. Vix quoque cum jure divino conciliare poterunt dispensationes, quas Romani Pontifices nonnumquam mulieribus catholicis concesserunt, ut cum viris hæreticis nuberent: nempe hac tantum ratione salvantur, quod ex suppositione, quod sacerdos sit sacramenti minister, nuptiis, de quibus agitur, non benedicat; ac proinde in eo casu matrimonium fit quidem contractus civilis & politicus, qui nexum pariat indissolubilem, non autem novæ legis sacramentum.

Objicies 1. Secundæ nuptiæ quarto Ecclesiæ sæculo erant sacramentum stricte sumptum: atqui sacerdos non erat earum minister, cum (ut patet ex Concilio Neocæsariensi) prohiberetur illis se præsentem sistere.

Resp. 1. neg. maj. seu secundas nuptias, a quibus aberat sacerdos, fuisse sacramentum stricte sumptum, erant enim merus contractus civilis, qui nexum indissolubilem pareret. Nempe quæ tunc habita sunt in Oriente Concilia, in secundis nuptiis separarunt contractum matrimonialem a sacramento, quod ii qui secundo nuberent, proderent incontinentiam; unde illis imponebatur pœnitentia; ac proinde judicarentur non esse sufficienter dispositi ad recipiendum sacramentum stricte sumptum.

Resp. 2. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia non aliud vetant quædam Orientis Concilia, quam ista duo: 1. ne presbyter adsit nuptiali convivio; 2. ne benedictionem *cæremonialem* secundis nuptiis impertiatur.

Objicies 2. Quando Concilium Tridentinum definit, matrimonium esse novæ legis sacramentum, loquitur de omni matrimonio valido: atqui sacerdos non est minister cujuslibet matrimonii validi; nam in locis ubi Concilium Tridentinum nondum promulgatum est, & ubi non obtinent contrariæ leges, valent, sicut valebant antea, matrimonia clandestina, hoc est, inita sine testibus aut Parocho.

Resp. neg. maj. quemadmodum (ut ex dictis patet) ubi Concilium definiit, Ordinem esse sacramentum, non loquitur de omni Ordine: loquitur ergo tantum de matrimonio, quod a legitimo ministro celebratum fuerit, ac proinde de eo tantum, in quo sacerdos nubentes conjunxerit per hæc aut similia verba: *Ego vos in matrimonium conjungo*, &c.

Objicies 3. Innoc. Papa III. *c. Quando*, *De Divortiis*, asserit, matrimonium infidelium esse quidem verum, sed non ratum, seu omnino indissolubile, quod (inquit) *non sit sacramentum*: ergo nullum matrimonium, quod non sit sacramentum, est indissolubile.

Resp. neg. ant. seu Innocentius non dicit (ut fingunt quidam scholastici) ideo fidelium matrimonium esse *ratum*, hoc est indissolubile, quod sit *Sacramentum*, sed quod sit in subjecto insignito baptismali charactere: nempe baptisma, quod matrimonio præsupponitur, efficit, ut matrimonium consummatum in omni prorsus casu sit indissolubile quoad vinculum: cum e contra matrimonium a non baptizatis initum dissolvatur etiam quoad vinculum, cum alter ex conjugibus religionem Christianam amplectitur, altero conversionem detrectante, nec sine Salvatoris contumelia pacificæ cohabitationi consentiente.

CONCL. 4. Duo sunt effectus sacramenti matrimonii, gratia sanctificans, & jus ad auxilia actualia, quæ necessaria sunt, ut conjuges pie vivant in matrimonio.

Probatur prior pars ex eo quod gratia sanctificans sit proprius cujusque sacramenti effectus. Altera non minus est certa: nam matrimonium a Christo fuit elevatum ad sacramenti dignitatem, tamquam medium, per quod fideles ad matrimonii bona perducantur. Si quis vero quærat, quænam sint ea matrimonii bona, poterit August. consulere, qui lib. 9. de Gen. ad Litter. c. 7. sic loquitur: *Bonum matrimonii est tripartitum, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, & religiose educetur. In Sacramento autem, ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec caussa prolis alteri conjungatur.*

DISSERTATIO NONA.

De Indulgentiis.

Not. BEneficii, de quo in hac dissertatione acturi sumus, varia sunt apud veteres nomina. 1. a Cypriano, quem Indulgentiarum doctorem merito dicere possumus, vocatur *Relaxatio*: a posteriorum sæculorum Patribus & Conciliis plerumque dicitur, *Remissio*, *Donatio*, *Condonatio*, *Indulgentia*;

tia; illæ autem voces idem omnino significant, ut ex dicendis patebit.

QUÆSTIO PRIMA.

De Essentia Indulgentiarum.

CONCL. I. Indulgentia recte definitur, Absolutio a pœna injuncta vel injungenda.

Probatur 1. Indulgentiam esse *absolutionem* colligitur ex eo, quod sit remissio facta cum auctoritate & jurisdictione: remissio autem hujusmodi vera est absolutio, designata his Christi verbis: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*.

2. Indulgentiam esse absolutionem *a pœna* evincitur ex eo, quod non sit absolutio a culpa peccati, cum culpæ remissio Indulgentiæ præsupponatur; iis enim, qui non sunt in statu gratiæ, applicari non possunt Indulgentiæ.

3. Eam esse absolutionem a pœna *injuncta* evidens est, tum ex antiquis Conciliis, Nicæno nempe & Ancyrano, quæ Indulgentiarum concessionem designant his verbis, *Circa pœnitentes humanius aliquid agere, statuere*: tum ex recentioribus; decernitur enim in Lateranensi sub Innocent. III. can. 60. *ut quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta ab Episcopis remissio non excedat*.

4. Indulgentiam esse absolutionem non tantum a pœna injuncta, sed etiam *injungenda*, patet, tum ex eo, quod Indulgentia remittat pœnam temporalem peccato debitam: At pœna debita non est tantum ea quæ modo solet injungi, sed & quæ esset injungenda ex Canonum præscripto; tum ex eo quod alioquin nullius fere pretii forent his temporibus Indulgentiæ, cum, habita ratione antiquæ consuetudinis, leves admodum satisfactiones injungantur.

Objicies varias rationes, quæ probare videntur Indulgentiam non esse absolutionem. 1. Absolutio a pœna potest dari invito, ut in humanis judiciis videre est. Atqui idem de Indulgentiis asseri non potest; neque enim quisquam invitus eas lucrari valet.

2. Indulgentiæ ab iis ministris conceduntur, quibus pœnitens non est confessus: ergo non sunt absolutio, cum absolutio, quæ verum est judicium, caussæ cognitionem præsupponat.

3. S. Thomas asserit, eum cui Indulgentiæ conceduntur, non absolvi simpliciter.

Resp. ad 1. absolutionem, quæ nullam ex parte subjecti liberam dispositionem prærequirit, invito quidem dari posse, non autem eam, quæ nonnullas præsupponit, ut revera Indulgentiæ supponunt: quænam autem sint illæ dispositiones, dicetur inferius.

Resp. ad 2. judicium, quod in communi fertur, non requirere singularium communitatis personarum cognitionem, secus si in particulari feratur. Prioris generis est judicium, quod in Indulgentiarum concessione secundum præsentem usum reperitur.

Resp. ad 3. absolutionem de qua agitur, excludere quidem debiti solutionem ex parte illius, qui Indulgentias lucratur, non autem ex parte Christi, a quo exhibitam Patri solutionem Episcopi per claves sibi traditas fidelibus applicant: nec aliud S. Thomas voluit.

Objicies 2. varia argumenta, quibus ostenditur Indulgentias concedi tantum pro pœnitentiis injunctis. 1. Pœnitentiarum injunctarum, non vero injungendarum, Concilium Lateranense sub Innocentio III. meminit. 2. Ecclesia nescit, qua hujus sæculi pœna redimi possit ea omnis, quæ peccato quoad culpam remisso in altera vita debetur.

Ad primum Estius respondet, determinatas in Jure Canonico pœnitentias habendas esse pro injunctis. Respondet Sylvius, hanc additionem, *De injunctis pœnitentiis*, quæ in nonnullis Summorum Pontificum Bullis legitur, non esse restrictivam, sed ampliativam: ita ut sensus sit, remitti pœnas injunctas & a fortiori injungendas, cum hoc sit illo facilius: sicut cum Episcopus facultatem facit absolvendi a casibus sibi reservatis, multo magis absolvendi a non reservatis potestatem concedere censetur.

Resp. ad 2. non requiri ad totius pœnæ remissionem, ut Ecclesia sciat, quanta futura sit hujusmodi pœna in altero sæculo; nam Judex potest reum absolvere a tota pœna, quam pro certo aliquo scelere leges definierunt, quamvis hujusmodi pœnæ species eum lateat.

QUÆSTIO II.

De divisione Indulgentiarum.

CONCL. Indulgentiæ in plenarias & non plenarias dividuntur.

Probatur ex eo, quod Indulgentiæ nonnullæ totam pœnam peccato debitam remittant, aliæ vero partem tantum. Prioris generis sunt plenariæ: posterioris non plenariæ. Illæ plerumque conceduntur periculose ægrotantibus, qui peccatis convenientem satisfactionem subire quidem non possunt, sed tamen cupiunt ex animo. Concedi etiam solent hominibus sanis, sed quorum (ut ait Cyprianus) *injuncta* pœnitentia satisfactioni proxima est, aut in quibus insigne aliquod fidei aut caritatis opus eluxit, ut sunt bonorum publicatio, aut exsilium in fidei defensionem constanter tolerata.

Jubilæum cum indulgentia plenaria conceditur, cum hoc tamen discrimine, quod Jubilæorum tempore detur sacerdotibus potestas absolvendi a casibus & censuris reservatis, & nonnumquam etiam commutandi vota simplicia, iis tamen exceptis quæ quis de perpetua

perpetua

petua religione, castitate & peregrinatione ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum in Hispania, aut ad urbem Jerosolymitanam emiserit.

In indulgentiis non plenariis fit remissio pœnitentiæ ex præscripto Canonum per plures annos subeundæ. Monitum autem velim studiosum lectorem singulis cujuslibet anni diebus lunæ, mercurii, saturni, pœnitentes solo pane & aqua vesci solitos fuisse, ac præterea quatuor quolibet in anno quadragesimas observatas fuisse, quibus illum unum cibum, unumque illum potum pœnitentes adhibebant. Iterum monitum velim lectorem, quod cum his temporibus singulis conceduntur Indulgentiæ, coram Deo tantum pœnæ remittantur iis, qui pro modulo & viribus satisfaciunt, quantum subire tenerentur, si canones hujusmodi vigerent.

QUÆSTIO III.

De Auctore Indulgentiarum.

CONCL. CHRISTUS ipse est Indulgentiarum auctor.

Probatur ex eo, quod Indulgentias concedendi facultatem Ecclesiæ fecerit, cum Apostolos eorumque successores sic allocutus est Matth. 15. *Quacumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quacumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*: cum enim ea sententia, *Quacumque ligaveritis, &c.* constet, Christum concessisse Ecclesiæ potestatem peccatores addicendi pœnitentiæ laboribus, constat etiam, hæc alia, *quacumque solveritis, &c.* illum fecisse facultatem, ex caussis tamen legitimis, ab iisdem pœnitentiæ laboribus eos eximendi.

Probatur 2. ex eo, quod Ecclesia a suis incunabulis ad hanc usque ætatem pœnitentibus nonnumquam Indulgentias concesserit: id igitur potestatis accepit a Christo; cum enim jure divino rei totam temporalem pœnam suis peccatis debitam subire teneantur, Ecclesia illius relaxationem non sibi sumpsisset, nisi esse datam sibi a Christo facultatem credidisset; unde Scriptura & traditione probatur antecedens.

1. Apostolus 2. ad Cor. 2. scribit, se Corinthiorum ergo, sed nomine & in persona Christi, veniam, seu Indulgentiam concedere incestuoso, quem ab anno & amplius pœnitentia damnarat.

2. Tertullianus, qui scripsit desinente secundo sæculo, libro ad martyres c. 1. refert & laudat morem Ecclesiæ, quæ lapsis martyrum libellos offerentibus dabat pacem, nondum peracta tota pœnitentia: illum eumdem morem idem auctor factus postea Montanista Ecclesiæ vertit vitio libro de pudicitia capite ultimo, sed crimen, quo eam insimulat, illius constantem veterem usum ostendit.

3. Cyprianus, qui vixit circa medium tertium sæculum, l. 3. Epist. 14. damnat quidem Indulgentiarum abusum, positum 1. in eo quod quidam Presbyteri, inconsulto Episcopo, ob libellos martyrum lapsis pacem temerarie concederent: 2. in eo, quod nonnulli Martyres nominatim in suis libellis eos non designarent, pro quibus ab Episcopis pacem exposcebant: 3. in eo quod pax a martyribus postularetur pro iis lapsis, qui licet tempore & sanitate fruerentur, nulla aut brevi admodum pœnitentia functi fuerant: at eidem S. Doctori probata fuit prudens & moderata Indulgentiarum concessio, cum scilicet postulantium expedit saluti, aut Ecclesiæ prodest ædificationi: *Potest* (inquit) *in acceptum referre, quidquid pro talibus petierint martyres, & fecerint sacerdotes.*

4. Nicænum Concilium I. habitum anno 325. can. 11. facit facultatem Episcopo, ut nonnihil de pœnitentiæ laboribus remittat iis, qui sua in illis subeundis, & in moribus mutandis diligentia vehementem & intensam contritionem demonstrant. Idem decernit antiqua Ancyrana Synodus can. 5. Idem quoque statuitur can. 75. Concilii quarti Carthaginiensis, cui Augustinus interfuit; at indulgentia non aliud est, quam juridica pœnitentiæ relaxatio, quam quidem, etiam coram Deo, locum habere demonstrabitur inferius ex his verbis Evangelicis, *Quacumque solveritis, &c.*

5. Eadem potestas ostenditur etiam ex canonica pœnitentiæ redemptione per preces, flagellationes & alia externa pietatis opera. Vide Conc. Triburiens. can. 56. Ostenditur quoque ex canonicæ satisfactionis commutatione, tum in expeditionem Jerosolymitanam, tum in peregrinationem ad Apostolorum limina, quæ post sæculum XI. obtinuit.

6. Ecclesia anathemate damnavit eos qui ausi sunt illo jure eam spoliare: 1. quidem Waldenses circa an. 1170. teste Reynero: 2. sæculo 15. Wiclefistas, ut patet ex Wiclefi artic. 42. quem Synodus Constantiensis proscripsit: 3. ultimo sæculo Lutheranos & Calvinistas, ut videre est in Concil. Trid. sess. 25. qua scilicet definitur, Ecclesiam a Christo habere potestatem concedendi Indulgentias.

QUÆSTIO IV.

De Indulgentiarum Ministro.

CONCL. II sunt Indulgentiarum ministri quibus convenit jurisdictio.

Probatur 1. ex eo, quod potestas concedendi Indulgentias nitatur his verbis, quibus Apostoli jurisdictionem acceperunt a Christo, *Quacumque solveritis, &c.* 2. ex Jure Canonico capite, *Quod autem*, Extr. *de pœnit. & remiss.* 3. tandem ex eo quod (ut superius dictum fuit) Indulgentiarum concessio vere absolutio nominetur.

Quæ-

Quæres, quænam jurisdictio requiratur, ut quis Indulgentias concedere valeat.

Respondent nonnulli Theologi, opinionem quæ asserit sufficere jurisdictionem in foro exteriori, nec canonibus confirmari, nec antiqua Ecclesiæ praxi, quæ tamen, ex Concil. Trid. legis & regulæ loco debet esse, cum agitur de Indulgentiarum usu. Addit Maldonatus post Durandum, penes eum solum esse absolvere, cujus est ligare: ergo (ait) cum potestas ordinis & jurisdictio in foro interiori requirantur, ut quis pœnitentem ligare seu ei pœnitentiam injungere valeat; requiruntur pariter, ut ei concedat Indulgentiam, cum nihil aliud sit, quam injunctæ vel injungendæ pœnitentiæ relaxatio.

Respondet Estius, cui subscribimus, opinionem quæ asserit requiri jurisdictionem in foro interiori, neque in scholis, neque Ecclesiæ consuetudine receptam esse: Et sane (inquit) electi Episcopi, tametsi nondum ordinati, & legati Sedis Apostolicæ, licet Presbyteri non sint, Indulgentias conferre solent. Ad argumentum autem Durandi dicit laudatus auctor falsum esse principium quo nititur, nempe semper ejusdem esse solvere cujus est ligare, nam plerumque inferior ligat illum, cujus absolutionem sibi superior retinet.

Quæres 2. an omnes quibus jurisdictio in foro exteriori competit, Indulgentias concedere possint.

Resp. id quidem juris olim sumpsisse sibi nonnullos Presbyteros, qui ad libellos martyrum pace lapsos donabant, sed Cyprianus temerarium illorum ausum tanquam Evangelio contrarium, & Episcopatui injuriosum compressit: *Fieri ultra non oportet* (inquit Ep. 4.) *Quod enim periculum metuere non debemus de offensa Domini, quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci sui memores ... cum contumelia & contemptu Præpositi totum sibi vindicent? &c.* Cypriano adhæserunt Concilia, quippe quæ potestatem injunctos relaxandi pœnitentiæ labores solis Episcopis adscripserint. *Episcopum*, inquit Ancyrana Syn. can. 5. agens de indulgentiis, *hanc habere licentiam oportet*. Sic quoque de iisdem Nicænum I. Conc. can. 11. *Licebit Episcopo, &c.*

Quæres 3. an singuli Episcopi eodem jure Indulgentias concedere valeant.

Resp. 1. Jure divino singulis Episcopis convenire potestatem, de qua agitur: singuli enim sunt successores Apostolorum, quos Christus Matth. 18. alloquebatur: *Quæcumque solveritis, &c.* Singulis eodem jure commissum est Ecclesiæ regimen, juxta hæc Cypriani verba epist. 27. *Ut Ecclesia super Episcopos constituatur & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc divina lege fundatum sit, miror &c.*

Resp. 2. nullas esse Indulgentias, quas olim Episcopi non possint suis Diœcesanis concedere; poterant nimirum, ubi expedire judicabant, id omne ex pœnitentia dimittere, quod a pœnitentibus persolvendum supererat; neque enim primis illis temporibus adhuc invaluerat usus recurrendi ad Summum Pontificem, ut quis plenarias Indulgentias obtineret.

Resp. 3. a duodecimo sæculo plenariarum Indulgentiarum largitionem non esse penes Episcopos: canonibus nimirum restricta fuit ad certum tempus, unius scilicet anni in dedicatione alicujus Ecclesiæ, & 40. dierum in aliis festivitatibus aut caussis. Detractum fuit nonnihil ex antiqua, & nullis limitibus circumscripta eorum potestate, quod ea nonnulli Præsules in Ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum usi fuissent. Legere est ea de re caput *Cum ex eo*, *Extr.* de Pœnitentia & Remissione, desumptum ex Concilio Lateranensi, quod anno 1215. sub Innocentio III. celebratum est.

QUÆSTIO V.

De subjecto Indulgentiarum.

CONCL. 1. Soli fideles sunt subjectum Indulgentiarum.

Probatur. Ii solum sunt subjectum Indulgentiarum, quos Ecclesia potest absolvere; Indulgentia enim est quædam absolutio: Atqui Ecclesia solos fideles potest absolvere, cum alii illius jurisdictioni non subjaceant.

Quæres, an fidelis possit lucrari Indulgentias quas alienus Episcopus concesserit.

Resp. negative. Ratio est, quia fidelis, de quo agitur, non subjacet jurisdictioni Episcopi alieni. Ita olim respondit Innocentius III. sic scribens ad Archiepiscopum Cantuariensem: *Quod autem consuluisti, utrum remissiones quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint, quam iis qui remitentibus subsunt: hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cum non a suo judice ligari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint, proprii judices specialiter indulserunt.* Habetur illud Decretum *Extra de Pœnitent.*

CONCL. 2. Fideles defuncti, stricte loquendo, non sunt subjectum Indulgentiarum: illis tamen prosunt, si specialiter pro eis concessæ fuerint.

Probatur prima pars. Defuncti Ecclesiæ militantis jurisdictioni non subjacent, dicente Bernardo Epist. 7. mortuos solum Deum habere judicem: unde hæc Christi verba, *Quæcumque solveritis super terram*, Patres interpretati sunt de judiciis quæ in viventes feruntur.

Probatur altera pars ex usu Ecclesiæ, quæ non pro vivis tantum, sed & pro defunctis solet

ſolet Indulgentias concedere. Earum Indulgentiarum formam legere eſt in Decretalibus Sixti IV. & Leonis X. Lutherum damnantis.

Quæres, qua ratione Indulgentiæ, quæ vivis conceduntur, ab iis differant, quæ pro defunctis conceduntur.

Reſpondeo, differre 1. quod illæ per modum abſolutionis, iſtæ vero per modum ſuffragii proſint: 2. quod Indulgentiæ vivis proſint ex juſtitia, defunctis vero ex mera gratia Dei miſericorditer acceptantis oblatas pro ipſis ſatisfactiones: 3. quod certum ſit ex infallibili lege Indulgentias prodeſſe vivis, quibus ſpecialiter conceduntur; probabile vero tantum ſit conceſſas pro defunctis, illis in particulari ſpecialiter prodeſſe, pro quibus ſatisfactoria viventium opera juridice præſcripta ſpecialiter offeruntur.

Quæres 2. utrum ſingulis defunctis æqualiter proſint Indulgentiæ, ſeu opera ſatisfactoria virtute clavium injuncta, quæ quis ad eorum relaxationem obtulerit.

Reſp. negative: 1. enim ita ſenſit Auguſtinus, qui de pio virorum erga defunctos affectu ſic loquitur cap. 4. lib. de cura pro mortuis habenda: *Qui cum defunctis fidelibus Chriſtianis exhibeatur, eum prodeſſe non dubium eſt iis, qui cum in corpore viverent, talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe meruerunt.*

Defuncti igitur, quid id æqualiter non meruerunt, iis operibus æqualiter non juvantur. Ex eodem Auguſtini loco hanc aliam concluſionem infert Eſtius: Ex quibus omnibus (inquit) ſatis intelligitur, non ita certo ſtatuendam eſſe alicujus animæ, pro qua data ſit indulgentia, e Purgatorio liberationem, ut jam amplius pro ea non orandum ſit, vel tollenda ſint anniverſaria, vel cetera quæ ad juvandum defunctos fieri ſolent, omittenda; quia videlicet certo nobis conſtare non poteſt ea omnia ſubſiſtere & completa eſſe, quæ ad Indulgentiæ hujuſmodi effectum, eumque plenum requiruntur.

QUÆSTIO VI.

De Indulgentiarum virtute.

Not. Circa virtutem Indulgentiarum quæri poteſt 1. Utrum ſeſe ad futurum ſæculum extendat: 2. Unde deſumatur ejus quantitas: 3. An Chriſti & ſanctorum meritis nitatur.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Indulgentiarum virtus extendat ſe ad futurum ſæculum.

CONCL. Indulgentiarum virtus ſeſe ad futurum ſæculum extendit.

Probatur 1. Indulgentiarum virtus hac Chriſti ſententia nititur, *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*: quæ quidem ſignificat, Deum ratam habiturum in cælis pœnæ remiſſionem, quam Epiſcopi hoc in ſæculo conceſſerint.

2. Paulus aſſerit ſe Indulgentiam concedere inceſtuoſo Corinthio in perſona Chriſti, ſeu ratam fore veniam in Dei judicio, perinde ac ſi Chriſtus ipſe, qui eſt Pontifex futurorum bonorum, illam conceſſiſſet.

3. Articulum, de quo agitur, credidiſſe antiquam Eccleſiam, oſtendi poteſt ex eo, quod Tertullianus factus Montaniſta ipſum in libro de pudicitia Catholicis crimini verterit; ſic enim Zephyrinum Papam alloquitur: *An tu jam & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem? ſufficiat Martyri propria delicta purgaſſe; quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei filius? Si propterea Chriſtus in martyre eſt, ut mœchos & fornicatores martyr abſolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat, & Chriſtus eſt.* Ea Tertulliani verba ſupponunt 1. Eccleſiam credidiſſe Martyrum cruciatibus non propria tantum, ſed aliena peccata purgari. 2. Solviſſe ipſos non pro propriis reatibus ſolum, ſed & pro alienis. 3. Purgationem illam & ſolutionem æque pro alienis ac pro propriis reatibus coram Deo valuiſſe: idque poteſt confirmari ex eo, quod Tertullianus ſolutionem a martyribus exhibitam comparet cum ſolutione peracta a Chriſto, quæ haud dubie coram Deo Patre locum habet.

4. Cyprianus Epiſtola 14. hæc ait: *Qui libellum a martyribus acceperunt, auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, & cum pace a martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remitti.* Atqui apud Dominum in delictis adjuvari per martyrum libellos, nihil aliud eſt, quam a Deo ipſo obtinere remiſſionem pœnæ, quæ alioquin peccatis, non in hac vita tantum vi Eccleſiæ canonum, ſed & in altera debetur. Confirmari poteſt ea ratio ex eo, quod pœnitentes, de quibus Cyprianus, morti proximi eſſent: At Indulgentia, quæ in hac vita tantum valet, non indigent ii qui jamjam morituri ſunt, cum in eo periculo canonicas pœnas ſubire non poſſint, & cum mors ab omnibus illis canonicis laboribus abſolute & neceſſario liberet: illæ igitur Indulgentiæ, de quibus Cyprianus, pro ſæculo futuro valebant.

5. Denique Concilium Tridentinum definiit Indulgentiarum uſum eſſe populo Chriſtiano maxime ſalutarem, damnatque anathemate Lutheranos, qui eas eſſe inutiles aſſerebant. At ſi pro hoc tantum ſæculo valeant, conſtat 1. eas inutiles fore infirmis conſtitutis in ultima vitæ periodo, quibus tamen Cypria-

Cypriani tempore concedi solebant. Constat 2. sanis, quibus tamen a Cypriano concedebantur, noxias fore; illa quippe pœnarum relaxatio impediret, ne lapsi acerbissimas alterius sæculi pœnas suis operibus in hac vita redimerent: sicque tantum abest, ut Cyprianus laudare debuisset martyres, qui Indulgentias pro lapsis exorabant; quin potius damnare debuisset, nullamque scriptorum a martyribus libellorum rationem habere potuisset vir, qui in creditum sibi populum summa caritate flagrabat.

CAPUT II.

Unde Indulgentiarum quantitas desumatur.

CONCL. Quantitas Indulgentiarum desumitur ex caussæ, propter quam datur, & operis quod injungitur, proportione cum pœna quæ remittitur; nec non ex caritatis gradu, quo quis injunctum opus persolverit.

Probatur 1. Ex parte concedentis requiri proportionem caussæ cum quantitate pœnæ, cujus relaxatio indulgetur, ostenditur ex eo, quod sicut dissipat ille qui sine caussa largitur Indulgentias; ita & ille qui pro exigua caussa maximam pœnarum quantitatem relaxat, ac proinde a Deo non habetur ratum, quod justam & æquam mensuram multum excedit. Præterea Concilium Lateranense sub Innocentio III. jubet, ut pro variis caussis variæ remissiones ab Episcopis concedantur (ut supra observavimus). Tandem qui ingentes facultates absque gravi caussa dispensat, magis prodigus censeri debet, quam is qui exiguas absque aliqua caussa expenderit.

2. Ex parte suscipientis necessarium esse operis, quod injungitur, proportionem cum indulgentia concessa, demonstratur ex antiqua Ecclesiæ praxi, quam quidem ut Indulgentiarum ministri sequantur, jubet sacra Tridentina Synodus. Ferebat autem illa praxis, ut suo loco dicemus, ut extra vitæ periculum non donarentur pace seu Indulgentiis, nisi ii qui majori ex parte canonicas pœnas subiissent. Demonstratur iterum ex eo quod per leve aliquod opus a recipiente peractum recte non applicetur dispensatio, quæ ex parte conferentis, caussam magni momenti ad ingentem relaxationis copiam requirit.

3. Indulgentiæ quantitatem peti etiam debere ex majori vel minori fervore caritatis, qua quis injunctum opus exequitur, docent antiqua Concilia; imperant nimirum, ut Episcopus cum iis lapsis, qui in subeundis pœnitentiæ laboribus fervorem suum probaverint, humanius agat, quam cum iis, qui segniter eos persolvunt.

Objicies 1. auctoritatem sancti Thomæ contendentis, Indulgentias tantum valere quantum sonant, quantumcumque exigua sit caussa, propter quam dantur, & quantumcumque exiguum sit opus quod præscribitur: *Quæcumque caussa adsit* (inquit scribens in dist. 20. lib. 4. Sentent.) *quæ in utilitatem Ecclesiæ vergat, sufficiens est ad Indulgentias; sed ad applicandum thesaurum requiritur auctoritas conferentis, & caritas suscipientis, & caussæ pietas: quibus tribus concurrentibus, Indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur.*

Respondeo, nonnullos recentiores Thomistas locum ex sancto Thoma allatum exponere quidem, ut fert argumentum, sed (ut observat Dominicus Soto) S. Doctoris mentem non sunt assecuti. Disserebat scilicet S. Thomas contra Altissiodorensem, qui contendebat, necessarium esse, ut opus injunctum æquivaleret ei, quod per Indulgentias remittitur; quod quidem S. Doctor merito confutat: nam (ut recte arguit) alioquin Indulgentia esset mera commutatio, non autem absolutio, aut juridica laborum remissio: unde colligitur, ex parte subjecti, cui conferuntur Indulgentiæ, non requiri quidem tantum opus, quantus est labor, qui per Indulgentiam remittitur; sed necesse est, ut in æstimatione divina aliquam cum eo proportionem habeat.

Objicies 2. Fert tritum Canonistarum axioma, Indulgentias tantum valere, quantum sonant; nec immerito; nam alioquin Indulgentiarum ministri fidelibus illuderent: Sed nonnulla Indulgentiarum diplomata leguntur, quibus peramplæ Indulgentiæ conferuntur sub onere operum maxime levium, ut sunt recitatio Orationis Dominicæ, aut contactus vel circumgestatio alicujus crucis, quam Summus Pontifex quibusdam adhibitis precibus consecraverit.

Respondet Dominicus Soto, 1. fidem, quæ de Indulgentiis debetur Ecclesiæ, esse de Indulgentiis in genere, seu quod tantum valeant, quantum sonant, si legitima ex caussa concessæ fuerint; non esse vero de eisdem in specie; quippe quod (ut mox laudatus auctor observat) non doceat fides, quod hæ vel illæ Indulgentiæ in particulari legitime, seu servatis servandis, concessæ fuerint.

Respondet 2. non valere in foro interiori eas Indulgentias, in quarum concessione enormis est ac evidens operis injuncti disproportio cum pœna quæ remittitur.

Objicies 3. Indulgentiæ plenariæ omnibus & singulis nonnunquam conceduntur sub iisdem conditionibus, aliquorum nempe dierum jejuniis, confessione sacramentali, Communione Eucharistica, stationibus quibusdam: Atqui illæ conditiones non sunt opera æqualiter proportionata cum pœnis quæ singulis remittuntur, cum (ut supponitur) æqualia non sunt illorum fidelium crimina.

Res-

Respondet Estius post S. Bonaventuram, eo argumento probari rem certissimam, Indulgentiarum nempe, quas plenarias vocant, singulos non fieri æqualiter participes.

CAPUT III.

An Indulgentiæ, Christi ac sanctorum meritis nitantur.

CONCL. Indulgentiarum virtus nititur Christi & sanctorum meritis.

Probatur 1. Indulgentias Christi meritis niti evincitur ex eo quod Indulgentiæ ita non sint absolutio, ut cujusdam solutionis rationem non habeant. Sed nulla solutio a Deo admittitur, nisi ex Christi meritis exhibita sit, seu nisi Christi merita sint ipsummet hujusmodi solutionis pretium. Idem iterum colligitur ex Clemente VI. in Extravaganti, quæ incipit: *Unigenitus*; asserit quippe, *Christum superabundanti passione sua infinitum thesaurum Ecclesiæ militanti reliquisse per beatum Petrum cæli claviger um ejusque successores, quos suos in terris vicarios commisit, salubriter dispensandum.*

2. Indulgentiarum virtutem sanctorum quoque meritis inniti, ostendi potest, 1. ex eo, quod Sancti sint Ecclesiæ membra, proindeque virtutes, quibus se in terris commendarunt, non iis solum, sed & aliis ejusdem corporis membris prosint, cum juridice, vel per modum impetrationis, ac suffragii, ab Ecclesiæ Præsulibus applicantur. Ostenditur 2. ex Clemente VI. qui in laudata Extravagante *Unigenitus* sic loquitur: *Ad cujus quidem thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis & omnium Electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur.*

QUÆSTIO VII.

De dispositionibus obtinendæ Indulgentiæ necessariis.

Not. Quæremus hic 1. an contritio obtinendæ Indulgentiæ prærequiratur: 2. utrum non obtineatur, nisi præmissa satisfactione: 3. an eximat a persolvenda satisfactione.

CAPUT PRIMUM.

Utrum impio necessaria sit contritio, ut Indulgentias consequatur.

CONCL. Impio vera contritio necessaria est, ut fructum ex Indulgentiis percipiat.

Probatur 1. Deus non potest, quin oderit impium, qui minime contritus sit: nec mirum, cum impius ille plus creaturam amet, quam Deum; non potest igitur pœnam illis peccatis debitam dimittere.

2. Omnia diplomata, quibus conceduntur Indulgentiæ, meminerunt contritionis, quæ necessaria est ei, qui lucraturus est Indulgentias.

3. Indulgentiæ, quas Cyprianus & antiqua Ecclesia commendarunt, nullis concedebantur, quam iis qui contritionem suam operibus comprobassent.

Quæres, quo tempore necesse sit impium conteri, ut Indulgentias lucretur.

Respondeo 1. requiri contritionem in impio cum exequitur opera quæ Pontificio diplomate præscribuntur. Ratio est, quia illa opera per modum satisfactionis exequi debet; satisfactio autem nullius est apud Deum momenti, si ab eo exhibita sit, qui peccatum amat, seu (ut Scholastici loquuntur) qui non solum est in statu peccati mortalis, sed & in ejus affectu; nec mirum, cum (ut observavimus in dissertatione de pœnitentia) satisfactio sit studium placandi Deum, quod quidem componi non potest cum voluntate qua Deus offenditur.

Respondeo 2. non solam contritionem, sed & statum gratiæ requiri in eo instanti, quo quis ex operibus per bullam injunctis ultimum exequitur. Ratio est, quia eo tantum instanti percipitur Indulgentiæ fructus; non enim percipitur, antequam singulæ, quæ determinatæ fuerunt in bulla, conditiones adimpletæ fuerint. Ergo si quis tunc non sit in statu gratiæ, Indulgentiam non consequitur, cum pœna non relaxetur, antequam culpa dimissa fuerit.

Nec est, quod quis dicat, antiquam Ecclesiam, ut patet ex Canonibus Synodorum Ancyranæ & Nicenæ, remisisse pœnitentibus superstites pœnas, antequam eos donaret absolutione, seu antequam essent in statu gratiæ: nam rata non erat illa remissio, seu suum effectum non sortiebatur, nisi in ipsa sacramentali absolutione; per eam enim tantum, seu per absolutionem sacramentalem, pœnitentes pœnæ æternæ debito eximebantur. Vide Cyprianum libro de lapsis, & multis Epistolis, in quibus de iis loquitur, quibus indulgentiæ concedi debent.

CAPUT II.

Utrum satisfactio Indulgentiis præmitti debeat.

CONCL. Antiqui Patres in casu necessitatis non aliam Indulgentiæ concedendæ in lapso prærequisierunt satisfactionem, quam in voto: sed extra illum casum prærequisierunt actualem, quæ ali-

aliquam cum criminibus proportionem haberet.

Probatur prima pars, nempe Patres aliquando aliam satisfactionem non expetiisse, quam quæ esset in voto, probatur (inquam) his Cypriani verbis: *Qui libellos a martyribus acceperunt, auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi aliqua infirmitate & periculo cœperint; & cum pace sibi a martyribus promissa ad Dominum remitti.*

Probatur altera conclusionis pars, seu quod extra periculi casum Patres satisfactionem actu exhibitam Indulgentiis præmitti voluerint, 1. auctoritate Scripturæ, qua constat, Paulum incestuoso Corinthio non remisisse residuum pœnitentiæ qua illum damnarat, nisi ubi in injunctis sibi laboribus annum integrum explevisset.

Probatur 2. auctoritate Cypriani, qui ubi statuit tamquam certissimum principium, post baptismum lapsos divino jure teneri Deo per pœnitentiæ labores satisfacere, neminemque posse illa lege eos eximere, *Cum*, inquit, *Deo nemo possit esse major*; concludit 1. lapsum, cum satisfactionem exhibere detrectat, magis reum fieri, quam cum crimine se commaculavit: *Ecce majora adhuc peccati vulnera* (inquit libro de lapsis circa finem) *ecce majora delicta, peccasse, nec satisfacere, deliquisse, nec delicta deflere.*

Concludit 2. lapsis unicum medium redintegrandæ cum Deo amicitiæ superesse, pœnitentiam nimirum: *Illis sola superest pœnitentia, quæ satisfaciat* (ait ibidem) *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est, Dominus longa & continua satisfactione placandus.*

Concludit 3. Ministrum, qui Indulgentias concedit *ante actam justo tempore pœnitentiam, agere contra legem Domini, contra Evangelii legem, contra Evangelicam disciplinam, contra Evangelii vigorem.*

Concludit 4. Velle Indulgentiam consequi sine debita pœnitentia non aliud esse, quam *provocare iram*, necesse esse, ut is, qui sic illud beneficium ambit, *indulgentiam amittat.*

Concludit 5. Indulgentiam iis concessam, qui non egerunt pœnitentiam, bellum esse, non pacem, *Novum genus cladis* (ait S. Doctor 4.), *non est pax illa, sed bellum, persecutio est hæc, alia & alia tentatio, ut post culpam criminis tollatur & pœnitentia, ut comprimatur peccatorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa & plena pœnitentia deprecetur.*

Concludit 6. deceptores esse animarum, qui prædicant, Indulgentias iis prodesse, qui non egerunt dignos pœnitentiæ fructus: *Ea enim concedere quæ in perniciem vertant, decipere est* (inquit lib. de Lapsis); *nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam: sed ad lapsorum perniciem verterunt, ut ægros a medela sui vulneris avocent & intermissis precibus, quibus Dominus longa & continua satisfactione placandus est, ad exitiosam temeritatem mendacio captiosa pacis invitent, sub misericordiæ titulo in altum fallens, & blanda pernicies, non quærunt veram de satisfactione medicinam: pœnitentia de pectoribus excussa est.*

Concludit 7. carnifices esse, non pastores, diabolos, & lupos, qui largiuntur Indulgentias nondum pœnitentia functis: *Ne*, (ait Epist. 4.) *qui ovium pastores esse debent, lupi fiant, ne perniciosis vocibus temere credatis, ne fallacibus verbis consensum facile commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis; nec vos ætas eorum aut auctoritas fallat. Vitate lupos, vitate linguam diaboli, mentitur ut fallat, blanditur ut noceat, bona promittit ut malum tribuat, vitam pollicetur ut perimat.*

Concludit 8. Epist. 11. sub finem, martyres non debere libellos pacis concedere, nisi eis qui canonicam fere adimpleverint pœnitentiam: *Quorum*, ait *pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis.*

Concludit 9. non esse sperandam Indulgentiam nisi ab iis, qui per pœnitentiam cum criminibus proportionatam ad ejus applicationem sese disposuerunt; *Pœnitentia* (inquit libro de Lapsis) *crimine minor non sit.*

Probatur 3. eadem secunda conclusionis pars auctoritate Conciliorum. Concilia decernunt non aliis concedendas esse indulgentias quam iis qui magna ex parte convenientes gravitati criminum satisfactiones impleverint. 1. Hæc ait Nicæna prima Synodus can. 11. *Quicumque enim cum omni timore, & lacrimis perseverantibus, & operibus bonis conversionem suam, non verbis solis, sed opere & veritate demonstrant, cum tempus statutum etiam ab his fuerit impletum, & orationibus jam cœperint communicare* (quod non fiebat nisi multis annis expletis in pœnitentia) *licebit etiam Episcopo humanius circa eos aliquid cogitare.* 2. Hæc quoque habet Ancyrana Synodus can. 5. *Episcopum autem habere licentiam oportet, ut perspecta singulorum conversione, normam regulamque conversationis attribuat, id est ut humanius agens, secundum vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breviet . . . . Discutiatur autem omnium horum & præcedens vita & posterior, & ita circa eos sacerdotalis humanitas se moderetur.*

Objicies. Antiqua Patrum praxis multum detrahit de Indulgentiarum virtute: quid enim pœnæ temporalis per Indulgentias iis relaxari poterat, qui pœnitentiam gravati criminum convenientem impleverant?

Resp.

Resp. 1. Indulgentias remisisse totam pœnam iis, quos pœnitebat ex animo, quique præ infirmitate, aut brevitate temporis, sincerum satisfaciendi propositum executioni mandare non poterant.

Resp. 2. Iis, qui aliquandiu satisfecerant, per Indulgentias remissum fuisse residuum pœnæ quæ satisfactioni diligenter expletæ supererat, seu quæ superstiti parti respondebat in altera vita: *Qui libellum a martyribus acceperunt* (inquit Cyprianus Epistol. 13.) *auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint; & cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remitti.*

CAPUT III.

Utrum quæ nunc conceduntur Indulgentiæ, lapsos eximant a convenienti satisfactione.

CONCL. Indulgentiæ, quantumcumque plenariæ supponantur, lapsos a satisfactionis debito non eximunt.

Probatur 1. Indulgentiæ, quas hisce temporibus Ecclesia concedit, non alterius sunt speciei, quam essent eæ quas majores nostri lapsis elargiebantur: At antiquæ Indulgentiæ lapsos a lege convenientis satisfactionis non eximebant; ordinarie enim non concedebantur, nisi iis, quorum pœnitentia satisfactioni erat proxima, ut mox ex Cypriano & Conciliis observatum est.

Confirmatur ex Concilio Tridentino præcipiente, ut his etiam temporibus Indulgentiæ juxta veterem usum dispensentur: *In his tamen concedendis* (inquit) *moderationem juxta veterem & probabilem in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.*

2. Indulgentiæ quantitas præsuponit in eo, cui applicatur, opus cum ea quantitate proportionatum, ut superius ostensum est: ergo & pœnitentiam quæ illi quantitati, in æstimatione divina, respondeat: unde Concilium Aquense asserit ministrum, qui Indulgentias elargitur, esse veluti satisfactionis præconem: *Ut cœlestem* (inquit) *eum Ecclesiæ thesaurum, spiritualiaque munera exponi omnes intelligant, non ad quæstum, sed ad peccatorum satisfactionem, & ad pietatis exercitationem.*

3. Jure divino lapsi post baptismum tenentur in hoc sæculo pœnas peccatorum numero & gravitati convenientes persolvere, juxta illud Evangelii, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; at ex Cypriano Christus non fecit Ecclesiæ potestatem lapsos ab ea lege eximendi, cum ei Indulgentiarum dispensationem credidit.

4. Idem S. Cyprianus docet, Indulgentias non prodesse, nisi iis, quorum pœnitentia satisfactioni proxima est, aut qui præ infirmitate, aut temporum angustiis, condignam satisfactionem exhibere non possunt, aut in quibus eluxit præstantissimum fidei & caritatis argumentum, ut sunt publicatio bonorum, exsilium, aliaque hujusmodi quæ propter nominis Christiani confessionem æquo tulerint animo. Nullis aliis lapsorum generibus antiqua Ecclesia indulgentiam concessisse legitur: *Quicumque cum omni timore & lacrimis perseverantibus & operibus bonis conversionem suam, non verbis solis, sed opere & veritate demonstrant, cum tempus statutum etiam ab his fuerit impletum, & orationibus jam cœperint communicare, licebit etiam Episcopo humanius circa eos aliquid cogitare.* Verba sunt Concili Nicæni primi.

DISSERTATIO DECIMA.

De Censuris.

Duæ erunt hujusce dissertationis quæstiones; in priore agemus de Censuris in communi, in altera variæ Censurarum species recensebuntur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Censuris in communi.

Hac in quæstione quæremus 1. quid sit Censura: 2. quotuplex sit: 3. agemus de illius auctore: 4. expendemus, quinam sit illius minister: 5. ex quibus materia & forma constet: 6. dicemus de illius subjecto: 7. censurarum necessitas & effectus exponentur.

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex sit Censura.

CONCL. 1. Censura secundum antiquum usum, est quælibet pœna in exteriori Ecclesiæ foro inflicta, qua aliquis ob culpam certis quibusdam spiritualibus bonis, aliis fidelibus communibus privatur: at secundum præsentem usum, censuræ sunt eæ tantum pœnæ quæ dicuntur excommunicatio, suspensio, interdictum.

Probatur ac simul explicatur prior conclusionis pars. Censura dicitur 1. *pœna*, & sic excluditur cessatio a divinis, sive fiat ob metum hostium qui urbem obsidione cingunt, sive ex eo, quod populus regendus non supersit, sive ob injuriam Ecclesiæ illatam injungatur, donec exhibeatur satisfactio; excluduntur quoque interdictum & suspensio

pensio clerici, qui executione ordinis vetatur ob corporis aut animi infirmitates, vel propter aliam caussam quæ peccatum non sit. 2. Dicitur *in foro exteriori Ecclesiæ*, seu in eo in quo negotium agitur testibus & variis judiciorum formulis; & ideo sententiæ quibus castigantur crimina in foro interiori, seu in quo alia probatio, quam pœnitentis confessio, non adhibetur, inter censuras non recensentur. 3. Dicitur *spiritualibus bonis*, quia pœnæ temporales, sicut sunt corporales vel pecuniariæ, non possunt inter censuras numerari. Privatur autem quis spiritualibus bonis, vel quoad jus, ut fit in excommunicatione, vel quoad usum, ut in suspensione & interdicto contingit.

Probatur altera conclusionis pars ex Innocentio III. qui lib. 5. Decretalium definit censurarum nomine intelligi tantum excommunicationem, suspensionem, interdictum; unde infertur, irregularitatem, etiam quæ oritur ex delicto, depositionem, & degradationem, secundum usum hodiernum inter censuras non numerari: quamobrem qui a censuris absolutus est, ab irregularitate, depositione aut degradatione dispensatus non censetur.

CONCLUSIO 2. Censura in genere sumpta multiplex est.

Probatur 1. Alia est a jure, alia ab homine. Illa conciliorum decretis, vel in jure canonico scripta est; ista vero fertur ab aliquo singulari superiore.

Differunt præterea a se invicem, 1. quod quæ est a jure semper sit generalis; quæ autem ab homine, vel generalis sit, vel particularis, seu lata contra aliquas personas determinatas: 2. quod prior perduret & vigeat etiam post legislatoris mortem, aut amotionem ab officio; posterior vero statim desinat: 3. quod ab illa, si non sit per canonem reservata, quilibet approbatus minister absolvere possit; ab ista vero solus qui eam tulit, vel ejus superior, vel minister ab eodem delegatus; nec comprehenditur sub concessione generali absolvendi a censuris, nisi specialiter exprimatur.

2. Censura alia est *latæ sententiæ*, alia *ferendæ*. Prior ea est, quæ eo ipso incurritur, quo peccatum admissum est, etsi nulla judicis sententia homo declaretur reus. Posterior e contra non incurritur, nisi peccato declaratio judicis accesserit. Illa (inquit Cabassutius) dignoscitur his particulis, *Ipso facto* vel *ipso jure*, aut *latæ sententiæ*, vel his adverbiis, *statim*, *confestim*, *continuo*, *ex tunc*, *illico*, *protinus*; aut cum canon utitur verbis præsentis temporis, aut præteriti: *Qui hæc fecerit*, *excommunicatur*, *suspenditur*, aut *sit excommunicatus*, *sit suspensus*, *sit anathema*, aut *noverit se excommunicatum*, vel *suspensum*, aut *noverit se excommunicari*, *suspendi*, aut *excommunicamus*, *suspendimus*, *judicamus*, *declaramus*, *decernimus esse excommunicatum*, *suspensum*, aut *incurrat*, vel *incidat in excommunicationem*, *vel habeatur pro excommunicato*, *suspenso*, *interdicto*; lib. 2. decret. tit. 28. cap. 53. Censura *ferendæ sententiæ* non exprimitur per modum sententiæ, sed per modum statuti comminatorii, quo fit, ut Prælatus absque alia commonitione possit reo inferre censuræ pœnam; statutum autem illud comminatorium his aut similibus terminis exprimitur: Præcipimus *sub pœna excommunicationis*, vel *suspensionis*, vel *interdicti*, vel *sub interminatione anathematis*, vel *incurrat censuram comminatoriam*, vel *decernimus excommunicandum*.

3. Censura alia est justa, alia injusta. Prior ea est quæ fertur secundum leges ac formas jure præscriptas. Posterior, cui hæc desunt, vel quæ sinistra fertur intentione, lib. 5. Decretalium tit. 39. cap. 48.

Inter censuras etiam injustas nonnullæ validæ sunt, quæ nimirum in reo supponunt caussam materialem, seu culpam mortalem; sed in judice caussam habent injustam, odium scilicet, aut vindictam, non vero laudabilem disciplinæ zelum. Aliæ vero sunt invalidæ, 1. quoad forum interius, quæ nimirum falso supponunt personam ream criminis, quod censuris castigatur; 2. etiam quoad forum exterius, quæ scilicet, non servatis essentialibus formulis jure præscriptis, feruntur. De injustis, quæ tamen valeant, intelligenda est præclara hæc Gregorii sententia homil. 6. in Evang. *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta, timenda est*. De injustis & invalidis hæc scribit Hieronymus, in Levit. 3. *Si quis non recto judicio eorum, qui præsunt, Ecclesia depellatur, & foras mittatur, si ipse non ante exiit, hoc est, si non ita egit, ut mereatur exire, nihil læditur in eo, quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus, & ita fit, ut ille, qui foras mittitur, intus sit, & ille foris, qui intus retineri videtur*. Putat Navarrus, innocentem, contra quem lata fuit injusta censura, ex suppositione nimirum facti, quod certo falsum est, non posse, etiam privatim, & secluso scandalo, actus, quibus prohibitus est, exercere; sed trita magis ac verior est opposita sententia. Addendum, quod si cum scandalo eos exerceat, reus quidem coram Deo futurus sit, sed nullam ob id irregularitatem contrahet.

4. Censura alia est ad tempus, alia in perpetuum; illa certo tempore, ista vero nullis limitibus definitur.

CA-

CAPUT II.

De auctore, ministro, ac subjecto Censurarum.

CONCL. I. DEus ipse est auctor Censurarum.

Probatur 1. Deus in antiqua lege Synagogæ fecerat facultatem leprosos ejiciendi ab hominum consortio, & anathematis pœna animadvertendi in impios, qui ceteris essent scandalo. Ea potestate Judæi quondam abusi sunt comminantes, ut si quis Jesum confiteretur, extra Synagogam fieret; ut Joan. 9. legere est. 2. In lege nova Christus eamdem potestatem suæ Ecclesiæ concessit, ut ostendunt hæc ejus verba Matthæi 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, & in cælis.*

Ecclesia ab Apostolorum ætate ad hæc usque tempora ea potestate usa est. 1. Paulus primæ ad Corinth. 5. excommunicatione in incestuosum animadvertit, & Hymeneum tradidit Satanæ, seu extorrem fecit ab Ecclesia. 2. Constat ex canonibus, veterem Ecclesiam castigasse suspensione Clericos, quos in pœnam criminis ablegabat ad communionem laicam, ad quam quis redactus sui ordinis munera obire non poterat. 3. Basilius interdicto, seu orationum communione, mulctat villam, quæ ubi mulieris raptorem exceperit, postulatam reddere noluerit.

4. Denique irregularitatem statim a morte Christi locum habuisse certo certius est ex Paulo, cum Bigamos, & Neophytos arceat a Sacerdotio.

CONCLUSIO 2. Ministri censurarum jure divino sunt Ecclesia, Romanus Pontifex, Episcopi; jure vero Ecclesiastico multi alii.

Probatur prima pars, 1. Hæc Matth. 18. verba: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, de Ecclesia in Concilio congregata intelliguntur. Unde Augustinus tr. 5. in Joann. hanc Christi ad Apostolos sententiam: *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis*, non soli Petro, sed Ecclesiæ dictum putat.

2. Romanus Pontifex potest censuras decernere, cum divino jure in tota, qua late patet, Ecclesia jurisdictione potiatur: unde nullus est omnino fidelis, quem censuris ligare non possit, servatis tamen præscriptis jure & locorum consuetudine formulis.

3. Singuli Episcopi diœcesanos suos censuris possunt innodare, jure nimirum divino creditæ sibi Ecclesiæ præsunt, cum Apostolis successerint, quibus singulis, & non uni Petro, Christus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

4. Auctores qui contendunt, parochis jurisdictionem jure divino convenire, asserunt, jure divino eis potestatem competere parochianos censuris obligandi. Ea potestate (inquiunt) quondam usi sunt, sicut & Diaconi, quippe qui ad Hierarchiam a Christo institutam pertineant; sed œconomiæ ac disciplinæ caussa, nec Parochi, nec Diaconi, ea potestate fruuntur.

Probatur altera conclusionis pars ex eo quod multi sint, qui jure Ecclesiastico tantum, jurisdictionem habent; ac proinde jure solum Ecclesiastico eis convenit potestas ferendi censuras in eos, quos ipsis Ecclesia subjecit.

Quæres, quinam ministri a censuris absolvere possint.

Respondeo, quemlibet approbatum sacerdotem posse absolvere, si censuræ non sint, aut a jure aut ab homine, superioribus reservatæ.

CAPUT III.

De materia, forma, necessitate & effectibus Censurarum.

CONCL. I. MAteria censurarum est peccatum grave, exterius & actu commissum.

Probatur 1. Quod sit *peccatum*, colligitur ex eo, quod censura sit pœna; omnis autem pœna peccati pœna sit, ex Augustino. 2. Esse peccatum *grave* seu mortale & scandalosum, si non actu, saltem potentia, evincitur ex eo quod censura sit pœna publica, quæ instituta est, ut stet disciplinæ Ecclesiasticæ vigor, & ut scandala a fidelibus amoveantur. 3. Esse peccatum *exterius*, suadetur ex eo, quod censura sit fori exterioris, quod quidem non animadvertit in peccata mere interna, & quæ exterius nulla actione se produnt. 4. Quod debeat esse *actu commissum*, infertur ex eo, quod nulli canones censuris castigent propositum committendi aliquod scelus, quamvis illud propositum exterius innotuerit.

CONCLUSIO 2. Forma censurarum sunt formalitates seu conditiones, quas jura, & consuetudo præscripsere.

Probatur. Positis illis formalitatibus, seu conditionibus, censuræ suum effectum sortiuntur; illis vero sublatis nullum omnino habent locum.

Quæres, quænam sint illæ formalitates.

Resp. in censuris, quæ per modum statuti, seu legis feruntur, requiri 1. ut lex sufficienter in provinciis, in quibus obligare dicitur, promulgata fuerit: 2. ut hujusmodi lex fuerit recepta: 3. ut nullo modo abrogata sit, aut vis ejus suspensa.

Resp. iterum, in censuris quæ per mo-

dum sententiæ feruntur, requiri 1. ut iis exprimatur verbis, quibus intentio judicis de præsenti censuram ferentis exprimatur: hinc excommunicatus non censetur is, quem Papa vitaverit, sicut nec absolutus, quem donaverit sua familiaritate aut osculo. 2. Necesse est, ut exprimatur nomen personæ, in quam censura lata fuit. 3. Culpa debet exprimi, seu caussa censuræ, tum ne temere lata videatur, tum ne judici relinquatur facultas modo hanc, modo illam pro libito proferendi, tum ut reus sciat, a quo peccato temperare debeat, tum etiam ut suam innocentiam tueri valeat, si per calumniam accusatus sit. 4. Ut valeat in foro exteriori, debet scripto exprimi, & exemplar reo dari intra mensem, si petierit. 5. Censuræ, quæ circa delictum præsens cum contumacia conjunctum versantur, prærequirunt tres monitiones, ut justæ sint; quæ vero circa præteritum, seu quæ in declaratione consistunt, non prærequirunt præmonitiones, sed citationibus opus est, ut reus in jus veniat rationem sui facti redditurus.

CONCL. 3. Subjectum censurarum est quilibet homo, qui baptismate fuerit initiatus.

Probatur 1. Subjectum censurarum debet esse *homo*, cum censuræ sint pœnæ, & pœnæ correlativæ sint cum crimine, cujus irrationales creaturæ, utpote nequaquam liberæ, capaces non sunt. Unde ad repellenda animalia quæ aut hominibus nocent, aut agros depopulantur, Ecclesia exorcismis, non vero censuris uti consuevit. 2. Homo ille debet esse *baptizatus*; soli enim baptizati Ecclesiasticæ jurisdictioni subjacent: ea de caussa, nec in catechumenos, nec in infideles censuris Ecclesia potest animadvertere. 3. Omnis, qui baptizatus sit, potest Ecclesiasticis censuris ligari: si enim laicus sit, excommunicari potest, & interdicto innodari: si vero clericus, excommunicatione, interdicto & suspensione potest multari, etiamsi sit Episcopus: Suspensionem tamen & interdictum Episcopi non incurrunt, nisi de eis mentio expressa fiat in canone, quo excommunicatio, aut interdictum feruntur, cap. *Quia periculosum*, de sententia excommunicationis in Sexto: incurrunt tamen excommunicationem, quamvis canon, quo fertur, Episcoporum expresse non meminerit. Communitas suspendi potest & interdici, sed lata in ea excommunicatio non valet, Caus. 24. quæst. 3.

CONCL. 4. Necessariæ sunt censuræ.

Probatur 1. Necessariæ sunt Ecclesiæ corpori; si enim putridæ carnes non resecarentur, aut oves scabiosæ a caulis non repellerentur, periculum esset, ne sana alioquin corporis membra computrescerent, ne morbo oves ceteræ interficerentur. 2. Necessariæ sunt multis privatis personis: non enim ii sunt omnes christiani, qui, vel sola pietate, vel solo timore offensæ divinæ, vel ob solam, quæ Prælatis debetur, reverentiam, a peccato temperent: censuris igitur cogendi sunt, ut suo non desint officio: merito itaque Concilium Tridentinum censuras appellat Ecclesiasticæ disciplinæ nervos.

CONCL. 5. Varii sunt Censurarum effectus.

Probatur enumeratione. 1. Censuræ privant certis spiritualibus bonis, quæ de censuris in specie agentes exponemus: 2. obligant in conscientia, peccant nimirum lethaliter, qui censuris innodati, iis spiritualibus aut se subjiciunt, aut ea dispendant, quibus fuerint prohibiti, quamvis occulte tantum, seu per crimen quod homines lateat, censuras incurrerint: 3. Clericus, qui interdicto, suspensione, aut excommunicatione ligatus, actum ordinis exercet, præter peccatum cujus sit reus, irregularitatem contrahit.

QUÆSTIO II.

De variis censurarum speciebus.

Not. HAc in quæstione dicemus 1. de excommunicatione: 2. de suspensione: 3. de interdicto.

CAPUT PRIMUM.

De Excommunicatione.

Not. AGemus *primo* de excommunicatione majori: *secundo* de minori, quarum quidem essentiam & effectus exponemus: *tertio* de excommunicatione, quæ incurritur ex monitione in finem revelationis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Excommunicatione majori.

CONCL. 1. EXcommunicatio major recte definitur, censura Ecclesiastica, qua Christianus in vindictam gravis alicujus delicti privatur singulis spiritualibus bonis, quæ toti Ecclesiæ corpori communia sunt.

Probatur. Qui majori excommunicatione ligantur ex triplici excidunt communione, qua fideles potiuntur, communione scilicet precum, sacramentorum, ac ipsius etiam exterioris conversationis; ad triplicem autem illam communionem singula fidelium bona reducuntur.

CONCL. 2. Multiplices sunt majoris excommunicationis effectus.

Probatur enumeratione. 1. Excommunicatus non est particeps communium Ecclesiæ suffragiorum: unde pro aliquo particulari

excom-

excommunicato preces publicas offerre non licet, quamvis pro eo privatim orare liceat.

2. Extorris est a Sacramentorum receptione, tum activa, tum passiva; id est, qui per majorem excommunicationem præscissus est ab Ecclesia, nec Sacramenta recipere, nec dispensare licite potest; immo nec valide, cum agitur de absolutione sacramentali, nisi tamen pœnitentem præsentis mortis periculum urgeat.

3. Excommunicatus, Missæ sacrificio, aut alicui Ecclesiastico officio non potest se sistere præsentem, licet fas ei sit Dei verbum audire; quippe quod Dei verbum via sit ad emendationem. Unde olim ipsis etiam gentilibus ad Episcoporum conciones aditus patebat.

4. Ecclesiastica sepultura donari non potest: *Quibus viventibus non communicavimus* (inquit Leo Magnus) *mortuis communicare non possumus*. Jubet canon *Sacris*, ut hominis, servatis servandis, excommunicati cadaver exhumetur, si forte in loco sacro sepulturæ mandatum fuerit; modo tamen dignosci possit a ceteris. Præscribit canon *Consuluisti*, ut locus ille sacer per aquæ sollemnibus Ecclesiæ precibus consecratæ benedictionem expurgetur, sicut in Ecclesiarum aut dedicatione, aut reconciliatione observari consuevit.

Observant Canonistæ, excommunicatum, qui ante mortem dedit quidem pœnitentiæ signa, sed tamen non fuit absolutus, non esse sepeliendum in loco sacro, donec superioris auctoritate post mortem fuerit ab excommunicatione liberatus. Si vero jam fuerit mandatus sepulturæ, erui non debet e loco sacro, sed Ordinarii auctoritate absolvendus est ab excommunicationis vinculo.

Cabassutius septem hominum genera recenset, quos ab ecclesiastica sepultura Rituale Romanum Pauli V. jussu editum excludit. Ii autem sunt 1. Pagani, Judæi, Hæretici, Schismatici, eorum fautores, & omnes qui majori excommunicatione secundum juris formam ligati fuerint: 2. qui vel ex desperatione, vel iracundia sibi mortem intulere, nisi ante mortem signa pœnitentiæ dederint: 3. qui privato duello confligentes, e vivis excesserint, quamvis antequam exhalarent animam, exhibuerint pœnitentiæ signa: 4. manifesti & publici peccatores, qui nempe post judicis juridicam declarationem, non præmissis pœnitentiæ signis, obierunt: 5. ii quos, servata juris forma, constat eo anno aut confessos non fuisse, aut in Paschate non recepisse Eucharistiam: 6. infantes qui sine baptismo obierunt: 7. denique publico interdicto damnati, aut qui in loco, ut par est interdicto, extremam diem clauserunt.

5. Major excommunicatio inhabilitatem parit ad quævis beneficia obtinenda: itaque electio, præsentatio, institutio, collatio, si excommunicato faverint, etiam tolerato, nec evitando, nullæ omnino sunt, c. *Postulastis*, *de Cleric. Exc.* Sed observet lector, ipso quidem jure non vacare beneficia, quibus excommunicatus potiebatur, antequam ejiceretur ex Ecclesia; sed ab eis per judicis sententiam titulares excommunicati dejici possunt. Id tamen dictum non velim de pensionibus clericalibus: cum enim canones qui de excommunicatis agunt, pensionum non meminerint, utendum est restrictione capitis, *In pœnis* de regul. jur. in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

6. Excommunicatio major qualibet Ecclesiastica jurisdictione clericos spoliat, Cap. *Ad probandum de re judic.* sed hac pœna non afficiuntur, nisi ii qui tolerati non sunt, seu qui expresse, nominatim, & palam a judice denuntiati fuerunt.

7. Qui extorris ab Ecclesia juridice factus est, a civili etiam communione pellitur: Et tamen pœna non habet locum, nisi iis servatis, quæ Martinus V. præscribit in bulla quæ incipit, *Ad evitanda*, quæ quidem ubique viget, non tamen in Galliis quoad exceptionem de Clericorum notoriis percussoribus: quippe qui apud Francos vitandi non sint, nisi expresse & nominatim denuntiati fuerint: ita nimirum fert consuetudo quæ viget in Galliis.

8. Denique excommunicati inhabiles omnino sunt respectu impetrationis gratiarum & rescriptorum Apostolicorum cap. 1. *de rescript.* nisi ad id absolvantur; sed sciendum absolutionem illam valere tantum, ut subjectum specialis Apostolicæ gratiæ capax fiat.

ARTICULUS II.

De excommunicatione Minori.

CONCL. 1. Excommunicatio minor est censura quam quis incurrit ex communione cum excommunicato, qui expresse denuntiatus fuerit.

Probatur pluribus Canonibus, quos in Gratiani Decreto legere est: ii nimirum censuram, de qua agitur, tulerunt in eos, qui excommunicatis vitandis in aliquo communicant; ii autem canones, quamvis antiquissimi, his temporibus ubique vigent.

CONCLUSIO 2. Duplex est minoris excommunicationis effectus.

Probatur 1. Excommunicatio minor excludit subjectum quod ea ligatum est, non quidem a collatione, sed a receptione sacramentorum.

2. Personam, quam afficit, reddit inhabilem ad electionem passivam, sive ad beneficia, sive ad dignitates Ecclesiasticas, ita tamen

tamen ut electio *ipso facto* irrita non fit, sed irritanda a judice, nisi ea censura illigatus de sua absolutione satagat.

Quæres 2. cujusnam peccati reus fiat, qui cum excommunicato vitando in aliquibus communicat.

Resp. 1. eum qui in sacris & divinis cum excommunicato vitando communicat, peccare lethaliter ob materiæ gravitatem; qui vero in civilibus tantum, venialiter, ob levitatem materiæ.

Resp. 2. sacerdotem qui scienter coram excommunicato vitando celebrat, præter peccatum mortale, cujus fit reus, & præter minorem excommunicationem, quam incurrit, multari interdicto ab ingressu Ecclesiæ, *Cap. Episcoporum de privilegiis in 6.* quo quidem interdicto illigatus, si ante receptam absolutionem det operam Sacris, irregularitatem contrahit, non quidem ex infractione minoris excommunicationis, cum ex se ipsa nusquam pariat irregularitatem, sed propter violatam interdicti censuram.

Quæres 2. qua ratione debeat se gerere sacerdos, qui post inchoata sacra mysteria fit certior adesse quempiam excommunicatum.

Resp. sacerdotem eo in casu teneri 1. excommunicatum illum monere, ut exeat: si parere detrectet, vi adhibita ejiciendus est, licet sacerdotio emineat: 3. si ejici non possit, qui rei sacræ dat operam, discedat oportet ab altari, si nondum canonem incœperit; si vero canon inchoatus fuerit, necesse est, ut alias liturgiæ partes ad communionem inclusive recitet: qua quidem peracta, ubi se in sacristiam receperit, quæ supersunt, seu post communionem & orationes, prosequi debet.

Quæres 3. quænam ignorantia eximat a contrahenda minori excommunicatione, aliisque censuris.

Resp. quæstionis illius solutionem petendam esse ex nostra dissertatione de peccatis ignorantiæ, quam quidem studiosus lector adire poterit.

Quæres 4. an aliqui sint casus, in quibus communicare liceat cum excommunicato etiam majori excommunicatione.

Resp. affirmative, iique casus apud Gratianum caussa 11. q. 3. c. 103. hoc versiculo continentur.

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Nomine *Utilis* intelligitur emolumentum spirituale excommunicati, nimirum ut doceatur, & ad obediendum moveatur. Id tamen omnibus non est concessum, sed iis solum quibus incumbit excommunicati cura, cujusmodi sunt parochi, aut alii clerici, vel etiam laici, quibus id oneris ab Episcopo speciatim commissum est. Ii autem, qui ad id commissi sunt, cavere debent, ne quidpiam agant præter id quod existimaverint ad utilitatem excommunicati conferre.

Per vocem *Lex* intelligitur conjugium: nimirum a lege conjugii pars innocens non dispensatur per excommunicationem partis nocentis: unde conjux potest cum excommunicato conjuge eodem modo se gerere, ac se gerebat, antequam lata fuisset excommunicationis sententia.

Per terminum *Humile* intelliguntur subjectio & obedientia quam filii debent parentibus, & servi suis dominis; ab ea enim tum subjectione tum obedientia non dispensantur per majorem parentum vel dominorum excommunicationem. Alii tamen a parentibus consanguinei ea voce non comprehenduntur: immo fratres, patrui, avunculi, consobrini, eo diligentius excommunicati communionem vitare debent, quod ea separatio plurimum ad ejusdem excommunicati pœnitentiam conferat.

Res ignorata, est ignorantia facti, seu cum aliquis bona fide nescit, privatum aliquem fuisse excommunicatione percussum. Id autem ut vitetur, excommunicati nomen Ecclesiæ valvis & vicis celebrioribus affigi solet.

Necesse, hoc est negotiorum necessitas, dispensat a lege de vitando excommunicato. Verum ea libertate abutendum non est ad colloquia minime necessaria: sic creditor potest debitorem in jus vocare, ut solvat debita: sic non licet notariis acta scribere in favorem eorum qui sunt excommunicati: si ea scribant quibus disciplinæ eversio foveatur, tenentur ad reparationem damnorum, quæ a sacerdotibus incurrerentur. Possunt etiam medici, chirurgi & alii ejusmodi excommunicatos adire, ut eis ægrotantibus opem suam conferant. Ea omnia vide apud Summistas fusius pertractata.

ARTICULUS III.

De excommunicatione, quæ incurritur ex monitione in finem revelationis.

Not. Monitio in finem revelationis est mandatum quo sub excommunicationis interminatione Ecclesia jubet factum aliquod revelari. De eo autem mandato quæri potest 1. a quo & quam ob caussam concedi debeat: 2. an quosvis fideles liget.

CONCL. 1. Monitio in finem revelationis a solo Episcopo concedi debet, idque non sine gravibus caussis.

Probatur ex Concilio Tridentino, quod quidem sess. 25. c. 3. de reform. vetat, ne excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis (ut ajunt) aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri so-

ri solent, a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo, decernantur. Vetat 2. ne concedantur, nisi ex re non vulgari, caussaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata. Vetat 3. ne Episcopus ad eas concedendas adducatur cujusvis sæcularis magistratus auctoritate: e contra præcipit, ut totum hoc in ejus arbitrio & conscientia sit positum.

CONCLUSIO 2. Monitio in finem revelationis obligat aliquos fideles, sed non omnes.

Probatur prior pars. Monitio, de qua agitur, est affirmativum Ecclesiæ mandatum, proindeque fideles parochiæ, in qua promulgatur, obligat in certis casibus, cum nempe revelatio utilis esse potest, ut injuria proximo illata resarciatur, vel ut aliquod grave scandalum amoveatur. Vide Morinum nostrum l. 2. de Pœnit. c. 2. l. 7. c. 3. Hinc sequitur graviter peccare, qui illi Ecclesiæ mandato non obtemperant; immo si post tertiam monitionem non revelaverint, in excommunicationem incurrunt, tenenturque ad restitutionem damni, quod ex non revelatione secutum est.

Probatur altera conclusionis pars subsequenti enumeratione. 1. Revelare non tenentur, qui cum fundamento timent, ne ob revelationem male, & quidem graviter, aut in persona aut in fortunæ bonis tractentur. 2. Non tenentur quoque clerici, quoties ex denuntiatione supplicium mortis sequi potest, nisi tamen quæstio sit de notabili reipublicæ bono. 3. Cum agitur de morte aut gravi infamia, revelare non tenentur consanguinei, affines in primo & secundo gradu: nec ii etiam, a quibus consilium postulatum fuerit.

Parochorum partes, cum de monitoriis agitur, sunt 1. ut ante illorum impetrationem hortentur populum ad revelationem: 2. ut populum doceant effectus excommunicationis: 3. ut moneant Episcopum, si graves rixæ ex monitorii promulgatione suboriri debeant.

CAPUT II.

De Suspensione.

CONCL. 1. Suspensio definitur, censura qua in gravis delicti pœnam Clericus aut ordinis, aut beneficii, aut officii clericalis usu prohibetur.

Explicatur definitio. Suspensio est censura, quæ infligitur *Clerico*, & in hoc differt ab excommunicatione, qua quilibet fidelis, etiam laicus mulctari potest. 2. Non dejicit clericum e suo beneficio aut ordine, & per hoc a degradatione & depositione discrepat. 3. Interdicit *usu*, idest, exercitio ordinis, aut muneris Ecclesiastici, ut est officialatus, vel privat fructibus, quos quis ex beneficio perciperet.

CONCLUSIO 2. Suspensio multipliciter dividitur.

Probatur. Suspensio dividitur 1. in totalem, & partialem. Priore Clericus usu ordinis, beneficii, ac cujuslibet officii clericalis simul prohibetur; posteriore vero, Clericus privatur usu ordinis tantum, vel beneficii, vel officii. Dividitur 2. in perpetuam, & eam quæ est ad tempus: Illa non est medicinalis, sed mera pœna, quæ scilicet in criminis vindictam inflicta sit; ista vero certo tempore determinatur, intra quod Clericus resipiscere supponitur.

CONCL. 3. Nonnullæ sunt regulæ, quæ in suspensionum praxi observari debent.

Probatur enumeratione. 1. Suspensus ab Ordine superiore non intelligitur suspensus ab inferiore: nec mirum, cum Ordo inferior non fundetur in superiori: Sed e contra suspensus ab inferiore, suspenditur quoque ab exercitio superioris. 2. Qui ordinis suspensionem incurrit, a jurisdictione suspensus censeri debet. 3. Clericus, qui a divinis suspensus est, ab omni actione sollemni suspensus habetur. 4. Cum quis simpliciter, sine addito, suspensus declaratur, lata in eum suspensio de totali intelligitur.

CONCL. 4. Varii sunt casus in jure expressi, in quibus incurritur suspensio.

Probatur illorum casuum enumeratione, quam fusius pertractatam videre est apud Canonistas, & præsertim apud Cabassutium nostrum Theoriæ & praxis juris Canonici pag. 145.

CAPUT III.

De Interdicto.

CONCL. 1. Interdictum est censura, qua sacramentorum dispensatio, publica celebratio officiorum divinorum, Ecclesiasticæ sepulturæ usus prohibentur.

Explicatur definitio. Interdictum dicitur 1. *Censura*; qua voce excluditur *Cessatio a Divinis* tempore interdicti innocentes involventis: eorum enim respectu non pœna, sed mera est sacramentorum ac officii divini subtractio.

2. Dicitur, quod per Interdictum prohibetur usus *Sacramentorum*, non omnium, sed Ordinis, Extremæ Unctionis, Eucharistiæ (non tamen morientium respectu), Matrimonii sollemnis; idest, quod sollemni benedictione consecretur.

3. Dicitur vetari *divinorum officiorum usus*, non quidem privatus, saltem in Ecclesiis specialiter non interdictis; idque juxta Caput *Alma mater* Bonifacii VIII. *de sentent. excom.*

excom. in Sexto; quo quidem capite, mitigata fuit constitutio, *Quod in te*, Innocentii Papæ III. In festivitatibus autem Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumptionis B. Mariæ Virginis campanæ pulsantur, referantur templorum fores, officia sollemni ritu celebrari possunt, exclusis quidem excommunicatis, sed admissis iis qui etiam specialiter interdicti fuerunt, & interdicto dederunt locum, modo tamen ab altari plurimum distent. Addendum est ex Capite *Permittimus de sentent. excom.* in locis etiam specialiter interdictis, posse privatim celebrari Missam, ut Eucharistia pro infirmis renovetur, clausis tamen januis, uno tantum vel altero præsente, ministrante nimirum.

4. Per interdictum prohiberi dicitur Ecclesiastica sepultura, id est, quæ fiat in loco sacro, aut adhibitis consuetis ritibus Ecclesiasticis; excipiuntur tamen Clerici, qui Interdictum servarunt, modo tamen illi nullum omnino dederint locum: Ii enim Clerici in Ecclesiæ cœmeterio, quod specialiter interdictum non sit, sepeliri possunt, ea tamen lege, ut campanæ non pulsentur.

CONCL. 2. Interdictum multipliciter dividitur.

Probatur. Interdictum dividitur 1. in Personale, Locale, & Mixtum. Priore, quibusdam personis usus sacramentorum, officiorum divinorum, Ecclesiasticæ sepulturæ ubique prohibetur: Altero vetatur ille usus in aliquo determinato loco. Tertium & personas & locum complectitur.

2. Interdictum personale subdividitur in generale & particulare: illud fertur in plures personas privatas, ut sunt Petrus & Paulus: istud in unam tantum.

3. Interdictum locale subdividitur etiam in generale & particulare: prius plura loca celebrandis divinis officiis destinata complectitur, ut sunt oppidum, diœcesis, provincia, regnum: istud e contra specialem aliquem locum sacrum respicit.

CONCL. 3. Circa interdictum, regulæ quædam servari debent.

Probatur 1. Interdictum nonnisi personas vel loca determinata afficit; hinc si populus interdicitur, clerici nequaquam interdicti censentur: Si templum aliquod interdictum sit, populus non censetur interdictus, debetque in alium locum confluere, ut Divinis intersit.

2. Totius alicujus civitatis interdictum eos omnes afficit, qui ad eamdem civitatem pertinent. Unde cum interdicitur civitas, eo Interdicto continentur suburbia, & ædificia quæ civitati adjacent. Cum interdicitur templum, interdicuntur quoque cœmeteria & capellæ contiguæ: at non e contra.

CONCL. 4. Sententia Interdicti obligat sub gravi pœna.

Probatur 1. Si Clerici celebrent officia divina in loco, servatis servandis, interdicto, irregularitatem contrahunt. 2. Si nominatim, aut generaliter interdictos ad aliqua divina admittant, incidunt in interdictionem latæ sententiæ ab ingressu Ecclesiæ, a qua non possunt absolvi, nisi satisfactione peracta ad arbitrium judicis Ecclesiastici, a quo Interdicti censura lata fuerit. Si autem postquam interdictionem illam incurrerint, ipsi celebrent, incidunt in irregularitatem, privanturque sepultura Ecclesiastica. Si personas nominatim interdictas in cœmeterio vel Ecclesia sepeliant, incidunt in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possunt absolvi, nisi perfecta satisfactione secundum arbitrium judicis, a quo latum fuit Interdictum; eaque pœna locum habet, sive sint laici qui sepeliunt, sive clerici, sive exempti, sive non exempti.

DISSERTATIO UNDECIMA.

De Irregularitate.

CONCL. 1. Irregularitas est impedimentum Canonicum ordines suscipiendi, aut susceptos exercendi.

Explicatur definitio. Irregularitas dicitur 1. Impedimentum *Canonicum*, eo quod canonibus statutum fuerit. 2. Dicitur impedire *susceptionem* licitam, non vero validam *Ordinum*; qua voce comprehenduntur non solum ordines stricte sumpti, sed & late, ipsa nimirum tonsura Clericalis, quæ mera est ac nuda ad ordines dispositio. Comprehenduntur etiam quædam beneficia; irregularitas enim parit incapacitatem ad ea suscipienda, si sit præcedens; si vero sit subsequens, quamvis ipso facto non inducat beneficiorum vacationem, ut patet ex capite, *Ex litteris de excessibus Prælatorum*, dat tamen locum judici, ut vacationem decernat, si sit ex delicto: si autem ex defectu, ut per judicem provideatur de Vicario cum assignatione fructuum beneficii, cui incumbit animarum cura.

CONCLUSIO 2. Duæ sunt tantum irregularitatum species, ex defectu nimirum, & ex delicto.

Probatur ex canonistis. Irregularitates speciem suam sumunt ex caussis ex quibus nascuntur: atqui nascuntur solum ex duplici specie caussæ, defectu scilicet & delicto. Ergo, &c.

Quæres 1. quot sint defectus, ex quibus nascitur irregularitas, quæ dicitur irregularitas ex defectu.

Resp. illos defectus esse novem, quorum quin-

quinque priores sunt spirituales, ceteri vero corporales; illi sunt defectus rationis, famæ, lenitatis, libertatis, significationis: isti autem, sive corporales, sunt defectus natalium, ætatis, & membrorum.

De rationis defectu.

Rationis defectus reperitur 1. in energumenis: 2. in amentibus: 3. in epilepticis, seu caduco morbo laborantibus.

Afferit Cabassutius noster ferre consuetudinem ubique receptam, ut ad irregularitatem non computentur effectus epileptici, qui ante completum decimumquartum ætatis annum acciderunt. Addit idem auctor, Ordines ante epilepticam ægritudinem susceptos posse exerceri, adhibitis tamen nonnullis præcautionibus, nimirum ut integro anno epilepticum symptoma non recurrerit. *Cap. Communiter, distinct.* 33. Nec obstat caput *Nuper*, ubi Papa non plus quam triginta dies requirit ad explorandum morbum epilepticum: Nam illud caput *Nuper* intelligitur tantum in casu, in quo dubium est, an ordinatus aliquando epilepsia laboraverit: Caput vero, *Communiter*, intelligitur supposita certitudine de præterito epileptico casu. Præterea necesse est, ut epileptico per annum probato adsit alius sacerdos jejunus, qui Sacrum possit perficere, si celebrans post inchoatum canonem antiquo suo morbo forte corripiatur, eodem Cap. *Nuper*. Tandem ad defectum mentis reducuntur illiterati *Cap. Illiteratos*, dist. 36. Reducuntur quoque Neophyti, idest qui ab idololatria, vel Mahumetismo, aut Judaismo recenter conversi, adulta ætate baptizati fuerunt.

De famæ defectu.

Inter eosdem spirituales defectus numeratur defectus famæ, qui reperitur 1. in iis, qui in scena lusisse dignoscuntur, Cap. *Maritum, dist.* 32. 2. in iis, qui mortalia crimina pœnitentia publica defleverunt, iisdem dist. & cap. reperitur 3. in iis, qui usuras accepisse convincuntur in judicio, aut commisisse scelera, quæ infamiam inferunt.

De defectu lenitatis.

Recensetur 3. defectus *lenitatis*, qui reperitur in iis, qui directe vel indirecte ad alicujus mortem, vel mutilationem alicujus ex suo officio cooperati sunt, sive juste, sive injuste; hujusmodi sunt Judex, testis, miles, accusator in caussa aliena, non autem in propria, si expresse protestetur, se nullam intendere mutilationis, aut mortis pœnam, Cap. *Prælatis* de homicidio in 6. immo nec in aliena, quamvis sit testis, si agatur de patriæ proditione, aut de liberando innocente; tunc enim non intendit rei mortem, sed patriæ incolumitatem, & innocentis liberationem.

Medicus tamen & chirurgus, qui secuti suæ artis regulas, vel consuluerunt, vel executi sunt mutilationem aut adustionem alicujus membri, excipiuntur ab ea canonis lege, quamvis ex facta ab eis mutilatione aut adustione, aut potionis exhibitione, mors ægroti subsecuta fuerit. Illa quoque lege non tenentur etiam Clerici, ex quorum actibus licitis mors ægroti per accidens tantum subsequitur. Sic irregularis non est, qui porrexit jusculum ægroto, qui movens sese ad illud hauriendum obiit. Non est quoque irregularis Clericus, qui juxta medicinæ leges jussit aut consuluit medicinæ sumptionem, licet ex illius sumptione interierit æger: secus si adustionem, aut mutilationem imperaverit. Qui enim sunt sacris initiati, prohibentur mederi per abscissionem aut adustionem membri alicujus, cap. *Sententiam sanguinis, ne Clerici vel Monachi*, &c. *Tuanos, de homicidio*. Nulla quoque contrahitur irregularitas ab eo qui injustum vitæ invasorem occidit, servato moderamine inculpatæ tutelæ, *Clem. unica de homicid.*

De defectu libertatis.

Recensetur 4. defectus *libertatis*. 1. a servili conditione: qui enim ea sunt devincti, promoveri non possunt, nisi prius fuerint libertate donati: 2. a sæculari militia, qui enim ipsi adscripti sunt, vetantur ordinari ante obtentam discessionem: 3. a publicis sæcularibus ratiociniis, prohibentur quippe per canones Ordines suscipere, antequam ratiociniis hujusmodi fecerint satis, Cap. *Præterea*, dist. 51. & toto titulo *de obligat. ratiocin.*

De defectu significationis.

Recensetur tandem 5. inter defectus spirituales defectus significationis, unionis nimirum Christi cum Ecclesia, quæ est unica, perpetua, & incorrupta ejus sponsa. Defectus hujusmodi oritur ex Bigamia, sive sit *realis & vera*, ut est in eo, qui duas successive uxores duxit, sive *interpretativa*, qualem reperire est in viro qui cum vidua contraxit, aut quomodocumque ab altero corruptam duxit: aut cum virgine quidem nupsit, sed quæ post nuptias cum altero adulterata sit, si tamen post adulterium hujusmodi

eam.

eam cognoverit, non vero si reliquerit intactam; sive etiam bigamia fuerit *similitudinaria*, ut est in eo, qui post emissum sollemne castitatis votum in approbata religione, aut susceptum sacrum aliquem Ordinem, sive invalide sive valide nupsit, seu post obtentam a summo Pontifice dispensationem. Huc spectant Caput *Maritum* dist. 32. & Caput *Curandum* dist. 24.

Observandum est 1. Bigamiam parere irregularitatem, etiamsi baptismum praecesserit. Ea de re dubitavit Hieronymus Epist. 89. ad Oceanum, sed ut certam adstruxit Augustinus; cui adhaeserunt Summi Pontifices in jure canonico. 2. Bigamia non contrahitur, nisi per completam omnino carnalem copulam: Unde si sint multa matrimonia rata, sed unum solum consummatum, nulla nascitur bigamia: nec mirum, quamvis enim matrimonium ratum sit verum Ecclesiae sacramentum, referatque Christi cum Ecclesia unionem per caritatis vinculum, non exhibet tamen hypostaticam cum humana natura unionem.

De defectibus natalium, membrorum, & aetatis.

1. Defectus natalium reperitur in iis omnibus, qui extra legitimum matrimonium nati sunt. Tollitur ipso jure per religiosam professionem; ita ut Professus illegitime natus fiat capax sacrorum Ordinum, sed non praelaturae, sive regulares sint, sive saeculares.

2. Is membrorum defectus irregularitatem parit, qui vel Ordinis usum impedit, qualis est caecitas; vel gravem gignit deformitatem, ut est carentia visus in oculo sinistro: Si tamen quis solo dextero usus canonem non indecore legere possit, non est irregularis, sed an ita sit, necne, ad Episcopi judicium spectat.

De irregularitatibus ex delicto.

Irregularitas, quae nascitur ex delicto, incurritur 1. per haeresim, vel apostasiam a fide. Oritur 2. ex illicita mutilatione, vel homicidio. 3. ex indebita Ordinis sacri susceptione, vel exercitio, in iis nimirum qui censuris ligati, aut ordines suscipiunt aut exercent. 4. ex eo, quod quis ordine, quo caret, fungatur sollemniter. Excipiuntur tamen laici qui cum dalmatica, sed sine manipulo, subdiaconi partes agunt. 5. denique qui baptismum iterat, hoc est, qui baptismum iterato, aut dat aut recipit voluntarie.

Quaeres 1. a quibus contrahitur irregularitas, quae oritur ex voluntario homicidio & voluntaria mutilatione.

Resp. contrahi 1. ab eo qui per se ipsum occidit, eo tamen (ut jam observavimus) excepto, qui injustum vitae invasorem interficit cum moderamine inculpatae tutelae: 2. ab eo qui per alium occidit vel jussione tacita vel expressa, etiamsi revocata sit: siquidem propter jussionis retractationem homicidium definit quidem esse voluntarium, sed est casuale; jussio autem, quae prius data fuerat, est vera illius caussa: vel consilio, puta cum quis alteri suadet, ut in aliquem violentas manus injiciat, vel auxilio; quando nimirum aliquis proxime aut ad mortem aut ad mutilationem concurrit; vel tandem omissione, scilicet cum aliquis omittit aliquid ad quod ex justitia tenetur, & ex quo alterius sive mors sive mutilatio sequuntur.

Quaeres 2. utrum homicidium involuntarium sive casuale pariat irregularitatem.

Resp. certum esse, quod irregularitatem pariat si accidat ex eo, quod debita ad vitandam necem vel mutilationem diligentia adhibita non fuerit; cum autem est morale dubium, an de facto non fuerit adhibita, tunc qui interfecit, vel mutilavit, debet se gerere tamquam irregularem, donec absolutionem sit consecutus. Constat 2. irregularitatem quoque contrahi ex homicidio aut mutilatione casuali, cum accidit ex opere illicito, aut valde periculoso, sive operans adhibuerit debitam cautionem, sive eam non adhibuerit: sic irregularis est clericus, qui venationi vacans, hominem, etiam post adhibitam debitam cautionem, interfecerit aut mutilaverit.

Quaeres 3. Quid requiratur, ut irregularitas ex delicto locum habeat.

Resp. requiri peccatum mortale; 2. actum externum consummatum.

Quaeres 4. quomodo irregularitates tollantur.

Resp. irregularitatem tolli 1. per cessationem defectus ex quo oriebatur: 2. per susceptionem baptismatis, eo nimirum tolluntur irregularitates ex delicto & ex defectu lenitatis, quae baptismum praecesserant: 3. per professionem in approbata religione, sic tollitur ea quae oritur ex defectu natalium: 4. per dispensationem, exceptis tamen iis irregularitatibus quae nascuntur ex defectu, ratione cujus subjectum fit incapax praecipui ministerii alicujus ordinis; sic qui manibus truncatus est, aut is qui est rationis impos, non potest licite sacerdos consecrari etiam cum dispensatione.

Quaeres 5. quis possit in irregularitatibus dispensare.

Resp. solum Summum Pontificem dispensare in irregularitatibus quae ex mero defectu nascuntur: in iis vero quae oriuntur ex delicto, Episcopi in Galliis dispensant, si delictum sit occultum, secus si sit publicum, aut ad forum contentiosum delatum fuerit. Nimirum apud Francos obtinet decretum Concilii Tridentini sess. 24. de reformat. cap. 6. Nec quidquam officit Bulla *in Cœna Domini*, neque enim promulgata fuit in Galliis. Ab ea tamen

tamen regula excipi debet homicidium voluntarium, etiam occultum; seu in irregularitate quæ ex homicidio voluntario occulto contrahitur, Papa solus potest dispensationem concedere. Optandum esset, ut ii ad quos dispensandi facultas pertinet, serio attenderent ad regulam, quam circa dispensationes & earum usum Concilium Tridentin. sess. 25. cap. 18. promulgavit.

PASTORALIS EPISTOLA.

Eminentissimi D. Cardinalis de Carpineo Vicarii, Institutionibus S. CAROLI BORROMÆI jussu Sanctissimi Pontificis INNOCENTII XII. anno 1700. Romæ editis præfixa.

Gaspar de Carpineo Sabinensis Episcopus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Vicarius Romæ, ac Romanæ Diœcesis, Venerabilibus Confessariis ejusdem Urbis, ac Diœcesis, salutem in Domino.

TAmetsi necessitatem instituendi Sanctos Ministros, & fideles dispensatores mysteriorum Dei, perspicuis verbis declaraverit Apostolus, dicens: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei:* id tamen in administratione sacramenti pœnitentiæ longe gravioris est momenti: ut enim illius usus fidelibus cum dispositionibus necessariis ad illud accedentibus saluberrimus est; ita ejus administratio sacerdotibus ministerio suo indigne functis periculosissima.

Mali tam gravis timore perculsi, cum Apostolo dicimus: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Tales scilicet eligendi, qui nec privatis utilitatibus, ac cupiditati serviant, nec vanum honorem consectentur, sed uno Dei gloriæ, ac salutis animarum agantur desiderio: qui cælestem illam potestatem non pro arbitrio, quasi summi domini jure exerceant, sed ut ministri obnoxii reddendi Christo Jesu supremo judici rationem dispensationis sanguinis pretiosi, cujus applicatio ad remissionem peccatorum in hoc sacramento ipsis concredita est.

Præmonuerat autem Salvator noster: *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*; idest in æternam damnationem. Quin & Pharisæis exprobaverat, quod magnam Sectatorum turbam ad se trahendi desiderio impulsi, circuirent *mare & aridam* ut facerent *Proselytos*, quos pravo moderamine in graviora crimina præcipites agerent, & *filios gehennæ* facerent. Illos denique increpat, quod perniciosis exemplis, pravaque doctrina *regnum cælorum ante homines clauderent*, quibus illud ut per sanctam Passionem, ac Mortem suam aperiret, in mundum venerat: & quod regni illius aditum malitia, & nequitia sua sibimetipsis intercludentes, aliis introitum prohiberent, quos a recta via avertebant, ad quam illos fideliter dirigere tenebantur.

Malum tam deplorandum dubio procul imminet, si Pœnitentiæ Ministri integris, ac religiosis moribus non sint: immo vitia in se ipsis alant, quæ ex pœnitentium animis extirpare ex officio tenentur: si scientia destituti sint, aut zelo imprudenti se abripi sinant: si animorum vulnera foveant, non sanare satagant instar pii Samaritani, vinum, & oleum, id est lenitatem, ac severitatem Christianam opportune adhibentes: si non modo negligant spiritualium vulnerum curationem, sed peccatorum licentiam, ac pravitatem detestanda foveant indulgentia, humanisque respectibus, quos ingenerant auctoritas, dignitas, vel temporalia commoda, quæ ignavi illi ministri ab iis forte sperant, quorum Confessiones excipiunt. Qua quidem agendi ratione, secundum Prophetæ sententiam, *Consuunt pulvillos sub omni cubitu manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Sic homines æternum perire, aut in peccatis suis inveterascere, aut falsa securitate delusos male quiescere sinunt, non attendentes, sacrum Confessionis ministerium animas suas periculo exponere pro pœnitentium animabus, quorum se fidejussores apud DEUM constituunt.

Tanti igitur oneris pondus sentientes, secundum Sapientis oraculum, nulli parcere debent labori, nulli sollicitudini; adniti perpetuo, loqui, agere, monere, corripere, exhortari, nullam sibi requiem indulgere, donec sibi commissas animas ex tartarei draconis faucibus eripuerint.

Hac de caussa Sancti Ecclesiæ Catholicæ Episcopi tam sollicite invigilarunt, uti ex Conciliorum decretis compertum est, ut sacerdotes ad tam sublime ministerium destinati summa illud implerent animi attentione. Itaque pastorali ardentes zelo, nullum prætermittebant tempus, quo non revocarent illis in memoriam gravissima illa Regis Josaphat verba ad veteris legis sacerdotes, antiquoque populo præpositos duces: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.... sic agetis fideliter ex corde perfecto. Omnem caussam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, & justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in Dominum.* Sapientissimi illius effati rationem affert sane luculentam, & quæ una in Sacro præsertim Tribunali plurimarum loco esse possit: *Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini:* & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.

Id ipsum est, Venerandi Pœnitentiæ Ministri, quod vobis impense admodum commendat vox supremi Ecclesiæ universæ Pastoris, vestrique speciatim hac in Urbe, ubi pie-

pietas, doctrina, prudentia, zelusque excipiendis confessionibus præpositorum effulgere magis, & omnibus orbis Christiani partibus exemplo esse debent. Sanctissimum Patrem movet, quod vobis impendet periculum, si vel uni vestri ministerii officio defueritis. Horrendam stragem Christi gregi suæ pastorali curæ commisso imminentem expendit Sanctuarii pondere, si illum non recta duxeritis. Attente considerate proferendum hora mortis judicium in ministros infideles, qui tunc perditionis animarum invenientur rei: sive data ipsis judicandi potestate abusi, illas absolverint, aut condemnaverint arbitrio magis suo, quam ex regulis, ad quas exigendum est illorum ministerium: sive obliti se spirituales esse medicos, illas, remediorum defectu, quæ vel ignorarunt, vel neglexerunt admovere, miserum in modum perire passi fuerint. Denique Sanctissimus Pontifex recolit sæpius animo formidabilem sententiam sub lege nova longe severius, quam sub lege veteri adversus sacerdotes innovatam; nempe sub priore testamento dens pro dente, oculus pro oculo repetebatur; sub posteriori vero Confessarii anima pro sui pœnitentis anima pœnas dabit, si illa sacerdotis, cui se ipsam credidit, qualicumque culpa perire contigerit.

Quamobrem Beatissimus Pater, ardens animarum zelo, vos etiam atque etiam hortatur, ut verbis ipsis attendentes, propheticum oraculum audiatis: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea:* hunc ad finem vobis præcipit, uti nos antehac mandato nostro declaravimus, ut quotannis per dies aliquot secedentes, vacetis exercitiis spiritualibus, exigatisque a vobismetipsis rationem creditæ vestræ fidei administrationis illius, qua Jesu Christi pretiosus sanguis a vobis dispensatur. Novas vobis, quas in functionibus Ministerii vestri sectemini, leges proponit. Regulas a S. Carolo Borromæo, magno illo Ecclesiæ lumine, bonorumque Pastorum exemplari, conditas & præscriptas; de quo, ut de magno quondam Basilio, dici potest: Sic illum Ecclesiam Mediolanensem docendo, ut istum Cæsariensem audiendo, orbem universum illustrasse.

Verum hæ Regulæ novæ censendæ non sunt, cum eas Sanctus ille Archiepiscopus ex intimis antiquæ disciplinæ visceribus, ex fontibus doctrinæ sanioris, nec non ex ipsa sacramenti pœnitentiæ natura deprompserit, hauserit, arcessiverit: quod quidem, cum in modum emendatorii judicii fuerit institutum, in hoc maxime incumbere debent ejus ministri, ut noxæ præteritæ puniantur; & nova, quæ committi deinceps possent, peccata, quoad fieri potest, cum auxilio gratiæ a pœnitentibus caveantur.

Tam Sanctarum Regularum, documentorum tam salutarium, frequentem lectionem vobis impense commendat Sanctissimus Pater, hortaturque vehementer, ut tam pretiosa collectio e vestris manibus non elabatur. Hanc velut AUREAM REGULAM tenentes, ad cujus præscripta depravatos populorum mores haud difficile poteritis emendare. Hæc nos significare jussit ceu filiis ad obedientiam propensissimis, & Ministris, in magno divinoque opere directionis animarum in viam salutis, suæ sanctitatis cooperatoribus: ne unquam de sacerdotibus Legis Evangelicæ dici possit: *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum;* sed unusquisque vestrum salubrium consiliorum prudentiam cum exemplari conjungens, non novellas, & minime fundatas opiniones amplectatur; sed veram, solidamque doctrinam, sententiis, ac praxi Sanctorum Patrum innixam, quos Deus, ad Christianæ plebis institutionem, cælesti lumine perfudit, ut cum supremo judici, animarumque Patri oportebit vos administrationis vestræ reddere rationem, dicere possitis cum fiducia: *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis;* qui vias rectas, quas ipsi sedulo demonstravimus, quæ sine iniquitate sunt, sequi detractavit: *Et quos dedisti mihi custodivi, & non perdidi ex eis quemquam.*

Institutionum Theologicarum Finis.

THEO.

THEOLOGIA
REDACTA
IN COMPENDIUM
PER INTERROGATA ET RESPONSA,

AUCTORE

GASPARE JUENIN,

CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI PRESBYTERO,

Et in Seminario Eminentiss. Cardinalis DE NOAILLES Archiepiscopi Parisiensis Sacræ Theologiæ Professore.

INDEX

PROOEMIUM.

PARS PRIMA.

De Locis Theologicis; & de Deo Uno.

De Deo Uno.

PARS SECUNDA.

De Deo Trino.

PARS TERTIA.

De Deo Creatore.

PARS QUARTA.

De Deo Incarnato.

PARS QUINTA.

De Deo Auctore Legum.

PARS SEXTA.

De Deo Auctore Gratiæ.

PARS SEPTIMA.

De Deo Ultimo Fine.

§. I.

PARS OCTAVA.

De Deo Auctore Sacramentorum.



THEO-

THEOLOGIA
REDACTA
IN COMPENDIUM
PER INTERROGATA ET RESPONSA,

Ad usum Examinandorum.

PROŒMIUM.

De Essentia, Existentia, Objecto, & Proprietatibus Theologiæ.

1. *Qu.* UID est Theologia?

R. Theologia sumpta secundum nominis etymologiam, est *Sermo de Deo*. Sumpta vero secundum naturam, est habitus mentis, quo cognoscuntur res divinæ, quæ ex revelatis, sive mediate, sive immediate deducuntur?

2. *Q.* Quodnam est objectum materiale Theologiæ?

R. Est Deus ipse, necnon res eæ quæ ad Deum aliquo modo referuntur. Nempe Theologia (ut fert ipsa nominis etymologia) agit de Deo, necnon de rebus quæ ad ipsum referuntur, vel tamquam effectus ad caussam, ut Angeli, Homo, Universum hoc aspectabile; vel tamquam media ad finem, ut sunt actus humani; vel tamquam via, quæ est Christus Dominus, qua itur ad Patrem; vel tamquam instrumentum inanimatum, ut sunt Sacramenta novæ Legis, quæ sanctificant hominem per gratiam quam significant & producunt.

3. *Q.* Quodnam est objectum formale Theologiæ?

R. Est Divinitas ipsa: quia Theologia in suo objecto materiali, quod est Deus, primo & per se Divinitatem, seu Dei existentiam, essentiam, attributa & personas contemplatur.

4. *Q.* Quodnam est medium, seu motivum, per quod Theologia contemplatur Divinitatem in Deo?

R. Est revelatio: & in hoc differt a scientiis mere naturalibus, ut est Metaphysica. Illa autem revelatio non est immediata, hæc enim est proprium medium, seu motivum Fidei, sed mediata, hoc est, conclusio, quæ ex revelatione per argumentationem deducitur: & in hoc Theologia differt a Fide.

5. *Q.* Existitne Theologia?

R. Existit: scilicet existit disciplina quæ contemplatur conclusiones, quæ ex Fide, seu ex rebus revelatis per argumentationem deducuntur. Hujusmodi est illa propositio: *In dubiis ad salutem spectantibus semitam debemus eligere tutiorem*: colligitur enim ex hac alia, quæ est immediate revelata, cum in Scripturis contineatur: *Qui amat periculum, peribit in illo*.

6. *Q.* Theologia ad quem mentis habitum reducitur?

R. Reducitur ad scientiam. Nam primo, certa est: cum revelatione nitatur. Secundo, licet non habeat evidentiam consequentis, hoc est, quamvis veritas, quam infert ex Fide, non sit evidens; Theologia tamen habet evidentiam consequentiæ: id est, evidenter cognoscit propositionem, quam infert, necessario sequi ex Fide. Hæc autem evidentia, seu evidentia consequentiæ, satis est ad scientiam proprie dictam, quæ tamen non sit communis & naturalis ordinis. Scilicet illa evidentia summam confert veritati, quæ ex Fide colligitur, certitudinem; quam tamen certitudinem non habent scientiæ quarum principia sunt ordinis naturalis, nisi per evidentiam consequentis, hoc est, propositionis deductæ ex suis præmissis.

7. *Q.* Theologia estne speculativa, vel practica?

R. Est speculativa simul & practica. Speculativa quidem, eo quod sistat in contemplatione sui objecti primarii, quod est Deus: practica vero, cum hominis voluntatem per morum & disciplinæ regulas, quas tradit, dirigat ad Deum, ultimum creaturæ rationalis finem.

8. *Q.* Theologia estne subalternata intuitivæ Dei visioni, qua Beati in cælis fruuntur?

R. Non est proprie subalternata intuitivæ Dei visioni. Ratio est, quia, ut aliqua scientia sit proprie subalternata, duæ conditiones requiruntur. Necesse est primo, ut habeat principia diversa a principiis quæ habet scientia subalternans. Secundo, ut illius objectum sit inferius & contractius objecto scientiæ subalternantis. Atqui neutra ex iis conditionibus reperitur in Theologia Viatorum respectu Theologiæ Beatorum. Scilicet utraque Theologia, Viatorum nempe & Beatorum, habet pro principio divinam revelationem, obscuram quidem in terris respectu rei revelatæ, sed evidentem in cælis; hic enim (ut Apostolus ait) videmus per speculum

lum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Utraque etiam habet objectum æque extensum; quæcumque enim a Beatis clare cognoscuntur in cælis, possunt, si Deus revelaverit, a viatoribus per Theologiam cognosci: unde si hic non cognoscantur, per accidens est, defectu nimirum revelationis divinæ.

9. *Q.* Theologia estne scientia ordinis naturalis?

R. Est scientia ordinis naturalis. Ratio est, quia per actum naturalem, ratiocinationem nimirum adquiritur: hoc est, per actum, ad quem eliciendum opus non est gratia supernaturali. Nec obest, quod habeat principium supernaturale, nempe Fidem; siquidem ordo, in quo est, non sumitur ex principiis quibus utitur, sed ex modo, seu argumentatione qua utitur ad inferendas ex Fide conclusiones quas contemplatur.

10. *Q.* Theologia estne necessaria?

R. Scholastica, hoc est, quæ argumentatur ex regulis Logicæ, non est cuilibet homini ad salutem necessaria, quia Fides quæ per dilectionem operatur satis est ad consequendam salutem.

Non est quoque absolute necessaria Ecclesiæ corpori: cum Patres in Conciliis Fidem sine ea plerumque explicuerint. Præterea suam originem debet Petro Lombardo qui XII. sæculo Præsul erat Parisiensis.

Est tamen valde utilis, cum multum conferat ad faciliorem rerum, quæ ex Fide sequuntur, intelligentiam, necnon ad detegenda vana Novatorum sophismata.

Quod tamen hæretici dialectica frequentius ad Fidem evertendam abuterentur, ideo priorum sæculorum Patres eam per accidens, & non per se, noxiam esse prædicarunt.

PARS PRIMA.

De Locis Theologicis. Et de Deo uno.

Nota. PEr locos Theologicos intelliguntur fontes quidam ex quibus Theologia suas elicit conclusiones.

Ii vero Loci sunt decem præcipui: nimirum Scriptura, Traditio, Concilia, judicium Romani Pontificis, Ecclesiæ Catholicæ consensus, judicia Episcoporum, auctoritas Patrum, Scholasticorum, Historiæ testimonium, Humana ratio.

CAPUT PRIMUM

De Scriptura Sacra generatim.

1. *Qu.* Scripturæ, quæ dicuntur Sacræ, suntne libri veri, prout verum opponitur supposito?

R. Sunt libri veri; quia exarati sunt ab iis Scriptoribus, quibus tribuuntur, & iis circiter temporibus, quibus feruntur conscriptæ: nempe historia docemur & Judæos & Christianos quovis tempore & continuata serie, pro auctoribus sacrorum Codicum agnovisse Scriptores illos quibus tribuuntur: via autem illa est maxime certa: nec enim alia ratione scimus res præteritas, quam non intercepta traditione quæ illas ad nos usque perduxit.

2. *Q.* Libri, qui Bibliis continentur, suntne integri?

R. Integri sunt quoad partes substantiales. Siquidem libri veteris Testamenti, qui sunt in Canone Judæorum, depravati non fuerunt a Judæis ante Christum; nec enim eam eis depravationem Christus objecit: nec etiam post Christi tempora, tum quod Judæi præ sua in illos libros religione, id numquam audere potuerint: tum etiam quod præcipua de Christo vaticinia eodem modo in nostris Codicibus legantur, quo in Judaicis: tum denique quod Synagogæ per orbem universum dispersæ de illa depravatione, si Judæis Jerosolymitanis tentata fuisset, minime siluissent. *Anne* (inquit Augustinus lib. 15. de Civit. Dei, cap. 13.) *credibile est, ipsos Codicibus suis voluisse eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem, vel per totum orbem dispersos potuisse in hoc conspirare, nullo contradicente?*

Quæ mox pro integritate librorum veteris Testamenti prolata est ratio, valet quoque pro libris novi Testamenti. Nam 1. iidem sunt apud omnes Ecclesias licet communione diversas. 2. Cum per totum orbem statim dispersi fuerint, impossibilis fuisset, nullo reclamante, depravatio.

3. *Q.* Libri, qui Bibliis continentur, suntne auctoritatis divinæ?

R. Sunt. Scilicet ab Auctoribus scripti sunt, qui ad eos conscribendos divinitus adjuti & missi sunt; suam enim divinam missionem, & speciale auxilium, quo præventi sunt, innumeris miraculis confirmarunt, de quorum veritate nullus nisi demens dubitare potest, cum non intercepta serie ad nos usque pervenerint.

4. *Qu.* Quis est præcipuus Bibliorum Auctor?

R. Deus: *Ipse* (inquit Gregorius Magnus Præf. in librum Job) *qui hæc scribenda dictavit, ipse scripsit qui & illius operis inspirator extitit.* Scilicet sacrorum Scriptorum mentem voluntatem & manum, multo perfectius quam solent homines, qui quadam Scribis dictitant, affecit.

5. *Q.* Auctores sacri scripseruntne libere?

R. Scripserunt libere: singulare nimirum, extraordinarium & efficax auxilium, quo afflati & adjuti fuerunt, cum voluntatis libertate cohærere potuit.

6. Q.

6. *Q.* Quot libri continentur in Judæorum Canone, seu Catalogo?

R. Complectitur viginti duos libros: nempe nec plus nec minus nunc in eo reperiuntur: nec plures etiam nec pauciores recenset Josephus lib. 1. contra Apionem. Aliqui tamen ex Patribus plures quam viginti duos numerant: sed id contigit, quod nonnullos ex iis, quos Josephus recensuerat, in duas partes, quasi in duos libros subdiviserint.

7. *Q.* Quis fuit Auctor Canonis Judæorum?

R. Esdras illius est Auctor, testibus Irenæo libro 3. cap. 25. Tertulliano in libro de habitu mulierum, Clemente Alexandrino l. 1. Stromatum, Theodoreto Præfat. in Psalmos. Eo vero sensu Esdras Canonis est Auctor, quod sacros Codices in unum corpus redegerit, quod habita collatione suorum Codicum cum pluribus aliis, correxerit quæ per amanuensium oscitantiam irrepserant.

8. *Q.* Quinam libri continentur in Canone Christianorum Catholicorum?

R. Hi recensentur in Concilio Tridentino sess. 3. libri Testamenti veteris, quinque scilicet Moysis, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Ester, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem; Actus Apostolorum, a Luca Evangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis.

Ubi autem sacra Synodus relatum numerum recensuit, sic loquitur: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit.*

9. *Q.* Quam regulam servarunt Patres, ut Canonem adornarent?

R. Accurate expenderunt traditionem Patrum qui præcesserant: deinde, facto illo examine judicarunt, communem illorum Patrum traditionem ferre, libros illos omnes ab Apostolis, ac primitiva Ecclesia habitos fuisse pro canonicis. Vide Augustinum de eo argumento disserentem lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8.

10. *Q.* Qua lingua libri canonici primum conscripti sunt?

R. Qui continentur in Canone Judæorum, Hebraice omnes, uno excepto Daniele, qui Chaldaice, conscripti sunt. Id nimirum docet Hieronymus in Præfationibus in illos libros qui in Canone Judæorum continentur. Alii vero libri qui additi sunt Canoni Judæorum aut Chaldaice, aut Græce, eodem Hieronymo teste, scripti sunt. Omnes vero libri novi Testamenti uno excepto Matthæi Evangelio quod Syriace, sed litteris Hebraicis, Græce (eodem Hieronymo teste in Præfatione in Evangelia ad Damasum) editi fuerunt.

11. *Q.* Quot fuerunt veteris Testamenti Versiones Græcæ?

R. Variæ: inter quas principem locum obtinuit quæ a Septuaginta duobus Judæis, ab Eleazaro Pontifice missis ad Ptolomæum Ægypti Regem, qui eos a laudato Pontifice petierat ad exarandam versionem librorum qui apud Judæos Sacri habebantur. Hac versione usa est olim, & nunc etiam utitur Ecclesia Græca: ea quoque usi sunt Apostoli, cum vetus Testamentum in suis Epistolis ad gentes ad fidem conversas laudarunt.

12. *Q.* Quot fuerunt Latinæ Bibliorum versiones?

R. Extiterunt variæ. Inter eas vero præcipuum obtinet locum quæ *Vulgata Latina* dicitur, quave nunc utuntur Occidentales Catholici. Eam Concilium Tridentinum sess. 3. declaravit *Authenticam*; hoc est immunem a quolibet errore qui circa Fidem sit, aut Mores. Eam tamen non prætulit fontibus Græcis aut Hebraicis, quia cum illis eam minime contulit, sed tantum prætulit ipsam variis versionibus Latinis quæ circumferebantur: *Ex omnibus*, inquit, *Latinis editionibus, quæ circumferuntur, quænam pro Authentica habenda sit*. Licet illius correctioni adornandæ plures Romani Pontifices incubuerint: non est tamen, etiam nunc, ita mendis omnibus expurgata, ut nulla supersint: sed eamenda nec Fidei, nec morum dogmatis obsunt: unde rejici non potest, cum aut de Fide aut de moribus agitur.

13. *Q.* Unde versiones tum Græcæ, tum Latinæ suam habent auctoritatem?

R. Non habent ex suis interpretibus: nempe hocce interpretes inter & vates est discrimen, quod illi, non autem isti, labi potuerunt, ut docet Augustinus in Epistola 10. veteris editionis. Sed eam habent, & habuerunt olim ab auctoritate Ecclesiæ, quæ eas originalibus Codicibus conformes in iis, quæ ad fidem & mores spectant, judicavit.

14. *Q.* Suntne plures Scripturarum sensus?

R. Sunt plures; litteralis nimirum, mysti-

cus,

cus, & accommodatitius. Primus est ille quem verba, sive proprie, sive metaphorice sumpta, immediate significant. Alter est ille qui significatur per sensum litteralem. Tertius denique, qui nec Scripturæ verbis, nec sensu illorum litterali continetur, sed ad aliud aut a Theologo, aut a quovis alio applicatur.

15. *Q.* Unus Scripturæ locus habetne aliquando plures sensus litterales?

R. Habet. Sic hac verba Geneseos: *In principio creavit Deus cælum & terram*, significant ad litteram, aut idem cum istis, *in principio temporis & mundi*; aut idem cum his aliis, *ante omnia*.

16. *Q.* Quotuplex est Scripturarum mysticus sensus?

R. Triplex est, Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus. Primus est ille, per quem res credendæ significantur: secundus, per quem res agendæ designantur: ultimus, per quem adumbrantur quæ speranda sunt. Triplex ille sensus reperitur in iis quæ Paulus in Epistola ad Galatas dicit de duobus Abrahami filiis, Isaaco & Ismaele. Mysticus sensus confert ad Fidem & mores adstruendos, cum ad id ab aliquo Scriptore canonico adhibitus est.

17. *Q.* Quot conditiones requiruntur, ut aliquis Scripturæ textus patiatur sensum accommodatitium?

R. Tres requiruntur. Necesse est 1. ad res pias applicetur: nec enim Scripturas ad faceta, aut prophana, & a fortiori ad turpia convertere licitum est. 2. Ut non anteponatur litterali aut mystico: scilicet id vetat Hieronymus in Epistola ad Paulinum. 3. Ut sensus falsus textui sacro non tribuatur.

18. *Q.* Accomodatitius sensus valetne ad probanda Fidei, aut morum dogmata?

R. Non valet, quia non est Spiritus sancti, sed hominis illum ad aliquid, propter quamdam cum eo similitudinem, applicantis.

19. *Q.* Ad quem spectat tradere germanum Scripturæ sensum, cum dubius est?

R. Ad eos quos (ut ait Apostolus in Actis) Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Scilicet 1. id muneris Deus ipse antiquæ legis Sacerdotibus commiserat: *Si difficile aliquid, atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris*, (Deuteronomii 17.) *venies ad Sacerdotes Levitici generis, & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus*. 2. Christus Matthæi decimo octavo jubet ut Ecclesia audiatur, eique Fideles auscultent: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. 3. Si non esset aliqua externa auctoritas quæ lites, quæ circa Fidem oriuntur, posset dirimere, hoc est, dubium Scripturarum sensum determinare, Deus non satis Electorum saluti consuluisset: tum quod plures sint qui præ linguarum imperitia varios inter sese Scripturarum textus conferre non possunt, ut ex mutua illa collatione verum illarum sensum assequantur: tum etiam quod hominibus, etiam peritis, Diabolus sese in lucis Angelum transformando, ut in hæreticis patet, sæpius illudere solitus sit.

CAPUT II.

De singulis in specie Libris Canonicis.

1. *Quæst.* Quomodo dividuntur libri veteris Testamenti?

R. Dividuntur in Legales, Historicos, Sapientiales, & Propheticos.

Legales Legem continent Judæis per Moysen datam, suntque in Pentateucho, hoc est in quinque libris quos Moyses scripsit, Genesi nimirum, Exodo, Numeris, Levitico, Deuteronomio.

Historici varios recensent eventus, qui a Moysis morte in Judaica Republica contigerunt: complectuntur vero libros Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duos Paralipomenon, Esdræ primum & secundum, Esther, Judith, duos Machabæorum.

Sapientiales, ii sunt in quibus morum regulæ traduntur: Sunt autem Tobias, Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus.

Prophetici, ii sunt quibus futuri rerum eventus prædicuntur, iique præsertim qui ad Christum, & Ecclesiam Christianam pertinent. Ex Prophetis alii dicuntur Majores, quod conscripti ab eis libri majus volumen efficiant; alii vero propter oppositam rationem, Minores. Illi, quatuor sunt tantum, Isaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel; Isti, duodecim, Oseas, Joel, Amos, Jonas, Abdias, Michæas, Nahum, Sophonias, Habacuc, Aggæus, Zacharias, Malachias. Alium habent in Bibliis nostris ordinem, sed hunc servavimus, quod ordinem temporis, quo scripsere, contineat.

2. *Q.* Quæ tradi potest divisio librorum novi Testamenti?

R. Eadem, qua libri veteris Testamenti, ratione dividuntur. Alii enim sunt Legales, qui quatuor Evangeliis continentur; unus Historicus, Acta nimirum Apostolorum; alii Sapientiales, Epistolæ scilicet canonicæ, unus Propheticus, Apocalypsis nempe Joannis.

3. *Q.* Quo tempore conscripta sunt quatuor Evangelia?

R. Matthæus omnium primus, ære vulgaris 39. scripsit Evangelium, Hieronymo teste: idque Jerosolymis, ac Syriaco sermone quo utebantur Judæi. Id autem operis exarasse putatur ad Christianorum preces, qui præcipua Christi facta, traditasque ab eo Fidei, & morum regulas præ oculis habere cupierant.

Marcus eadem fere, quæ jam Matthæus, litte-

litteris consignavit, sed contractius. Romæ scripsit anno Christi 43. & quidem paulo antequam Roma Alexandriam a Petro mitteretur.

Lucas, Antiochia Syriæ oriundus, a Paulo ad Fidem conversus, ejusque individuus comes, anno Christi 56. scripsit Evangelium, prout ipsum ab eodem Paulo, ceterisque Apostolis audierat. Id autem eo consilio ipsum fecisse tradunt, ut comprimeret pseudo-Apostolorum ausum temerarium, qui, ut Pauli prædicationi obessent, aliter quam ipse prædicabant.

Joannes, reversus ex exsilio in quod deportatus fuerat imperante Domitiano, æræ vulgaris anno 96. Evangelium scripsit, ut hæreticos, Ebionem præsertim & Cerinthum, Christi Divinitatem negantes confutaret.

4. *Q.* Quid de Actis Apostolorum scitu necesse est?

R. Actus Apostolorum a Luca conscripti sunt. Continent historiam annorum fere triginta: scilicet a morte Christi & æræ vulgaris 33. ad biennium illud quod in libera custodia Paulus Romæ consumpsit. Lucas in eo libro Ecclesiæ Christianæ infantiam ob oculos ponit: describit illius in omnes fere gentes propagationem per Apostolos, & præcipue per Petrum & Paulum, cujus comes fuit individuus.

5. *Q.* Quis est ordo temporis inter canonicas Epistolas?

R. Is est ordo. Prima Petri, æræ vulgaris anno 52. Romæ conscripta est ad advenas Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ. Altera ad eosdem data est paullo ante Petri mortem, æræ vulgaris anno 66. tota est sicut & prima in tradendis vitæ Christianæ præceptis.

Pauli ad Thessalonicenses epistola prior, quæ, teste Chrysostomo, omnium Paulinarum Epistolarum est prima, scripta est æræ vulgaris anno 12. In ea Paulus, 1. laudat Thessalonicenses quod in tradita sibi Fide constantes essent. 2. Docet eos futuram corporum resurrectionem, quam nonnulli pseudo-Apostoli negare ausi fuerant. 3. Tradit eis veram de extremo judicio doctrinam. 4. Plura subjungit Moralis Christianæ præcepta.

Ad Thessalonicenses secunda, eodem, quo prior, anno scripta est. Paulus in ea explicat 1. quæ in priore de die Judicii quasi instante dixerat, docetque, Christum non prius venturum quam Anti-Christus apparuerit. 2. Excommunicationem, nisi resipiscant, iis minatur, quos in prima Epistola tamquam otiosos & inquietos arguerat.

Ad Galatas Epheso scripsit Paulus æræ nostræ anno 56. Docet Legalia a gentibus ad Fidem conversis servari non debere, contra quod quidam pseudo-Apostoli Galatis post sui ab illis discessum tradiderant.

Ad Corinthios prima, Epheso scripta est, æræ vulgaris anno 57. in ea Epistola Paulus, 1. componit contentiones apud Corinthios ortas ex nimio erga Magistros studio. 2. Profert excommunicationis sententiam in Corinthium, quem Corinthii publico in incestu viventem toleraverant. 3. Eucharistiæ institutionem, requisitasve ad eam recipiendam dispositiones recenset. 4. Varia tradit tum disciplinæ, tum morum præcepta.

Ad Corinthios secunda, ex Macedonia labente vulgaris æræ anno 57. scripta est. Apostolus in ea. 1. Gratulatur Corinthiis de sincero erga seipsum studio. 2. Incestuoso pœnitenti communionem reddit. 3. Respondet pseudo-Apostolorum sibi invidentium obtrectationibus.

Quæ ad Romanos est Epistola, scripta est Corintho, anno Christi 57. Epistolæ occasioni fuit quæstio Judæos inter & Gentiles ad Fidem conversos orta. Contendebant illi, se per observationem Legis Mosaicæ venisse ad Christi Fidem, & consecutos fuisse justificationem; isti vero per Legis Moralis observationem. Utrisque silentium Apostolus imponit, probans, & Judæos & Gentiles peccatis oneratos fuisse, cum annuntiatum est eis Evangelium. Hincque concludit, justificationem, utrorumque respectu, fuisse gratuitum donum: ac proinde nec ex observatione Legis, nec ex operum meritis, sed ex Christi Fide proficisci: id autem ut probet, de altissimo prædestinationis & gratiæ mysterio fuse disserit.

Ad Philippenses, æræ nostræ anno 62. Paulus Roma scripsit ex primis suis vinculis, quæ (ut constat ex Actis 29.) biennio perdurarunt. 1. Gratias agit de subsidio sibi in vinculis per Epaphroditum a Philippensibus misso. 2. Hortatur eos, ut constantes sint in Fide, quam ab ipso audierant, nec obsequantur pseudo-Apostolis judaizantibus, quos vocat *canes* & *inimicos Crucis Christi*. 3. Tandem docet non ex Lege, sed ex Christi Fide veram justitiam proficisci.

Ad Philemonem eodem anno 62. Roma per Onesimum ejusdem Philemonis servum scripsit. Epistolæ occasionem dedit Onesimi furtum, cujus cum eum pœnituisset, & postquam Romæ baptizatus fuisset, ab eodem Paulo cum hac Epistola ad herum suum Pauli discipulum remissus est.

Ad Ephesios, Roma ex vinculis, quorum ter meminit, scripsit Paulus æræ nostræ anno 62. In ea Epistola tractat de justificatione, & hominis prædestinatione gratuita. 2. Ephesios hortatur ad unitatem spiritus. 3. Docet, quarum rerum sibi invicem officia debeant vir & mulier; quid filii parentibus, & parentes filiis debeant.

Ad Colossenses eodem anno 62. scripsit Apostolus. 1. Colossenses deterret a Simonia-

nianis qui docebant, nos accessum habere ad Deum, non per Christum, sed per Angelos. 2. Docet, Judaicas & Philosophicas observationes a Christianis contemni debere. 3. Tandem in tertio & quarto capite ejusdem Epistolæ totus est tradendis vitæ Christianæ præceptis.

Ad Hebræos scripsit Paulus ex iisdem vinculis, æræ nostræ anno 62. sub finem biennii, quo Romæ primum commoratus fuerat. In hac Epistola duo potissimum agit. Docet enim 1. quantum Christi Sacerdotium supra Leviticum emineat. 2. Hebræos consolatur, hortaturque ut sint perseverantes in fide quæ est in Christum.

Ad Timotheum Paulus priorem Epistolam scripsit, cum jam primis suis vinculis solutus iterum Orientem peragraret, æræ vulgaris anno 66. Explicat in ea fuse omnes omnino Episcopatus partes, Timotheique virtutes, quem consecraverat Ephesiorum Episcopum, mirifice commendat.

Ad eumdem Timotheum secundam Apostolus ex suis secundis vinculis Roma scripsit paullo antequam martyrium subiret, ac proinde anno vulgaris æræ 66. Istius idem argumentum, ac præcedentis.

Ad Titum Epistola ejusdem est cum duobus præcedentibus argumenti. Nam 1. Titum, quem Cretensium Episcoporum creaverat, admonet de Presbyteris & Episcopis ordinandis. 2. Acriter adversus judaizantes insurgit. 3. Multa tradit morum præcepta. Scripta vero est Philippis, cum Paulus post prima vincula Orientem peragraret, æræ vulgaris anno 66.

Jacobi Epistolæ scopus est, 1. Ut Christianos ad modestiam erudiat; a vana confidentia revocet, & ad petendam a Deo sapientiam hortetur. 2. ut contra quosdam, qui tunc Ecclesiam vexabant, probet Fidem operibus destitutam nihil omnino ad salutem prodesse.

Judæ fratris Jacobi Alphæi Epistola, non argumento tantum, sed etiam verbis secundæ Petri similis est.

Joannis prior Epistola scripta est, juxta veterum traditionem, ad Parthos. Explicantur in ea 1. Incarnationis veritas & œconomia. 2. Traduntur varia, quæ tum ad fidem, tum ad mores spectant, documenta.

In Epistola secunda Joannes, 1. impugnat Basilidem, ejusque Sectarios, qui tunc temporis docebant, Christum non fuisse verum hominem, sed phantasma; ac proinde eum vere nec aliquid aut egisse, aut passum fuisse. 2. Gratulatur Electæ & natis ejus, quod seductores illos non audiissent. 3. Vetat omnem cum eis societatem, in iis etiam quæ ad vitam civilem spectant.

In tertia Epistola Joannes, 1. idem quod in secunda, sibi proponit argumentum. 2. Gajum ad quem scripsit, monet ne Diotrephen imitetur. Scriptæ vero putantur tres illæ Joannis Epistolæ anno vulgaris æræ 98.

6. *Q.* Quid de Apocalypsi dicendum est?

R. Apocalypseos liber scriptus est a Joanne in exsilio quod passus est in insula Pathmos, circa æræ vulgaris annum 94. hincque patet scriptam eam fuisse ante ejusdem Joannis Evangelium, & tres illius Epistolas canonicas. Prædicit in eo libro Ecclesiæ persecutiones, multaque alia ad illam spectantia, sed tot ænigmatibus involuta, ut vix ab aliquo expositore quidquam certi ac clari traditum sit.

CAPUT III.

De Traditione.

1. *Quæst.* Quid est Traditio?

R. Est Dei verbum, aut ex ipsius Christi ore, aut ex sancti Spiritus inspiratione ab Apostolis exceptum, & viva voce, non autem scripto, Ecclesiis traditum.

2. *Q.* Ubinam reperitur Traditio?

R. Non reperitur in libris Canonicis ut sic, sed tantum aut in Conciliis, aut in Patribus, aut in unanimi Ecclesiarum consensu: & in hoc differt a Dei verbo, quod Scriptura dicitur.

3. *Q.* Quotuplex est Traditio?

R. Dividitur in divinam & humanam. Prior, a Dei revelatione aut per Christum, aut per Spiritum sanctum Apostolis facta, originem suam ducit, versaturque circa Fidei aut morum regulas. Altera vero initium sumit ex Ecclesiæ auctoritate, & est circa disciplinam & externos usus.

4. *Quæst.* Extiterunt tum in Lege naturæ, tum in Mosaica divinæ quædam Traditiones?

Resp. Extiterunt. Adamus nimirum posteros suos docuit quæ ex Dei revelatione didicerat de Fidei in Mediatorem necessitate ad justificationem consequendam. Moyses quoque Judæis jussit ut filiis suis narrarent tum quæ ex ipso audierant, tum quæ oculis conspexerant. *Narrabis* (inquit Exodi cap. 13.) *filio tuo in illa die, dicens hoc est quod fecit Dominus.*

5. *Quæst.* Divina Traditio fuitne Ecclesiæ Christianæ pluribus annis absolute necessaria?

R. Fuit, antequam Scripturæ novi Testamenti conscriberentur: non enim revelationes particulares, quæ cuilibet Christiano fierent, neque Scriptura (cum nondum extaret) poterant esse Fidei ac morum regula: Ergo sola Traditio.

6. *Q.* Divinæ Traditiones suntne, his etiam temporibus, Christianorum Ecclesiis necessariæ?

R. Sunt,

R. Sunt, & quidem 1. ad discernendum libros Canonicos ab apocryphis: nec enim in sacris Codicibus docetur quinam, & quot sint libri Canonici: *Ex traditione* (inquit Origenes apud Eusebium hist. lib. 6. cap. 18.) *didici de quatuor Evangeliis, quod hæc sint*, &c. 2. Ut cognoscatur quinam ex pluribus sensibus qui Textibus sacris tribui possunt, verus sit ac germanus. 3. Ut credantur plura Fidei dogmata, quæ, nec implicite quidem, in sacris Codicibus continentur, ut sunt quod Deipara, etiam post partum, virginitatem servaverit, quod valeat datum ab hæreticis Baptisma, necnon illud quod infantibus mox natis confertur. Hinc Apostolus Thessalonicenses monet, ut Traditionibus firmiter adhæreant: *Tenete* (inquit cap. 2.) *Traditiones quas accepistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*.

Obj. 1. Moyses Deuteronomii 4. Paulus in Epistola ad Galatas, Christus Matthæi 15. prohibent Traditionum usum tum in Fide, tum in moribus.

Resp. Moyses prohibere tantum Traditiones quæ sunt additio ad Dei verbum: *Non addetis*, inquit, *ad verbum quod ego præcipio vobis*: at divinæ Traditiones non sunt additiones humanæ ad Dei verbum, sed sunt ipsummet Dei verbum, licet non scriptum in libris Canonicis. Paulus de Traditionibus quoque ad Dei verbum additis loquitur: nempe de Traditione conjungendi legalia cum Evangelio, quæ quidem contraria erat doctrinæ quam Paulus Galatas docuerat: *Sed*, inquit, *licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Tandem Christus non de divinis Traditionibus loquitur, sed de Pharisaicis quæ adversæ erant Dei Legi: *Irritum*, inquit, *fecistis mandatum Dei, propter Traditionem vestram*.

Obj. 2. Patres (ut patet ex Augustino in libro 2. de Doctrina Christiana cap. 9.) passim docent omnes tum Fidei, tum morum regulas Scripturis contineri.

Resp. Iis in locis Patres loqui de iis tantum Fidei mysteriis, quorum explicita cognitio est ad salutem necessaria; & de præceptis quæ in Decalogo continentur, quæque sunt communia morum principia: at non loquuntur de aliis omnibus mysteriis, nec de conclusionibus quæ ex Decalogo colligi debent.

7. *Q.* Traditio divina estne locus ex quo peti possint argumenta quæ certo adstruant & Fidei & morum dogmata?

R. Est. Nam 1. est (ut superius dictum fuit) Dei ipsius verbum. 2. Plures credimus articulos (ut mox fuit observatum) sola nixi Traditione. 3. Patres & in Conciliis, & in suis operibus quovis sæculo Traditione tamquam certissimo medio usi sunt ad adstruenda tum fidei tum morum dogmata. Id nimirum videre est apud Irenæum lib. 3. adversus hæreses, cap. 4. apud Tertullianum qui totum de præscriptionibus librum impendit, ut divinam Traditionibus auctoritatem conciliet; apud Augustinum qui eo solum medio utitur, ut lib. 5. de Baptism. cap. 23. probet valere datum ab hæreticis Baptisma: apud Vincentium Lirinensem qui toto libro, quem *Commonitorium* inscripsit, demonstrat Traditioni non minus firmiter quam scripto Dei verbo inhærendum esse in iis quæ ad Fidem & mores spectant.

Obj. 1. Cyprianus rationem non habuit Traditionis quam illi Stephanus Papa pro dato ab hæreticis Baptismate objecerat. 2. Traditio mutationi est obnoxia: scilicet ferebat duodecim priorum sæculorum Traditio, ut Fideles omnes sub utraque specie reciperent Eucharistiam; ab aliquibus tamen sæculis desiit usus ille.

Resp. ad 1. Cyprianum non divinam, sed humanam tantum judicasse (licet falso) Traditionem quam ei Papa Stephanus objecerat, ut patet ex ejusdem Cypriani ad Pompo̲nium Epistola, in qua vellicat Stephani de hæreticorum Baptismate doctrinam. Ad 2. usus de Communione sub utraque specie pertinet ad Traditionem disciplinæ, non autem ad Traditionem quæ juris sit divini: Illa, non autem ista, est obnoxia mutationi.

8. *Q.* Quibus regulis Traditio divina discerni potest ab humana?

R. Traditio non est divina, 1. cum illius initium reperitur aut in Conciliis, aut in aliquibus humanis statutis, ita Vincentius Lirinensis Commonitorii lib. 1. cap. 6. docet. 2. Doctrina quæ in una tantum Ecclesia particulari reperitur, non est tradita, sed inventa. 3. E contra dogma quod universa Ecclesia amplectitur, non est humanitus inventum, sed traditum divinitus. Id nimirum expresse docent Irenæus lib. 1. adversus hæreses cap. 2. Tertullianus in libro de Præscriptionibus, Hieronymus adversus Vigilantium scribens, Augustinus passim in suis contra Pelagianos operibus. Idem dicendum est de dogmate aliquo, quod in aliquo sæculo tota tenuerit Ecclesia, nec enim cum sit columna & firmamentum veritatis, errare potest in Fide, aut in moribus: *Id teneamus* (inquit Vincentius Lirinensis in Commonitorio) *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*. In eumdem sensum hæc ante Vincentium Tertullianus scripserat in libro de Præscriptionibus: *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*.

C A-

CAPUT IV.

De Conciliis generatim.

1. *Quæst.* Quid est Concilium?

R. Est Ecclesiæ Præsulum Conventus, in quo de rebus ad Ecclesiam spectantibus agitur, hoc est, aut de Fide, aut de moribus, aut de disciplina.

2. *Q.* Quot sunt Conciliorum genera?

R. Quatuor: Generalia nimirum, quæ universam Ecclesiam repræsentant: Nationalia, quæ regni alicujus; Provincialia, quæ alicujus provinciæ; & Diœcesana, quæ cujusdam diœcesis particularis exhibent Ecclesiam.

3. *Q.* Quinam octo prima Concilia generalia convocarunt?

R. Imperatores, sed non sine Romanorum Pontificum consensu: scilicet Patres expresse in eorumdem Conciliorum actis testantur se ab Imperatoribus ad Concilium vocatos fuisse: *In nomine Domini nostri Jesu Christi* (verba sunt Chalcedonensis Concilii, Actione 1.) *in Chalcedonensi civitate facta est Synodus ex decreto piissimorum, & fidelissimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani.*

4. *Quæst.* Quinam convocarunt Concilia generalia, quæ in Occidente post octavum (quod est quartum Constantinopolitanum) habita sunt?

R. Pontifices Romani: idque probant eorumdem Pontificum Bullæ quæ illorum Conciliorum editis actis præfixæ sunt.

5. *Q.* Ad quem, stricto jure, pertinet generalium Conciliorum convocatio?

R. Ad Pontifices Romanos. Ratio est, quia Pontifices Romani divinitus singulis totius orbis Episcopis præpositi sunt, ad eos tamquam Christi Vicarios Ecclesiarum regimen spectat: illis igitur divinitus datum est, ut Episcopos (cum id Ecclesiæ utilitas exposcit) ad Synodos vocent: iisque potestate sibi a Christo tradita præcipiant, ut iis sese præsentes sistant.

Obj. Cur Romani Pontifices passi sunt, ut Imperatores octo prima Concilia Generalia convocaverint, si jus illud ad ipsos Romanos Pontifices stricto jure pertineat?

R. Passi sunt quod Imperatores Episcopis alimenta & vehicula præberent; quod tunc Lex Civilis vetaret, ne inconsultis Principibus, aliqua hominum, saltem frequens, congregatio fieret. Præterea non nisi ex Romanorum Pontificum aut petitione aut consilio Imperatores Synodos Episcoporum convocarunt: unde Ruffinus hist. libro 3. cap. 1. scribit Nicænam primam a Constantino Magno *ex sententia Sacerdotum* coactam fuisse.

6. *Q.* Quinam jure divino possunt in Conciliis ferre suffragium?

R. Episcopi jure divino id juris habent: ii enim ad Concilia generalia coacti, jurisdictionem habent in omnes orbis Ecclesias: ii Pastores sunt & Principes quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei. Hinc factum est, ut Episcopi soli in Conciliis generalibus quæ per quatuordecim prima sæcula aut in Oriente, aut in Occidente celebrata sunt, suffragium decisivum tulerint in iis quæ ad Fidem, aut mores, aut disciplinam pertinent.

Dices. In Concilio quod ab Apostolis Jerosolymis celebratum est, Seniores qui erant homines laici tulerunt suffragium: *Convenerunt*, inquit Lucas, *Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* Præterea caussa Fidei & Morum non minus ad laicos fideles, quam ad Episcopos pertinet; par igitur est, ut cum de ea agitur, suffragium ferant.

R. Ad 1. Seniores de quibus Lucas, fuisse ex numero septuaginta duorum Discipulorum: septuaginta autem Discipuli non erant homines laici, sed Presbyteri, quos Apostoli Episcopos consecraverunt: unde licet vox *Senior* in antiquo Testamento nonnumquam pro Senioribus ætate sumatur: in novo tamen numquam sumitur nisi pro Senioribus dignitate, Presbyteris nimirum aut Episcopis: hinc factum est ut Joannes, licet Apostolus, se Seniorem vocaverit *Senior Electæ*. Ad 3. dicendum est, non eodem modo ad laicos fideles, quoad Episcopos Fidei & morum caussam pertinere: ad illos enim pertinet tamquam ad Discipulos qui audiant & obtemperent: ad illos vero tamquam ad Pastores qui doceant ac præcipiant. Hinc factum est, ut ipsi Imperatores testati sint non licere sibi sese Ecclesiæ caussis immiscere: *Illicitum est* (inquit Theodosius junior in Epistola ad Ephesinam Synodum) *eum qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus.*

7. *Q.* Quinam humano jure possint in Conciliis ferre suffragium?

R. Abbates ac generales Ordinum Præpositi. A tempore nimirum Concilii Basileensis Ecclesia illis hoc privilegium indulsit, ut suffragium in Conciliis ferrent.

8. *Quæst.* Quis debet generalibus Conciliis præesse?

R. Romani Pontifices vel per se, vel per legatos quibus partes suas commiserint. Nam 1. præfuerunt omnibus generalibus Conciliis quæ hucusque habita sunt, uno & altero exceptis, Secundo nimirum & Quinto, quæ ab eis postea confirmata sunt. Cum Papa divinitus in tota Ecclesia primatum habeat, par est igitur, ut congregationibus præsit, quæ (ut Concilia generalia) universam Ecclesiam repræsentant.

Obj. Leo II. hæc scribit ad Imperatorem Constantinum Pogonatum: *Sancta universalis Sexta Synodus, quam nutu Dei studiose vestra clemen-*

clementia convocavit, & cui pro Dei ministerio præposuit. Præterea Imperatores in Conciliis plerumque in honoratiore loco sedisse leguntur. Ergo &c.

R. Textum ex Leone II. laudatum intelligi de præsidentia quæ unice tenderet ad pacem inter Episcopos conciliandam; & ad curandum, ut omnia ordinate & pacifice fierent; non autem ad ferendum suffragium in caussis quæ ad Fidem aut mores pertinerent: unde Constantinus Magnus (Eusebio teste in libro 4. de vita Constantini, cap. 24.) sic Nicænos Patres affatus est: *Vos quidem in iis quæ intra Ecclesiam; Ego vero in iis quæ extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus*. Locus honoratior materialis Imperatoribus nonnumquam in Conciliis concessus, non arguit in eis jus suffragii, sed signum est honoris, quem Episcopi Imperatoribus deferre voluerunt.

9. *Quæst.* Concilia generalia suntne infallibilia in definiendis fidei aut morum dogmatibus?

R. Sunt infallibilia, hoc est, errare non possunt. Ratio est 1. quia Apostoli definitionem primi Concilii (quod quidem forma fuit ceterorum) Spiritui sancto tribuerunt: *Visum est* (inquiunt Actorum cap. 15.) *Spiritui sancto & nobis*.

2. Concilia generalia repræsentant universam Ecclesiam, quemadmodum Comitia generalia totum regnum exhibent: Atqui Ecclesia in controversiis de Fide & moribus est omnino infallibilis: est enim ex Apostolo, columna & firmamentum veritatis: unde Christus Matthæi 18. jubet sub anathematis pœna, ut eam audiamus: ejus quidem præcepti hanc rationem reddit, quod ipse per Spiritus sancti inspirationem & auxilium in medio eorum sit qui eamdem Ecclesiam repræsentant: Si inquit, *duo, vel tres* (ponit determinatum numerum pro indeterminato qui totam Ecclesiam repræsentet) *fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*.

3. Id etiam ostenditur ex Traditione, qua docemur, eos pro hæreticis habitos fuisse semper, qui editis per Concilia generalia definitionibus in rebus Fidei & Morum, vere & sincere, tamquam articulis a Deo revelatis adhærere detrectarunt; Unde in eisdem Conciliis anathema eis dictum est semper.

Obj. 1. Scripturæ testantur, omnes omnino Pastores errare posse: *A Propheta usque ad Sacerdotem* (ait Jeremias cap. 6.) *cuncti faciunt dolum*.

Resp. Scripturam solitam esse *omnes* arguere, quamvis non omnes, sed plures tantum sint mali. Sic licet Apostolus ad Philippenses capite 2. dicat: *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*; postea tamen asserit, nonnullos ex Christi caritate Evangelium annuntiare. Præterea non Pastorum meritis, sed auctoritati annexa est infallibilitas.

Obj. 2. Concilium generale Judæorum erravit definiens, Christum Jesum non esse Messiam in Lege promissum: Ergo a pari Concilium generale Ecclesiæ Christianæ errare potest in definiendis morum aut fidei controversiis, nec enim Ecclesia Judaica minus debuit esse infallibilis, quam Ecclesia Christiana.

Resp. 1. Concilium Judaicum, de quo agitur, non fuisse generale: neque enim ad illud vocati fuerunt Sacerdotes, qui in variis Judæorum provinciis populorum fidelium regimini præpositi fuerant.

Resp. 2. Dato quod illud Judæorum Concilium fuerit generale, & concesso quod erraverit in juris controversia omnium maxima, nego consequentiam. Ratio est, quia illud Concilium habitum est eo tempore, quo Synagoga desierat esse infallibilis: scilicet (quod maxime advertendum est) Synagogæ Judaicæ, ad tempus tantum, hoc est, usque ad adventum Christi, infallibilitas concessa fuerat.

Nec id mirum est: tunc enim Ecclesia Judaica desinere debebat, ut Christianæ daret locum. Tunc, hoc est, tempore quo Ecclesia Christiana cœpit in Christo, infallibilitas non erat Judæis necessaria ad judicandum, an Christus esset vere Messias in Lege promissus: quilibet enim licet plane plebejus & litterarum expers, certo cognoscere poterat, Jesum Nazarenum esse Messiam a Prophetis prædictum & prænuntiatum: quia id manifesto demonstrabant infinita ac evidentia miracula, quæ Christus in suæ missionis confirmationem operabatur.

Obj. 3. Ephesinum II. Concilium erravit in fide: nempe probavit Eutychetis de Christo impietatem, hoc est, definiit unam tantum in Christo naturam post unionem remansisse: Ergo, &c.

Resp. Concesso anteced. nego consequens: quippe desiit esse œcumenicum & liberum. Omnia nimirum per summam vim, advocatis etiam militibus, qui Episcopis in eo Concilio sedentibus violentas manus inferrent, peracta sunt: id vero contestati sunt iidem Episcopi, cum postea ad Chalcedonense Concilium vocati fuere.

Obj. 4. Concilium Ariminense erravit circa Verbi Consubstantialitatem cum Deo Patre: de illo nimirum Concilio hæc habet Hieronymus in suo adversus Luciferianos Dialogo: *Tunc Nicænæ Fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est*, &c.

Resp. Dist. ant. Nicænæ Fidei damnatio conclamata est apparenter & in specie, conc. ant.

ant. vere & realiter, nego ant. Scilicet nihil definitum fuit in eo Concilio contra Verbi consubstantialitatem, sed hoc unum actum est, quod consenserint Episcopi, ut vox ista, *Consubstantialem*, eraderetur e Symbolo cui Patres Nicæni eam inseruerant: decepti vero fuerant ab Arianis, qui pollicebantur sese rem ipsam quæ verbo illo *Consubstantialem* significabatur amplexuros esse: *Putavimus*, inquiunt, soluto jam Concilio, apud Hieronymum, *sensum Arianorum congruere verbis*.

Obj. 5. Concilium generale VI. erravit; damnavit enim tamquam hæreticas Honorii Papæ Epistolas ad Sergium, licet essent Catholicæ.

Respondet Bellarminus damnatas fuisse Honorii Epistolas, non quod hæresim continerent Monothelitarum, sed quod prohiberent usum vocabulorum unius aut duplicis in Christo operationis: idque donec enucleatius quæstio de duplici in Christo voluntate explicaretur.

Obj. 6. Concilium Francofordiense, cui aderant Hadriani Papæ legati, erravit: nempe definiit idololatriæ favere Nicæni II. Concilii Decretum de imaginibus colendis: Ergo, &c.

R. 1. Concilium illud non fuisse generale; nullus enim ei adfuit qui Orientalem Ecclesiam repræsentaret, nec quisquam ex Orientalibus ad ipsum vocatus est.

Resp. Concilium Francofordiense non damnasse legitimum cultum imaginum, sed idololatriam tantum, quam, male intellectis vocabulis græcis Nicænæ Synodi, putaverat ab illo Concilio imaginibus assertam fuisse. Hinc factum est, ut Occidentales melius postea intellecto sensu Nicæni secundi Concilii, illud pro œcumenico & Catholico semper habuerint.

Obj. 7. Potest fieri, ut in Conciliis generalibus sint plures Episcopi mundi dilectores: cur ergo fieri non poterit ut errent?

R. Id fieri, quod Christus iis, qui Ecclesiam universalem repræsentarent, pollicitus sit Spiritum sanctum quoad lumen necessarium, ut veritas cognoscatur, & directionem & præsidium ut cognita doceatur: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*.

CAPUT V.

De Conciliis generalibus in specie.

1. *Quæst.* Quodnam est Concilium generale primum?

R. Est Nicænum 1. quod quidem habitum est anno 325. Sylvestri Papæ temporibus. Definiit vero 1. contra Arrium, Verbum esse Deum, & ejusdem essentiæ cum Deo Patre. Ut autem Verbi divinitas exprimeretur vocabulo, quod Arianorum cavillis non pateret, laudata Synodus inseruit Symbolo vocem, *Consubstantialem*. Definiit 2. contra Quartodecimanos, Pascha Christianum celebrari non debere Luna 14. Martii in quamcumque septimanæ diem incideret, quod fiebat Judæis, sed tantum die Dominica quæ occurreret post diem Lunæ 14. Martii. Definiit 3. inaniter ac sine caussa conflatum fuisse in Ægypto adversus Ecclesiam Alexandrinam schisma a Meletio, quem Petrus Alexandrinus, quod idolis sacrificasset, ex Episcopatu dejecerat. Tandem 4. ea in Synodo nec plus nec minus quam viginti Canones ad disciplinam spectantes editi sunt. Arabici nimirum Canones, sic appellati quod ex Græco in linguam Arabicam versi sint, non sunt Nicænæ Synodi, licet illos ei nonnulli postremis hisce temporibus tribuerint: scilicet non reperiuntur in antiquis Concilii Nicæni exemplaribus: unde nusquam a Veteribus laudati sunt.

2. *Q.* Quodnam est Concilium generale Secundum?

R. Est Constantinopolitanum 1. quod habitum est anno 381. Damasi Papæ temporibus. Asseruit vero divinitatem Spiritus sancti adversus Macedonium Constantinopolitanum Episcopum, qui eam aperte negaverat: edidit præterea Symbolum illud quod intra Missarum sollemnia decantatur, adjecitque totum articulum de Spiritu sancto, de quo nihil statuerat Nicæna prima Synodus, utpote tota adversus Arrium habita. Condidit præterea septem Canones qui ad disciplinam pertinent.

Concilium istud, convocatione quidem non fuit generale: neque enim ad illud vocati sunt Occidentales Episcopi; sed postea evasit generale per Occidentalium consensum: a quibus tamen dogma tantum a Concilio definitum, non autem editi Canones probati sunt.

3. *Q.* Quodnam est Concilium generale Tertium?

R. Est Ephesinum 1. quod anno 431. imperante Theodosio juniore, & Romæ sedente Cælestino Papa celebratum est. Definiit unam tantum esse in Christo personam; ac Mariam esse vere Deiparam contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, qui utrumque illud caput negaverat. Edidit præterea sex Canones, in quibus aut Nestoriani a suis sedibus deponuntur, aut a Nestorianis depositi restituuntur.

Illi Concilio non adfuerunt quidem Episcopi Patriarchatus Antiocheni; immo aliquandiu Auctore Joanne Antiocheno illud rejecerunt, quod sensum Anathematismorum Cyrilli adversus Nestorium non intelligerent: sed

sed postea, eorumdem Anathematismorum, quos Ephesina Synodus probaverat, intellecto legitimo sensu, illud Concilium pro legitimo & œcumenico habuerunt; sicque ab omnibus ubique fidelibus habitum.

4. *Q.* Quodnam est Concilium œcumenicum Quartum?

R. Est Chalcedonense, anno 451. celebratum, imperante apud Orientales Martiano, & Romæ sedente Leone Magno. Definiit 1. contra Eutychetem Archimandritam, hoc est, Abbatem Constantinopolitanum, duas esse Christi naturas in una hypostasi, Verbi nimirum, convenientes. Definiit 2. irritam ac impiam esse contrariam definitionem quæ in pseudo-Synodo Ephesina secunda lata fuerat. 3. Ex Episcopatu dejecit Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, qui latrocinio Ephesino adversus Flavianum Episcopum Constantinopolitanum pro errore Eutychetis inique præfuerat. 4. Restitutæ sunt sedes Theodoreto & Ibæ Edesseno dejectis in latrocinio Ephesino, quod Nestorio savisse visi fuissent; ille in suis Anathematismis contra Anathematismos Cyrilli; iste vero in sua ad Marim Persam Epistola. 5. Editi sunt quidam Canones ad disciplinam spectantes: quos & probavit postea Ecclesia Romana, uno excepto vicesimo octavo, quo Præsuli Constantinopolitano primus post Episcopum Romanum locus (contra quod statuerat Concilium Nicænum I.) concessus est.

5. *Q.* Quodnam est Concilium generale Quintum?

R. Est Constantinopolitanum secundum, quod quidem indictum est ab Imperatore Justiniano, anno 549. cuique centum & sexaginta quinque Episcopi adfuerunt. In eo Concilio, intactis Theodoreti & Ibæ personis, quas Concilium Chalcedonense admiserat, sub anathematis pœna damnati sunt qui defendere auderent tria famosa Capitula, Theodoreti nimirum Anathematismos adversus Cyrillum editos, Theodori Mopsuesteni opus adversus Apollinarem, & Ibæ ad Marim Persam Epistolam. Scilicet judicarunt Quintæ Synodi Patres tribus illis Capitulis contineri impiam Nestorii de duplici in Christo persona blasphemiam.

6. *Q.* Quodnam est Concilium generale Sextum?

R. Est Constantinopolitanum III. Cœpit vero die 7. Novembris anno 680. Agathonis Papæ tertio, tertio quoque Constantini Pogonati Imperatoris. Definiit contra Monothelitas, duas esse in Christo voluntates, & duas operationes; humanæ nimirum naturæ unam, & alteram divinæ.

7. *Q.* Quodnam est Concilium generale Septimum?

R. Est Nicænum II. quod quidem habitum est anno 787. imperante in Oriente Irene & filio ejus Constantino, Romæ vero sedente Hadriano Papa.

Definitum fuit in ea Synodo retineri debere tum Christi, tum Deiparæ, tum Angelorum, tum sanctorum virorum imagines; iis imaginibus deberi *honorariam adorationem*; eam autem adorationem non esse latriam quæ soli Deo debetur; non esse cultum qui ad figuras terminetur, sed qui referatur ad earum prototypa: *Non tamen* (inquit Actione 7.) *ad veram latriam quæ secundum Fidem est, quæque solum naturam divinam decet, impertiendam: ita ut istis sicuti figuræ, pretiosæ ac vivificæ Crucis & sanctis Evangeliis & reliquis sacris monumentis, incensorum, & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur.* Editi sunt postea viginti duo Canones ad disciplinam spectantes; & in sedes suas restituti sunt Episcopi quos Iconomachi, hoc est imaginum effractores, in suo Conciliabulo Constantinopoli habito ex eis dejecerant.

8. *Q.* Quodnam est Concilium œcumenicum Octavum?

R. Est Constantinopolitanum IV. quod quidem habitum est anno 869. Basilio imperante Constantinopoli, & Hadriano II. Romæ sedente.

9. *Q.* Quæ fuit caussa celebrandi Concilium œcumenicum Octavum?

R. Celebratum est ad dejiciendum Photium ex sede Constantinopolitana, quam per vim invaserat, & ad restituendum sanctum virum Ignatium inique a Photio detrusum. Utrumque vero illud caput executioni mandatum est a sacra Synodo, & pax Latinos inter & Græcos confirmata: tum editi sunt varii Canones qui ad disciplinam spectant.

10. *Q.* Quodnam Concilium est generale Nonum.

R. Est Lateranense I. quod Romæ anno 1123. Callisto Papa II. & imperante in Germania Henrico V. celebratum est.

11. *Q.* Quæ fuit caussa celebrandi Concilium Lateranense I.?

R. Celebratum fuit duplici de caussa. Scil. habitum est 1. ut Investiturarum abrogatio, secundum pacta inter Callistum & Henricum conventa, confirmaretur. Investiturarum autem nomine intelliguntur jura quædam eligendi Præsules, confirmandi Electos, & mittendi eos in possessionem: quæ quidem jura Imperatores sibi sumpserant. 2. ut Palæstina & Hispania ab infidelium tyrannide, qua tunc opprimebantur, liberari possent. 3. Tandem ut restitueretur collapsa in Ecclesiis disciplina.

12. *Q.* Quis fuit exitus Concilii Lateranensis I.?

R. Henrico duo concessa sunt. Primum, ut

ut sisteret se præsentem electionibus quæ in illius Imperio fierent. Alterum, ut intra imperii Henriciani limites, Electi *Regalia*, hoc est fructum percipiendorum potestatem per Sceptri regii contactum acciperent.

13. *Q.* Quodnam est Concilium generale Decimum?

R. Est Lateranense II. quod anno 1139. habitum est, sub Innocentio Papa II.

14. *Q.* Quotuplex fuit caussa celebrandi Concilium Lateranense secundum?

R. Fuit triplex. Prima, ut conflatum a Petro Leonis schisma comprimeretur: altera ut damnarentur errores Petrobusianorum & Arnoldistarum: tertia, ut in integrum restitueretur collapsa Ecclesiæ disciplina.

15. *Q.* Quinam fuerunt errores Petri de Bruys ac eorum qui ab ipso dicti sunt Petrobusiani?

R. Docuerat 3. inutile esse ad salutem datum parvulis Baptisma. 2. Everti debere Templorum ædificia. 3. Cruces confringi, non autem adorari debere. 4. Eucharistiam non continere realiter verum Christi corpus. 5. Mortuos nec Presbyterorum sacrificiis, nec Fidelium precibus juvari. Arnoldus, a quo Arnoldistæ nomen traxere, in eosdem ferme errores in quos Petrus de Bruys, lapsus fuerat: *De sacramento Altaris*, inquit Orbo Frisingensis, *de Baptismo parvulorum*, *non sane dicitur sensisse*.

16. *Q.* Quodnam est Concilium generale XI.?

R. Est Lateranense III. quod imperante in Germania Friderico I. & Romæ sedente Alexandro Papa III. anno 1179. habitum est.

17. *Q.* Quid caussæ fuit celebrandi Concilium Lateranense tertium?

R. Triplex fuit. 1. Ut eligerentur media ad schisma deinceps vitandum. 2. Ut damnarentur Valdensium de Ecclesia & Sacramentis errores. 3. Ut reformarentur mores, usura, simonia, aliisque vitiis corrupti.

18. *Q.* Quodnam est Concilium generale Duodecimum?

R. Est Lateranense IV. quod anno 1215. sub Innocentio Papa III. celebratum est.

19. *Q.* Quid actum est in Concilio Lateranensi Quarto?

R. 1. Damnatus fuit liber Abbatis Joachimi, quo impugnarat Petrum Lombardum, qui in Sententiis asseruerat, rem unam esse in Trinitate essentiam, nimirum, quæ nec generet, nec generetur. 2. De coercendis ac puniendis hæreticis nonnulla decreta sunt. 3. Amplissimæ indulgentiæ iis concessæ sunt, qui adversus Saracenos arma laturi essent. 4. Varii editi sunt Canones ad Ecclesiæ reformationem spectantes.

20. *Q.* Quodnam est Concilium generale Decimum tertium?

R. Est Lugdunense primum, quod quidem anno Christi 1245. celebratum fuit, Innocentio Papa IV. & in Germania imperante Friderico II.

21. *Q.* Quid actum est in Concilio primo Lugdunensi?

R. Innocentius Papa IV. excommunicationis & depositionis sententiam protulit in Fridericum II. propter excessus varios, & scelera quæ idem Innocentius coram Concilio sigillatim recensuit. Exauctorationis vero decretum sic habet: *Sacro præsente Concilio*, *ad memoriam sempiternam*, &c. cum e contra alia decreta sic inscripta sint: *Ex communi Concilii approbatione sancimus*, &c. Actum quoque fuit de mediis per quæ Saracenis, qui Jerosolymorum urbem expugnaverant, & Tartaris qui in Hungariam irrepserant, obviam iretur.

22. *Q.* Quodnam est Concilium generale Decimum quartum?

R. Est Lugdunense II. quod habitum est anno 1274. Illi per seipsum præfuit Gregorius Papa X. Præter Patriarchas Constantinopolitanum & Antiochenum adfuere quingenti Episcopi: adfuerunt pariter Jacobus Aragoniæ Rex, Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris, Regum Franciæ, Germaniæ, Angliæ, Siciliæ, Tartariæ Oratores. Vocatus & fuerat sanctus Thomas Aquinas, sed obiit in itinere; verum adfuit S. Bonaventura, quem Gregorius Lugduni S. R. E. Cardinalem & Episcopum Albanensem creavit.

23. *Q.* Quæ sunt Acta præcipua Concilii Lugdunensis secundi?

R. Statutum est 1. ut Decimæ bonorum Ecclesiasticorum conferrentur ad subsidium Terræ sanctæ quam Saraceni oppresserant. 2. Pax inita est Latinos inter & Græcos qui antea schismate divisi erant. 3. Probata est additio particulæ *filioque*, quæ a Latinis facta fuerat Symbolo, quod quidem cum ejusmodi additione ter Græce intra missarum sollemnia decantatum est. 4. Græci & suarum Ecclesiarum & Michaelis Palæologi nomine, concessum divinitus Romanæ Sedi in singulas orbis Ecclesias Primatum professi sunt. 5. Promulgati sunt varii Canones ad disciplinam spectantes.

23. *Q.* Quodnam est Concilium generale Decimum quintum?

R. Viennense in Galliis habitum sub Clemente Papa V. ann. 1310. licet indictum esset anno 1307.

25. *Q.* Quænam acta sunt in Viennensi Concilio?

R. Multa. Nam, 1. Templariorum Ordo, *sacro approbante Concilio*, extinctus est, eorumque bona Equitibus sancti Joannis Jerosolymitani tradita sunt. 2. Promulgata fuit Clementina *de Summa Trinitate & Fide Catholica*, ubi damnantur errores Petri Olivi, qui asseruerat Christi adhuc viventis latus lancea fuisse perforatum; animam rationalem

non

non esse formam corporis; Fidem & virtutes in Baptismate non infundi. 3. Promulgata est altera Clementina *Ad nostrum*, qua Beguardorum & Beguinorum errores damnati sunt.

26. *Q.* Quodnam est Concilium generale Decimum sextum?

R. Est Constantiense, quod quidem cœpit anno 1415. absolutum est vero anno 1418.

27. *Q.* Quid caussa fuit celebrandi Constantiense Concilium?

R. Triplex fuit. *Prima*, ad extinctionem Schismatis quo jam diu laborabat Ecclesia: nempe tres se pro veris Romanis Pontificibus jactabant, Joannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII. Cuique nonnulla regna, nonnullæ provinciæ parebant; cuique pariter sui erant Cardinales. *Secunda*, ad stabiliendam Fidem adversus Vvicleffum, Joannem Hus & Hieronymum de Praga. *Tertia*, ad universalis Ecclesiæ tam in capite, quam in membris reformationem.

28. *Q.* Quæ præcipua sunt Acta Concilii Constantiensis?

R. Plura. Nam 1. prolata est depositionis sententia adversus Joannem Papam XXIII. tanquam in contumacem (se nimirum subduxerat e Concilio) Schismatis fautorem, reum perjurii (sese enim dato sacramento obstrinxerat ad deponendum Pontificatum, si ita Concilio videretur) & conscium Simoniæ, pluriumque aliorum gravium criminum: eam autem sententiam idem Joannes postea ratam habuit ac confirmavit scripto. 2. Admissa est unanimi consensu Gregorii XII. cessio. 3. Petrus de Luna, Benedictus XIII. in sua obedientia nuncupatus dejectus est, & in eum tanquam in contumacem & schismatis fautorem prolata est excommunicationis sententia. 4. Damnati sunt quadraginta quinque articuli Fidei contrarii, quos Joannes Vvicleffus, Presbyter Anglus protulerat in medium. 5. Damnati sunt quoque triginta alii articuli Joannis Hus. 6. Hieronymus de Praga tanquam fautor articulorum tum Vvicleffi, tum Joannis Hus, excommunicatione mulctatus, traditus est sæculari brachio, cujus jussu vivus exustus est. 7. Electus est in summum Pontificem Martinus V. a quo in eodem Constantiensi Concilio plures Constitutiones promulgatæ sunt. Vide in Institutionibus Animadversiones in Concilium Constantiense.

29. *Q.* Quodnam est Concilium generale decimum septimum?

R. Est Basileense convocatum a Martino Papa V. quæ quidem convocatio ab Eugenio IV. qui Martino successit, confirmata est. Cœpit anno 1431. & desiit anno 1442.

30. *Q.* Quid caussæ fuit celebrandi Concilium quod Basileense dicitur?

R. Triplex fuit. *Prima*, ad tentandam Bohemorum cum Ecclesia Catholica unionem: perdurabant nimirum adhuc in Bohemia Joannis Vvicleffi & Joannis Hus errores in Concilio Constantiensi sollemniter damnati. *Secunda*, ad conciliandam pacem inter Christianos Principes qui tunc Rempublicam Christianam bellis lacerabant. *Tertia* ad Cleri reformationem, quæ in Concilio Constantiensi tentata quidem, sed ad exitum perducta non fuerat.

31. *Q.* Quid actum est in Concilio Basileensi?

R. Plura fuerunt acta. 1. Concilii generalis potestas sessionibus 2. 3. 18. 29. & 33. explicata & confirmata fuit. 2. Probata sunt pacta Bohemos inter & Concilii legatos in Ægra oppido conventa. 3. Damnatus fuit libellus fratris Augustini de Roma, Archiepiscopi Nazareni in quo præter cetera continebatur hæc propositio: *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus, quotidie peccavit*. Idque, quamvis, ut ait Concilium, idem Archiepiscopus diceret, se eam non intelligere de Christo capite, sed de membris ejus quæ una cum ipso unum Christum efficiunt. 4. Probata est consuetudo communicandi sub una tantum panis specie. 5. Sessione 36. actum est de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, declaratumque fuit doctrinam, qua immunis a peccato asseritur, amplectendam esse, tanquam *piam & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi & Scripturæ*. 6. Sessione 34. lata fuit depositionis sententia in Eugenium Papam IV. quod post iteratas monitiones Concilii translationem ab ipso factam rescindere detrectasset; & tandem probata est Amedæi Sabaudiæ Ducis electio in Papam, facta a Cardinalibus & aliis ad id specialiter a Concilio deputatis.

32. *Q.* Concilium Basileense estne œcumenicum?

R. Fuit œcumenicum usque ad sessionem 24. inclusive: quoad ceteras vero non fuit œcumenicum. Scilicet Eugenius Papa IV. priores 24. sessiones habuit pro actis œcumenici Concilii, ut patet ex Bulla ab ipso promulgata 18. Kalendas Januarii, anno 1433. Verum sessione 25. sanior Concilii pars judicavit valere translationem Concilii in urbem Florentiam, aut in alium Italiæ locum, quem Eugenius IV. elegisset. Ab eo tempore pauci Præsules remanserunt Basileæ, majorque ac sanior pars ad Eugenium accessit. Vide in Institutionibus Animadversiones in Concilium Basileense.

33. *Q.* Quodnam est Concilium generale decimum octavum?

R. Est Florentinum; quod quidem Ferrariæ incepit die 9. Aprilis anno 1434. Præfuit illi Concilio Eugenius Papa IV.

34. *Q.* Quid actum fuit in Concilio Florentino?

R. Post multas collationes & disputationes Græcos inter & Latinos habitas promulga-

tum est sacro approbante Concilio Eugenii de Fide decretum: quo quidem sancitum est. 1. Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere. 2. Recte particulam *Filioque* additam fuisse Symbolo. 3. Valere consecrationem sive in azymo, sive in fermentato pane. 4. Animas piorum, qui plene pro peccatis in hac vita non satisfecerint, purgari in altera purgatoriis pœnis, antequam Dei visione fruantur. 5. Romanum Pontificem jure divino habere primatum in tota Ecclesia. 6. Servari debere jura quæ Canones aliis Patriarchis concesserunt.

35. *Q.* Quid actum est Florentiæ post Græcorum discessum, & soluto jam Concilio?

R. Promulgatum est Florentiæ decretum Eugenii Papæ pro instructione Armenorum, qui quarto post Græcorum discessum mense Florentiam advenerant, ut cum Ecclesia Romana unionem ac societatem inirent.

36. *Q.* Quodnam est Concilium generale ultimum?

R. Est Tridentinum; quod quidem ab anno 1545. usque ad annum 1563. sub tribus Pontificibus Romanis, Paulo III. Julio III. & Pio IV. celebratum est.

37. *Q.* Quid caussæ fuit celebrandi Tridentinum Concilium?

R. Duplex fuit. Coactum est scilicet. 1. Ad stabiliendam Fidem contra Lutheri, Calvini ac aliorum hæreticorum, qui tunc grassabantur, errores. 2. Ad restituendam Ecclesiæ disciplinam, quam hæreses & bella plurimum labefactaverant.

38. *Q.* In quibus præsertim Fidei capitibus, Lutherus, Zuinglius & Calvinus erraverant?

R. In capitibus de Libris Canonicis, de Justificatione, de Sacramentis, de Indulgentiis, de pœnis purgatorii, de invocatione Sanctorum: Ii vero errores proscripti sunt in Concilio Tridentino; quod quidem 25. sessiones complectitur. Ubique receptum est illud Concilium in iis quæ ad Fidem spectant, sed ubique nondum obtinuit quoad capitula quæ pertinent ad reformationem. Sæpius in Galliis a Rege Christianissimo postularunt Cleri Gallicani generalia Comitia, ut Episcopis liceret ejusdem Concilii capita ad reformationem spectantia promulgare: sed nondum id eis concessum est: quibus autem de caussis, hic non est dicendi locus.

39. *Q.* Sunt ne, præter enumerata, aliqua generalia Concilia?

R. Numerantur quidem & aliqua alia. Sed cum in Galliis nec promulgata, nec recepta fuerunt, ideo hic ea non duximus esse recensenda.

CAPUT VI.

De Ecclesia.

1. *Quæst.* Quomodo definitur Ecclesia?

R. Definitur *Cœtus Sanctorum*, hoc est hominum qui vocati sunt ad sanctitatem *sub uno capite Christo, & ejus in terris Vicario Romano Pontifice, Deo servientium.*

2. *Q.* Soli prædestinati sunt ne Ecclesiæ membra?

R. Non sunt: ad eam enim etiam pertinent homines reprobi, qui sub legitimis Pastoribus Fidem exterius profitentur.

3. *Q.* Quibus argumentis probari potest reprobos, qui sub legitimis Pastoribus Fidem exterius profitentur, esse Ecclesiæ membra?

R. Probari potest 1. ex Matthæi 3. cap. in quo Ecclesia comparatur areæ, in qua sunt paleæ quæ igne inextinguibili comburendæ sunt. 2. Ex Matthæi 22. cap. ubi eadem Ecclesia comparatur cum convivio, in quo erat qui ejectus fuit in tenebras exteriores. 3. Ex Matthæi 25. ubi Ecclesia comparatur decem virginibus, inter quas fuerunt quinque fatuæ, quibus sponsus dixit, *Nescio vos.*

Obj. 1. Augustinus sæpius asserit, reprobos ad Ecclesiam non pertinere: ergo, &c.

R. Augustinum loqui iis in locis de Ecclesia sumpta quoad esse finale, hoc est, docet reprobos nunquam consecuturos esse finem ultimum, propter quem instituta est Ecclesia, scilicet visionem beatificam in patria: sed non loquitur de Ecclesia secundum esse materiale quod habet in via, hoc est, quoad conjunctionem cum Christo aut per Fidem mortuam, aut per Fidem quæ per dilectionem, licet cum perseverantia minime conjunctam, operatur. Hinc est quod idem Augustinus comparet Ecclesiam cum lilio quod est inter spinas, indeque concludat quod sicut spinæ inter quas est lilium, sunt in horto: ita etiam reprobi sint in Ecclesia quæ in Cantico Canticorum horto cuidam comparatur.

Obj. 2. Ecclesia comparatur cum Arca Noe: Ergo quemadmodum in Arca Noe non fuerunt nisi qui ab aquis diluvii salvati sunt; ita & in Ecclesia sunt ii tantum qui prædestinati sunt ad salutem æterno Dei decreto.

R. neg. conf. In hoc enim valet illa comparatio, quod sicut extra Arcam Noe nullus salvatus est ab aquis diluvii; ita nemo extra Ecclesiam, salutem æternam consecuturus sit; ita Augustinus lib. 5. de Bapt. cap. 18.

3. *Q.* Infideles suntne in Ecclesia?

R. Non sunt; foris enim eos esse testantur Paulus 1. ad Corinth. 5. *Quid enim*, ait, *mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

4. *Q.* Catechumeni suntne in Ecclesia?

R. Non sunt. Nam 1. per solum Baptismum

mum homines aggregantur Ecclesiæ, juxta illud Actorum 2. *Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa circiter tria millia*: ubi vox hæc *appositæ*, ingressum in Ecclesiam significat: 2. Patres semper distinxerunt fideles a catechumenis: at soli fideles sunt in Ecclesia. 3. Cathecumenis non convenit tradita superius Ecclesiæ definitio.

Obj. 1. Cathecumeni, etiam in cathecumenatu morientes, salvari possunt. 2. Nonnunquam habent Ecclesiæ formam, caritatem nimirum, per quam sanctificentur: Ergo sunt in Ecclesia.

R. Concesso antecedente, nego consequent. Ratio est, quia ut quis salvetur, non est necesse ut actu sit in Ecclesia, sed satis est, ut in ea sit per sincerum cordis desiderium; non satis est quoque ut habeat esse formale Ecclesiæ, sed requiritur præterea, ut habeat esse materiale, quod quidem positum est in eo quod quis Baptismum actu receperit.

5. Q. Soli homines justi qui sunt baptizati, suntne Ecclesiæ membra?

R. Non sunt. Nam 1. homines in statu peccati mortalis jacentes continentur in tradita superius Ecclesiæ definitione. 2. Impii possunt ejici ex Ecclesia, ut habetur Matthæi 25. & revera Corinthius incestuosus, ut habetur 1. ad Cor. c. 5. ex ea ejectus est: Ergo in ea sunt, antequam ejiciantur. 3. Constans fuit semper traditio, peccatores nondum excommunicatos esse in Ecclesia: id nimirum docent Tertullianus. Cyprianus, & alii, qui licet rejicerent datum ab hæreticis Baptisma, admittebant tamen datum ab iniquis qui Fidem exterius profiterentur, quod censerent eos esse in Ecclesia, cum e contra hæretici in ea minime sint.

Obj. 1. Qui sunt in statu peccati mortalis non pertinent ad Christum, cum spiritum illius, hoc est, caritatem non habeant; juxta illud Apostoli, *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

R. Dist. ant. Non pertinent ad Christum quantum ad esse formale, quod est caritas, conc. ant. quantum ad esse materiale, quod est externa Fidei professio, nego antecedens. Solutio patet ex dictis superius.

Obj. 2. Paleæ non sunt panis partes: Ergo nec impii sunt partes Ecclesiæ, cum Apostolus eos qui sunt in Ecclesia comparet cum pane, primæ ad Corint. 10. *Unus panis & unum corpus multi sumus.*

R. Conc. ant. nego consequentiam & dico in eo valere Pauli comparationem quod sicut multa frumenti grana unum panem efficiunt: ita Baptismus societatem unam ex multis hominibus constantem efficiat.

Obj. 3. Ecclesia sancta est; id nimirum in Symbolo profitemur.

R. Quoad plura membra, conc. quoad omnia nego. Nec mirum quod Ecclesia sic appelletur, cum denominatio ex nobiliori parte sumi debeat.

Obj. 4. Impii Diabolum habent pro patre; juxta illud Christi: *Vos ex patre Diabolo estis*: Ergo Ecclesiam pro matre habere non possunt.

R. Dist. ant. quoad aliqua, seu quoad peccatum, conc. ant. quoad omnia, neg. ant. Impii enim non a Diabolo, sed a Christo Baptismum habent, & quoad hoc, non autem quoad illud Ecclesiam habeant pro matre; per Baptismum enim tanquam ex Christi semine eos genuit.

6. Q. Infideles occulti, qui permanent exterius in Fide, suntne in Ecclesia?

R. Sunt. Nam 1. Ecclesia in eos jurisdictionem habet. 2. Ab ea per excommunicationis decretum, ubi suam hæresim prodiderint, ejici possunt: Ergo sunt in ea, donec suam hæresim prodant.

Obj. 1. Nihil est in occultis infidelibus per quod uniantur Ecclesiæ. 2. Hæretici, licet occulti, sunt ipso facto excommunicati.

R. Ad 1. Infideles occultos uniri Ecclesiæ per Baptismum, & per externam quam legitimis Pastoribus exhibent obedientiam. Ad 2. Sunt excommunicati *interius*, conc. antec. *exterius*, nego ant. Sola excommunicatio externa homines projicit ex Ecclesiæ sinu: unde qui interius tantum sunt infideles, si Pastores sint, sua non excidunt jurisdictione.

7. Q. Publici hæretici, manifesti schismatici suntne in Ecclesia?

R. Non sunt. Ratio est 1. quia nullus Christianus per sexdecim prima sæcula credidit homines de quibus agitur esse in Ecclesia. 2. Veteres, quoties verbum hoc *Ecclesia*, simpliciter ac sine addito protulerunt, semper intellexerunt societatem in qua non essent hæretici publici, aut schismatici manifesti. Vide Irenæum lib. 3. cap. 4. Tertull. in lib. de Præscriptionibus; Hieronym. sub finem dialogi adversus Luciferianos; Canonem 9. Concilii Laodiceni: Canonem 6. primi Concilii Constantinopolitani, quintam generalem Synodum actione tertia. 3. Patres veram Ecclesiam vocarunt Catholicam, hoc est, societatem ubique diffusam: at hujusmodi non sunt hæreticorum sectæ.

Obj. Publici hæretici & manifesti schismatici in pluribus articulis conjuncti sunt cum Ecclesia: Ergo in ea sunt. 2. Hæretici per Baptismum, Ecclesiæ filios generant: Ergo sunt in Ecclesia: cum vera Ecclesia (utpote sola Christi sponsa) Christi filios generare possit.

R. Ad id satis non esse conjunctionem cum Ecclesia in aliquibus articulis: requiritur enim conjunctio in omnibus articulis qui expresse ab Ecclesia definiti sunt. Ad 2. dist. ant. Hæresis Christo per Baptismum filios gene-

generat, tanquam Ecclesiæ ancilla: conc. ant. tanquam Christi sponsa, neg. ant. In Baptismate quod habent hæretici reperitur sacrum semen Christi qui sponsus est Ecclesiæ: unde cum Baptismum parvulis conferunt societates hæreticæ, Christi semine quod in suo veluti utero exceperunt, non sibi, sed Ecclesiæ filios pariunt. Ita Augustinus in libro 1. de Bapt. cap. 15.

Obj. 2. Si hæretici non essent in Ecclesiæ corpore, explicari non posset quomodo Ecclesia sit ubique diffusa: scilicet constat nullam particularem societatem, ne Romanam quidem, ubique esse diffusam.

R. 1. Ubique reperiri fideles qui Catholicam Fidem profitentur, ac præterea hæreticorum infantes baptizati ad Ecclesiam pertinent, tanquam quæ eos per Christi semen in ancillarum utero genuerit.

R. 2. Eo sensu vera Ecclesia est ubique diffusa, quod licet supponatur in omnibus terræ provinciis non reperiri, semper sua amplitudine superet alias omnes societates Christianas seorsim sumptas: ita Aug. lib. 3. contra Cresconium cap. 66.

Obj. 3. Homines in Schismate constituti possunt consequi salutem æternam: Ergo sunt in Ecclesia.

Probatur ant. 1. Multi viri pii reperti sunt in Schismate decem Tribuum sub Jeroboamo. 2. Reperti sunt in Schismatibus, quæ sæpius lacerarunt Ecclesiæ vestem.

R. Dist. ant. Si Schismati non consentiant, conc. ant. si e contra consentiant, nego ant. Viri pii, qui in Jeroboami Schismate reperti sunt, nusquam illi consensere. Qui vixerunt in Schismatibus, quæ in Ecclesia Catholica contigerunt, nusquam adhæserunt Schismati, immo uniti erant Ecclesiæ, mediante legitimo Concilio, cui sese ex animo subjiciebant.

8. *Q.* Quænam certæ notæ sunt veræ Ecclesiæ?

R. Sunt quatuor præcipuæ, ad quas ceteræ reducuntur, Unitas nimirum, Sanctitas, Catholicitas & Apostolicitas: hoc est; vera Ecclesia est una, sancta, catholica, apostolica.

9. *Q.* Unde probatur veram Ecclesiam esse Unam?

R. Ex Scriptura Joannis 10. vocatur unum ovile, Canticorum cap. 6. sub unius columbæ figura exhibetur: *Una est columba* mea. Ad Ephesios cap. 2. dicitur una domus, una ædificatio. Primæ ad Corinth. 12. dicitur Unum Christi corpus.

Idem quoque probatur ex Patribus: ii enim Ecclesiam compararunt cum Arca Noe; cum domo in qua Agnus paschalis ab una familia comedi debebat; cum inconsutili veste Christi; cum domo Raab: Atqui non multiplex, sed una tantum fuit Arca Noe, una non multiplex domus in qua comedi debebat Agnus Paschalis; una & indivisa fuit Christi vestis, &c.

10 *Q.* Estne momenti alicujus quæstio de Unitate Ecclesiæ; seu Doctrina qua asseritur Ecclesiam esse unam, estne scitu maxime necessaria?

R. Est: quia extra unam illam Ecclesiam nemo potest consequi salutem. Id enim docet 1. Hieron. *Quicumque*, ait Hieron. epist. 17. *extra hanc domum agnum comederit, profanus est*. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Docet 2. Augustinus, Enchir. cap. 63. eum qui præter illam est, nec cum Deo esse. 3. Extra unam illam Ecclesiam vera caritas non reperitur. Nec id mirum est: hæresis enim formalis, seu quæ est cum contumacia, varia crimina necessario secum importat: voluntatem nimirum rebellem in Ecclesiam; calumniæ crimen quod impingitur Ecclesiæ, cum erroris insimulatur; furtum; hæretici enim ministerium usurpant quod soli Ecclesiæ proprium est; & tandem gravissimi scandali peccatum: scilicet hæretici aperta sua in Ecclesiam rebellione sunt offendiculo populis fidelibus: mirum igitur non est quod nec hæretici, nec schismatici salutem, si in suis impiis cœtibus moriantur, consequi minime possint.

11. *Q.* In quibus posita est Unitas Ecclesiæ?

R. In tribus, in Fide nimirum, *Una Fides, unum Baptisma*; in Sacramentis, unde si plus aut minus admittantur, quam admittit Ecclesia, non est unitas; & tandem in Pastoribus non quidem numero, sed missione, sed successione.

12. *Q.* Quodnam est centrum unitatis Ecclesiæ?

R. Sedes est Romana: ipsa enim jure divino primatum habet in omni Ecclesia. *Navigare autem*, inquit Cyprian. ep. 55. *ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*, &c.

13. *Q.* Sedes Romana, & Ecclesia Romana sunt ne unum & idem?

R. Non sunt, proprie loquendo: nempe Sedes Romana est particularis illa Ecclesia, singularis illa Cathedra quæ a Petro Romæ constituta est: Ecclesia vero Romana, est non solum Cathedra quæ a Petro Romæ constituta est, sed aliæ omnes particulares Ecclesiæ quæ per totum orbem diffusæ, cum illa Cathedra tanquam in qua sedeat primus visibilis Pastor, cui totius gregis dominici cura credita est, qui primatum habeat a Christo, a quo & habent quoque suam auctoritatem alii Episcopi, sed Romano Pontifici subordinatam.

14. *Q.* Vera Ecclesia est ne Sancta?

R. Sancta est 1. vocatione: tota quippe vocatur ad sanctitatem. 2. Sanctitate professionis: quippe Fidem sanctam, hoc est integram, & sanctos mores, seu sanctas morum Regulas profitetur. 3. Interna justitia in pluribus

ribus membris, licet non in omnibus: in multis enim est caritas illa, quæ, ut ait Apostolus, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Vide de eo argumento Augustinum in lib. 2. de moribus Ecclesiæ cap. 33.

Obj. Ecclesia identidem indiget reformatione: Ergo non est sancta.

R. Dist. ant. Quoad disciplinam quæ sæpius in non paucis languescit, conc. ant. in Fide & morum regulis quas profitetur, nego ant.

15. *Q.* Ecclesia vera, estne Catholica?

R. Est: sola nimirum per totum est orbem diffusa: unde Augustinus in libro de vera religione cap. 7. sic loquitur: *Tenenda est nobis Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est & Catholica nominatur.*

16. *Q.* Cuinam Ecclesiæ convenit Catholicæ nomen?

R. Ei tantum cujus centrum est Petri Cathedra; ea enim sola per totum orbem est diffusa: *Ecclesia Catholica appellatur, quod*, inquit Augustinus epist. 107. *per totum terrarum orbem diffundatur.*

Obj. Multæ sunt orbis provinciæ in quibus Ecclesia quæ cum Petri Cathedra communionem habet, minime reperitur: nec enim est in Moschovia & in aliis regnis, ubi aut hæreses, aut schismata dominantur: Ergo non est ubique diffusa.

R. Dist. conf. Physice, conc. conseq. moraliter, nego conseq. Scilicet Ecclesia, quæ cum Petri Cathedra communionem habet, præ Sectis omnibus eminet in præcipuis Europæ partibus, nec in aliqua ditione particulari est coarctata sicut hæreticorum, aut schismaticorum societates. Unde diffusior est qualibet secta seorsim sumpta: idque satis est, ut appelletur Catholica; nempe Irenæi & antiquorum Patrum temporibus id ei nominis jam conveniebat, quamvis multo pauciores, quam nunc, essent provinciæ, in quibus emineret.

17. *Q.* Vera Ecclesia estne Apostolica?

R. Est. Et quidem 1. secundum doctrinam: nihil enim credit quod ab Apostolis non acceperit: nullas habet morum regulas, quas iidem Apostoli non tradiderint: 2. secundum auctoritatem: scilicet a Pastoribus regitur, qui non intercepta serie Apostolis successerunt.

18. *Q.* Sola Ecclesia, quæ cum Petri Cathedra communicat, estne Apostolica?

R. Sola. Nam 1. ipsa est, quæ sola profitetur doctrinam quam Apostoli tradiderunt. Impossibile enim est ostendere eam passam fuisse aliquam in Fide aut morum regulis mutationem. 2. Sola est quæ sit Apostolica secundum auctoritatem, sola etiam ab Apostolorum temporibus continuam & non interceptam successionem Pastorum habet, & habuit semper: cum è contra aliarum Societatum ministri ostendere non possint quibus successerint: unde ipsa sola Romana Ecclesia divinam habet missionem ad docendum, ad conferenda Sacramenta, ad jurisdictionem exercendam: quam enim missionem sibi divinitus extraordinarie concessam jactitant hæretici, fictitia est: tum quod nulla sit divina missio, nisi quæ per successionem Apostolicam recipitur: tum quod extraordinaria missio, si quæ foret, miraculis confirmari deberet, ut suam ipse Christus & Apostoli confirmarunt.

Obj. Apud Græcos Schismaticos remansit integritas ordinationis. Ergo & accepta quondam divinitus ordinaria missio.

R. Conc. ant. dist. conseq. Quoad aliqua Pastoratus officia, conc. quoad omnia, nego. Nempe possunt Græci valide consecrare Corpus Christi, sed non possunt regere Ecclesiam Dei: avulsi nimirum a capite, unde omnis unitas sacerdotalis exoritur, non possunt Christi fidelibus præesse.

19. *Q.* Vera Ecclesia est ne Visibilis?

R. Est: Idque probatur 1. ex eo quod quoties Scripturæ de Ecclesia mentionem faciunt, eam exhibeant tanquam visibilem quemdam cœtum: Actorum 28. Paulus gregem visibilem, utpote qui ab Episcopis cognosci possit, intelligit, cum hæc habet: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Domum quoque quæ oculis pateat idem Paulus intelligit Ecclesiæ nomine, primæ ad Tim. 3. *Hæc tibi scribo, fili Timothee, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.*

Probatur 2. ex sanctis Patribus, qui omnes ad unum, civitatem illam quæ ex Evangelio est supra montem posita, Ecclesiam interpretati sunt: *Nulla est* (inquit August. in lib. 3. contra epistolam Parmeniani, cap. 5.) *securitas unitatis, nisi ex promissis Dei, Ecclesiæ declarata, quæ supra montem constituta abscondi non potest.* 2. Ecclesia est hominum societas: at societas hominum visibilis est. Ecclesiam audire jubemur, & ad eam redire, si per schisma ab ea discesserimus: at quomodo id exequi poterimus, si Ecclesia non sit visibilis?

Obj. 1. Apostolus ad Hebræos cap. 12. scribit Ecclesiam non esse montem tractabilem.

R. Apostolus eo in loco non de Ecclesia in terris militante, sed de Ecclesia in cælis triumphante loquitur; unde subdit: *Et multorum millium Angelorum frequentiam, & spiritus justorum & perfectorum.*

Obj. 2. Lex nova & Ecclesia idem sunt: at Lex nova non est visibilis, cum (ut patet ex Jeremiæ cap. 31.) scripta sit in hominum cordibus: *Dabo legem meam in cordibus eorum*: Ergo, &c.

R. Nego ant. Ecclesia enim est illa congregatio hominum qui Legem novam profitentur.

20. Q. Ecclesia est ne Indefectibilis?

R. Est. Scilicet 1. est semen illud cui Deus benedixit, & cum quo (ut habetur Isaiæ 6.) Deus fœdus iniit perpetuum: 2. est regnum illud, quod (ut prædicitur Dianelis cap. 2.) in æternum non dissipabitur: 3. est (ut habetur Matth. 3.) area in qua ad finem usque sæculorum triticum & paleæ reperientur: 4. Pastores a Christo constituti non deficient, *donec* (ut ait Apostolus ad Ephesios 4.) *occurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis filii Dei*: ergo visibilis grex cui præerant Pastores illi: 5. Augustinus totus est in suis adversus Donatistas operibus, ut probet nec Ecclesiam unquam defecisse (quod asserebant Donatistæ) nec deficere posse: idque probat ex his Christi verbis: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*.

Obj. 1. Ecclesia in solo Elia quondam remanserat: *Derelictus sum* (inquit Regum 19.) *Ego solus*, ergo &c.

R. Nego ant. Nam 1. dato quod Ecclesia tota periisset in regno Israel, in quo erat Elias, non sequitur eam ubique periisse: erat enim integer Dei cultus in Regno Juda, cui tunc Asa, & postea Josaphat, optimi Principes, præfuerunt. 2. Eliæ querenti quod in regno Israel solus Dei veri cultor remansisset, sic Deus ipse respondit: *Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* 3. Quamvis daretur Ecclesiam in tota Judæorum Republica nonnunquam visibiliter periisse, idem tamen dici non deberet de Ecclesia Christiana: Ratio est, quia Deus Ecclesiæ Judaicæ perpetuam stabilitatem non promiserat, quam tamen Christianæ expresse pollicitus est.

Obj. 2. Apostolus secundæ ad Thessalonicenses 2. prædicit generalem apostasiam esse futuram in Ecclesia, anti-Christi tempore.

Resp. Apostasiam illam futuram separationem a trunco: truncus igitur superstes erit. Hinc Christus ait quod propter Electos qui tunc supererunt, breviandi sint dies illi.

Obj. 3. Ecclesia Christiana defecit Arianorum tempore: *Tunc* (ait Heronymus in dialogo adversus Luciferianos) *Nicæna Fidei damnatio conclamata est: ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est*.

R. Loqui Hieronymum de Concilio Ariminensi, quod quidem scandalo fuit Ecclesiæ, tum quod consenserit ut vocabulum, *Omoousion* e Symbolo deleretur, tum quod cum Arianis communicasset. Sed id actum est pacis caussa: Ariani nimirum palam testabantur se amplexuros esse Nicænam Fidem, si vox illa, quæ, ut ajebant, in Scripturis non reperitur, eraderetur ex Symbolo: unde in specie tantum, non autem reipsa, conclamata est Nicænæ Fidei damnatio. 2. Dato (quod tamen falsum est) Ariminense Concilium Arianæ hæresi patrocinatum esset inde tamen non sequitur ubique tunc Ecclesiam periisse, scilicet tum in Oriente plures Ecclesiæ, & in Occidente fere omnes palam profitebantur Nicænam Fidem.

21. Q. Ecclesia Catholica, hoc est cœtus Pastorum, quibus præest Romanus Pontifex, estne infallibilis?

R. Est infallibilis: & quidem 1. prout in Pastoribus ad Concilium generale congregatis, repræsentatur: nempe (ut superius dictum est) Concilia generalia sunt in Fidei & morum regulis definiendis omnino infallibilia. 2. Infallibilis est etiam in unanimi omnium particularium Ecclesiarum in unum dogma consensu: scilicet per orbem diffusa, non minus quam in Conciliis generalibus, est sponsa illa de qua hæc habet Apostolus: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*: non minus est domus Dei, quæ ex Apostolo *est columna & firmamentum veritatis*.

Hinc factum est ut dogma in quod omnes Ecclesiæ unanimiter consentirent, non minus habitum sit dogma Fidei, quam quod in Conciliis generalibus definitum fuerat.

Hinc etiam factum est ut illum unanimem Ecclesiarum consensum Patres quovis sæculo Novatoribus opposuerint: id nimirum videre est apud Eusebium historiæ lib. 4. cap. 7. Hieronymum in suo contra Vigilantium opere, Augustinum lib. 4. ad Bonifacium cap. ult. & tandem Vincentium Lyrinensem in Commonitorio: *In ipsa*, inquit, *Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*.

CAPUT VII.

De Romano Pontifice.

1. *Quæst.* Romanus Pontifex est ne legitimus Petri successor?

R. Est: cum habeat Cathedram in qua Petrus sedit, & mortuus est. Nam 1. nullus unquam Episcopus alius a Romano se Petri successorem prædicavit. 2. Tota traditio asseruit Pontificem Romanum esse Petri successorem: ita enim docent Tertullianus in libro de præscriptionibus cap. 36. Irenæus lib. 3. cap. 3. Cyprianus lib. 1. epist. 3. Epiphanius hæresi 27. Augustinus, qui libro 2. contra litteras Petiliani cap. 52. sic loquitur: *Cathedra tibi quid fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet?*

2. Q. Ex eo quod Romanus Pontifex sit legitimus Petri successor, colligiturne eum divinitus habere primatum in omni Ecclesia?

R. Recte

R. Recte colligitur: is enim, qui succedit alteri, jura habet omnia quæ habebat ille cui succedit: Atqui Petrus primatum divinitus habuit in omni Ecclesia: nam 1. petra fuit super quam fundata est Ecclesia: *Tu es Petrus* (inquit Christus Matth. 16.) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. 2. Petro non in agnos tantum, hoc est in fideles, sed & in oves, hoc est in Pastores qui fideles per Sacramenta tanquam fetus Christo generant, Pastoratus a Christo creditus est: *Pasce* (ait Christus ipsum alloquens, Joannis cap. 21.) *agnos meos, pasce oves meas*.

Primatum illum Petro divinitus concessum agnovit tota Traditio; hic satis sit laudare Cyprianum in epistola ad Quintum; Leonem Magnum sermone de sua ad Pontificatum assumptione; Concilium Constantinopolitanum I. can. 2. Concilium Chalcedonense.

Hinc merito in Concilio Constantiensi damnatus est hic Vvicleffi articulus: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*.

Hinc etiam merito facta est hæc definitio in Concilio Florentino: *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum orbem tenere Primatum; & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium*.

3. *Q*. Romani Pontificis de aliqua controversia judicium, estne Locus Theologicus?

R. Est. Cum enim Romanus Pontifex (ut superius dictum fuit) primatum habeat in orbe universo, jus sibi divinitus concessum habet, docendi eos omnes, quibus a Christo propositus fuit, seu solvendi dubia quæ circa Scripturarum sensum nasci possunt, proponendi traditionem Patrum, præcipiendi ut ubique terrarum canones observentur: immo & per censuras, ipsam etiam excommunicationem, servatis servandis, compellendi singulos fideles, ipsos quoque præcipuarum Sedium Episcopos, ut suam Fidem profiteantur, & ut ad Evangelii & Canonum normam suos mores componant. Jus, de quo hactenus, in Pontifice Romano quovis sæculo ubique gentium venerata est Ecclesia Catholica.

CAPUT VIII.

De Episcopis, Patribus, & Scholasticis.

1. *Quæst.* Quisque Episcopus estne jure divino judex controversiarum quæ circa Fidem aut Mores oriuntur?

R. Est. Et quidem 1. in Conciliis, ut superius dictum est: 2. etiam extra Concilia: damnare nimirum possunt falsam doctrinam, & veram probare, eos enim *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*.

2. *Q*. Judicium Episcoporum estne Locus Theologicus?

R. Est: *Neque enim* (ait Cyprian. ep. 55.) *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Deo non obtemperatur*. Irrefragabile tamen non est privatorum Episcoporum, nisi aliorum consensus accesserit, judicium; idque patet tum ex eo quod a latis ab Episcopo privato sententiis ad Metropolitanum, & postea ad Romanum Pontificem provocare liceat: tum ex eo quod Episcopi privati aliquoties erraverint, ut in Cypriano circa Baptismum ab hæreticis datum; Macedonio, Nestorio, ac pluribus aliis videre est.

3. *Q*. Unius & alterius Patris de rebus Theologicis sententia, aliis de ea silentibus efficitne firmum argumentum?

R. Non efficit: non enim satis est, ut certo judicetur articulum aliquem traditione contineri: ita censet August. lib. 3. de peccatorum meritis cap. 7. & epist. cx1.

4. *Q*. Plurium Patrum in unum dogma consensus, aliis ex altera parte reclamantibus, cujus generis præbet argumentum?

R. Probabile tantum: efficit nimirum, ut sit probabile aliquem articulum esse a Deo revelatum. Cum autem ille casus occurrit, Theologus expendere debet 1. quid antiquiores Patres de eo articulo docuerint: 2. quid de eo major Ecclesiarum pars doceat: si autem id assequi non possit, neutri parti certo adhærere debet, sed humiliter Ecclesiæ definitionem expectare.

5. *Q*. Unanimis Patrum in unum dogma consensus præbetne Theologo in iis quæ ad Fidem aut mores spectant, certissimum argumentum?

R. Præbet: nam 1. ille unanimis consensus certissimum est divinæ Traditionis testimonium: 2. Concilium Tridentinum sess. 4. vetat, ne quis Scripturam audeat exponere contra unanimem Patrum consensum.

6. *Q*. Patres, alioquin probatissimi, suntne æqualis auctoritatis in Fidei aut morum controversiis?

R. Non sunt: quia Deus nonnullos Patres specialiter elegit, ut præ ceteris certas Fidei aut morum veritates adversus hæreticos & Novatores defenderent: sic Athanasius adversus Arium, Augustinus contra Pelagianos & Semipelagianos; Cyrillus Alexandrinus adversus Nestorium, Leo Magnus contra Eutychetem, specialiter electi sunt. 2. Ecclesia nonnullorum Patrum scripta expresse probavit, declaravitque iis contineri fidem, quam Apostoli suis discipulis commendarunt. Ejus generis sunt libri, quos Augustinus contra Pelagianos & Semipelagianos de prædestinatione & gratia exaravit.

7. *Q*. Suntne servandæ quædam cautiones in legendis, aut laudandis Patribus?

R. Sa-

R. Servandæ sunt. 1. Si quis ex sanctis Patribus dogma defenderit quod postea tanquam unanimi aliorum Patrum consensui contrarium rejectum fuerit ab Ecclesia, non ipsum Patrem, sed errorem, & quidem cum præfatione veniæ, confutare oportet: ita se gerit August. in lib. 6. de Baptismo, cap. 2. ubi Cypriani de hæreticorum Baptismo rejicit errorem.

2. Cavendum est Theologo, ne temere aliquem ex Patribus aut Episcopis erroris insimulet: unde si quæ ambigue dicta in illius libris legantur, exponenda sunt, & germana illius sententia eruenda ex aliis illius dictis, quæ aut præcedunt, aut subsequuntur. Ita docet Facundus Hermianensis lib. 9. de tribus capitulis cap. 5.

3. Theologus plurium Patrum sententiam paucorum opinioni debet anteponere: ita ut quantum fieri potest, sequatur semper universitatem, antiquitatem, consensionem: Regula est quam Vincentius Lyrinensis tradit in Commonitorio.

4. Observare debet (quod & observavit August. lib. de dono perseverantiæ cap. 20.) Patres, qui ante exortas hæreses scripserunt, plerumque simplicius ac minus caute locutos fuisse, quam qui post exortas hæreses: unde benigne accipienda sunt eorum dicta.

5. Aliqui ex sanctis Patribus in impugnandis hæresibus quæ suo tempore vexabant Ecclesiam, nonnunquam usi sunt terminis, qui in speciem quidem erroribus oppositis faverent, sed revera & secundum sensum ab eis intentum ab oppositis illis erroribus omnino differrent. Sic qui tertio sæculo Sabellianos impugnarunt, aliquando visi sunt destruere personarum divinarum consubstantialitatem, quam tamen reipsa propugnabant.

6. Inter eos Patres qui in errorem ei oppositum quem impugnabant, declinare visi sunt, numerari non debet sanctus Augustinus, cum de prædestinatione & gratia contra Pelagianos & Semipelagianos differit; ipse enim in lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. expresse afferit, se caute admodum & multa cum circumspectione locutum fuisse, cum duplex illud argumentum pertractavit.

8. Q. Habendane est ratio Scholasticorum, si qui sint, qui non solent res Theologicas ad Scripturarum aut Traditionis normam exigere?

R. Habenda non est: quia sola Scriptura & Traditio sunt fontes e quibus, ut ait Concilium Tridentinum, haurlri debent argumenta ad adstruendam Fidem & regulandos mores.

9. Q. Cujus ponderis est argumentum, quod petitur ex auctoritate Scholasticorum, qui solent suam doctrinam ad Scripturam & Traditionem exigere?

R. Distinguendum est. Si alii Scholastici dissentiant, non majoris est ponderis argumentum, quam rationes quibus Scholastici, de quibus agitur, nituntur: unde expendendæ sunt & ponderandæ rationes quibus utuntur. E contra si omnes Scholastici in unum dogma consentiant, maximi roboris est eorum auctoritas: quia plusquam probabile testimonium est sic ferre Traditionem, juxta illud Tertulliani: Quod apud omnes unum est, non est erratum, sed traditum. Unde sententia ab iis omnibus probata, absque temeritate rejici non potest.

10. Q. Quam rationem Theologus habere debet judiciorum, quibus Facultates Theologicæ quasdam propositiones aut approbant, aut rejiciunt?

R. Theologus diligenter attendere debet ad rationes, quibus nititur doctrinale judicium de quo est quæstio: quo enim ex rationes majoris fuerint ponderis, eo etiam majoris momenti erit doctrinale judicium a Facultatibus Theologicis latum.

Præterea secluso etiam examine rationum, quibus Facultatis Theologicæ judicium doctrinale fulcitur, in pretio apud Theologum esse debet judicium latum ab iis Facultatibus quæ sapientiæ & eruditionis fama commendantur, quæque solent Fidei ac morum quæstiones, non ad rationis per peccatum corruptæ momenta, sed ad Scripturæ & Traditionis normam expendere.

CAPUT IX.

De Historia humana, & Ratione naturali.

1. *Quæst.* Cognitio historiæ, sive Ecclesiasticæ, sive prophanæ, estne Theologo perutilis?

R. Perutilis est. Nam 1. doctrina temporum, seu chronologia multum confert ad librorum sacrorum intelligentiam. 2. Cognitio historiæ sacræ juvat ad intelligendum doctrinam Patrum, Canonum sensum, Ecclesiasticorum Decretorum mentem: ipsa enim est quæ continet facta quæ Patribus ad scribendum, Conciliis ad ferendos Canones, Pontificibus ad condenda Decreta occasioni fuerunt.

2. Q. Suntne quædam regulæ quibus veræ historiæ a falsis dignosci possint?

R. Sunt. Et quidem 1. vera est, & minime ficta historia, quæ asserit factum aliquod contigisse coram ingenti multitudine, quæ licet illius interesset ostendere illa facta revera non contigisse, ea tamen admisit tradiditque posteris tanquam certa. 2. Historia, quæ factum aliquod enarrat multis post annis postquam accidisse scribitur, non meretur fidem. 3. Veritas factorum quæ secreto, hoc est coram uno teste contigisse dicuntur, pendet ab illius hominis fide coram quo ejusmodi

modi facta contigisse narrantur. Unde de iis factis non habetur certitudo, nisi in quantum est, eum hominem nec deceptum fuisse, nec voluisse ceteros decipere.

3. *Q.* Quodnam argumenti genus aliqui sive prophani, sive ecclesiastici Historici, qui non sunt e numero canonicorum Scriptorum, Theologo sufficiunt?

R. Multum probabile, si alioquin illi Historici fide digni passim habeantur, narrentque factum cujus se fuisse testes oculatos, aut ab oculatis testibus accepisse profitentur.

4. *Q.* Cujus generis est argumentum quod petitur ex omnibus historicis, nullo contradicente, factum aliquod narrantibus?

R. Certum est: insipiens nimirum esset qui ejusmodi testibus fidem auderet detrahere. Sic nemo nisi stultus dubitare potest, quin Nicænum I. Concilium tempore Constantini magni celebratum fuerit.

5. *Q.* Quid facto opus est ad judicandum an historicus aliquis sit fide dignus?

R. Expendendum est 1. an sit coætaneus rei quam enarrat: si enim multo post tempore vixerit, tantam fidem non meretur, quantam alii qui antea vixissent. 2. An in rebus etiam non multum intricatis, nonnunquam deceptus sit: nempe qui in rebus facillimis labuntur, plerumque fidem non merentur in gravioribus. 3. Utrum ipsius intersit facta sic extitisse, quemadmodum ab eo referuntur; scilicet qui Parti addictus est alicui, ea sæpe dicit quæ Parti illi, repugnante veritate, faveant.

6. *Q.* Ratio naturalis consuliturne utiliter a Theologo?

R. Consulitur: eo quod ratio data sit homini tanquam medium quo utatur ad comparandam veritatis cognitionem: juxta illud Psalmistæ: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

7. *Q.* In rebus Theologicis ratio naturalis habetne sese per modum principii?

R. Non sic se habet: unum enim est tantum Theologiæ principium, divina scilicet revelatio quæ aut Scriptura, aut unanimi Patrum Traditione continetur: eo igitur tantum sensu ratio naturalis ad Theologiam confert, quod ex principiis revelatis conclusiones eliciat, aut exponat motiva credibilitatis, quibus fit, ut prudenter judicetur, Scripturam & Traditionem esse Dei ipsiusmet verbum.

CAPUT X.

De censurarum notis quibus damnabiles propositiones affici possunt.

1. *Q.* Quot sunt notæ, quibus propositiones damnabiles affici possunt?

R. Septem in Concilio Constantiensi, sessione 8. recensentur: scilicet inter Wicleffi articulos, qui in ea sessione damnantur, alii dicuntur hæretici, alii erronei, alii scandalosi, alii blasphemi, alii piarum aurium offensivi, alii temerarii, alii seditiosi.

2. *Q.* Suntne quædam aliæ notæ propositionum, præter eas quæ in Concilio Constantiensi inuruntur Wicleffi articulis?

R. Præter notarum species quarum Concilium Constantiense meminit, est octava quæ reperitur in Bulla Pii Papæ V. adversus Baji articulos: ait enim laudatus Pontifex quosdam ex iis articulis esse *suspectos.*

3. *Q.* Suntne aliæ notæ præter octo illas quæ in responsionibus ad duplicem priorem quæstionem recensentur?

R. Sunt aliæ quibus Pontifices maximi postremis hisce temporibus nonnunquam in suis decretis usi sunt. Alias enim propositiones dixerunt hæresi proximas, quasdam quæ sapiant hæresim, quasdam suspectas de hæresi, quasdam improbabiles, nonnullas male sonantes, aliquas in praxi perniciosas, alias tandem damnabiles, alias inducentes in hæresim: quin & præter eas omnes, quæ præcipuæ sunt, nihil prohibet alias admitti, & quædam reipsa leguntur in Censuris: quæ vero hic ponuntur, sunt quasi capitales, ad quas aliæ quæque possunt revocari.

4. *Q.* Quomodo definitur hæretica propositio?

R. Recte definitur: Propositio quæ adversatur aut expresso Dei verbo, aut expressæ definitioni Ecclesiæ: hinc ista propositio: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, merito tanquam hæretica, damnata fuit ab Innocentio X. & Alexandro VII. in suis contra Jansenium Constitutionibus, contradictorie nimirum opponitur huic expressæ Scripturarum sententiæ: *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Hinc etiam hæc alia: *Baptismus, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non est verus Baptismus*, est hæretica; quia contraria est expressæ definitioni Ecclesiæ, in Concilio Tridentino sess. 7. Can. 12.

5. *Q.* Quid est propositio erronea?

R. Est ea quæ negat veritatem, quam communis sensus Ecclesiæ judicat esse mediate revelatam, quamvis eadem Ecclesia id nondum expresse declaraverit. Hinc patet opinionem Cypriani de invaliditate Baptismatis ab hæreticis collati, erroneam fuisse, antequam Ecclesia definiisset eam repugnare veritati quæ continebatur verbo Dei non scripto, seu traditione, quæ docebat internas dispositiones baptizantis non nocere validitati Baptismatis. Verum post Ecclesiæ definitionem est formaliter hæretica.

6. *Q.* Quid est propositio scandalosa?

R. Est ea, quæ per se nata est parere spiritualem proximi ruinam. Hujusmodi est Wicleffi artic. 35. in Concilio Constantiensi damnatus;

CAPUT PRIMUM.

De Dei Existentia.

1. *Quæst.* Existentia Dei potestne demonstrari a priori?

R. Non potest, quia demonstratio a priori est ea quæ fit per caussas: Atqui Deus nullam habet; cum nihil sit Deo prius.

Obj. Existentia Dei recte infertur ex illius essentia tamquam ex caussa saltem virtuali: scilicet valet hoc argumentum: *Essentia dicit ens, quo nullum perfectius potest cogitari: Atqui ens ejusmodi includit existentiam: alioquin posset cogitari aliquod ens illo perfectius, ens nimirum quod haberet existentiam.*

Resp. Nego ant. Ratio est, quia id ex quo aliud concluditur, debet esse ab eo, saltem per mentem distinctum, cum præmissæ se habeant per modum caussæ respectu conclusionis: at essentia Dei nullo modo ab illius existentia distinguitur; cum ens a se, ut est Deus, sine existentia concipi non possit. Hinc fit, ut hæc propositio, *Deus existit*, non sit illatio, sed explicatio istius, *Deus est ens a se.*

2. *Q.* Dei existentia potestne demonstrari a posteriori.

R. Potest; quia demonstrari potest per effectus, creaturas nimirum: si quidem creaturæ habent necessariam connexionem cum Deo: neque enim existerent, si Deus non existeret: unde demonstrativum est hoc argumentum: *Creaturæ existunt: Ergo Deus existit.*

Obj. 1. Essentia Dei non potest demonstrari, etiam a posteriori: ergo nec illius existentia cum qua est unum & idem.

Resp. Dist. ant. Quid & qualis sit, conc. ant. quod sit seu existat, nego ant. Hinc licet demonstrari non possit in quo posita sit essentia Solis, recte ex solis effectibus demonstratur illius existentia.

Obj. 2. Existentia Dei est articulus Fidei: *Credo in Deum:* ergo non potest demonstrari, cum sit de essentia articuli Fidei ut sit obscurus; Fides enim est de obscuris: cum e contra scientia sit de evidentibus.

Resp. Conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia existentia Dei desinit esse articulus Fidei in illo homine, qui de ea demonstrationem habet. Neque enim (ut suo loco dicetur) de eodem possunt esse simul Fides & scientia.

3. *Q.* Existentia Dei potestne demonstrari ex motu qui in rebus creatis reperitur?

R. Potest; sic enim confici potest argumentum. Datur motus sive ad substantiam, sive ad qualitatem, sive ad locum, ut experientia compertum est: Ergo datur quoque primum movens immobile: scilicet nulla res a se ipsa moveri potest: quidquid enim movetur ab alio movetur: non movetur quoque ab alia quæ ab alia & alia in infinitum moveatur: deberet enim pertransiri infinitus numerus caussarum, antequam ad aliam, quæ est proxima caussa motus, deveniretur; at id dici non potest: scilicet infinitum minime potest pertransiri: at primum ens immobile est Deus: habet enim omnes omnino perfectiones, quia si ei deesset aliqua, posset ad eam moveri: sicque non esset ens omnino immobile: Ergo si existit motus, existit etiam & Deus.

4. *Q.* Dei existentia potestne demonstrari ex ente contingenti & necessario?

R. Potest. Sicque conficitur syllogismus. Ens summe necessarium est Deus, qui est ens a se: Atqui existit ens summe necessarium, existunt enim entia contingentia, seu quæ potuerunt esse, aut non esse: Ergo existit quoque ens summe necessarium, seu quod ita existit, ut non potuerit non existere, siquidem supponatur entia contingentia non existere, & non esse ens summe necessarium a quo produci possint (ut revera supponi potest, cum sit de contingentium natura ut possint esse, aut non esse) erunt omnino impossibilia, neque enim a se ipsis produci poterunt: cum nihilum non possit sibi ipsi dare esse; neque etiam ab alia caussa contingente, quippe supponitur, nullum ens contingens existere; neque etiam ab aliqua caussa necessaria: quia ut supponitur, nulla existeret, ac proinde contingentia essent impossibilia: igitur & mundus ipse, cum non sit aliud quam compositum quoddam & aggregatum ex contingentibus.

5. *Q.* Dei existentia potestne demonstrari ex Dei idea quæ inest humanæ menti?

R. Potest: & sic proponitur argumentum. Inest hominibus idea Dei: sæpe nimirum cogitant de ente quod sit ens a se, & quod sit caussa omnium aliorum entium. Atqui idea Dei, quæ inest humanæ menti, supponit Dei existentiam; solus enim Deus potest esse ejusmodi ideæ caussa; nempe idem quæ objectum infinitum repræsentet, creatura cum sit finita, non potest ex seipsa haurire: Ergo necesse est, ut eam habeat ab ente infinito; ens autem infinitum non aliud est quam Deus ipse.

6. *Q.* Existentia Dei potestne ex specie, ordine & administratione Universi demonstrari?

R. Potest: ea nimirum Universi species, ille mundi ordo, ea rerum administratio, non possunt esse nisi ab infinita potentia, a summa sapientia, a caussa summe efficaci; illa autem infinita potentia, ea summa sapientia, ea caussa summe efficax est Deus: Ergo Deus existit.

7. *Q.* Hæc propositio: *Deus existit*, estne per se nota?

R. Est. Ratio est, quia in illa propositione præ-

2. *Q.* Quot sunt Theologorum circa Dei essentiam sententiæ.

R. Quatuor. *Prima* quæ passim tribuitur Nominalibus, docet essentiam Dei positam esse in aggregatione, seu cumulo omnium perfectionum. *Secunda*, quæ est Scoti & ejus discipulorum, asserit constitutivum essentiæ divinæ esse infinitatem radicalem; hoc est, exigentiam omnium perfectionum. *Tertia*, cui subscribunt plures Thomistæ, docet essentiam Dei esse positam in intellectione. *Quarta* denique, vult eam esse positam in aseitate, seu in independentia; ita ut Deus sit Deus præcise, quod sit ens a se & independens a quolibet alio.

3. *Q.* Essentia Dei estne posita in aggregatione, seu cumulo omnium perfectionum?

R. Non est in ea aggregatione, aut in eo cumulo posita. Siquidem essentia alicujus rei est id quod primum in ea concipitur: at ejusmodi non sunt perfectiones in Deo: nempe ante perfectiones aliquid est in Deo ex quo illæ perfectiones fluant: unde (ut ajunt Logici) non prædicantur *in quod*, sed *in quale* tantum.

Obj. Essentia actus purissimi consistit in cumulo & aggregatione omnium perfectionum: si enim concipitur sine aliqua particulari perfectione, erit in potentia ad ipsam ac proinde non erit actus purissimus, quod est falsum.

R. Ad 1. nego ant. Ad 2. dist. ant. Erit in potentia ad ipsam, & id orietur ex eminentia essentiæ divinæ, conc. ant. & non orietur ex eminentia, sed ex defectu essentiæ divinæ, nego ant. Quod Deus a nobis concipiatur sine attributis, quæ passim Dei perfectiones dicuntur, oritur ex eminentia divinæ essentiæ in eo posita, quod essentia concipi debeat tanquam radix & fundamentum perfectissimum, tanquam principium a quo perfectiones fluant secundum nostrum concipiendi modum.

4. *Q.* Essentia Dei estne posita in infinitate radicali?

R. Non est posita in infinitate radicali: quia aliquid in Deo concipi debet prius infinitate radicali, seu exigentia omnium perfectionum: concipi nimirum debet id, quod est caussa hujusmodi exigentiæ, seu id, ratione cujus Deus potius, quam creatura, exigit habere omnes omnino perfectiones.

5. *Q.* Essentia Dei estne posita in intellectione actuali?

R. Non est posita in intellectione actuali: quia cum intellectio actualis per modum operationis concipiatur, supponit essentiam jam præexistentem: Esse nimirum præsupponitur operationi. 2. Ex essentia fluere debent omnes divinæ perfectiones: at non fluunt ex intellectione actuali: neque enim valet illud argumentum, *Deus actu intelligit; ergo est bonus: ergo est immensus.*

Obj. Intellectio actualis est gradus perfectissimus substantiæ spiritualis: ergo in intellectione actuali posita est essentia divina.

R. Dist. ant. est gradus perfectissimus accidentalis, conc. ant. essentialis, nego ant. Neque enim est id, quod primum in substantia spirituali concipitur, non est radix & fundamentum aliarum perfectionum quæ in eadem spirituali substantia concipiuntur.

6. *Q.* Essentia Dei estne posita in Aseitate, hoc est, constituiturne per ens a se?

R. Posita est in Aseitate: nam 1. est id primum quod in Deo concipitur: 2. est ita Deo propria, ut creaturæ comunicari non possit: 3. est fundamentum & radix omnium quæ in Deo concipiuntur; ens enim, quod a seipso habet *esse* seu *existere*, habet necessario ea, omnia quæ sunt ipso esse substantiali minora; hoc est, habet perfectiones quæ sunt modi ipsius esse substantialis. 4. Deus ipse suam essentiam per Aseitatem expressit: quærenti nimirum Moysi *quis esset* Deus, ipse respondit: *Ego sum qui sum: sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos.*

Obj. 1. Esse a se prædicatur de omnibus ac singulis Dei perfectionibus: siquidem veræ sunt istæ propositiones: *Bonitas est ens a se, Justitia est ens a se:* Ergo non potest Dei essentiam constituere: essentia enim non debet posse prædicari de iis quæ ex ea sequuntur.

R. Ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Bonitas est ens a se; implicite, quia a parte rei est idem cum essentia divina, conc. ant. est ens a se explicite, nego ant. quia nec bonitas, nec alia attributa in sua idea explicita significant ens a se, sed tantum quamdam perfectionem quæ enti a se advenire concipitur.

Obj. 2. Esse a se vel constituit Dei essentiam prout est negatio esse ab alio tanquam a caussa, vel prout est negatio esse ab alio tanquam a principio: atqui neutrum dici potest: siquidem 1. non esse ab alio tanquam a caussa, non minus convenit attributis quam essentiæ Dei: 2. Non esse ab alio tanquam a principio non convenit Verbo, de quo tamen Dei essentia prædicatur: cum vere sit Deus, utpote Patri consubstantialis.

R. Nego maj. Datur enim medium inter esse ab alio tanquam a caussa, aut tanquam a principio; nempe inter utrumque medium locum tenet esse ab alio tanquam a radice; hoc est, esse ab alio quod ex natura sua aliud exigat ac importet: hujusmodi vero est Aseitas; quamvis enim divinarum perfectionum nec caussa sit nec principium, cum eis non det esse, exigit tamen ut omnes omnino perfectiones in Deo reperiantur.

C A-

CAPUT III.

De Attributis generatim.

1. *Quaest.* Quomodo definitur Attributum? R. Definitur, forma quædam absoluta, quæ secundum suum esse proprium existit in Deo, & ab illius essentia tamquam proprietas emanat.

2. *Q.* Estne aliqua distinctio inter Dei essentiam & illius attributa?

R. Est aliqua; idea enim essentiæ non sufficit ideam attributorum, nec idea attributorum ideam essentiæ; scilicet essentia concipitur tamquam radix attributorum, & vicissim attributa concipiuntur tamquam proprietates essentiæ.

Obj. 1. Si quæ foret distinctio inter essentiam & attributa, in Deo esset compositio, saltem rationis: in eo enim esset distinctorum unio: sed hoc est absurdum; cum Deus sit ens ita simplex, ut nullum illo simplicius cogitari possit: ergo, &c.

Resp. Ad 1. nego ant. Ad 3. dist. ant. In eo esset unio distinctorum quæ sese non excluderent, conc. ant. quæ sese excluderent, nego ant. Licet essentia & attributa sine se invicem concipiantur, sese tamen etiam per mentem non excludunt; hoc est, intellectus ea non concipit tamquam partes sibi invicem oppositas: ac proinde illorum unio non efficit compositionem etiam mentalem: est enim de ratione compositi ut partes, ex quibus constat, concipiantur tamquam partes sese invicem excludentes, seu tamquam sibi invicem oppositæ.

Obj. 2. Si intellectus concipiat essentiam sine attributis, errabit: ea enim aliter concipiet, quam sint a parte rei: ergo, &c.

Resp. Nego ant. Ratio est, quia conceptus ille fieret per simplicem abstractionem unius ab alio: at in simplici abstractione, nec veritas, nec mendacium locum habent, cum in ea nihil affirmetur, aut negetur de objecto. Se habet simplex apprehensio sicut se habet visio: ergo sicut non est mendacium in visione quæ unam tantum objecti partem intuetur; ita nec in abstractione simplici.

3. *Q.* Distinctio quæ reperitur inter essentiam & attributa Dei, estne distinctio realis?

R. Non est realis distinctio, alioquin enim in Deo foret compositio realis, unio nimirum rerum realiter distinctarum; at in Deo non est realis compositio: cum (ut suo loco dicetur) sit ens maxime simplex.

4. *Q.* Distinctio quæ reperitur inter essentiam divinam & attributa, estne distinctio formalis ex natura rei?

R. Non est formalis ex natura rei. Siquidem distinctio illa præcedit mentis operationem, ob idque a Scoto dicitur *ex natura rei*, & reperitur inter varias formas, seu perfectiones ejusdem objecti, ob idque ab eodem Scoto dicitur *formalis*: atqui ea distinctio non reperitur inter essentiam & attributa: nempe cum præcedat mentis operationem, debet esse distinctio realis: at inter essentiam & attributa non est aliqua distinctio realis: ea enim distinctio efficeret realem compositionem in Deo, nempe unionem, si non rerum, saltem formarum, seu perfectionum, quæ ab essentia, & a se invicem realiter distinguerentur.

5. *Q.* Distinctio, quæ reperitur inter essentiam & attributa, estne distinctio rationis?

R. Est. Nempe illa distinctio (ut mox dictum fuit) non est realis, seu independens ab operatione mentis: ergo est distinctio rationis.

6. *Q.* Distinctio, quæ reperitur inter essentiam & attributa, estne distinctio rationis ratiocinantis, an vero distinctio rationis ratiocinatæ?

R. Est distinctio rationis ratiocinatæ: nempe distinctio rationis ratiocinatæ est ea, quæ fit cum fundamento ex parte objecti: cum e contra distinctio rationis ratiocinationis fiat ex mero libito mentis, & sine ullo prorsus fundamento ex parte objecti: Atqui distinctio, quæ in Deo reperitur inter essentiam & attributa, fit cum fundamento ex parte objecti: cum enim Deus sit infinitus, æquivalet multis entibus realiter distinctis: ac proinde prabet fundamentum intellectui, ut essentiam concipiat, perinde ac si ab attributis distingueretur, & attributa, perinde ac si distinguerentur ab essentia.

7. *Q.* Quid fides docet de natura distinctionis quæ in Deo reperitur inter illius essentiam & attributa?

R. Fidem docere, eam distinctionem non esse quasi inter rem & rem, seu quasi inter plures entitates: scilicet in Concilio, quod Remis contra Gilbertum porretanum Episcopum Pictaviensem duodecimo sæculo celebratum est, damnata fuit hæc propositio: *Magnitudo qua magnus est Deus, bonitas qua bonus, sapientia qua sapiens, justitia qua justus, divinitas qua Deus est, non sunt Deus.*

Obj. 1. Essentia & attributa diversas habent definitiones: ergo & diversas naturas, cum ea sit definitionis proprietas, ut rei naturam explicet.

R. Ad 1. conc. ant. nego conseq. Ad 2. dist. ant. Ut rei naturam vel varios illius respectus explicet; conc. conseq. naturam tantum, nego ant. Unde cum natura divina, quæ infinita est, habeat plures respectus, mirum non est, quod per varias definitiones explicetur.

Obj. 2. Attributa nec de se invicem, nec de essentia prædicari possunt: neque enim dici potest quod in Deo misericordia sit ju-

justitia: alioquin dici quoque posset Deum punire per misericordiam, & parcere per justitiam: quod tamen dictu plane absurdum est.

Resp. Attributa de se invicem prædicari, ac proinde admitti debere hanc propositionem: *Misericordia in Deo est justitia*: sed falsum est inde sequi quod admittenda sit hæc alia: *Deus punit per misericordiam, & parcit per justitiam*: siquidem cum hoc nomen, *justitia*, profertur, non intelligitur natura divina absolute & in se sumpta, sed cum hoc addito, *prout castigat*. Sic etiam cum hoc aliud attributum, *misericordia*, profertur, non intelligitur quoque natura absolute sumpta; sed sub hoc respectu, *prout parcit*. Natura autem divina licet sit realiter actu idem cum justitia & cum misericordia, non est tamen parcens prout est puniens; ac proinde dici non potest quod Deus puniat per misericordiam, & parcat per justitiam.

Obj. 3. Essentia divina & relationes distinguuntur ante operationem mentis: ergo eadem ratione essentia & attributa distinguuntur: non enim est potior ratio de uno quam de alio. Probatur ant. Ea distinguuntur ante operationem mentis, de quibus dicuntur contradictoria: de una enim & eadem re dici non possunt contradictoria: Atqui contradictoria dicuntur de essentia Dei & de relatione: nempe essentia communicatur divinis personis, & tamen relationes seu personæ minime communicantur: nimirum Pater, qui Verbo suam propriam essentiam communicat, ei tamen non communicat paternitatem.

Resp. Ad 1. nego ant. Ad 2. dist. ant. De una & eadem re dici non possunt duo contradictoria, si non sit virtualiter multiplex, conc. ant. si sit virtualiter multiplex, ut sunt in Deo essentia & relationes, quia propter infinitatem suam æquivalent pluribus rebus actu distinctis, neg. ant. Vide illud argumentum fusius pertractatum inferius, ubi dicemus de Deo Trino.

CAPUT IV.

De Simplicitate Dei.

1. *Quæst.* Qua ratione potest explicari simplicitas Dei?

R. Per negationem compositionis: unde si quæratur quid sit Dei simplicitas, dicendum erit esse negationem compositionis.

2. *Q.* Quotuplex esse potest compositio in aliquo objecto?

R. Triplex, Physica, Metaphysica & Logica. Prima dicit unionem partium physicarum, materiæ nimirum & formæ: Secunda dicit unionem essentiæ cum existentia, aut suppositi, seu personæ cum natura: Tertia denique dicit unionem generis cum differentia, quæ quidem sunt partes Logicæ.

3. *Q.* Compositio physica habetne locum in Deo?

R. Non habet 1. quia non constat ex materia & forma; cum sit substantia mere spiritualis. *Spiritus est Deus* (inquit Christus ipse Joannis 4.) *& eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*: 2. Non constat ex substantia & accidente; cum sit immutabilis.

Obj. 1. Scriptura Deo nonnumquam corporea membra tribuit: illi quoque (Job. c. 2.) quantitatem adscribit: ergo, &c.

R. 1. Dist. ant. Tribuit metaphorice, conc. ant. proprie, nego ant. hoc est, per membra quæ Scripturæ Deo tribuunt, intelligendæ sunt virtutes & operationes, ad quas homines membris utuntur: sic brachium cum Deo tribuitur, significat vires & potentiam; in eo enim hominis membro residet illius fortitudo.

Obj. 2. Tertullianus libro contra Praxeam cap. 7. videtur asserere Deum esse corpus: ergo &c.

R. 1. Dist. ant. prout corpus opponitur nihilo, conc. ant. prout opponitur spiritui, nego ant. 2. Distinguo iterum idem antecedens: prout corpus significat substantiam, & opponitur accidenti, conc. ant. prout est ens constans ex materia & forma, nego ant. Ita Tertullianum Augustinus interpretatur in libro de hæresibus, cap. 86.

4. *Q.* Compositio metaphysica habetne locum in Deo?

R. Non habet: quia in eo locum non habet compositio metaphysica, in quo partes metaphysicæ, essentia nimirum & existentia, ne per mentem quidem distinguuntur: Atqui ne per mentem quidem in Deo distinguuntur: essentia enim Dei concipi non potest sine existentia, scilicet (ut superius dictum est) existentia a se & independens, est formale constitutivum essentiæ Dei.

5. *Q.* Estne in Deo compositio Logica?

R. Non est: quia in Deo genus locum non habet: genus enim concipitur per modum potentiæ perfectibilis per differentiam: at in Deo concipi non potest ejusmodi potentia: repugnat enim actui purissimo, qualis est Deus, non tantum a parte rei, sed etiam secundum nostrum concipiendi modum: quia est actus quo perfectior cogitari non potest.

Obj. 1. Deus & creaturæ conveniunt generice in ratione entis: ens enim non aliud dicit quam esse extra nihilum; ergo, &c.

R. Nego ant. quia est de ratione generis, ut illius differentiæ sine eo concipi possint: sic rationale concipitur sine animali: at nec Deus, nec creatura concipi possunt sine ente: ergo ens non est genus respectu Dei & creaturarum.

Obj. 2. Substantia est genus respectu Dei & creaturarum: in eo enim conveniunt quod sint entia per se subsistentia, seu quæ non indi-

indigeant, ut indigent accidentia, subjecto in quo recipiantur: ergo, &c.

Resp. Ad 1. nego ant. quia esse substantiale Dei concipi non potest sine existentia; nam (ut dictum est) existentia est de essentia Dei: unde substantia non significat idem in Deo quod in creaturis: in creaturis enim significat esse indifferens ad existendum, aut non existendum; in Deo e contra significat esse cui existentia est essentialis. Ad 2. dist. ant. Deus & creatura conveniunt æquivoce in eo quod sint entia per se subsistentia, conc. ant. conveniunt univoce (quod tamen ad genus requiritur) nego ant. Nempe subsistere Dei & subsistere creaturarum non continentur sub una idea communi, quia subsistere quod abstrahat ab existentia, non est subsistere Dei, licet sit subsistere creaturarum, quæ cum sint entia contingentia, indifferentia sunt per se, ad existendum, & non existendum.

Obj. 3. Deo non repugnat compositio mentalis ex essentia & attributis: ergo neque compositio ex genere & differentia.

Resp. conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia compositio mentalis ex essentia & attributis, non est compositio proprie dicta, quia essentia non concipitur tanquam potentia respectu attributorum, seu tamquam subjectum quod per attributa perficitur, sed tantum sicut radix ex qua attributa nascuntur: e contra compositio ex genere & differentia, est compositio proprie dicta, quia genus essentialiter concipitur tanquam potentia quæ per differentiam perfici possit, quemadmodum in Physicis materia per formam perficitur.

6. *Q.* Deus potestne esse compositus extrinsece?

R. Potest: quia compositio extrinseca est ea, per quam res uniri potest alteri, & sic unita cum ea totum aliquod efficere: Atqui Deus sic uniri potest, & sic de facto Verbum cum humana natura se conjunxit, ut ex utriusque unione quoddam substantiale compositum, Christus nimirum resultet.

CAPUT V.

De Infinitate & Immutabilitate Dei.

1. *Quæst.* Quid est infinitum?

R. Id quod caret termino.

2. *Q.* Quot modis res aliqua potest esse infinita?

R. Tribus modis; secundum essentiam nimirum, virtutem, & quantitatem.

3. *Q.* Deus estne infinitus secundum essentiam?

R. Est. 1. quia alioquin cogitari posset ens Deo perfectius: illud nimirum quod secundum essentiam foret infinitum: 2. Deus non esset actus purissimus: posset enim aliqua perfectio addi divinæ illius essentiæ: quia ex suppositione quod Deus non esset infinitus secundum essentiam, illius essentia non haberet actu omnes perfectiones possibiles.

Obj. Essentia creaturarum non est infinita: ergo nec essentia Dei.

Resp. conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia essentia Dei est essentia independens, & quæ, cum ex seipsa habeat existere, habet etiam ex se id quod minus est ipso existere, hoc est, habet omnes existendi modos, ac proinde omnes omnino perfectiones possibiles; cum perfectiones non aliud sint quam quidam existendi modi.

4. *Q.* Deus estne infinitus secundum Virtutem?

R. Est: scilicet infinitas secundum virtutem non aliud est quam omnipotentia, quæ haud dubie (ut suo loco dicetur) convenit Deo.

5. *Q.* Deus estne infinitus quantitate?

R. Non est infinitus quantitate molis, quia cum sit ens omnino spirituale, non est extensus in longum, latum & profundum: sed est (ut mox dictum fuit) infinitus quantitate virtutis.

6. *Q.* Quid est immutabilitas?

R. Est negatio mutationis: unde quærenti quid sit immutabile, respondere solemus esse id quod mutari non potest, hoc est, quod non potest se aliter habere quam haberet antea.

7. *Q.* Quotuplex est mutabilitas?

R. Duplex; substantialis nimirum & accidentalis. Prior fit aut per accessum, aut per recessum formæ substantialis, ut cum lignum mutatur in ignem: posterior e contra fit per accessum, aut recessum formæ accidentalis, ut cum paries ex albo fit niger.

4. *Q.* Deus estne omnino immutabilis?

R. Id enim ipse testatur, Malachiæ cap. 3, *Ego Dominus, & non mutor.*

6. *Q.* Deus estne immutabilis secundum substantiam?

R. Est: quia illius substantia desinere non potest: cum necessario, & non contingenter existat: esse enim Dei est essentialiter idem cum existere, hoc est existentia est essentialis substantiæ Dei.

10. *Q.* Deus estne immutabilis etiam accidentaliter?

R. Est; quia cum omnes omnino perfectiones habeat, ut pote infinitus, nullam potest aut amittere, aut adquirere.

Obj. 1. Deus ex non producente mundum, factus est eum producens: ergo mutatus est.

R. Conc. ant. nego conseq. Quia Deus non factus est volens producere mundum per actum aliquem novum, sed per actum quo ab æterno eum in tempore producere voluit. Ita Augustinus in lib. 2. de Civit. Dei, cap. 1.

Obj. 2. Deus per mundi productionem adquisivit dotem supremi rerum omnium Domini, quam ab æterno non habuit: ergo mutatus est.

R. Dist. ant. Adquisivit extrinsece, conc. ant. intrinsece, nego ant. hoc est, Deus in tempore cœpit habere relationem ad res exi-

ftentes, quam ab æterno non habuit: eam autem relationem adquisivit, non aliquid interius recipiendo, sed tantum exterius agendo, ut cum sol lucem suam in angulum terræ diffundit, in quem antea eam non diffundebat.

Obj. 3. Pœnitentia Deo tribuitur: *Pœnituit eum* (inquit Scriptura Genesis 6.) *quod hominem fecisset in terra*: ergo est mutabilis.

R. Dist. ant. Pœnitentia metaphorice sumpta, Deo tribuitur, conc. ant. quia Deus exterius se gessit, sicut solent homines, quos alicujus operis pœnitet: quemadmodum enim illi destruunt suum opus; ita & Deus hominem, quem creaverat, destruxit aquis diluvii: pœnitentia proprie sumpta, nego ant.

CAPUT VI.

De Visibilitate Dei.

1. *Q.* Quid est Dei visibilitas?

R. Est potentia passiva quam habet ut videatur, vel oculo corporeo, vel oculo mentis.

2. *Q.* Quotuplex est Dei cognitio?

R. Duplex, abstractiva & intuitiva. Prima est cognitio Dei in creaturis, de qua hæc habentur ad Rom. 1. *Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Secunda vero est cognitio Dei immediate in se ipso: hinc fit ut hæc cognitio sit distincta & clara; illa e contra sit confusa & obscura.

3. *Q.* Possibilitas intuitivæ Dei visionis potestne ex Scripturis demonstrari?

R. Potest: siquidem Matthæi 5. hæc habentur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Apostolus primæ ad Cor. 13. scribit nos Deum in cælis clare visuros esse: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*.

Obj. Deus primæ ad Timoth. 6. non minus dicitur invisibilis, quam immortalis: *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria*.

R. Textus ille intelligitur de visibilitate comprehensiva, non autem de visibilitate non comprehensiva, licet intuitiva: vel de visione corporea, seu per oculos corporis, non autem de visione spirituali, quæ fit per oculos mentis.

4. *Q.* Possibilitas intuitivæ Dei visionis potestne demonstrari ex Traditione?

R. Potest. 1. Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 37. asserit futuram in cælis Dei visionem, quam opponit visioni, qua Patriarchæ hic in terris fruiti sunt: ergo cum ista fuerit abstractiva, illa e contra debet esse intuitiva. 2. Id expresse definitum fuit in Concilio Florentino in decreto unionis.

Obj. 1. S. Joannes Chrysostomus variis in locis & præsertim Orat. 3. *de incomprehensibili*, asserit Deum intuitive a creatura non posse videri: ergo, &c.

R. Chrysostomus in iis locis loquitur de visione quæ sit comprehensiva, non autem de visione quæ non sit comprehensiva. Ratio est, quia sanctus Doctor iis in locis agit adversus Anomæos, qui comprehensivam Dei visionem sibi arrogabant juxta illud Epiphanii hæresi 76. *Audacissimus ille* (de Aetio loquitur) *dicebat tam Deum novi, quam meipsum: imo non tam novi meipsum, quam Deum*.

Obj. 2. Theodoretus in dialogo 1. qui *Immutabilis*, inscribitur, asserit Angelos ante incarnationem non vidisse Dei essentiam. Asserit iterum impossibilem esse & Angelis & hominibus divinæ naturæ contuitum: ergo, &c.

R. Ea loca non intelliguntur de visione per oculum mentis, sed de visione per oculum corporis. Ratio est, quia Theodoretus in laudato dialogo vult probare Christo post unionem fuisse verum ac reale corpus: id autem hocce probat argumento: *Divina essentia, cum sit spiritualis, oculo corporeo videri non potest: ergo cum Christus oculo corporeo visus sit, aliquid aliud, præter divinam essentiam verum scil. corpus, in eo fuit*.

Obj. 3. Intellectus creatus nullam habet cum Deo proportionem; finiti enim ad infinitum nulla est proportio: ergo Deum videre non potest: siquidem propter eam rationem oculus non potest videre sonum, nec auris audire colorem.

R. Dist. ant. Nullam habet cum Deo proportionem entitatis, conc. ant. habitudinis, nego ant. Ista posita est in eo quod res aliqua contineatur intra objectum alicujus potentiæ: ac proinde cum Deus contineatur intra verum, quod est objectum intellectus, merito intellectus dicitur habere cum eo proportionem habitudinis, licet non habeat proportionem entitatis: neque enim illa in ista fundatur.

5. *Q.* Fueruntne aliqui qui in terris positi divinam essentiam clare & intuitive viderint?

R. Non fuerunt. Nam 1. Deus Exodi 33. generatim asserit neminem in hac vita constitutam, visurum esse Dei essentiam: *Non videbit me homo & vivet*. 2. Joannes, Evangelii cap. 1. sine ulla exceptione scribit, neminem unquam vidisse Deum: *Deum nemo vidit unquam*. 3. Apostolus primæ ad Timot. 6. hæc, de Deo loquens, ait: *Quem nullus hominum vidit*.

Obj. 1. Deus Exodi 33. Moysi pollicitus est visionem omnis boni. *Ego ostendam omne bonum tibi*. 2. Ibidem dicitur quod Dominus Moysi locutus sit *facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum*. 3. Numerorum 12. Deus in hoc opponit Prophetas Moysi: *Ore ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt*. Ergo, &c.

Resp. Ad primum, eam omnis boni visionem non intelligi de visione intuitiva Dei, cum eam Deus hisce verbis immediate post excluserit: *Faciem autem meam videre non poteris*.

verit: intelligitur itaque tantum de portentis, quæ Deus per Moysem operaturus erat, ut Israelem ab Ægyptiaca servitute liberaret.

Ad secundum, verba ista *facie ad faciem*, eo loci non intelliguntur quoque de visione intuitiva: tum quod certum sit eam Israelitis nusquam concessam fuisse, quamvis Deuteronomii 5. dicantur Deum vidisse *facie ad faciem*: tum quod Stephanus Actorum 7. expresse asserat quod Deus ipse Moysi non apparuerit, sed Angelus, qui legati adinstar, ejus nomine loquebatur. Dicendum est igitur, verba illa *facie ad faciem*, eo in loco significare familiare colloquium quod Deus cum Moyse per interpositam Angeli personam habere voluit.

Ad tertium. Eo sensu Deus ore ad os cum Moyse locutus est, quod non quidem per seipsum immediate, sed per Angelum, suam in omnibus voluntatem ei manifeste aperuerit: cum e contra (ut ibidem dicitur) ænigmatice tantum & in somniis, Prophetis aliis eam declaraverit.

Obj. 2. Apostolus primæ ad Corinth. 14. asserit, se raptum fuisse ad tertium cælum, & audiisse arcana verba, quæ non licet homini loqui: ergo, &c.

Resp. Eas Apostoli sententias intelligi de rerum arcanarum revelatione sibi facta in extasi, seu in raptu mirabili, quem, Deo sic volente, passus fuerat. Non intelligi vero de visione intuitiva ostenditur, tum ex eo quod Apostolus non dicat *se vidisse, sed audiisse*: tum etiam quod scribat, se nescire an extasim illam in corpore, an extra corpus, passus fuerit.

6. *Q.* Sancti plene purgati videntne Deum *statim* post mortem?

R. Vident. Nam 1. Apostolus secundæ ad Cor. 5. scribit, Sanctos post mortem in cælis habituros esse domum æternam & non manu factam: nullum autem tempus interponit inter mortem & possessionem æternæ illius habitationis.

2. Patres id asserunt. Ignatius in Epistola ad Romanos scribit, se per martyrium proficisci de mundo ad Deum, de terris ad Patrem. Vera autem non foret illa sententia, si Sancti nonnisi post extremam judicii diem fruituri essent beatifica visione. Cyprianus in libro de exhortatione martyrii, asserit, martyres statim post mortem cælum conscendere, & statim oculos aperire, ut Deus & Christus videantur. Augustinus Tractatu 124. in Joannem, docet Joannem statim post mortem consecutum fuisse quod Paulus hisce verbis concupierat: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*.

3. Concilia idem definierunt: Florentinum in decreto unionis docet Sanctos plene purgatos, *in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum, Trinum Unum, sicuti est*. Tridentinum sess. 25. aperte supponit Sanctos de quibus agitur, statim post mortem frui visione beatifica: *Illos* (inquit) *qui negant Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes invocandos esse, &c.*

Obj. 1. Apocalypseos cap. 6. Sancti dicuntur esse non in cælis, sed sub altari. 2. Draco (ut dicitur cap. 20.) per mille annos ligatur, ne Sanctis qui mortui sunt, noceat. 3. Ibidem asseritur quod Sanctis per mille annos ante secundam mortem, hoc est, publicam reproborum condemnationem, cum Christo in terris regnaturi sint: ergo, &c.

Resp. Ad primum, altare cujus fit mentio, non aliud esse quam cælum ipsum: nempe Joannes cap. 67. scribit se Sanctos, quos cap. 6. dixerat sub altari, vidisse *stantes ante thronum & in conspectu agni*.

Ad secundum, Augustinus lib. 2. de Civ. Dei cap. 7. docet ejusmodi mille annis designari totum tempus quod a primo Christi adventu usque ad Antichristi tempora futurum est.

Ad tertium dicendum est mille annos de quibus Joannes, complecti totum illud tempus, quod a primo Christi adventu fluere debet usque ad alterum. Eo autem tempore Sancti cum Christo regnabunt, aut in cælis per gratiam & gloriam, aut in terris per gratiam tantum.

Obj. 2. Denarius cujus Matthæus cap. 20. meminit, non nisi post diei finem operariis persolutus est. Idem Matthæus cap. 25. innuit Sanctos Deo fruituros esse tantum, cum in extremo judicio prolata fuerit sententia: *Venite benedicti patris mei, possid. &c.* Apostolus ad Hebræos 11. asserit Sanctos veteris Testamenti statim post mortem fruitos non fuisse cælesti beatitudine: *Non acceperunt* (inquit) *repromissionem*; ergo nec Sancti qui vixerunt tempore novi Testamenti.

R. Ad primum, diei finem cujus apud Matthæum fit mentio, esse ultimum diem vitæ cujusque privati hominis, non autem diem extremi & publici judicii. Ad secundum Gregorius Magnus libro 3. Moralium, cap. 9. respondet intelligi eum debere de beatitudine completa, quæ & animæ & corpori post extremam tantum judicii diem Sanctis rependetur. Ad tertium, negari debet paritas: scilicet Christus per suam ascensionem reseravit cælorum aditum, qui hominibus ante Christum mortuis clausus fuerat.

Obj. 3. Multi ex sanctis Patribus docuerunt, Sanctos post resurrectionem, in terris cum Christo mille annis regnaturos esse, antequam intuitiva Dei visione in cælis potiantur. Ita enim expresse asserunt Papias, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, & postea Bernardus qui in Sermone 3. de omnibus Sanctis, scribit tres esse Sanctorum post mortem sta-

ftatus: *Primum (inquit) in corpore incorruptibili: secundum sine corpore; tertium in beatitudine consumpta. Primum in tabernaculis, secundum in atriis; tertium in domo Dei:* Ergo, &c.

R. Ad primum, majorem ac saniorem Patrum numerum primis Ecclesiæ sæculis contrarium docuisse. Ad secundum, dicendum est Bernardum metaphorice locutum fuisse, ut varios beatitudinis gradus explicaret: nempe sanctus Doctor censuit visionem beatificam minus intensam esse in animabus separatis a corpore, quam ubi cum eo iterum per resurrectionem conjunctæ fuerint.

Obj. 4. Joannes Papa XXII. docuit, animas Sanctorum non visuras esse Deum intuitive ante diem universalis judicii: id nimirum testantur Ochamus, Adrianus VI. in quartum Sentent. & plures alii: ergo, &c.

R. Dist. ant. tamquam auctor privatus, conc. ant. tamquam Summus Pontifex, nego ant. Nam Benedictus Papa XI. in Bulla quæ incipit *Benedictus Deus*, testatur quod cum Joannes XXII. cui immediate successit, pararet se ad conciliariter definiendam opinionem, quam privatus defenderat, morte præventus vota sua ad optatum finem perducere non potuerit.

Obj. 5. Saltem non est de fide quod Sancti plene purgati, statim post mortem Deum videant. Nam 1. unanimis non est ea de re traditio. 2. Sententia quæ id negat valde distat a Millenariis quos Patres suis scriptis confutarunt.

R. Ad 1. articulum de quo agitur non fuisse articulum fidei ante definitionem quæ de eo facta est in Concilio Florentino & postea in Tridentino. Ad 2. dicendum est Papiæ, quorumdamque aliquorum veterum opinionem in hoc differre a doctrina hæreticorum Millenariorum, quod isti post Cerinthum Sanctos per mille annos in terris post resurrectionem regnaturos observationi legalium adstringerent, ac præterea contenderent eo omni voluptatum carnalium genere explendos esse.

7. *Q.* Quot sunt principia intuitivæ Dei visionis?

R. Tria fingi possunt, scilicet species quæ Deum repræsentet; lumen gloriæ quo intellectus creatus corroboretur; & tandem oculus corporeus a quo ejusmodi visio eliciatur.

8. *Q.* Species, hoc est, idea, seu imago objecti, concurritne ad Dei visionem?

R. Non concurrit. Nam 1. cum sit aliquid finitum perfecte Deum non repræsentat: 2. cum sit quidpiam creatum, non magis reddit intellectum proportionatum cum Deo, quam per seipsum sit intellectus: 3. impedit intimam ac immediatam animæ cum Deo conjunctionem, quæ tamen ad intuitivam visionem requiritur: hincque fit ut etiam de potentia Dei absoluta Deus intuitive videri non possit in aliqua specie creata.

9. *Q.* Lumen gloriæ concurritne ad Dei visionem intuitivam?

R. Concurrit. Nam 1. in Concilio Viennensi Clemens Papa V. definiit illud de quo agitur, lumen gloriæ requiri ad Deum ut in se est videndum; 2. intellectus creatus nimis debilis est, ut sustineat Dei, ut in se est, contuitum: ergo quemadmodum oculus corporeus, ad videndum solem ut in se est, indiget auxilio quo corroboretur: ita & intellectus ad Deum intuitive videndum: 3. luminis gloriæ concursus ad Dei visionem innui videtur Psalmo 35. ubi hæc habentur: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Obj. Explicari non potest qua ratione lumen gloriæ ad Dei visionem concurrat: ergo, &c.

Resp. Concurrit per modum habitus permanentis, & per modum caussæ efficientis, seu extraordinarii concursus quo intellectus creatus adjuvatur & elevatur ad actum supernaturalem, hoc est, qui naturales illius vires superat, eliciendum.

10. *Q.* Deus potestne videri oculo corporeo?

R. Non potest. Nam, Scripturæ loca quæ docent Deum esse invisibilem, explicari debent de visibilitate quæ fiat oculo corporeo. 2. Quoties eædem Scripturæ de Dei visibilitate loquuntur, semper mentis, non autem corporis visionem intelligunt. 3. Deus, cum non sit coloratus, est extra objectum adæquatum oculi corporei: ergo oculus non magis ad Dei visionem potest elevari, quam ad audiendum sonum; non enim Deus magis, quam sonus, est objectum oculi corporei.

Obj. 1. Scripturæ textus quibus asseritur, Moysem vidisse Deum *facie ad faciem*, intelligi debent de oculo corporeo: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. quantum ad aliqua, conc. ant. quantum ad omnia, neg. ant. Moyses vidit Deum oculo corporeo in Angelo, qui (ut putatur) in humana specie cum Moyse locutus est; at divinam essentiam eodem oculo minime vidit, sed nec videre potuit.

Obj. 2. Job hæc ait cap. 19. *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Cap. 48. hæc etiam habet: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te:* Ergo &c.

Resp. ad 1. aliud esse videre Deum in carne, aliud vero per carnem. Illud, omnibus post resurrectionem concedetur: istud e contra nec concedetur, nec concedi potest. Ad 2. dicendum est, oculum, de quo Job loquitur, esse mentis, non autem corporis, oculum.

Obj. 3. Augustinus in libro 22. de civit. Dei, cap. 29. docere videtur, Deum in cælis oculo corporeo videndum esse. Asserit enim

enim 1. oculum corporeum magis perspicacem in cælis fore, quam sit in terra: 2. vim illius tunc extendendam esse ad res etiam omnino spirituales; 3. habiturum illum esse nonnihil quod reddat eum similem mentis oculo.

Resp. Eos, ac similes loquendi modos non sumi debere proprie, sed improprie tantum: hoc est, significant, mentem ad cælorum pulcritudinem, quam oculus corporeus intuebitur, statim contemplaturam esse Dei potentiam, sapientiam, aliaque attributa quæ in cælorum creatione, ornatu, & administratione refulgent. Nempe S. Augustinus ibidem asserit quod oculus in cælis eodem modo sit Deum visurus, quo nunc in terris ad conspectum hominum, videt illorum vitam. Quemadmodum igitur oculus corporeus eo tantum sensu videt hominum vitam, quod humani corporis conspectus occasio sit animæ ad cogitandum de hominum vita; ita etiam conspectus rerum sensibilium, anima cum corpore post resurrectionem jam unita, movebit hominem, ut Dei mirabilia in iis rebus sensibilibus contempletur. Vide eumdem Augustinum Epistola 6. quæ est ad Italicam, necnon Epist. 111. & 112. ubi argumentum de quo agitur fuse pertractat.

Obj. 4. Ignis tartareus elevatur ad cruciandas damnatorum animas: aqua in baptismo elevatur ad producendam gratiam: ergo a pari oculus corporeus elevari potest ad intuitivam Dei visionem.

Resp. Conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia, intuitiva Dei visio est actus vitalis; non autem combustio animarum in infernis, aut productio gratiæ in baptismate: at ad operationes vitales, non autem ad eas quæ non sunt hujusmodi, necesse est, ut sint intra objectum adæquatum potentiarum a quibus eliciuntur, eo quod necesse sit ut potentiæ ad eas vitales operationes se se moveant.

11. *Q.* Quotuplex est objectum intuitivæ Dei visionis?

R. Duplex; primarium & secundarium. Prius, est illud quod per se & ratione sui videtur; Posterius e contra, est illud quod tantum ratione alterius videtur.

12. *Q.* Quodnam, secundum nostrum concipiendi modum, est primarium objectum intuitivæ Dei visionis?

R. Sunt Essentia divina, Attributa, & Relationes. Scilicet videntur in Deo ratione sui & quidem per unum & eumdem actum: nam cum sint idem actu cum essentia divina, necesse est, ut simul cum ea videantur.

Obj. 1. Attributa quæ sunt in Deo, sunt infinita numero: ergo videri non possunt ab intellectu creato, cui virtus infinita communicari non potest.

Resp. Nego ant. Ratio est, quia quamvis intellectus noster Deum in varios conceptus dividat: unica tamen est realiter in Deo entitas, quæ tota quidem, cum sit indivisibilis ac maxime simplex, sed modo finito, a mente creata videtur.

Obj. 2. Quædam sunt attributa quæ relationem dicunt ad creaturas, ut dignitas creatoris: sed ea saltem attributa non cognoscuntur eodem actu quo essentia Dei cognoscitur: ergo, &c.

Resp. Conc. maj. dist. min. non cognoscuntur secundum suum terminum, conc. min. Illi enim termini sunt infiniti, ut patet in omnipotentia quæ se se extendit ad omnes creaturas possibiles: non cognoscuntur secundum suum esse absolutum, neg. min. sic enim sumpta, sunt unum & idem cum essentia divina.

13. *Q.* Essentia Dei potestne, saltem de potentia absoluta & extraordinaria, videri sine attributis sive absolutis, sive relativis?

R. Non potest. Nam 1. Christus Joannis cap. 14. ex visione Verbi concludit visionem Patris: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*: at ea ratio non valeret, si una persona posset sine alia videri. 2. Cum duo sunt unum & idem realiter cum tertio, non possunt sine se invicem videri, ubi tertium videtur: atqui relationes sunt idem cum essentia divina: ergo nec relationes sine se invicem, aut sine essentia; nec essentia sine relationibus videri possunt.

Obj. 1. Essentia Dei virtualiter distinguitur ab attributis tum absolutis, tum relativis: ergo sine eis cognosci potest: virtualis enim distinctio satis est ut unum sine alio terminet actum intellectus.

R. Ad 1. nego conf. ad 2. dist. ant. Ut terminet actum intellectus abstrahentis, conc. ant. intuitive videntis, nego ant. quia a parte rei essentia non est ab attributis separata: at intuitiva visio versatur circa objectum prout est a parte rei.

Obj. 2. Personæ in divinis a se invicem realiter distinguuntur: ergo sine se invicem videri possunt.

R. Conc. ant. nego conseq. quia personæ licet inter se distinctæ, sunt unum & idem cum essentia divina quæ a beatis primario videtur: unde hæc videri non potest, quin illæ simul cum ea videantur.

Obj. 3. Una persona potuit incarnari sine alia: neque enim Pater, & Spiritus sanctus incarnati sunt, sed solus filius: ergo pariter una persona potest a beatis videri sine alia.

R. Conc. ant. nego conf. ratio disparitatis est, quia unio non postulat, ut res, quæ unitur, adæquate conjungatur alteri: hoc est, secundum id totum quod est idem cum ipsa: unde Verbum potuit incarnari, quamvis id omne, quod est idem cum essentia divina, humanitati conjunctum non fuerit, hoc est licet unaquæque persona propriam suam subsisten-

sentiam humanitati non contulerit. E contra intuitiva visio postulat ut id omne simul & semel videatur quod est realiter idem cum divina essentia, quæ (ut dictum fuit) est objectum primarium intuitivæ visionis.

14. *Q.* Quodnam est secundarium objectum intuitivæ Dei visionis?

R. Sunt creaturæ quæ cum in essentia divina tamquam in speculo repræsententur, a beatis videntur.

15. *Q.* Quænam creaturæ in Deo non videntur a beatis, quænam e contra videntur.

R. Beati non vident 1. *Omnes* creaturas quæ in aliqua temporis, præteriti, præsentis, aut futuri differentia existunt: eo quod essentia divina non sit speculum necessarium ejusmodi creaturarum: tum etiam quod cum tanta extensive cognitio ad beatorum statum minime pertineat, Deus illis eam non tribuit. Beati cognoscunt in Deo omnia singularia quæ spectant ad statum, in quo, cum in terris degerent, vixere. Hinc Gregorius Magnus lib. 12. Moral. cap. 17. scribit, beatos videre, amare, & curare de salute fratrum suorum in terris adhuc periclitantium.

Obj. S. Augustinus in lib. *de cura pro mortuis gerenda* scribit mortuos ea omnia latere quæ hic in terris aguntur. Docet enim 1. eos rebus viventium non interesse. Docet 2. pro magno beneficio regi Josiæ (Paral. cap. 34.) promissum fuisse, quod moriturus esset, ne videret mala quibus ejus regnum erat a Deo castigandum. Docet 3. illuc trahi debere hæc verba Psalmi 26. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

R. Nego ant. ad cujus probationem dist. ant. Per conversationem, conc. ant. simpliciter & absolute, nego ant. Asserit enim ibidem Augustinus mortuos posse res, quæ hic fiunt, cognoscere aut ex eorum relatione qui hinc ad illos transeunt; aut ab Angelis, aut ex peculiari Dei revelatione.

16. *Q.* Beati videntne in Deo omnes creaturas possibiles?

R. Non vident, quia alioquin comprehenderent Dei omnipotentiam: viderent enim eam tum secundum substantiam, tum secundum omnes terminos ad quos se se potest extendere; si autem comprehenderent omnipotentiam, comprehenderent & alia omnia attributa; non enim potior esset ratio de uno quam de altero.

17. *Q.* Ubinam videntur creaturæ quæ a beatis videntur?

R. Videntur in Verbo, videntur & in se ipsis: Verbum enim est speculum rerum omnium. Nempe Pater habet in Verbo, quod quidem ob id dicitur sapientia Patris, ideas rerum omnium sive existentium, sive possibilium. Eo principio nixus S. Augustinus duplicem in lib. 4. de Genesi ad litteram c. 19. distinguit in beatis rerum creatarum cognitionem: matutinam nimirum & vespertinam. Prior est cognitio creaturarum in verbo, in quo perfecte repræsentantur: altera, est earumdem creaturarum cognitio in se ipsis, quæ ob id est imperfectior, & (ut ait S. Doctor) est decoloratior, quia creaturæ minus sunt in se ipsis perfectæ, quam sint in Verbo.

Obj. 1. Creaturæ non sunt similes Verbo: ergo in eo non repræsentantur: 2. cum Verbum repræsentet creaturas omnes, non erit ratio cur una potius quam alia in Verbo videatur: 3. ea creaturarum visio non esset intuitiva: esset enim in alio, nimirum in Verbo.

R. Ad 1. nego ant. nimirum creaturæ factæ sunt ad ideas quæ de iis in Verbo fuerunt semper. Ad 2. Una creatura potius in Verbo videtur quam alia, quod Deus adjuvet intellectum ad unius potius quam ad alterius cognitionem. Ad 3. dist. Esset in alio in quo repræsentatur perfecte, conc. repræsentatur imperfecte, nego. Hic cognitionis modus repugnat quidem intuitivæ visioni, non autem ille.

18. *Q.* Quæ sunt proprietates intuitivæ Dei visionis?

R. Duæ præcipuæ; incomprehensibilitas nimirum & inæqualitas.

19. *Q.* Beati comprehenduntne divinam essentiam?

R. Non comprehendunt: quia non cognoscunt omnia, ad quæ Dei virtus se se potest extendere: sunt enim numero infinita: ac proinde vim intellectus quæ finita est, omnino superant,

Obj. Beati vident totam Dei essentiam: ergo illam comprehendunt.

R. Dist. ant. vident totam & non totaliter, conc. ant. totam & totaliter nego ant. Ratio est, quia non vident omnes terminos ad quos divina essentia se potest extendere.

20. *Q.* Intuitiva Dei visio estne æqualis in omnibus beatis?

R. Non est æqualis. Nam 1. Christus Joannis 14. de sua domo cælesti (Gregorio Magno teste lib. 4. Mor. cap. 31.) sic loquitur: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 2. Primæ ad Corint. 15. Beati stellis comparantur: *Stella enim differt a stella in claritate.* 3. Lumen gloriæ, quod est principium intuitivæ Dei visionis, non est in omnibus beatis æquale, sed inæquale, pro meritorum nimirum diversitate.

Obj. 1. Deus est infinite simplex: ergo non potest inæqualiter videri. 2. Qui minus perfecte Deum videret, minus esset beatus, ac proinde alterius magis beati statum optaret; quod tamen paci, quæ est beatitudini essentialis, plane repugnat, 3. Matth. cap. 20. Paterfamilias æqualem mercedem operariis omnibus, licet inæquali tempore laborassent, rependit: ergo Deus, quem ille Paterfami-

lias adumbravit, æqualem mercedem omnibus ac singulis beatis rependet,

R. Ad 1. nego conf. quia inæqualitas aut æqualitas visionis non petuntur ex objecto, sed ex majori, vel minori virtute potentiæ quæ circa illud objectum versatur: sic qui lynczos habet oculos, perfectius videt aliquod objectum, quam qui communes tantum. Ad 2. dicendum est; beatos omnes tantum intuitivæ Dei visionis habere, quantum capere possunt: unde cum omnes plane sint exsaturati, aliorum perfectiorem statum non ambiunt. Ad 3. dici potest cum Augustino Serm. 9. de verbis Domini cap. 2. denarium de quo parabola loquitur, non significare intuitivam Dei visionem, sed vitam æternam quæ in omnibus beatis erit æqualis. Dici potest iterum cum Gregorio Nazianzeno Oratione 40. eos qui extrema diei hora in vineam missi fuerant, suo fervore, ac sua diligentia assecutos fuisse eorum merita qui summo mane conducti, in vinea Patris familias laboraverant.

CAPUT VII.

De Dei tum æternitate, tum immensitate.

1. *Q.* Quomodo definitur æternitas?

R. Definitur a Boetio: *Interminabilis vita tota simul & perfecta possessio*. Primo dicitur *possessio*, quia est stabilis. 2. *Tota simul*, quia in æternitate non sunt, sicut in tempore, partes quæ sibi invicem succedant. 3. Dicitur, possessio *vita*, eo quod non tantum ad rei substantiam, sed etiam ad illius operationem se se extendat. 4. Tandem dicitur *interminabilis*, quia æternitas nec initium habet, nec finem.

2. *Q.* Æternitas convenitne Deo?

R. Convenit. Nam 1. Deus ipse sic loquitur cap. 31. Deuteronomii; *Vivo ego in æternum*. 2. Deus est ens quo melius cogitari non potest; est ens a se; est ens infinitum; est ens immutabile. Sed enti quo melius, &c. æternitas (ut patet) convenit: ergo, &c.

3. *Q.* Æternitas estne ita Deo propria, ut nulli creaturæ communicari possit?

R. Est. Nam 1. Patres ex æternitate Verbi probarunt illius divinitatem adversus Arianos: 2. Tertullianus asseruit contra Hermogenem, materiam non esse æternam, eo quod æternitas Deo soli conveniat. 3. Creatura debet, ut existat, educi ex nihilo: ergo nihilum præcedit essentialiter existentiam creaturæ: at id quod ab aliquo præceditur, non est æternum: cum æternitas non minus initio, quam fine careat.

4. *Q.* Quid est immensitas?

R. Est virtus, seu perfectio, per quam ens aliquod potest esse in omnibus rebus, & in omnibus locis?

5. *Q.* Deus estne ubique substantialiter præsens?

R. Est. Nam 1. id expresse Scriptura testatur: *Numquid* (ait Deus ipse, Jeremiæ 23.) *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Psalmo 138. *Quo* (ait Psaltes regius) *a facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades:* ergo cum Deus sit in cælo substantialiter, sic etiam est in aliis locis. Actorum 17. Paulus hisce verbis, *Non longe est ab unoquoque nostrum*, substantialem Dei præsentiam significat; his autem aliis: *In ipso enim vivimus, movemur & sumus*, eam ex Dei operatione probat. 2. Idem quoque ratio demonstrat: siquidem Deus est ubique secundum substantiam: Dei enim operatio & substantia realiter a se invicem non distinguuntur.

Obj. 1. Scriptura passim asserit, Deum in cælis esse, non autem in terris, *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*. 2. Augustinus libro 83. quæstionum scribit, Deum *nusquam* esse: Chrysostomus hom. 5. in Epist. ad Coloss. asserit, eum *nullibi* esse. 3. Absurdum est dictu Deum esse substantialiter in damnatis, & locis maxime sordidis.

R. Ad 1. Scripturæ loca, de quibus agitur, intelligi de modo substantiæ, non autem de ipsa secundum se substantia: hoc est, licet Dei substantia sit in terris, eadem tamen ibi non operatur quæ in cælis agit, ac facit.

Ad 2. Laudati Patres intelligi debent aut de præsentia definitiva quæ convenit Angelis, hoc est per quam ens ita est in loco, ut non sit alibi: aut de præsentia circumscriptiva, quæ solis corporibus est propria.

Ad 3. Non est periculum ne Deus contrahat damnatorum malitiam, aut locorum sordes: quemadmodum enim lumen solis nulla ratione læditur sordidis locis: ita nec Dei sanctitas dæmonibus, quamvis in eis sit substantialiter præsens.

6. *Q.* Per quid Deus constituitur formaliter in loco?

R. Per solam operationem ad extra. Et sane 1. quoties Scripturæ de Dei in rebus præsentia loquuntur, semper eam exprimunt per Dei operationem ad extra: *Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur & sumus*. 2. Patres asserunt ideo Deum esse ubique præsentem, quod operetur ubique: *Cæterum* (inquit Tertullianus libro contra Praxeam cap. 23.) *scimus, Deum etiam intra abyssos esse, & ubique consistere, sed vi & potestate*.

3. Se habet operatio in rebus spiritualibus sicut quantitas in corporeis: ergo quemadmodum corpora formaliter constituuntur

in

in loco per quantitatem, seu per dimensionem: ita & spiritualia per suam operationem ad extra.

Obj. 1. Deus est in loco per id per quod est immensus: sed non est immensus per operationem ad extra; ergo, &c.

R. Nego maj. Ratio est, quia immensitas non consistit in actuali præsentia in rebus, sed tantum in aptitudine, quam habet ut in illis existat: unde si immensitas non reducatur ad actum per operationem ad extra, non reddet Deum substantialiter ubique præsentem.

Obj. 2. Prius est rem esse in loco, quam eam in illo operari: ergo Deus non constituitur in loco per operationem ad extra.

Resp. Dist. ant. in rebus corporeis, conc. ant. in spiritualibus, nego ant. Ratio est, quia res corporeæ non agunt nisi mediante quantitate; ac proinde prius est quantitatem esse in loco, quam ut agens corporeus in eo loco operetur: e contra vero substantiæ spirituales agunt per se ipsas immediate: unde loco extrinseco per suam operationem conjunguntur, ipsique per eam constituuntur formaliter præsentes.

Obj. 3. Fieret in ea suppositione, ut Deus posset ubique non esse præsens: potest enim, si velit, ubique non operari ad extra: ergo, &c.

Resp. Non esse præsens actu, conc. ant. aptitudine, nego ant. Id enim exigit divina illius immensitas.

7. *Q.* Deus estne substantialiter præsens in spatiis imaginariis?

R. Non est: quia illis non coexistit, cum sint mera errantis imaginationis figmenta, ut Augustinus lib. 7. Confess. cap. 1. docet. 2. Deus non operatur in spatiis imaginariis: ergo eis non est substantialiter præsens: nempe (ut jam observatum est) operatio ad extra est forma per quam res spiritualis formaliter in loco constituitur.

Obj. 1. Deus hoc mundo non continetur: ergo est extra ipsum; ac proinde in spatiis imaginariis.

Resp. Conc. ant. dist. conseq. Est extra ipsum in potentia, quia extra mundum potest operari, conc. conseq. actu & formaliter, nego conseq.

Obj. 2. Si Deus operando extra hunc mundum, constitueretur Actu extra mundum, non esset extra mundum nisi per sui mutationem: adquireret nimirum novam denominationem, loci nimirum, quam prius non habebat.

R. Dist. ant. denominationem extrinsecam: conc. ant. intrinsecam nego ant. scilicet forma, seu operatio, per quam Deus denominaretur de novo præsens, non in ipso Deo reciperetur, sed in creatura quæ illius actionem terminaret.

8. *Q.* Quot modis Deus est ubique præsens?

R. Tribus: per essentiam nimirum, per potentiam, per præsentiam. Nam Dei substantia (ut superius dictum fuit) est ubique: 2. Deus operatur actu in quocumque loco reali, & potest operari in imaginario: 3. divinæ cognitioni nuda sunt omnia & aperta: ergo ubique adest per præsentiam.

9. *Q.* Deus estne, etiam aliis modis alicubi præsens?

R. Est: in justis nimirum est præsens per gratiam sanctificantem, & in humanitate Christi per hypostaticam unionem.

CAPUT VIII.

De Perfectione, Bonitate, & Omnipotentia Dei.

1. *Q.* Quid est perfectio?

R. Est rei integritas: unde res perfecta dicitur, cum integra est partibus & dotibus sibi debitis.

2. *Q.* Deus estne simpliciter & absolute perfectus?

R. Est 1. quia in eo est plenitudo totius esse, cum sit ens a se, & quo melius cogitari non potest. Igitur in eo quoque sunt omnes omnino perfectiones: perfectio enim, est aliqua ipsius esse participatio. 2. Deus est infinitus in omni genere: ergo omnes omnino continet modificationes entis; ac proinde & omnes perfectiones, quæ nihil aliud sunt quam entis modificationes. 3. Deus totus est in actu, cum sit actus purissimus; ergo omnem omnino actum includit: ergo & perfectiones omnes; perfectiones enim, cum sint formæ quædam, non aliud quoque sunt, quam actus varii ac diversi.

3. *Q.* Perfectiones quotuplicis sunt generis?

R. Duplicis: alia enim est *simpliciter simplex*; alia *secundum quid*. Prior, est ea quæ in suo conceptu non includit aliquem defectum, & quæ aliam nobiliorem perfectionem non excludit; hujus generis sunt sapientia, bonitas: posterior, est ea quæ aut aliquem defectum includit in suo conceptu, aut aliquid aliud perfectius excludit; hujusmodi sunt motus, discursus, necnon omnes creaturarum differentiæ tum specificæ, tum numericæ.

4. *Q.* Quot modis aliqua perfectio potest in aliquo subjecto contineri?

R. Tribus: formaliter, eminenter, virtualiter. Ea continetur in subjecto *formaliter*, quæ in eo continetur secundum propriam suam formam: sic rationale formaliter continetur in homine. Ea vero continetur *eminenter*, quæ est in aliquo subjecto, nobiliori modo, quam si in eo esset secundum propriam formam. Tandem ea est *virtualiter* in subjecto, quæ ipsa quidem non inest, sed inest alia illi æquivalens.

5. *Q.* Perfectiones *simpliciter simplices* quomodo continentur in Deo?

R. Formaliter: illarum enim entitas pro-

pri-

pria non dicit in suo conceptu defectum, nec excludit alium æque nobilem existendi modum: hinc fit quod illæ perfectiones formaliter de Deo prædicentur.

6. *Q.* Perfectiones simplices *secundum quid* quomodo continentur in Deo?

R. Eminenter: nempe sunt in Deo nobiliori modo quam in subjecto in quo sunt formaliter; hoc est secundum propriam formam. Sic motus localis in Deo reperitur eminenter, quia reperitur secundum id quod perfectionem dicit, nempe in variis locis operari. Vide Augustinum libro 1. de Trinitate capite 1.

7. *Q.* Deus simul cum creaturis conceptus, estne perfectior quam conceptus sine creaturis?

R. Non est perfectior: quia perfectiones creaturarum non augent numerum divinarum perfectionum: siquidem finitum in aliquo genere additum infinito in eodem genere, non facit majorem numerum: quia illud finitum continetur in infinito.

8. *Q.* Quid est bonitas?

R. Bonitas vel est physica, vel moralis. Prima est conformitas rei cum idea, quæ debet illius naturam constituere. Altera vero est conformitas voluntatis cum regulis morum.

9. *Q.* Bonitas sive physica, sive moralis, quotuplex est?

R. Duplex: bonitas per essentiam, & bonitas per participationem. Prima est ea quæ rei per se convenit & independenter ab aliqua caussa extrinseca; secunda e contra est ea quæ est dependens ab aliqua caussa extrinseca.

10. *Q.* Deus estne bonus bonitate physica essentiali & independente?

R. Est: quia esse Dei conforme est ideæ quæ debet constituere naturam divinam: esse nimirum Dei est esse quo melius ac perfectius cogitari non potest; est enim esse a se & independens a quocumque alio.

11. *Q.* Deus estne bonus bonitate morali?

R. Est: quia est infinite sanctus: *Sancti tate* (inquit ipse in Scripturis) *quia ego sanctus sum*. Unde immunis est a quacumque peccati labe: immo est prorsus impeccabilis: nempe potestas peccandi oritur in subjecto, ex eo quod eductum sit ex nihilo, ut docet Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 1. at Deus, cum sit ens a se, non est eductus ex nihilo, ac proinde deficere minime potest.

12. *Q.* Deus estne bonus bonitate relativa?

R. Est: quia est bonum quod creatæ voluntati maxime convenit: est enim ultimus finis qui solus potest omnem creatæ voluntatis appetitum explere.

13. *Q.* Deus estne omnipotens?

R. Est, quia cum contineat omnes omnino perfectiones, necesse est ut omnipotentiam quoque, quæ maxima est perfectio, contineat.

Obj. 1. Deus nec mori, nec peccare potest. 2. facere non potest ut quæ præterita sunt, revera non fuerint: ergo sunt nonnulla quæ Deus non potest facere.

Resp. Ad 1. posse mori, posse peccare, & posse deficere non sunt perfectiones: tantum enim abest ut potestas deficiendi necessaria sit ad omnipotentiam, quin potius illam plane destruit. Ad 2. dist. ant. Deus facere non potest in sensu composito ut præterita non fuerint, conc. ant. quia non potest facere ut verum sit falsum. In sensu diviso, nego ant. scilicet potuit non decernere futuritionem rerum præteritarum antequam acciderent.

Obj. 3. Deus ex quolibet non potest facere quodlibet: v. g. non potest facere ut lapis videat: ergo non est omnipotens.

Resp. Dist. ant. in sensu composito, conc. ant. quia non potest facere ut inanimatum quamdiu inanimatum remanet, sit animatum & eliciat viventis operationes: in sensu diviso, nego ant. quia potest mutare lapidem in animal vivens.

14. *Q.* Deus potestne facere alia ab iis quæ facit & vult facere?

R. Potest: quia Deus est omnino independens a qualibet creatura, a quolibet opere ad extra: ergo ita creaturam producit, ut possit non producere; ita opus aliquod agit ad extra, ut illud possit non agere. Patres eo principio nixi constanter asseruerunt Deum alia via quam per incarnationem Verbi potuisse homines a peccato liberare, ipsosque redimere.

Obj. Genesis 19. Deus hæc ait, alloquens Loth Abrahæ nepotem: *Non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc:* ergo &c.

R. Dist. in sensu composito: quia nempe cum Deus statuisset non operari, nisi Loth ingrederetur, non poterat conjungere operationem cum decreto non operandi: in sensu diviso, nego ant. quia potuerat aliud statuere & aliud velle, hoc est, potuerat statuere se opitulaturum esse Loth, etiamsi a Sodomitis non discederet.

15. *Q.* Deus potestne facere meliora iis quæ actu facit?

R. Potest: nempe Deus potest producere creaturas in infinitum perfectiores eis quas actu producit.

Obj. 1. Augustinus in lib. 4. de Genesi ad lit. cap. 16. sic loquitur: *Si bona facere posset Deus, nec faceret, magna esset invidentia:* ergo &c.

R. Illam Augustini sententiam ex iis esse, quas sanctus Doctor lib. 2. Retract. cap. 24. fatetur non satis a se expensas fuisse.

Obj. 2. Patres non semel asseruerunt ea quæ Deus actu facit, esse semper meliora. Ita Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 1. Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 19. ergo, &c.

R. Dist.

R. dist. ant. secundum modum, conc. ant. secundum substantiam: nego ant. hoc est, cum Deus sit sapientissimus, quæcumque facit, semper facit optimo modo: sed non facit semper optima, tum quod non conveniant ad finem quem sibi proponit; tum etiam quod nullum sit opus ad extra, quod omittere non possit, cum sit a quacumque re extrinseca prorsus independens.

CAPUT IX.

De Scientia Dei.

§. I. *De Existentia & essentia divinæ Scientiæ.*

1. *Quæst.* Estne scientia in Deo?

R. Est, & quidem simplex, certa & evidens; quia hujusmodi scientia est maxima perfectio; & Deus aliunde (ut superius probatum est) omnes omnino perfectiones habet. Unde Esther cap. 14. dicitur: *Domine qui habes omnium scientiam.*

2. *Q.* Scientia Dei estne per discursum?

R. Non est: quia discursus est imperfectio: tum quia dicit multiplicationem actuum, actum nimirum per quem præmissæ cognoscuntur, & actum per quem cognoscitur conclusio: tum etiam quia dicit progressum a noto ad ignotum.

Obj. Deus cognoscit effectus tamquam qui sequantur ex caussis: ergo illius scientia est discursiva.

R. Conc. ant. quia Deus videt effectuum connexionem cum suis caussis, sed nego conseq. tum quia effectus non minus Deo noti sunt quam illorum causæ: tum etiam quia non cognoscit causas & illarum effectus per actus distinctos, sed per simplicissimum intuitum.

3. *Q.* Quot modis Dei scientia differt a scientia quæ reperitur in creaturis?

R. Variis: Nam 1. scientia in Deo non est accidens: juxta illud Augustini epistol. 102. *Non aliud esse, aliud intelligere.* 2. Non est habitus qui sine actu esse possit quia Deus (ut supra dictum est) est actus purissimus, ac proinde totus est semper in actu. 3. Non versatur tantum circa esse quod creaturæ in semetipsis habent; sed etiam, & quidem præcipue, circa esse quod habent in Dei sapientia, quæ rerum omnium est artifex. 4. Non habetur (ut dictum est) per discursum. 5. Non est præcisiva; quia non attingit naturam sine differentiis, ut solent homines, sed simul & semel naturam & omnes illius differentias attingit. 6. Tandem est omnino immutabilis, cum nec augeri, nec minui possit.

§. II. *De Objecto Scientiæ Dei.*

1. *Q.* Quodnam est objectum divinæ scientiæ?

R. Id omne quod potest cognosci: scilicet scientia Dei est cognitio tum intensive, tum extensive perfectissima.

2. *Q.* Deus cognoscitne semetipsum?

R. Cognoscit: tum quia cum sit objectum maxime verum, maxime est cognoscibilis: tum etiam, quia res omnes creatas in semetipso cognoscit: *Novit* (inquit Augustinus libro 5. de Trin. cap. 14.) *omnia Deus pater in se ipso, novit in Filio: sed in se ipso tanquam seipsum; in Filio tanquam verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in se ipso.*

Q. Cognitio, quam Deus habet de seipso, est ne comprehensiva?

R. Est: tum quod cognoscat res omnes ad quas illius omnipotentia sese potest extendere: tum quod cum infinita sit illius cognoscendi virtus, tam perfecte seipsum cognoscat, quam cognoscibilis est.

4. *Q.* Deus cognoscitne entia rationis?

R. Cognoscit; nempe cognoscit id omne quod potest esse objectum creatæ cognitionis: at ens rationis cadit in creatam cognitionem.

Obj. Cognoscere entia rationis est illa facere, cum non aliud esse habeant quam in operatione cognoscentis: atqui Deus non facit entia rationis.

R. Dist. maj. Cognoscere entia rationis per modum rerum possibilium, est illa facere, conc. maj. per modum rerum impossibilium, nego maj. Hoc, non autem illo modo Deus cognoscit entia rationis; ac proinde ea minime facit.

5. *Q.* Deus cognoscitne mala pœnæ?

R. Cognoscit, quia illorum est causa juxta illud Amos 3. *Si erit malum in civitate quod non fecerit Dominus.*

6. *Q.* Deus novit mala culpæ?

R. Novit: tum quod mala culpæ, peccata nimirum, punit, tum etiam quod ea fieri permittat, ut ex iis bonum aliquod eliciat; juxta illud Augustini in Enchiridio ad Laurentium: *Melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.*

7. *Q.* Ubinam Deus videt mala culpæ, seu peccata?

R. Non videt in ipso peccato: quia peccatum, ut peccatum est, non habet esse positivum, est enim mera rectitudinis debitæ privatio: *Quid est* (inquit Augustinus in Enchiridio ad Laurentium) *aliud quod malum dicitur, nisi privatio boni?* Itaque dicendum est Deum cognoscere peccatum in forma, seu rectitudine, quæ est illi opposita.

8. *Q.* Deus cognoscitne omnes creaturas, sive possibiles, sive existentes in aliqua temporis differentia?

R. Cognoscit: quia rerum omnium ideas habet; nimirum artifex ideas habet rerum omnium quas aut facit aut facere potest: *Quoniam* (inquit Augustinus libro 12. de Civitate

vitate Dei cap. 10.) *Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest. Porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat.*

Obj. Hieronymus in 1. caput Habacuc sic loquitur: *Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta omnia quot nascantur culices, &c.*

Resp. Dist. ant. Absurdum est ut ea cognitionis specie, quæ eamdem providentiam & eumdem amorem importet, quam scientia, quam Deus de hominibus habet, conc. ant. cognitione simpliciter sumpta, nego ant. Unde subdit idem Hieronymus: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem irrationabilium quam rationabilium providentiam dicentes.*

9. *Q.* Deus cognoscitne distincte futura omnia necessaria?

R. Cognoscit: quia distincte videt necessariam connexionem, quam ejusmodi futura habent cum suis caussis; nempe distincte comprehendit virtutem caussarum; ac proinde & effectus ad quos illa virtus sese aut extendet actu, aut extendere potest.

10. *Q.* Deus cognoscitne futura omnia libera absoluta, seu quæ in aliqua temporis differentia fient a voluntate libera?

R. Cognoscit. Nempe Deus aut per seipsum immediate, aut per Angelos, aut per Prophetas hujusmodi futura in Scriptura prædixit, ut sunt infidelitas Judæorum, negatio Petri, proditio Judæ, conversio gentium. Præterea alioquin tolli deberet de medio Dei providentia, nec Deus esset, si quidpiam ex futuris eum lateret, juxta illud Augustini contra Ciceronem agentis; *Qui non est præscius futurorum, non est utique Deus.*

Obj. 1. Futura libera non habent determinatam veritatem; cum sint indifferentia ad esse & ad non esse; ergo determinate a Deo cognosci non possunt.

Resp. Dist. ant. Non habent determinatam veritatem pro præsenti tempore, conc. ant. nempe (ut supponitur,) illorum causæ nondum existunt; pro tempore quo futura prævidentur, neg. ant. tunc enim caussæ ad ea sese determinabunt.

Obj. Præscientia futurorum stare non potest cum eorum libertate: siquidem ex suppositione quod prævideantur, necessario erunt; si enim possent non esse, falli posset Dei præscientia: quod quidem dictu impium est.

Resp. Nego ant. ad cujus probationem, nego falli posse, etiam in eo casu, Dei præscientiam: quia cum futura libera prævidentur, jam supponuntur futura: non enim ideo futura sunt, quia prævidentur, sed ideo prævidentur quia in priori instanti naturæ jam futura sunt: *Non enim* (inquit Hieronymus in caput 2. Ezechielis) *quia illa ventura cognoscit, necesse est facere quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus.*

11. *Q.* Deus cognoscitne libera, futura sub conditione quæ nunquam ponetur, hoc est, novitne ea quæ futura non sunt, sed quæ forent futura, si poneretur aliqua conditio?

R. Cognoscit. Ea enim in Scripturis prædixit: scilicet 1. Reg. 23. Davidi quærenti an Ceilitæ eum prodituri essent, si in eorum urbe remaneret, Deus respondit, *tradent*: quod tamen non contigit, eo quod post illud responsum David ex urbe Ceila, non expectato Saulis adventu, discesserit. 2. Christus Matthæi 11. prædixit Sidoniorum & Tyriorum futuram conversionem, si ipse eadem apud illos miracula patraturus fuisset, quæ apud Judæos patrat: *Væ tibi* (inquit) *Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tiro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egissent.*

Obj. 1. Augustinus variis in locis Semipelagianos confutat, quod docerent Deum esse præscium futurorum quæ nusquam erant, quæ tamen revera forent si aliqua conditio poneretur: ergo, &c.

R. Dist. ant. In sensu Semipelagianorum, conc. ant. absolute & simpliciter, nego ant. Pelagiani & Semipelagiani docebant futura de quibus agitur, nomine tantum tenus conditionate prævideri, reipsa vero contendebant ea absolute prævideri: asserebant enim ad ea futura Deum exigere suam erga homines providentiam: unde docebant Deum ideo permittere ut quidam infantes sine Baptismo morerentur, quod prævidisset eos abusuros fuisse Baptismate, si diutius vixissent.

Obj. 2. Conjecturalis tantum, non vero certa, est cognitio quam Deus habet de rebus quæ non erunt, sed futuræ essent, si poneretur aliqua conditio: unde dubitanter, & non certo in Scripturis prædicuntur: *Si forte* (inquit Deus Ezechielis 2.) *vel ipsi audiant.*

R. Dist. ant. Dubitanter ex parte hominum, conc. ant. ex parte Dei nego ant. hoc est, illa futura dubitanter prædicuntur, ut ex parte hominum, non autem ex parte Dei rei futuræ incertitudo significetur. Præterea illud adverbium *forte*, adjectum est, ut (inquit Hieronymus ad cap. 26. Jeremiæ) *denotaretur, id de quo agitur, non futurum esse necessario, sed libere ex parte creatæ voluntatis.*

§. III. De

§. III. *De Medio in quo Deus cognoscit futura.*

1. *Quæst.* Quodnam est Medium, in quo Deus cognoscit futura libera ordinis naturalis, seu quæ fieri possunt sine gratiæ adjutorio?

R. Est creata voluntas. Ratio est, quia in eo tanquam in medio Deus ab æterno vidit futura de quibus agitur, quod secundum nostrum concipiendi modum est a Deo prius cognitum, quodque est eorum caussa: duæ nimirum illæ conditiones requiruntur: & satis sunt, ut res aliqua habere possit rationem Medii respectu alterius: atqui voluntas creata prius, secundum nostrum concipiendi modum, a Deo cognoscitur, quam futura libera, de quibus est quæstio; & præterea est illorum causa: ergo, &c.

Obj. 1. Voluntas creata non habet connexionem necessariam cum futuris liberis quæ sunt ordinis naturalis: alioquin enim illa futura non essent libera: ergo non possunt esse medium in quo certo a Deo cognoscantur.

R. Dist. ant. sed habent infallibilem connexionem cum voluntate creata, conc. ant. & non habent infallibilem connexionem cum voluntate creata, nego ant. Eam autem infallibilem, quamvis minime necessariam, connexionem licet creatus intellectus non attingat, attingit tamen divinus, eo quod perfectissime comprehendat caussæ contingentis tum naturam, tum propensionem: ac proinde certo novit ad quid se se determinatura sit in his aut illis circumstantiis posita: nempe novit quid in his aut in illis circumstantiis magis eam delectatura sit: & consequenter certo novit quid eveniet: verum est enim illud Augustini principium: *Quod nos magis delectat, secundum id operemur necesse est*, id est, infallibile.

Obj. 2. Deus videt futura de quibus agitur in decreto absoluto de conferenda prædeterminatione physica; quæ, cum per se sit efficax, voluntatem determinatura sit ad actus liberos ordinis naturalis: ergo non in voluntate creata. Ita recentiores omnes Thomistæ ratiocinantur.

R. Nego ant. scilicet creata voluntas (ut dicemus in tractatu de gratia) non indiget prædeterminatione physica ut se se ad actus ordinis naturalis determinet: ac proinde inutile est decretum absolutum, latum ab æterno, de conferenda in tempore prædeterminatione physica.

Obj. 3. Deus videt futura libera in reali eorum coexistentia cum æternitate: ergo ea non videt in voluntate creata tanquam in medio prius, secundum nostrum concipiendi modum, cognito. Probatur ant. ex SS. Patribus qui aiunt omnia æternitati realiter coexistere: & propterea, cum æternitas sit tota simul ac plane indivisibilis, omnia omnino tempora complectitur, ac proinde & res quæ futuræ sunt in aliqua temporis differentia.

Resp. Ad 1. Nego ant. quia si futura realiter æternitati coexisterent, jam non essent futura, sed præsentia: quod tamen dictu absurdum est, cum eorum caussæ nondum (ut supponitur) existant.

Ad 2. Dist. ant. Ex Patribus, omnia sunt æternitati præsentia, cognitione, conc. ant. reali existentia, nego ant. hoc est, omnia quidem æternitati coexistunt objective, quia Deus habet in sua essentia notiones seu ideas rerum omnium sive sint præteritæ, sive præsentes, sive futuræ: sed non sunt ipsi præsentia per coexistentiam veram & realem: *In Dei sapientia* (ait Augustinus in libro ad Orosium cap. 8.) *omnium faciendorum rationes esse potuerunt, non tamen facta.*

Ad 3. Dist. ant. Æternitas omnia, quæ revera existunt, complectitur, conc. ant. quæ non existunt revera, sed objective tantum, nego ant. at futura de quibus agitur nondum sunt, ac proinde mirum non est, quod æternitas ea actu non complectatur.

Addi potest quod licet æternitas realiter actu complecteretur omnia futura libera; non sequeretur tamen quod Deus ea in æternitate tamquam *in medio* videret. Nempe prius supponuntur futura, quam sint in æternitate: ideo enim illa futura potius, quam non futura, sunt in æternitate, quod revera futura sint: ac proinde æternitas, quæ non est caussa futuritionis illorum, non potest esse medium in quo a Deo prævideantur.

2. *Q.* Quodnam est medium in quo Deus ab æterno vidit Sanctorum Angelorum perseverantiam?

R. Medium illud est Angelorum voluntas: nullum enim aliud medium fingi aut cogitari potest.

Obj. Deus vidit ab æterno futuram Sanctorum Angelorum perseverantiam in decreto absoluto de conferenda illis in tempore gratia per se efficaci, quæ eos ad perseverantiam physice determinatura esset: ergo eam non vidit in creata Angelorum voluntate.

Resp. Nego ant. Ratio est, quia fictitium est illud decretum: scilicet falsum est quod sanctis Angelis ad perseverandum necessarium fuerit, aut datum sit auxilium efficax quod eos ad perseverandum determinaret: satis enim fuit auxilium versatile, quod Augustinus passim in libro de correptione & gratia, vocat auxilium, non quidem *Quo* perseveraverint, sed tamen *sine quo* perseverare non poterant. Vide quæ de duplici illo adjutorio dicentur inferius in tractatu de Deo auctore gratiæ.

3. *Q.* Quodnam est Medium in quo Deus ab

ab æterno vidit futura libera absoluta, quæ pertinent ad statum naturæ lapsæ, quæque sunt ordinis supernaturalis, hoc est quæ fieri non possunt sine gratiæ adjutorio?

R. Est decretum absolutum, latum ab æterno de conferenda in tempore gratia per se efficaci, quæ physice voluntatem lapsam prædeterminatura est ad actus ordinis supernaturalis. Ratio est, quia illud decretum 1. est, secundum nostrum concipiendi modum, prius a Deo cognitum, quam futura de quibus agitur: est illorum futurorum prima caussa & quidem efficax; neque enim homo lapsus aliquem actum vel minimum, hoc est, ipsam primam boni volitionem actu operatur, nisi ad illud physice per gratiam per se efficacem prædeterminetur, ut dicetur in tractatu de Gratia; at non prædeterminatur in tempore, nisi ab æterno latum fuerit decretum de conferenda in tempore gratia per se efficaci: ergo, &c.

4. *Q.* Quodnam est Medium in quo Deus vidit ab æterno futura conditionata libera, quæ revera futura essent, si poneretur aliqua conditio, sed tamen quæ revera nusquam erunt, eo quod illa conditio nusquam ponenda sit?

R. Est essentia divina: quia futura de quibus agitur, sunt (ut mox dicetur) mere possibilia: atqui mere possibilia videntur in essentia divina: continet enim possibilium omnium ideas, notiones, rationes *in Deo incommutabiliter* (ut ait Augustinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 7.) *permanentes*.

§. IV. *De divisione scientiæ Dei.*

1. *Quæst.* QUotuplex est in Deo scientia? R. Unica tantum realiter: scilicet ea omnia quæ sunt in Deo realiter, sunt idem cum essentia divina, quæ est unicus & simplicissimus actus: At vero scientia in Deo multiplex est secundum nostrum concipiendi modum: intellectus enim humanus totuplicem in Deo scientiam distinguit, quot sunt objecta circa quæ versatur: sed multiplicia sunt illa objecta: ergo, &c.

2. *Q.* Quotuplex est objectum circa quod scientia Dei versatur?

R. Duplex tantum: possibile nimirum, & existens in aliqua temporis differentia: quidquid enim concipitur ab intellectu, vel fuit, aut est, aut erit; vel nec fuit, nec erit aliquando. Si primum, est existens in aliqua temporis differentia: si vero secundum, est mere possibile.

3. *Q.* Quomodo vocantur scientiæ quæ circa duplex illud objectum versantur?

R. Scientia quæ versatur circa ea quæ existunt in aliqua temporis differentia, vocatur scientia *visionis*: quæ vero circa mere possibilia versatur, vocatur scientia *simplicis intelligentiæ*: sic placuit scholasticis utramque illam scientiam & vocare & distinguere.

4. *Q.* Estne inter scientiam *visionis*, & scientiam *simplicis intelligentiæ*, tertia aliqua scientia quæ *Media* dicatur?

R. Circa eam quæstionem duplex est Scholasticorum sententia. Prima, quæ est Thomistarum omnium, docet inter duplicem allatam scientiam non esse tertiam, quæ *Media* dicitur. Altera, quam propugnant discipuli Ludovici Molinæ, asserit e contra præter scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ dari tertiam scientiam, quæ *Media* dicitur.

5. *Q.* Potestne ratione probari, admitti non debere illam scientiam, quæ *Media* dicitur?

R. Potest. Siquidem Media inter scientiam visionis & scientiam simplicis intelligentiæ, scientia admitti non debet, si non datur objectum aliquod medium inter objectum scientiæ visionis, & objectum scientiæ simplicis intelligentiæ; scilicet Dei scientia non multiplicatur nisi ratione multiplicis objecti circa quod versatur. Atqui non datur tertium illud objectum: siquidem objectum, circa quod Dei scientia versatur, vel existit in aliqua temporis differentia, vel non existit; cum inter existere & non existere non detur medium. Si primum, est res vel præterita, vel præsens, vel futura: si secundum, est res mere possibilis: ergo non datur tertium objectum inter objectum scientiæ visionis & objectum scientiæ simplicis intelligentiæ: illa enim habet pro objecto res omnes quæ existunt in aliqua temporis sive præteriti, sive præsentis, sive futuri, differentia: Ista vero, versatur circa res mere possibiles.

Dices. Inter existens, & non existens datur aliquod objectum medium: illud nimirum quod nec fuit, nec est, nec erit aliquando: sed futurum esset, si poneretur aliqua conditio; hujusmodi vero videtur esse Davidis per Ceilitas proditio, si in eorum urbe usque ad Saulis adventum remansisset.

Sed contra sic argui potest. Vel illa conditio aliquando ponetur, vel nusquam ponetur. Si primum, id quod pendet ab ea conditione, est aliquando futurum; ac proinde est objectum scientiæ visionis. Si secundum, est simpliciter possibile atque adeo objectum scientiæ simplicis intelligentiæ.

Obj. 1. Conversio Tyriorum & Sidoniorum, de qua Christus loquitur Matthæi 11. Proditio Davidis per Ceilitas, cujus fit mentio 1. Reg. 23. non sunt mere possibiles; non enim dicitur, quod evenire potuissent, sed quod revera futuræ fuissent, si posita fuisset conditio: non sunt quoque absolute futuræ; ergo datur medium inter objectum scientiæ visionis, & objectum scientiæ simplicis intelligentiæ.

R. ad 1. Conversionem & proditionem de quibus agitur, esse mere possibiles. Ad 2. Non est habenda ratio modi illius loquendi quo in locis laudatis utitur Scriptura: nempe Deum humano more loquentem inducit: solemus enim quæ mere possibilia sunt, asserere futura sub conditione quæ numquam ponetur. Confirmatur ex eo quod si habenda foret ratio modi, quo Scriptura nonnumquam Deum inducit loquentem, dicendum esset Deum de aliquibus dubitare: nempe dubitanter loquens inducitur in Scripturis, ut patet ex Genesis cap. 4. ubi Deus sic Cainum alloquitur: *Ubi est Abel frater tuus?*

Obj. 2. Proditio Davidis per Ceilitas & conversio Tyriorum plus habent actualitatis, quam alter mundus possibilis: si enim non plus haberent actualitatis, ut quid David Saulis adventum pertimuisset? cur in die judicii Corozaitæ, & Bethsaitæ gravius quam Tyrii, & Sidonii castigandi sunt?

R. 1. Ideo David timuit, quia Deus ei non revelaverat, num Saul descensurus esset in urbem Ceilam; unde non perpendit Saulis adventum tamquam mere possibilem, licet in se ipso mere possibilis esset, sed tamquam dubium; ac proinde sapienter sibi per discessum ex urbe Ceila consuluit. 2. Non ideo Tyrii & Sidonii mitius, quam Corozaitæ & Bethsaitæ, excipientur in die judicii, quod istorum conversio magis futura fuerit, quam res mere possibiles, sed quod illi in prava cordis dispositione magis obcæcati & indurati fuerint.

6. *Q.* Augustinus impugnavitne vanum Semipelagianorum de scientia media usum?

R. Impugnavit, scilicet Semipelagiani (Augustino teste in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 13.) docebant, Deum quibusdam parvulis ante mortem baptismum concedere & negare aliis; quibusdam gentibus concedere Evangelii prædicationem, aliis vero negare, intuitu operum quæ nusquam futura erant, sed futura fuissent, si posita fuisset aliqua conditio: hoc est, contendebant ideo parvulis quibusdam ante mortem non dari baptisma, quod Deus prævidisset parvulos illos abusuros fuisse baptismatis Sacramento, si ad maturam usque ætatem vixissent; ideo nonnullis gentibus Evangelium non prædicari, quod Deus prævideri eos, licet Evangelium prædicaretur, minime convertendos esse. Quod quidem systema ostendit Augustinus repugnare Evangelio dicenti, Tyrios & Sidonios convertendos fuisse, si prædicatum fuisset illis Evangelium, quod tamen nusquam illis annuntiatum est: repugnare & ei Sapientiæ effato, quo dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Repugnare & Apostolo, dicenti non de alio hominem judicandum esse, quam de eo quod in suo corpore gesserit sive bonum sive malum.

7. *Q.* Scientia Media sumpta etiam secundum substantiam cohæretne cum germanis sancti Augustini principiis?

R. Non cohæret. Siquidem scientia media secundum substantiam sumpta, est (ex illius defensoribus) ea, per quam Deus, independenter a decreto absoluto de determinanda per gratiam per se efficacem voluntate, prævidet actus supernaturalis ordinis sub conditione quæ nusquam ponenda est, futuros: atqui id non cohæret cum Augustini principiis: ergo scientia Media etiam secundum substantiam sumpta, &c. Major propositio continet ipsam scientiæ mediæ ideam. Itaque probatur minor. Augustinus docuit, Deum non prævidere actus supernaturales lapsæ voluntatis, sive absolute sive conditionate futuros, independenter a decreto absoluto de determinanda per gratiam efficacem voluntate, si in his aut illis circumstantiis ponatur: ergo &c.

Antecedens in quo cardo difficultatis vertitur, ostenditur ex hac celebri S. Doctoris sententia in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 10. *Prædestinatione quippe* (ac proinde absoluto decreto) *ea*, Deus, *præscivit, quæ fuerat ipse facturus*. Præterea capite 9. ejusdem libri de prædestinatione SS. solvens argumentum, quod, ut scribit Hilarius, adversarii S. Augustini desumpserant ex ejusdem Augustini libro de sex quæstionibus Paganorum, ubi asseruerat, tunc voluisse *hominibus apparere Christum, quando sciebat, qui in eum fuerant credituri*, docet, id quod objiciebatur, ibi a se dictum fuisse *sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque caussarum*; addit, latens illud consilium non aliud esse, quam æternam prædestinationem, seu absolutum decretum de conferenda per gratiam efficacem fide gentibus, quibus Christus apparitururus erat: *Utrum tantummodo eos præsciverit, an etiam prædestinavit Deus credituros, quærere ac disserere tunc non putavi*. Tandem scientia media in eo posita est, quod antequam Deus ferat absolutum aliquod decretum de conferenda gratia, exploret ad quid creata voluntas se se determinatura esset, si in his aut illis circumstantiis, in hoc vel illo cordis & mentis affectu, daretur auxilium gratiæ versatilis: atqui dogma illud Augustinus impugnavit: id nimirum, non aliud est quam voluntati creatæ primas partes dare in iis quæ ad salutem æternam pertinent, & discretionem operantis bonum a non operante refundere non in donum Dei, sed in lapsæ naturæ vires: quod quidem ejusdem Augustini principiis adversatur, &c.

8. *Q.* Scientia Dei estne caussa rerum?

R. Est rerum caussa directiva, quia suppeditat ideas, ad quas exactæ sunt res quæ ex nihilo eductæ sunt: juxta illud Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.*

9. *Q.* Quænam Dei scientia est caussa rerum?

R. Non

R. Non est scientia visionis; quia futuritio rerum præcedit scientiam visionis: ideo enim Deus videt res futuras, quia jam futuræ sunt, aut per absolutum Dei decretum de earum futuritione, sicut actus supernaturales creaturæ per peccatum lapsæ, vel per creatæ voluntatis determinationem, sicut actus ordinis naturalis, immo & supernaturalis in statu naturæ innocentis: in eo enim statu nusquam aliquod decretum absolutum latum est de bonis operibus; in eo statu nusquam locum habuit gratiæ per se efficacis necessitas ad operandum bonum, ut dicetur inferius in tractatu de Gratia.

R. 2. Sola scientia simplicis intelligentiæ est caussa rerum: ipsa enim est sola quæ præcedit, secundum nostrum concipiendi modum, rerum futuritionem; ipsa est quæ sola dirigit Deum, ut sua de rebus decreta ferat, quemadmodum idea artificis artificem ad suum opus dirigit.

CAPUT X.

De voluntate Dei.

1. Q. Estne in Deo voluntas?

R. Est: Quia voluntas semper reperitur in substantia, cui inest intelligendi facultas; unde Scripturæ non semel voluntatem Deo tribuunt: *voluntati ejus* (ait Apostolus ad Rom. 9.) *quis resistit?*

2. Q. Quotuplex est a parte rei in Deo voluntas?

R. Unica, quia quidquid est in Deo, in eo est tamquam actus purissimus & simplicissimus. Neque enim in Deo est, aut potest esse compositio, seu plurium distinctorum unio.

3. Q. Voluntas Dei quomodo dividitur ratione modi quo Deus vult res aliquas?

R. Dividitur in voluntatem *Signi*, & in voluntatem *Beneplaciti*: siquidem vel Deus improprie tantum & metaphorice vult rem aliquam, vel proprie & (ut loquuntur) formaliter. Si primum, constituitur voluntas signi: si vero secundum, constituitur voluntas beneplaciti; unde quærenti quid sit voluntas signi, respondendum erit esse eam, per quam Deus rem aliquam vult metaphorice tantum; quærenti vero quid sit voluntas beneplaciti, dicendum erit esse eam, per quam Deus proprie vult rem aliquam.

4. Q. Quot sunt, species voluntatis signi?

R. Tot sunt, quot sunt signa quæ divinam Dei de re aliqua voluntatem indicant; illa autem signa quinque passim numerantur: præceptum, consilium, prohibitio, permissio, operatio.

5. Q. Deus vultne voluntate beneplaciti ea omnia quæ vult voluntate signi?

R. Non vult semper: nempe licet Abrahamo Isaaci occisionem præceperit, eam tamen non voluit voluntate beneplaciti: immo prohibuit postea ne fieret. Verum licet Deus non velit semper voluntate beneplaciti id quod vult voluntate signi, vult tamen aliquid aliud voluntate beneplaciti, v. g. voluntate beneplaciti voluit ut Abrahamus paratum exhiberet animum ad Isaaci occisionem.

6. Q. Quomodo Dei voluntas dividitur ratione diversarum circumstantiarum secundum quas idem objectum potest considerari?

R. Dividitur in antecedentem, & consequentem. Prior, ex S. Thoma, est ea per quam Deus vult objectum aliquod in se ipso & absolute consideratum. Altera est ea, per quam Deus vult objectum aliquod singulare, consideratum non tantum in se, sed etiam cum omnibus circumstantiis particularibus.

7. Q. Antecedens & consequens Dei voluntas possunt ne aliquibus exemplis explicari?

R. Possunt, ut videre est in hisce verbis, quibus S. Thomas utramque illam voluntatem explicat 1. part. quæst. 19. art. 6. ad 1. *Ad cujus* (divisionis voluntatis in antecedentem & consequentem) *intellectum, considerandum est, quod unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo: aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum: quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, & hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem; sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere: unde potest dici, quod judex justus antecedenter vult hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus vult antecedenter hominum salutem, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ.* Vide quæ inferius dicentur.

8. Q. Voluntas antecedens estne *proprie* in Deo an vero *metaphorice* tantum? Estne voluntas *signi* tantum, an vero etiam *beneplaciti*?

R. Est proprie in Deo, & est voluntas beneplaciti. Ratio est 1. quia S. Thomas Lectione 1. in cap. 2. primæ Epistolæ Pauli ad Timotheum, antecedentem Dei voluntatem comparat cum voluntate, quam mercator habet servandi merces, quas projicit in mare, ut sæviente tempestate vitet naufragium: at ea mercatoris voluntas est *proprie & formaliter* in illo mercatore. 2. Deus vult formaliter & proprie id quod in se bonum est: atqui hujusmodi est objectum voluntatis antecedentis, ut ibidem docet mox laudatus S. Thomas.

Obj. S. Thomas docet Dei voluntatem ante-

tecedentem dici potius debere velleitatem, quam simplicem voluntatem: *Unde* (inquit) *magis potest dici velleitas, quam simplex voluntas:* atqui velleitas non est proprie in Deo; ergo nec voluntas antecedens.

R. Disting. antecedens: debet magis dici *velleitas*, respective sumpta, hoc est, comparata cum voluntate consequente, quæ est efficax, conc. ant. Debet dici velleitas simpliciter & absolute, nego ant. hincque sequitur voluntatem antecedentem quam Deus habet de salute omnium in individuo hominum in statu naturæ lapsæ, esse sinceram & veram voluntatem, licet inefficacem, ut suse dicetur inferius.

6. *Q*. Dei voluntas impleturne semper?

R. Voluntas *signi* non semper impletur: quamvis enim Deus velit voluntate signi, hoc est, quamvis imperet, ut omnes cum super omnia diligant, id tamen non impletur. 2. Voluntas beneplaciti non semper quoque impletur; siquidem voluntas antecedens, quæ est voluntas beneplaciti, se habet in Deo, ex S. Thoma, sicut voluntas mercatoris respectu suarum mercium, quas sæviente tempestate vult conservare, quasque tamen ut vitet naufragium, projicit in mare. 3. E contra consequens Dei voluntas semper impletur: de ea nimirum intelligi debent hæc Dei ipsius apud Isaiam cap. 46. verba: *Omnis voluntas mea fiet*: necnon & illud Psalmi 123. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.*

10. *Q*. De qua Dei voluntate intelliguntur hæc Apostoli verba 1. ad Timotheum 2. *Qui* (Deus) *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?*

R. Ex S. Thoma intelligitur de voluntate antecedente; quæ quidem (ut superius dictum fuit) est vera, & sincera voluntas beneplaciti. Licet vi ejusmodi voluntatis omnibus hominibus præparentur media ad salutem sufficientia etiam in statu naturæ lapsæ: & licet quoad præparationem illam sit efficax, suum tamen præcipuum finem & primarium, qui est omnium hominum salus, non assequitur; neque enim omnes homines æternam salutem consequuntur, & in hoc, est voluntas inefficax.

11. *Q*. Voluntas Dei prædefiniitne absolute ab æterno actus omnes supernaturales creaturæ rationalis per peccatum in Adamo lapsæ?

R. Prædefiniit, quia id Deus ab æterno prædefiniit absolute, ad quod in tempore physice prædeterminat: atqui creaturam rationalem per peccatum in Adamo lapsam prædeterminat ad omnes omnino actus ordinis supernaturalis: neque enim (ut suse dicetur in nostro tractatu de Gratia) homo per peccatum Adami lapsus quidquam boni, quod ordinis sit supernaturalis, aut incipit actu, aut perficit, nisi ad illud per gratiam ex se, seu ex sua natura efficacem determinetur: ergo, &c.

12. *Q*. Voluntas Dei prædefiniitne absolute ab æterno perseverantiam sanctorum Angelorum?

R. Non prædefiniit: quia Angeli ad actu perseverandum non indiguerunt auxilio per se efficaci & prædeterminante: nempe satis eis fuit auxilium versatile, cujus efficacia penderet ex earum voluntate: & revera, Augustino teste in libro de correptione & gratia, illo solo auxilio adjuti, actu & de facto perseverarunt.

13. *Q*. Deus prædefinitne absolute creatæ voluntatis per peccatum lapsæ actus liberos, qui sunt ordinis mere naturalis?

R. Non prædefinivit: quia creatura rationalis, etiam per peccatum Adami lapsa, non indiget divina prædeterminatione ut actus liberos ordinis mere naturalis operetur. Unde actus illi non fuerunt ab æterno futuri vi decreti absoluti quod Deus de illorum futuritione tulerit, sed tantum vi prævisæ a Deo creatæ voluntatis electionis, ut suo loco dicetur.

14. *Q*. Voluntas Dei estne libera?

R. Est libera: quia libertas est perfectio: perfectiones autem omnes in Deo (ut superius a nobis dictum est) reperiuntur. Unde scriptura Deum nobis exhibet tamquam maxime liberum. *Omnia* (inquit) *quæcumque voluit, fecit.*

15. *Q*. Circa quæ objecta libertas proprie dicta convenit Deo?

R. Circa operationes omnes quæ sunt ad extra: ita enim Deus operatur ad extra, ut possit non operari: ita v. g. creavit mundum, ut potuerit non creare; ita mundum redemit, ut potuerit eum non redimere. E contra proprie dicta libertas, quæ & a S. Thoma *libertas arbitrii* dicitur, Deo non convenit circa illius operationes ad intra: quia Deus necessario, licet non coacte, operatur ad intra; neque enim Deus ita seipsum amat, ut possit non amare; non ita Pater Verbum generat, ut possit illud non generare. Hinc fit, ut licet circa res ad extra electio proprie Deo tribuatur, non tribuitur tamen circa operationes ad intra, neque enim ibi est electioni locus ubi est necessitas. Nempe idea electionis essentialiter præsupponit in subjecto indifferentiam ad actum, seu potestatem cum eliciendi & non eliciendi.

18. *Q*. Quænam est forma per quam Deus constituitur liber.

R. Est ipsum Dei velle, non quidem prout ad Deum terminatur, quia sic est omnino necessarium, sed prout terminatur ad creaturas: sic enim consideratum ita habet creaturas pro termino, ut illas potuerit non habere.

CAPUT XI.

De Providentia.

1. *Q.* QUid est providentia?

R. Est ratio, seu idea, seu cognitio, præexistens in mente divina, per quam res creatæ in suum finem diriguntur. Hinc autem patet 1. providentiam in Deo esse quid practicum; 2. versari eam non circa finem ultimum, sed tantum circa media, quæ ad eum tendunt.

2. *Q.* Daturne providentia?

R. Datur. Nam 1. anima in seipsa sentit ac experitur existere providentiam; sæpius enim, & quidem naturaliter (Tertulliano teste) in has erumpit voces: *Deus videt omnia: Deo commendo: Deus reddet: Deus inter nos judicabit*. 2. Scripturis docemur omnia Dei oculis patere: subjacere omnia divino illius regimini: ipsum de omnibus judicare: at ea esse non possunt sine providentia: immo ipsamet sunt Dei providentia.

3. *Q.* Creaturæ, quæ necessario operantur, subjacentne divinæ providentiæ.

R. Subjacent. Nam 1. mirabilis & constans ordo qui elucet in Universi partibus, nec esse, nec cogitari potest absque suprema sapientia quæ illis præsit, easque gubernet. 2. Christus Matthæi 6. aves & lilia, & humilia ac vilia quæque divinæ providentiæ subjicit.

4. *Q.* Creatura libera subjacetne providentiæ divinæ?

R. Subjacet. Nempe Scriptura testatur 1. creaturæ rationalis opera esse sub Dei potestate. *Cor regis* (Proverbiorum 21.) *in manu Domini, quacumque voluerit inclinabit illud*. Testatur 2. actiones liberas Deo subjacere: *Non est* (Jeremiæ 12.) *hominis via ejus: nec viri ut dirigat gressus suos*. Testatur 3. Deum de actionibus liberis judicaturum esse: *Reddet unicuique secundum opera ejus*; ergo, &c.

5. *Q.* Peccata subjacentne Dei providentiæ?

R. Subjacent, etiam secundum suum esse formale sumpta; in quantum scilicet Deus permittit ut fiant: hoc est, non impedit ne fiant, ut bonum inde eliciat; *Neque enim* (ait Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 11.) *ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut bene faceret etiam de malo*.

Obj. 1. Multa casu fiunt & fortuito. 2. Multa frustra fiunt in rerum natura. 3. Impii ut plurimum agunt prospere: pii e contra adversis premuntur: sed hæc cum providentiæ existentia stare non possunt: Ergo, &c.

R. Ad 1. dist. Ant. Multa casu fiunt secundum opinionem nostram, conc. ant. plerumque enim ignoramus finem ad quem ex intentione Dei diriguntur: secundum rei veritatem, nego ant. Ad 2. dist. ant. Multa fiunt frustra per respectum ad caussas particulares, conc. ant. non raro nimirum caussæ particulares deficiunt: per respectum ad provisorem generalem, nego ant. scilicet defectus caussarum secundarum non accidunt nisi ex ordinatione provisoris generalis. Ad 3. conc. ant. neg. conf. Ratio est, quia multæ sunt caussæ, cur id Deus permittat: ita nimirum erga pios se gerit, 1. ut virtus variis probata casibus illustrior fiat; 2. ut pii hujusmodi miseriis cautiores fiant ac humiliores; 3. ut viri frugi doceantur, sæculum hoc tot aspersum miseriis diligi non debere, sed alterum debere sollicite ab eis desiderari ad exemplum Apostoli: *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo*.

6. *Q.* Providentia assequiturne semper suum finem?

R. Assequitur, & quidem 1. in caussis necessariis quæ semper habent finem suæ naturæ, aut ordini Universi cujus sunt pars, convenientem: 2. in caussis contingentibus: nempe quod deficiant aliquando aut non deficiant, est ex natura quam habent a Dei providentia.

7. *Q.* Providentia imponitne necessitatem rebus provisis?

R. Imponit aliquibus, necessariis nimirum; non autem liberis: nam Deus, cum sit provisor generalis, unicuique caussæ secundum naturam & conditionem illi propriam providet: ergo cum caussariarum necessarium natura exigat, ut necessario agantur in suos fines, caussarum vero liberarum conditio postulet, ut libere in finem suum moveantur, Deus illas necessario movet, istas vero libere.

CAPUT XII.

De Prædestinatione.

§. I. De natura & divisione Prædestinationis.

1. *Qu.* PRædestinatio quomodo definitur?

R. Definitur *præscientia & præparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicumque liberantur*. Ita Augustinus in libro de Dono perseverantiæ cap. 15.

2. *Q.* In Augustiniana prædestinationis definitione quid intelligitur nomine *præscientiæ*?

R. Intelligitur cognitio quam Deus habet tum de ultimo fine ad quem creaturæ per prædestinationem eliguntur; tum etiam de efficacia & virtute mediorum quibus creaturas prædestinatas ad ultimum finem perducit. Nec id mirum est, qui enim vult alicui finem, debet illum præcognoscere, nec non media quibus comparari possit.

3. *Q.* Quid in Augustini definitione prædestinationis, intelligitur nomine *præparationis*.

R. Intelligitur absoluta & efficax voluntas

quam

quam Deus habuit ab æterno conferendi tum gratiam tum gloriam quibusdam creaturis rationalibus; hincque patet qua ratione prædestinatio a gratia differat: *Inter gratiam porro* (ait Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 10.) *& prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ* (hoc est, & hujus & alterius vitæ beneficiorum) *præparatio; gratia vero, jam ipsa donatio.*

4. *Q.* Quid intelligitur nomine *beneficiorum* quorum fit mentio in definitione Augustini de prædestinatione?

R. Intelliguntur 1. omnia alterius vitæ bona ad quæ Deus homines per prædestinationem eligit. Intelliguntur. 2. Auxilia gratiæ quibus Deus usurus est in tempore, ut electos ad alterius vitæ bona perducat.

5. *Q.* Quid intelligi debet per hanc vocem *liberantur* quæ in definitione prædestinationis continetur?

R. Intelligi debet effectus prædestinationis, 1. in altera vita, ubi prædestinatus erit cujuslibet expers miseriæ; 2. in hac vita, ubi jam per fidem spem & caritatem, incipit a jugo peccati liberari, sed non perfecte, quia remanet etiam in justificatis hominibus concupiscentia quæ illos ad agonem usque ad peccatum excitat & provocat.

6. *Q.* Quid significatur hac voce *certissime*?

R. Significatur vis & efficacia tum finis ad quem creatura a Deo eligitur, tum mediorum per quæ in hac vita liberatio electorum incipit.

7. *Q.* Quotuplex est prædestinatio, seu quomodo prædestinatio dividitur?

R. Duplex, quia duplex est terminus ad quem creatura rationalis a Deo prædestinatur, gratia nimirum & gloria; igitur prædestinatio duplex est, prædestinatio ad gratiam & prædestinatio ad gloriam.

8. *Q.* Prædestinatio ad gratiam estne gratuita; hoc est, Deus prædestinatne homines ad gratiam independenter a prævisis meritis quæ creatura rationalis per solas naturæ vires comparaverit?

R. est omnino gratuita. Ita quondam Ecclesia definiit contra Pelagianos, qui docebant, gratiam secundum merita dari. Ita quoque definiit contra Semipelagianos qui asserebant gratiam dari dependenter a prævisione fidei, cujus initium a nobis esset. Ita etiam docuit Clerus Gallicanus, cum ad Comitia generalia anno 1700, coactus declaravit Semipelagianismum instaurare, mutatis tantum vocibus, propositionem qua asserebatur. Deum facienti quod in se est ex viribus naturæ, dare gratiam ex debito quodam, quod oriatur ex pacto quod inter Christum fidejussorem nostrum, & Patrem æternum initum fuerit ad conferendam gratiam iis, qui ex viribus naturæ bene moraliter se gesserint.

§. II. *De gratuitate Prædestinationis ad gloriam.*

1. *Qu.* Prædestinatio ad gloriam estne gratuita, hoc est, Deus prædestinavitne creaturas rationales ad æternam salutem independenter a prævisione meritorum, quæ etiam cum auxilio gratiæ in hac vita comparata fuerunt?

R. Duplex est ea de re Scholasticorum sententia. Prima est Ludovici Molinæ, qui docet prædestinationem ad gloriam non esse gratuitam, scil. asserit Deum neminem ad æternam salutem prædestinasse, nisi post prævisa merita quæ in hac vita cum auxilio gratiæ comparaverit. Altera est Thomistarum omnium, quibus placet prædestinationem ad gloriam esse omnino gratuitam; hoc est, docent Deum eos omnes, qui salvandi sunt, ab æterno elegisse independenter a prævisione meritorum quæ per auxilium gratiæ in hac vita comparaturi sunt.

2. *Q.* Gratuita prædestinatio ad gloriam potestne probari ex Evangelio Lucæ.

R. Potest: Christus Lucæ 12. sic loquitur: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Vox illa, *complacuit*, non obscure innuit, voluntatem quam Pater habet dandi regnum cæleste oriri ex mero illius beneplacito. Id quoque non obscure innuit scopus quem Christus eo in loco sibi proponit; vult enim discipulos amovere a rerum temporalium cura: ad eum vero finem sic argumentatur a majori ad minus: Patri complacuit vobis gratuito dare cæleste regnum: ergo a fortiori providebit vobis de rebus ad hujus vitæ sustentationem necessariis. Nec valeret illud argumentum, si prædestinatio ad gloriam non foret gratuita: immo discipuli inde conclusissent, se de rebus temporalibus sollicite curare debere: sic enim ratiocinari potuissent: Quemadmodum Pater neminem eligit ad regnum cæleste, nisi post prævisa illius merita; ita nemini statuit de necessariis providere, nisi post prævisam hominum in iis comparandis diligentiam; sollicite igitur homines de iis curare debent.

3. *Q.* Gratuita prædestinatio ad gloriam potestne probari ex Evangelio Joannis?

R. Potest. Christus Joannis 6. ait electos sibi a Patre traditos fuisse; neminem ex iis, qui sibi a Patre traditi sunt, periturum: *Hæc est voluntas Patris ut omne quod dedit mihi non perdam, sed resuscitem in novissimo die.* Si prædestinatio non sit gratuita, Pater salvandos non tradidit Christo, sed ipsimet salvandi, per opera pietatis prævisa, seipsos & Patri & Christo tradiderunt.

4. *Q.* Gratuita prædestinatio ad gloriam potestne probari ex Pauli Epistola ad Ephesios?

S 2 R. Po-

R. Potest. Epistolæ ad Ephesios cap. 1. Apostolus scribit, salvandos fuisse a Deo electos, ut essent sancti & immaculati: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Asserit eos ad eam sanctitatem electos fuisse, quod ad gloriam electi sint: *Secundum* (ait) *propositum voluntatis suæ*; hoc est, ut firmum staret de gloria conferenda decretum: ergo ex Apostolo, prior est electio ad gloriam, quam electio ad sanctitatem; prædestinatio igitur ad gloriam est independens a prævisione sanctitatis, seu meritorum.

5. *Q.* Gratuita prædestinatio ad gloriam potestne probari ex cap. 9. Epistolæ ad Romanos?

R. Potest. Apostolus in exemplum prædestinationis profert Jacobo præ fratre suo Esau electionem: sed Jacob electio præ Esau fuit omnino gratuita; hoc est, independens ab omni operum prævisione. *Cum enim* (inquit Apostolus capit. 9.) *non nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei*, Rebeccæ, *quia major serviet minori, sicut scriptum est; Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

6. *Q.* Prædestinatio gratuita potestne probari ex solutionibus ad objectiones quas Apostolus sibi proponit cap. 9. Epistolæ ad Romanos?

R. Potest. Nam 1. sibi objicit sequi ex gratuita illa electione locum in Deo habere crimen acceptionis personarum. *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum?* Ad illud argumentum non respondet non esse in Deo iniquitatem, eo quod opera præviderit, sed confugit ad merum beneplacitum Dei, ex duobus indignis unum præ alio eligentis: *Absit. Moyfi enim dicit: Miserebor cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor.*

Objicit sibi 2. sequi ex hujusmodi electione quod Deus injuste conqueratur de non electis, cum, renuente divina illius voluntate, salvari non possint. *Dicis itaque mihi: quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit?* Ut eam objectionem Paulus solvat, non respondet electionem præsupponere electorum merita, sed confirmat id quod, aliud argumentum solvens, jam responderat, nempe electionem oriri ex mero Dei beneplacito; sicut quod lutum fiat vas in honorem, id unice petitur ex figuli beneplacito: *O homo tu qui es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Objicit sibi 3. & quærit, cur Deus nonnullos potius quam alios ad gloriam elegerit. Ad quæsitum illud non respondet, Deum quosdam præ aliis elegisse ex meritorum prævisione, sed solum, ut suam gratuitam misericordiam in eis manifestam faceret; *Quod si* (inquit) *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum; ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.*

7. *Q.* Gratuita prædestinatio ad gloriam potestne probari ex capit. 11. Epistolæ Pauli ad Romanos?

R. Potest. Nam 1. Apostolus in eo loco non asserit, Deum ideo non repulisse Judæos quosdam ex æterna hereditate, quod eorum pia prævideril opera, sed tantum quod per suam prædestinationem eos præ aliis dilexerit; *Non repulit* (inquit) *plebem suam, quam* (præscientia dilectionis) *præscivit.* 2. Sub finem ejusdem undecimi capitis redit ad argumentum, quod sibi cap. 9. solvendum proposuerat, cur scilicet Deus nonnullos elegerit, alios vero minime elegerit. Tantum autem abest, ut confugiat ad meritorum per gratiam prævisionem, quin potius recurrit ad impenetrabilia Dei judicia, asseritque se nescire, nec scire posse rationem quæ Deum movit, ut gratuito quosdam præ ceteris elegerit; O (inquit) *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus?*

8. *Q.* Numquid dici potest ea quæ tum Lucæ 12. tum Joannis 6. tum ad Romanos 9. & 11. de prædestinatione dicuntur, intelligi debere de prædestinatione ad fidem, non autem ad gloriam?

R. Non potest dici. Nam 1. in sententia quæ legitur apud Lucam, expressa mentio fit *regni*, non autem gratiæ: *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Apud Joannem agitur de iis quos nemo potest rapere de Christi manibus; at ii non sunt homines ad solam gratiam electi; illi enim sæpe per peccatum mortale rapiuntur e Christi manibus. 3. Apostolus de eadem electione loquitur capite 9. & 11. Epistolæ ad Romanos, de qua ante locutus fuerat cap. 8. Atqui cap. 8. locutus fuerat de electione ad gloriam: ibi enim locutus fuerat de electione, quæ est secundum propositum; propter quam omnia in bonum cooperantur; cujus executionem & scopum nulla creata potestas impedire valet: at ea non convenient electioni quæ fit ad gratiam tantum, ac proinde intelligi debent de prædestinatione ad gloriam.

9. *Q.* Quid de prædestinatione ad gloriam censuit Augustinus.

R. Credidit gratuitam. Nam sanctus Doctor doctrinam de gratuita prædestinatione ad gloriam nomine Massiliensium sibi a Prospero & Hilario propositam, pro sua agnovit: *Hoc autem propositum* (verba sunt Semipelagianorum in Prosperi Epistola ad Augustinum) vota-

vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, &c. Cum autem nusquam Augustinus scripserit, sibi eo in capite impositum fuisse a Semipelagianis, evidens est quod reipsa propugnaverit illud systema quod illi a Semipelagianis objectum fuerat.

Præterea sanctus Augustinus in gratuitam prædestinationem tamquam in rationem unicam divinæ in electos providentiæ, refert ea omnia quæ in electis operatur. Nam 1. in Epistola ad Sixtum docet, prædestinationem illam esse caussam, cur parvulis quibusdam Baptisma paullo ante mortem conferatur. 2. In libro de correptione & gratia capite 9. eidem & non alteri caussæ adscribit rationem, cur ex duobus justis uni præ alio detur singulare perseverantiæ donum. 3. Eodem cap. 9. libri de correptione & gratia tantum abest, ut præparationem gloriæ tribuat meritorum prævisioni, quin e contra docet prævisionem meritorum supponere prædestinationem ad gloriam; ait enim, merita esse effectum prædestinationis ad gloriam.

Idem sanctus Doctor in libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 5. scribit idem ferri debere judicium de hominum prædestinatione ad gratiam & gloriam, ac de prædestinatione humanitatis Christi ad unionem cum Verbo, ad sanctitatem, ad visionem intuitivam: atqui ex eodem Augustino plane gratuita fuit Christi humanitatis prædestinatio ad unionem cum Verbo; ad sanctitatem; ad visionem intuitivam: ergo, &c.

10. *Q.* Quid sanctus Thomas, & post eum insigniores Scholastici docuerunt de prædestinatione ad gloriam?

R. Docuerunt esse gratuitam. Sanctus Thomas non in merita prævisa, sed in solam Dei voluntatem refundit rationem, cur Deus aliquos præ aliis ad gloriam æternam eligat: (inquit 1. p. q. 23. art. 5. ad 3.) *hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem.* Scotus in librum 1. Sent. dist. 41. sic loquitur: *Ratio prædestinationis non in alio est quærenda, quam in divina voluntate.* Tandem vix unus aut alter alicujus nominis Scholasticus ante finem sæculi 16. asseruit prædestinationem ad gloriam non esse gratuitam.

11. *Q.* Gratuita prædestinatio ad gloriam poteſtne probari rationibus Theologicis?

R. Poteſt. Nam 1. qui vult ordinate, prius vult dare finem, quam media ad illum finem necessaria conferre: ergo prius est secundum nostrum concipiendi modum, Deum ad gloriam, quam ad gratiam prædestinare. 2. Inscrutabile est omnino mysterium prædestinationis ad gloriam: ergo non est ex meritorum prævisione: nihil enim, in ea suppositione, facilius est quam reddere rationem cur unus præ alio sit ad gloriam prædestinatus.

Obj. 1. Matthæi cap. 25. Regnum cæleste dicitur paratum ex prævisione bonorum operum: sic enim Christus in extremo judicio loquetur: *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare:* Ergo, &c.

Resp. Nego ant. seu nego Regnum dici paratum ex prævisione bonorum operum: nempe hæc positio caussalis, *esurivi enim*, &c. non refertur ad vocem, *paratum*, sed ad vocem, *possidete*: ita ut sensus sit, in mercedem bonorum operum possidete regnum, quod antea gratuito vobis paratum fuerat.

Confirmari potest responsum illud ex opposita sententia quæ reprobis a Christo judice dicetur: *Discedite a me in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus: esurivi enim & non dedistis mihi manducare.* Nempe in ea sententia, caussalis hæc *Esurivi enim*, non refertur ad vocem *paratus*; neque enim Diabolis paratus est ignis, quod homines prævisi sint non facturi opera misericordiæ, sed refertur ad hanc aliam vocem *discedite*, seu reprobi igne damnantur, quod opera misericordiæ non exercuerint.

Ex his patet colligi quidem ex textu Matthæi, gloriam in tempore conferri propter opera, sed non colligitur quod propter opera prævisa, ab æterno præparata sit in intentione divina.

Obj. 2. Scriptura passim æternam gloriam vocat mercedem, nonnumquam bravium, aliquando coronam vitæ: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. in ordine executionis, conc. ant. in ordine intentionis, nego ant. hoc est, illi & similes alii modi loquendi significant Deum in tempore propter bona opera conferre vitam æternam ad quam ab æterno gratis prædestinavit: nempe Deus vult ut homo per bona opera mereatur cæleste regnum ad quod eum elegit gratuito.

Obj. 3. Præscientia præcedit prædestinationem: *Quos præscivit* (inquit Apostolus ad Rom. 8.) *& prædestinavit conformes fieri imagini filii sui*; ergo prædestinatio ad gloriam fit ex præscientia meritorum.

Resp. 1. Dist. ant. præscientia seu præcognitio personarum quæ prædestinantur, conc. ant. neque enim Deus quemquam prædestinat, nisi eum, secundum nostrum concipiendi modum, antea distincte noverit: præscientia meritorum, nego ant.

Resp. 2. Nomine præscientiæ intelligi prædilectionem, non autem meram præcognitionem: ita ut sensus sit, Deum eos prædestinasse tum ad gratiam, tum ad gloriam, quos gratuito præ aliis dilexit. Eodem sensu no-

nomen præscientiæ passim reperitur in Scripturis: *Non repulit Dominus* (ad Rom. 11.) *plebem suam quam præscivit*. Joannis 10. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas*.

Obj. 4. Patres qui ante S. Augustinum vixere, docuerunt prædestinationem ad gloriam non esse gratuitam; ut videre est apud Irenæum lib. 4. contra hæreses cap. 38. Chrysostomum hom. 15. in caput octavum Epistolæ ad Rom. Hieronymum in primum Malachiæ caput: ergo, &c.

Resp. Nego ant. nempe Patrum illorum textus intelligi possunt de prædestinatione in ordine executionis, non autem de prædestinatione in ordine intentionis; hoc est, de ipsa collatione gloriæ, non autem de illius præparatione. Nec mirum: cum enim nondum exorta esset hæresis aliqua circa gratiæ œconomiam, Patres hoc unum habuerunt præ oculis, ut fideles ad pietatis praxim moverent, eisque vitam æternam tamquam pietatis mercedem in tempore conferendam proponerent. Petitum est responsum illud ex Augustino, libro de prædestinatione Sanctorum cap. 14.

Obj. 5. Homo non prædestinatur gratis ad justificationem: ergo nec ad gloriam.

Resp. Nego ant. scilicet Deus tum ad finem, tum ad media, quæ ad illum comparandum necessaria sunt, gratuito prædestinat. Licet autem in executione quædam præparatio in adultis justificationem præcedat; in intentione tamen divina prius prædestinata fuit justificatio, quam illa per actus fidei, spei, & caritatis præparatio.

Obj. 6. Inter Augustinum & Semipelagianos solum quæstio fuit de initio fidei, & de perseverantia usque in finem, quæ a Semipelagianis liberi arbitrii viribus committebantur; nusquam vero fuit quæstio de prædestinatione ad gloriam: ergo ex Augustini scriptis contra Semipelagianos colligi non potest gratuita ad gloriam prædestinatio.

Resp. Dist. ant. solum quæstio fuit directe, conc. ant. indirecte, nego ant. Initio disputationis Augustinum inter & Semipelagianos quæstio quidem non fuit de gratuita prædestinatione ad gloriam; sed tamen orta est in progressu disputationis. Cum enim Augustinus urgeretur a Semipelagianis, ut uni detur gratia fidei, alteri vero non detur; cur ex duobus justis uni detur perseverantiæ donum, alteri vero negetur; coactus est in libris de correptione & gratia, de prædestinatione SS. & de dono perseverantiæ, disserere de gratuita prædestinatione ad gloriam, eamque asserere, ut primam discretionis caussam unius ab alio, quam ab eo Semipelagiani petierant, aperire.

Obj. 7. Doctrina de gratuita prædestinatione ad gloriam videtur esse idem cum Prædestinatianorum hæresi, quæ pluribus in conciliis (ut Gennadius, Hincmarus, & Sigebertus testantur) damnata est: ergo, &c.

Respondent Thomassinus, Cabassutius, aliique scriptores de Ecclesiastica historia optime meriti, nusquam extitisse hæresim illam prædestinatianorum: addunt, dogmata quæ eis tribuuntur, ipsam esse Augustini doctrinam a Semipelagianis invidiose & calumniose S. Doctori objectam.

Respondemus nos, dato quod revera extiterit Prædestinatianorum hæresis, non inde sequitur, quod admitti non debeat gratuita prædestinatio ad gloriam. Scilicet ex ea non sequitur (quod volebant Prædestinatiani) Deum non minus ad malum culpæ, quam ad malum pœnæ prædestinare, aut prædestinatione induci fatum, seu adstrui necessitatem quæ cum libertate non cohæreat.

Ambo illa Prædestinatianorum capita damnavit Arausicana II. Synodus: ne scilicet sibi gratuitam prædestinationem ad gloriam defendenti imponerentur a Semipelagianis, quemadmodum antea ab iisdem Semipelagianis Augustino imposita fuerant. *Hoc autem* (ait laudata Synodus capitulo 25.) *secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos, non solum non credimus, sed etiam*, SI SUNT, *qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus*.

Obj. 8. Prædestinatio ad gloriam juvatur Sanctorum precibus; eo enim tendunt hæc verba Ecclesiæ in canone Missæ orantis: *In electorum tuorum grege nos jubeas numerari*: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. juvatur quoad executionem, conc. ant. quoad præparationem, seu æternam Dei intentionem, nego ant. Solutio patet ex dictis superius.

Obj. 9. Si prædestinatio esset gratuita, prædestinatus non posset damnari, proindeque non esset liber; quod tamen est falsum.

Resp. Dist. ant. non posset damnari *in sensu composito*, hoc est, prædestinatus non potest conjungere damnationem actualem cum prædestinatione, conc. ant. quia prædestinatio dicit ex parte Dei voluntatem efficacem dandi gloriam, & conferendi media quæ per se & infallibiliter ad gloriam perducent. Non potest damnari *in sensu diviso*, hoc est, conjungere possibilitatem damnationis quæ tamen nusquam erit actu, cum prædestinatione ad gloriam, nego ant. quia prædestinatus semper habet potentiam non perseverandi in justitia, nempe quamdiu est in via, potest lethaliter peccare.

12. *Q.* Gratuita prædestinatio ad gloriam habuitne locum in Angelis qui intuitiva Dei visione fruuntur?

Resp.

Resp. Non habuit locum; tum quia in Angelis de quibus agitur, locum non habuit gratuita prædestinatio ad perseverantiam: scilicet (ut dicetur in tractatu de gratia) Angeli nonnisi post prævisum consensum quem gratiæ versatili, seu minime efficaci, præbituri erant, ad perseverantiam prædestinati fuerunt: tum quia (ut docet Augustinus cap. 11. lib. de corrept. & gratia) æterna gloria nusquam Angelis tamquam gratia, sed solum tamquam merces, præparata fuit: tum denique quia nullibi in operibus Augustini, Angeli sancti dicuntur prædestinati, sed præsciti tantum.

Obj. 1. Deus hominem lapsum gratuito prædestinavit ad gloriam; ergo sic quoque prædestinavit Angelum.

Resp. Nego conseq. sic enim Deus se gessit (ut ait Augustinus in libro de corrept. & grat. cap. 17.) quod in homine lapso voluerit ostendere quid possit medicinalis per Christum gratia; & in Angelis sanctis quid innocens liberum arbitrium versatili adjutum auxilio valuerit.

Obj. 2. Qui vult ordinate, vult finem antequam velit media; ergo Deus prius secundum nostrum concipiendi modum, voluit Angelorum salutem, quam praviderit consensum, quem erant gratiæ præbituri.

R. Dist. ant. si finem velit absolute, conc. si velit conditionate tantum, nego ant. hoc, non autem illo modo, Deus voluit salutem Angelorum: hoc est, voluit tantum ex suppositione quod usuri essent versatili gratia qua uti poterant, & qua revera usi sunt ad perseverandum.

§. III. *De effectibus & proprietatibus Prædestinationis.*

1. *Quæst.* Quinam est adæquatus effectus prædestinationis?

R. Hominis liberatio, quæ quidem incipit, in hac quidem vita per gratiam, & consummatur in altera per gloriam.

2. *Q.* Quinam est inadæquatus prædestinationis effectus?

R. Vocatio, & justificatio, quæ ambæ dantur ad executionem prædestinationis ad gloriam.

3. *Q.* Bona naturalis ordinis suntne prædestinationis effectus?

R. Non sunt *per se*, quia electis & reprobis communia sunt; sed *per accidens* tantum: quia Deus (ut ait Augustinus in libro de dono perseverantiæ cap. 4.) nonnumquam eis utitur, ut prædestinatos perducat ad æternam gloriam.

4. *Q.* Mala naturæ, & mala pœnæ suntne in Electis effectus prædestinationis?

R. Sunt; nonnumquam enim Deus (ut dicitur Sapientiæ 4.) utitur quorumdam præmatura morte, ut impediat, ne malitia mutet eorum intellectum; hoc est, ne ex justis fiant impii.

5. *Q.* Malum culpæ, seu peccatum, estne prædestinationis effectus.

R. Non est: tum quod effectus prædestinationis a Deo causetur; tum etiam quod homo per peccatum non liberetur: at ea per quæ homo, saltem imperfecte & indirecte, non liberatur, non sunt effectus prædestinationis.

Obj. Augustinus libro 14. de civit. Dei cap. 13. docet, Deum nonnumquam uti peccatis, ut electos suos perducat ad gloriam: ergo peccata nonnumquam sunt effectus prædestinationis.

R. Dist. ant. Utitur tamquam occasione, conc. ant. tamquam medio, nego ant. Quod electus fiat magis humilis post suum peccatum, non oritur ex ipso peccato, sed ex Dei gratia, quæ electo, qui lapsus est, peccati fœditatem, & naturæ infirmitatem subjicit illius oculis.

6. *Q.* Permissio peccati estne in electis effectus prædestinationis?

R. Est, quia ex Dei intentione confert ad prædestinationis executionem: ideo enim Deus peccata, per subtractionem gratiæ per se efficacis, in electis permittit, ut ad initium sui casus & humiliores, & cautiores fiant.

Obj. 1. Permissio peccati non est Dei beneficium: 2. non ex Christi meritis: 3. sapiens medicus non permittit morbum, ut sanitatem postea tribuat; ergo.

R. Ad 1. & 2. Dist. ant. Non est Dei beneficium, non est ex Christi meritis, in se considerata, conc. ant. considerata prout subest intentioni divinæ; nego ant. Ad 3. dist. ant. Ut sanitatem priori æqualem tribuat, conc. ant. robustiorem priore, nego ant. *Nonne* (ait Bernardus Serm. 2. in enarratione Psal. 90.) *cooperatur nobis ille casus in bonum, unde & meliores efficiamur & cautiores.*

7. *Q.* Quænam sunt prædestinationis proprietates?

R. Tres sunt, certitudo, immutabilitas, prædestinatorum numerus.

8. *Q.* Prædestinatio estne certa in intentione divina?

R. Est, quia Deus certo novit numerum electorum in genere, & præterea personas omnes particulares quæ sunt ex electorum numero, juxta illud 2. ad Tim. 2. *Novit Dominus qui sunt ejus.*

9. *Q.* Prædestinatio estne certa in executione?

R. Est: quia electi omnes, nullo excepto, infallibiliter consequentur gloriam ad quam ab æterno sunt prædestinati: cum enim Dei voluntas sit potentissima, id omne fit, quod vult fieri: juxta illud Psalmi: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit:* merito igitur

Christus Joannis 10. de prædestinatis sic loquitur: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

10. *Q.* Prædestinatio estne immutabilis?

R. Est: tum ex parte Dei prædestinantis, quia Deus prædestinans numquam mutabit suum decretum de conferenda quibusdam hominibus gloria: tum etiam ex parte prædestinatorum: revera enim quilibet ex eis consequetur finem ad quem est electus ab æterno.

Obj. 1. Moyses Exodi 32. supponit prædestinationem esse ex parte Dei mutabilem, cum sic eum alloquitur: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.*

R. Locum illum intelligi posse 1. de libro vitæ hujus temporalis; 2. de prædestinatione ad vitam æternam; si autem sic intelligatur, dicendum erit eam Moysis petitionem fuisse ex suppositione hujus conditionis quam ipse Moyses impossibilem noverat *si fieri potest*. Unde sensus est: Si posses me delere ex libro prædestinationis, idque tuta conscientia optare possem, ego id rogarem, ut fratrum meorum saluti consulerem.

Obj. 2. Apostolus 1. ad Cor. 9. timet, ne ipse ex prædestinato fiat reprobus: *Ne forte* (inquit) *cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Resp. Textus ille non intelligitur de prædestinatione sumpta secundum substantiam, seu pro decreto, quod Deus tulit de conferenda quibusdam hominibus gloria; sed de prædestinatione sumpta secundum effectum, qui quidem non alius est quam donum perseverantiæ usque in finem.

11. *Q.* Unde petantur & certitudo & immutabilitas prædestinationis?

R. Petuntur ex Dei decreto absoluto & efficaci de conferenda quibusdam hominibus cælesti gloriæ: unde prædestinatio non est certa tantum certitudine eventus & præscientiæ, sed etiam certitudine caussalitatis.

12. *Q.* Quantus est electorum hominum numerus?

R. Quantus est numerus Angelorum qui lapsi sunt: nempe constat ex Patribus, quod Christus carnem induerit, ut Angelorum ruinæ resarcirentur. Ita Augustinus libro 2. de civit. Dei cap. 2.

CAPUT XIII.

De Reprobatione.

1. *Quæst.* Quid est Reprobatio?

R. Est decretum de non præparandis & conferendis beneficiis quibus quædam creaturæ rationales liberentur. Scilicet per eam definitionem reprobatio directe opponitur prædestinationi; quæ quidem (ut superius dictum est) definitur, *Præparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicumque liberantur.*

2. *Q.* Quotuplex est reprobatio?

R. Duplex; negativa nimirum & positiva. Prior est mera non præparatio beneficiorum quibus certæ rationales creaturæ liberentur: posterior e contra, est actus quo ab æterno nonnullis præparatur pœna tum damni, tum sensus.

3. *Q.* Positiva reprobatio, præsupponitne ex parte Dei prævisionem peccati in eo qui reprobatur?

R. Præsupponit: siquidem positiva reprobatio est maxima omnium pœna; at pœna, si justa sit, præsupponit culpam, juxta illud Augustini in libro 3. de lib. arbitr. cap. 18. *Omnis autem pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* Simile est & hoc ejusdem Patris axioma lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 17. *Numquid ille prius ultor, quam iste peccator?*

4. *Q.* Reprobatio negativa, præsupponitne peccati prævisionem?

R. Duplex est ea de re sententia. Prima, quæ est Estii, & aliquorum Thomistarum, negat: altera vero quæ est Augustini & plurium aliorum Thomistarum, affirmat.

5. *Q.* Sententia Estii qui docet reprobationem negativam non præsupponere peccati prævisionem, sed pendere ex mero Dei beneplacito, potestne Calvinismi insimulari?

R. Non potest: longe nimirum ab Estii doctrina distat Calvini de reprobatione systema. Nempe Calvinus docuit 1. Deum independenter a prævisione cujuslibet peccati quosdam Angelos & quosdam homines absoluto & æterno decreto damnasse tum damni, tum sensus pœna: docuit 2. nec Angelos, nec homines reprobos a Deo fuisse creatos ad cælestem beatitudinem, sed ad æternam damnationem: docuit 3. Deum, ut latum a se decretum exequatur, reprobis imponere necessitatem ut peccent, immo & eos positive ad peccatum impellere; ea expresse Calvinus tradit tum in caput 1. Epistolæ ad Rom. tum in libro 3. Institut. cap. 22. §. 6. At ab iis omnibus longe distat Estii aliorumque sententia, qui contendunt negativam reprobationem esse a cujuslibet peccati prævisione prorsus independentem.

6. *Q.* Estne vera sententia Estii contendentis Angelos reprobatos fuisse negative independenter a prævisione peccati?

R. Non videtur vera: 1. quia prædestinatio Sanctorum Angelorum facta non fuit independenter a prævisione perseverantiæ, ut superius dictum est: ergo nec aliorum reprobatio, etiam negativa, independenter a prævisione non perseverantiæ: 2. Ideo reprobatio

batio negativa ex Estio facta fuisset independenter a prævisione non perseverantiæ, quod ex vi hujusmodi reprobationis negativæ Deus statuisset non conferre Angelis, qui ceciderunt, auxilium efficax ad perseverantiam requisitum: sed illa ratio nulla est, quia Angeli apostatæ non indiguerunt auxilio, ex parte Dei efficaci, ad perseverandum: sed satis eis fuit auxilium versatile: hoc enim uno adjuti, Angeli sancti actu perseverarunt.

7. *Q.* Quid Apostolus docuit de negativa hominis lapsi reprobatione?

R. Docuit factam non fuisse independenter a prævisione peccati: 1. quia præsupposuit odium Dei in creaturam, quæ non electa fuit, juxta illud Apostoli ad Rom. 9. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; Deus vero in sua creatura nihil præter peccatum odisse potest: Nihil *odisti* (Sapientiæ 11.) *eorum quæ fecisti*: 2. quia Deus in non electione ad cæleste regnum suam in non electos iram manifestat: juxta illud ejusdem Apostoli ad Rom. 9. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.*

Obj. 1. Apostolus eodem modo demeritorum prævisionem excludit a reprobatione, quo meritorum prævisionem excludit a prædestinatione. *Cum* (inquit) *nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali . . . . Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: ergo, &c.

R. Dist. ant. Excludit prævisionem demeritorum quæ sumuntur ex peccatis actualibus, conc. ant. scilicet Apostolus loquitur de demeritis per proprios actus comparatis; utitur enim verbo *Egissent*, demeritorum, quæ sumuntur ex peccato originali, nego ant. Ita Augustinus Epistola 106. illum Apostoli locum interpretatur.

Obj. 2. Apostolus toto cap. 9. Epistolæ ad Romanos hominum reprobationem refundit in solam Dei voluntatem, nusquam vero in peccatum quod ante prævisum fuerit; ergo, &c.

R. Dist. ant. Refundit in solam Dei voluntatem tamquam in *caussam proximam*, conc. ant. nempe cur Deus ex hominibus æqualiter reis hunc eligat, illum vero non eligat, sola caussa proxima est absoluta Dei voluntas. Refundit tamquam in *caussam remotam*, nego ant. scilicet ratio, cur Deus non eligat, est peccati saltem originalis prævisio.

Obj. 3. Apostolus Deum reprobantem comparat cum figulo qui ex eodem luto facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: ergo quemadmodum pendet ex sola figuli voluntate, quod aliquod vas fiat in contumeliam: ita & ex sola Dei voluntate pendet, quod quis, etiam negative reprobetur.

Resp. Dist. ant. cum figulo qui ex eodem luto jam *corrupto* facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam conc. ant. ex eodem luto *minime corrupto*, nego ant. hoc est, quemadmodum figulus ex luto corrupto facit pro libito aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, ita Deus ex hominum massa per Adami peccatum corrupta, pro libito alium prædestinat, alium vero reprobat. Ita Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 21. ratiocinatur.

6. *Q.* Quid sensit Augustinus de hominum reprobatione negativa?

R. Docuit non fuisse factam independenter a prævisione peccati.

Ratio est 1. quia eadem hoc in capite est reprobationis ac prædestinationis ratio: atqui Augustinus supposuit prædestinationem præsupponere peccati prævisionem: tum quod dicat homines per prædestinationem liberari; libertas vero supponit miseriam pro termino, qui in scholis dicitur terminus *a quo*; tum quod scribat prædestinationem præsupponere prævisionem adventus Christi: *Elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem*, ait Apostolus.

Ratio est 2. quia Augustinus omnes effectus reprobationis explicuit per non liberationem a massa perditionis: ergo censuit reprobationem non fuisse factam independenter a prævisione massæ per peccatum corruptæ. Probatur ant. Tres sunt effectus reprobationis negativæ, infidelitas in aliquibus, in justis non perseverantia usque in finem, & in omnibus non electio ad cæleste regnum: at Augustinus in libro de correptione & gratia cap. 7. tres illos effectus refundit in non liberationem a massa perditionis.

Ratio est 3. quia sanctus Augustinus Epistola 105. conceptis terminis asserit caussam odii quo Deus ab æterno Esau prosecutus est, ac proinde & caussam reprobationis etiam negativæ, fuisse prævisionem peccati originalis. *Et quid* (ait) *oderat in Esau tamquam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?*

Obj. Augustinus reprobationem explicans, confugit ad inscrutabilia Dei judicia: ad ea tamen confugere non debuisset, sed ad peccati prævisionem, si revera illius caussa fuerit.

R. Dist. ant. explicans reprobationem comparativam, conc. ant. absolutam, neg. ant. Illius caussa aperta est, peccatum nimirum, saltem originale: istius e contra, inscrutabilis est omnino; neque enim hic in terris reddi potest ratio, cur ex duobus hominibus æqualiter per peccatum originale reis, hunc Deus eligere voluerit ad regnum cæleste, illum vero eligere noluerit.

9. *Q.* Quid S. Thomas sensit de negativa hominum reprobatione?

R. Sensit pendere eam ex peccati prævisione. Scilicet 1. part. qu. 23. art. 5. docet, Deum

Deum in prædestinationem suam manifestare misericordiam; in reprobatione vero justitiam: at justitia quæ vindex sit, locum in Deo non habet, nisi ex peccati prævisione: idem S. Doctor quæst. 6. de veritate art. 2. ad 9. hæc ait: *Ratio autem reprobationis est peccatum originale, ut Augustinus dicit.* Vide Gonetum.

Obj. S. Thomas in 1. ad Annibal. dist. 41. quæst. unica, art. 3. sic loquitur: *Nec requiritur ratio quare non dem alicui, cui dare non debeo*: quibus quidem ex verbis patet S. Doctori persuasum fuisse nullam esse caussam reprobationis, præter absolutam Dei voluntatem.

R. S. Thomas de reprobatione comparativa loquitur, non autem de absoluta, ut denotant hæc ejus verba: *Quare* NOS *elegit in gloriam*, ILLOS *reprobavit*, &c.

10. *Q.* Poteſtne rationibus theologicis probari reprobationem, etiam negativam, non fuisse factam independenter a prævisione peccati?

R. Potest. Nam, supposito statu in quo res sunt, hominis scilicet ad statum supernaturalem elevati, beatitudo cælestis non potest non præparari independenter a prævisione peccati: scilicet ea non præparatio foret maxima pœna: at pœna non nisi reo aut actu infligi, aut præparari potest: *Sub Deo justo* (inquit Augustinus) *miser esse quisquam, nisi meretur, potest.*

11. *Q.* Quæ res sunt effectus reprobationis?

R. Eæ omnes quæ conferunt, ut quis excidat ex fine ultimo: quemadmodum enim ea quæ conferuntur, ut electi finem ultimum assequantur, sunt effectus prædestinationis: ita etiam quæcumque conferunt, ut reprobi in æternum excidant ex eodem ultimo fine, sunt effectus reprobationis.

12. *Q.* Permissio peccati originalis estne effectus reprobationis?

R. Non est: quia est illius caussa motiva, ut S. Augustinus & S. Thomas superius laudati docuerunt.

13. *Q.* Permissio peccati actualis fuitne in Angelis apostatis effectus reprobationis?

R. Non fuit: quia præcessit, etiam in intentione divina, reprobationem Angelorum. Scilicet (ut superius probatum est) Angeli non fuerunt a Deo reprobati, nisi post prævisa eorum demerita.

14. *Q.* Permissio peccati actualis, quod nusquam debet remitti, estne in reprobis effectus reprobationis?

R. Est. Nam 1. permissio illa est a Deo: 2. Confert ad finem reprobationis; 3. id habet ex intentione divina, juxta illud S. Thomæ 1. part. q. 14. art. 5. *Sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam; ita etiam reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam.*

15. *Q.* Hominis reprobi derelictio per denegationem specialis doni perseverantiæ, estne reprobationis effectus?

R. Est. Scilicet ideo Deus justus quibusdam hominibus denegat speciale donum perseverantiæ usque in finem, quod sunt ex reproborum numero. Ita enim expresse docet Augustinus in libro de Dono perseverantiæ, capite 8.

16. *Q.* Excæcatio & induratio suntne in hominibus reprobis effectus reprobationis?

R. Sunt. Nempe ideo Deus quosdam, non quidem *impertiendo malitiam* (ait Augustinus in Epistola 105.) *sed non impertiendo misericordiam*, excæcat & indurat, quod sint ex reproborum numero.

17. *Q.* Ipsa peccata actualia, quoad malitiam sumpta, suntne effectus reprobationis.

R. Non sunt. Quia sic accepta, non possunt esse a Deo: effectus autem voluntatis reprobandi quosdam homines debent esse a Deo.

18. *Q.* Præparatio pœnæ tum damni, tum sensus, estne effectus reprobationis?

R. Est. Scilicet id expresse asseritur Matthæi 25. capite. Id quoque docet Concilium Valentinum, quod in Galliis habitum est sub Lothario: *Fidenter fatemur* (inquit laudata Synodus) *prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem reproborum ad mortem.*

20. *Q.* Reproborum numerus estne certus?

R. Est Deo certus: non vero nobis viatoribus: nemo enim viator (ut Concilium Tridentinum definiit sess. 6. cap. 12.) certo scit, an sit e prædestinatorum numero; & an habiturus sit magnum illud usque in finem perseverantiæ donum.

21. *Q.* Reproborum numerus estne multo major numero prædestinatorum?

R. Est: quia (ut habetur Lucæ 13.) multi sunt vocati, pauci vero electi. Vel (ut habetur Matthæi 7.) pauci sunt qui viam arctam inveniunt quæ ducit ad vitam.

22. *Q.* Cur Deus permittere voluit ut major esset reproborum quam electorum numerus?

Respondet Augustinus lib. 2. contra Julianum. *Quare sint isti plures, quam illi, consilium Dei velle nosse multorum est, nosse autem vel paucissimorum hominum.*

23. *Q.* Quinam sunt fructus quos exiguus electorum numerus percipere potest ex ingenti reproborum numero?

R. Primo, reprobi electis operam suam conferunt ad ea quæ mortali huic vitæ sustentandæ necessaria sunt: idque (ut ait Augustinus in Psalmum 104.) Deus providit, ne electi in terrenis bonis quærendis nimis anxie solliciti sint.

2. Reproborum rejectione & maledictione, electi docentur quid possit hominis lapsu liberum arbitrium fractis suis viribus relictum. Ita Augustinus Epistola 106.

3. Do-

3. Docentur Electi quid sibi fuisset debitum, nisi Deus eorum misertus fuisset. Ita idem S. Doctor, Enchiridii cap. 95.

4. Perutili timore concutiuntur: *Quod* (ait Augustinus lib. 1. qu. 2. ad Simplicianum) *vasa est reprobos facit perditionis, ad usum alterum correctionis facit.*

5. Tandem electi ex bello nusquam intercepto quo a reprobis vexantur, manifesti fiunt: *Deus* (inquit Augustinus in Epistola 141.) *etiam malis eorum* (reproborum) *bene utitur, non solum ad justitiam suam, quæ eis digna in finem retribuet, sed etiam ad exercitationem & profectum Sanctorum suorum, ut vel ipsa etiam malorum perversitate boni proficiant, & probentur & manifestentur, sicut Apostolus ait, oportet hæreses esse, ut probati, manifesti fiant inter vos.*

PARS SECUNDA.

De Deo Trino.

Not. 1. SAnctissimæ Trinitatis mysterium in eo positum est, quod una divina essentia in tribus personis realiter a se invicem distinctis subsistat.

Not. 2. Ea omnia quæ ad Augustissimum Trinitatis mysterium pertinent, reducuntur ad multiplicitatem personarum; ad unitatem essentiæ in singulis personis; ad processiones; ad relationes; ad personas tum in genere, tum in specie consideratas.

CAPUT PRIMUM.

De personarum in divinis multiplicitate.

1. *Qu.* QUinam negarunt olim & nunc etiam negant, personarum in divinis distinctionem & multiplicitatem?

R. Sabellius, in Lybia tertio sæculo natus: nunc Judæi omnes, & Sociniani, apud quos hoc axioma est palmarium: Nihil est credendum quod creata ratio non capiat.

2. *Q.* Multiplicitas personarum in divinis, potestne ex antiquo Testamento demonstrari?

R. Potest. Genesis 1. plures personæ de homine creando quasi inter se consultantes inducuntur; *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.*

Genesis 19. non una, sed plures personæ dicuntur in Sodomitas igne cælesti animadvertisse: *Dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem a Domino de cælo:* in quo quidem textu *Dominus a Domino*, hoc est, Pater a filio, quoad personam distinguitur, licet non distinguatur quoad operationem, *Pluit super Sodomam & Gomorram.*

Tanti roboris adversus Sabellianos visus est locus ille, ut Concilium Sirmii contra Photinum habitum, anathema dixerit iis qui negare auderent eo adstrui distinctionem Patris a Filio.

3. *Q.* Multiplicitas personarum potestne ex novo Testamento demonstrari?

R. Potest. Joannis cap. 1. Verbum distinguitur a Deo Patre, nempe dicitur fuisse *apud Deum*: una autem persona non dicitur esse apud semetipsam: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.*

Joannis 14. aperte Pater, Filius, & Spiritus sanctus, seu Paracletus distinguuntur. *Non creditis* (inquit Christus) *quia ego, Filius, in Patre, & Pater in me est .... Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.*

In Christi baptismate, Matthæi cap. 3. fit expressa mentio trium personarum. 1. Pater de cælis loquitur: *Hic est* (inquit) *Filius meus dilectus.* 2. Filius baptizatur: *Hic est Filius meus.* 3. Spiritus sanctus visus est in columbæ specie: *Vidit Spiritum Dei descendentem*, &c.

Eadem trium personarum existentia & distinctio expresse continentur primæ Joannis cap. 5. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo; Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.*

Obj. 1. Versiculus capitis 5. primæ Epistolæ Joannis, non est ipsiusmet Joannis, sed multis sæculis post Evangelistæ mortem illius textui insertus est. Siquidem nec Dionysius Alexandrinus qui Sabellium impugnavit, nec Athanasius, nec Augustinus, nec alii qui adversus Arianos egerunt, usi sunt eo versiculo, quamvis & unitatem personarum, & unitatem naturæ & *hi tres unum sunt* aperte contineat: ergo, &c.

R. Ad 1. nego ant. Ad 2. Patres illos non laudasse versiculum illum adversus Arianos, tum quod integra non essent exemplaria quibus usi sunt: tum etiam forte quod Ariani potuissent, licet immerito, contendere eo non demonstrari consubstantialitatem Verbi: nempe cavillari potuissent asserendo verba ista, *Hi tres unum sunt*, intelligi de unitate testimonii, non autem de unitate naturæ, ita ut esset unum Patris, Filii & Spiritus sancti de eadem re testimonium. Quod quidem Arianorum responsum (ut inferius dicetur) plane falsum est.

Obj. 2. Versiculus de quo agitur, in nullis quinque primorum sæculorum exemplaribus sive Græcis, sive Latinis reperiebatur: ergo suppositicius est.

R. Nego ant. Nam 1. legebatur in Codicibus quibus tertio sæculo usus est Cyprianus; cum enim sanctus Martyr laudat in libro de unitate Ecclesiæ: *De Patre* (inquit) *& Filio & Spiritu sancto scriptum est: & hi tres unum sunt.* 2. Post quartum sæculum, Fulgentius in libro contra decem objectiones Arianorum: Idacius Clarus contra Varimadum: Victor Uticensis Episcopus in libro de

Wandalica persecutione, Eugenius Carthaginiensis Episcopus in fidei confessione, quam suo & aliorum Africanorum Præsulum nomine obtulit Hunnerico Wandalorum regi, versiculum de quo est quæstio, tamquam germanum Scripturæ textum laudaverunt.

Obj. 3. Versiculus de quo agitur reperitur tantum in recentioribus Codicibus, & quidem paucissimis: ergo non est genuinus.

R. Nego ant. Scilicet 1. Stephanus Robertus fidem facit ex sexdecim octingentorum & amplius annorum Exemplaribus Græcis ab Italia, Gallia, Hispania petitis solummodo esse septem, in quibus versiculus ille desideratur. 2. Constat lectum eum fuisse in Exemplaribus Latinis quibus Cyprianus tertio sæculo, & Africani Præsules quinto utebantur. 3. Jam reperitur in omnibus recentioribus Codicibus sive Græcis sive Latinis.

Obj. 4. Nulla alia potest proferri ratio, quod in omnibus antiquioribus Codicibus versiculus ille non legatur, quam quod genuinus non sit: ergo, &c.

Resp. Nego ant. Id nimirum contigit ex oscitantia & incuria Amanuensium: oscitantibus nimirum facilis est omissio verborum quæ secundo eadem, ac consequenter leguntur: qui enim a principio scribebant Græca quædam novi Testamenti Exemplaria postquam posuerunt in membranis: *Quia tres sunt qui testimonium dant*; ad exemplar, quod præ oculis habebant, recurrentes; facile priora cum posterioribus sociare potuerunt, relictis omnibus intermediis; cumque sequi debuissent: *in cælo Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*: consequenter scripserunt: *In terra Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt*.

4. *Q*. Personarum in divinis multiplicitas potestne ex præscriptione demonstrari?

R. Potest. Ubi primum enim Sabellius eam multiplicitatem negavit, ubique statuum oppugnatus est. In Ægypto nimirum adversus eum insurrexit Dionysius Alexandrinus, ut fidem facit Eusebius historiæ lib. 7. cap. 6. In Occidente Xystus, Romanus Pontifex, ad quem Dionysius suum contra Sabellianos opus miserat, ejusdem Dionysii scripta probavit; nec aliæ orbis Ecclesiæ quidquam reclamarunt: ergo tunc ac proinde & antea persuasum erat toti Ecclesiæ Catholicæ tres esse in sanctissima Trinitate personas.

Earumdem personarum expresse quoque meminerunt Justinus in Dialogo cum Tryphone; Irenæus libro 3. adversus hæreses, Tertullianus qui in libro adversus Praxeam capit. 31. aperte docet, hoc esse Christianos inter & Judæos discrimen, quod illi Trinitatem in Divinis aperte profiteantur, non autem isti: *Ceterum* (ait) *Judaicæ Fidei ista res, sic unum Deum credere, ut Filium Dei adnumerare nolis, & post Filium, Spiritum. Quid enim erit inter nos & illos, nisi differentia ista?*

Obj. 1. Scripturæ asserunt Deum esse solum: *Hæc est autem vita æterna* (inquit Christus Joannis 17.) *ut cognoscant te* SOLUM *Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Deum esse solum solitudine naturæ, conc. ant. solitudine personæ, nego ant. nempe sic disponi quoad sensum debet sententia ex Joanne laudata: *Hæc est autem vita æterna, ut te, & quem misisti Jesum Christum, agnoscant solum Deum verum*.

Obj. 2. Deus Abraham, qui solus est verus Deus, in Scripturis opponitur pluribus personis, Filio præsertim: *Deus Abraham* (inquit Petrus Actorum 3.) *glorificavit Filium suum Jesum*.

Resp. Dist. ant. glorificavit Filium suum ut homo est, conc. ant. ut est Verbum, nego ant. Scilicet Deus Abraham glorificavit Filium suum suscitando eum a mortuis.

Obj. 3. Mysterium Trinitatis opponitur recepto huic apud Philosophos axiomati: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Nempe si admittatur distinctio personarum, Pater, Filius, & Spiritus sanctus erunt idem cum natura divina, & tamen non erunt idem inter se, cum a se invicem realiter distinguantur.

Resp. Nego ant. Quia illud axioma intelligitur tantum, cum tertium est singulare & incommunicabile; non autem cum est commune & communicabile, ut est essentia in Divinis: sic quamvis Petrus & Paulus sint idem cum natura humana, non sunt tamen idem inter se, quia natura humana est communis & communicabilis; in Petro nimirum & Paulo reperitur.

Obj. 4. Primi Christiani non crediderunt pluralitatem personarum in Divinis: si enim illam credidissent, gentiles ex ea desumpsissent argumentum pro Deorum pluralitate; aut saltem objecissent philosophicas difficultates quæ ex ea personarum pluralitate sequuntur: ergo, &c.

R. 1. Neg. maj. Potuit enim mysterium illud latere gentiles, quemadmodum latuit eos Symbolum; quod tamen a catechumenis omnibus memoriter reddebatur, antequam Baptismum reciperent.

R. 2. Neg. min. Nam 1. Justinus in prima sua Apologia solvit difficultates aliquas, quas Philosophi gentiles movebant adversus Trinitatis mysterium. 2. Tertullianus in libro contra Praxeam respondet argumentis quibus idem Praxeas ex mysterio Trinitatis conabatur Deorum pluralitatem adstruere. 3. Celsus gentilis totus est, apud Origenem libro contra Celsum, ut probet ex Trinitate sequi eamdem Deorum pluralitatem. 4. Apud Lucianum in Dialogo qui *Philopatris* inscribitur,

bitur, gentilis quidam sic irridet Christianum a quo mysterium Trinitatis docebatur; *non intelligo quid dicas; Unum tria, tria unum.*

CAPUT II.

De Verbi Divinitate.

Nota. ARius ineunte sæculo quarto aperte Verbi divinitatem impugnavit, blasphemavitque ipsum esse creaturam, quam Deus ante alia omnia entia eduxisset ex nihilo, & per quam tamquam per instrumentum, quæcumque facta sunt, condidisset.

1. *Q.* Divinitas Verbi potestne ex primo capite Evangelii Joannis demonstrari?

R. Potest. Eo nimirum in loco, 1. per has voces, *In principio* (hoc est, ante omnia) *erat Verbum*, æternitas Verbo tribuitur. 2. Eadem æternitas ei adscribitur per hæc alia verba: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: demonstrant enim Verbum non esse factum. 3. De eo quoque aperte divinitas prædicatur: *Et Deus erat Verbum*. Sic vero habet integer textus. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

2. *Q.* Divinitas Verbi potestne demonstrari ex 5. capite primæ Joannis Epistolæ?

R. Potest: scilicet in eo capite eadem quæ Patri convenit natura, de Verbo prædicatur per vocem, *Unum*: Unum enim in neutro genere naturam significat: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.*

Obj. Versu 8. voces istæ: *Hi tres*, spiritus, aqua & sanguis *unum sunt*, non intelliguntur de unitate naturæ: ergo neque hæ voces versiculi septimi, *Et hi tres unum sunt.*

R. Conc. ant. nego conseq. quia hæ voces, versiculi 8. *hi tres unum sunt*, corrupte irrepserunt in Vulgatam nostram: scilicet in Exemplaribus Græcis (Estio teste) leguntur cum appositione præpositionis, IN, hoc modo, *hi tres in unum sunt*: unde is est laudatæ sententiæ sensus *in unum de Christo testimonium referuntur*, hoc est, eamdem de ipso rem confirmant, humanitatis nimirum a Verbo assumptæ veritatem.

3. *Q.* Verbi divinitas potestne ex Psalmo 2. demonstrari?

R. Potest: scilicet eo in Psalmo Deus Pater Verbum vocat Filium a se genitum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: atqui vera generatio non fit, nisi per communicationem substantiæ generantis.

Q. Verbi divinitas potestne demonstrari ex iis Scripturæ locis, in quibus Dei nomen Christo tribuitur.

R. Potest. Nam 1. Thomas Apostolus post resurrectionem sic Christum alloquitur: *Dominus meus, & Deus meus*: quæ quidem verba non sunt dicta per modum exclamationis quæ ad Deum Patrem referatur, nam ante ea hæc alia leguntur: *Respondit Thomas, & dixit ei* (Christo nimirum cum quo loquebatur) *Dominus meus & Deus meus.*

2. Actorum 20. Sanguis Christi dicitur sanguis Dei: *Attendite vobis* (ait Paulus) *& universo gregi in quo Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam adquisivit sanguine suo.*

3. Apostolus in Epistola ad Romanos cap. 9. Christum vocat Deum: *Quorum Patres* (inquit) *& ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

Nec audiendi sunt qui reponunt, vocem illam *Deus*, in textum irrepsisse. Nam 1. textus cum eadem voce *Deus*, a Tertulliano in libro de Trinitate, & ab aliis antiquioribus legitur. 2. Textum illum laudat Cyprianus libro 2. contra Judæos, ut probet quod capite sexto probandum sibi proposuerat, nempe (ut fert superscriptio ejusdem capitis) *quod Deus Christus*: ac proinde quamvis vox *Deus*, desit in citatione quam adhibet ad probandum quod sibi proposuerat, necessario subintelligitur. 3. Soli Deo convenit quæ Apostolus dicit de Christo: *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

4. Petrus Christum vocat Filium Dei: *Tu es* (inquit Matth. 16.) *Christus Filius Dei vivi*: ubi vox illa *vivi*: significat non adoptivam, sed naturalem filiationem, viventium enim tantum est generare sibi simile in natura. Unde in mercedem tam sublimis confessionis Petrus Ecclesiæ claves accepit a Christo. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum.*

Confirmatur illud argumentum ex aliis locis, in quibus nomina quæ conjunguntur huic voci, *Filius*, quam Petrus Christo tribuit, demonstrant Petri verba intelligi non posse de filio adoptivo. Scilicet Joannis 3. Christus dicitur, *Filius Unigenitus*. Ad Rom. 8. *Filius proprius*. Ad Hebræos 1. dicitur filius per oppositionem ad Angelos, qui haud dubie filii sunt adoptivi: *Ad quem enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Joannis 19. Christus coram Judæis accusatus est, quod se Dei filium prædicasset: *Nos* (inquiunt Judæi) *legem habemus & secundum legem nostram debet mori: quia filium Dei se fecit*: quæ quidem verba clare indicant Judæis persuasum fuisse Christum non adoptivum, sed naturalem Dei filium se fecisse; alioquin enim crimini id ei non vertissent, cum ipsi (ut habetur Joannis 8.) nomine filiorum Dei gloriarentur: *Unam patrem habemus Deum*. Præterea alibi dicunt,

Chri-

Christum se fecisse æqualem Deo: *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*.

5. *Q.* Verbi divinitas potestne demonstrari ex iis Scripturæ locis in quibus Dei attributa de Christo prædicantur?

R. Potest: de eo enim tantum essentialia Deo attributa prædicari possunt, qui vere & substantialiter sit Deus: Operæ autem pretium est ut hic exscribantur Scripturæ textus qui Dei attributa de Christo prædicant.

Ad Romanos 16. Æternitas Deo soli tribuitur: *Secundum præceptum æterni Dei*: at eadem æternitas tribuitur quoque Christo: Joannis 8. Christus ipse sic loquitur; *Antequam Abraham fieret ego sum*: quæ quidem verba intelliguntur de existentia reali, non autem quæ fuerit tantum in typo: alioquin Christus non recte respondisset ad hanc Judæorum objectionem: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*

Omnipotentia Christo quoque tribuitur; hæc enim Joannes de Christo loquens habet Apocalyp. 4. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*. Illi quoque tribuitur cognitio motuum cordis. *Domine tu omnia nosti* (inquit Petrus Christum alloquens) *tu scis quia amo te*. Eamdem virtutem (quæ Dei character est) sibi ipsi Christus adscribit Apocal. 2. *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda*.

Apocalypseos 1. Christus seipsum vocat rerum omnium principium & finem: *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens*. Idem legitur capit. 22. versu 13. *Ego sum Alpha, & Omega, primus & novissimus, principium & finis*. Ne quis autem alteri quam Christo verba illa tribuat, obstant quæ ibidem post aliquot versus sequuntur, *Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis*.

6. *Q.* Divinitas Verbi potestne demonstrari ex iis Scripturæ locis, in quibus opera quædam Christo tribuuntur?

R. Potest. Ea nimirum opera, sunt Deo ita propria, ut ab eo qui Deus non sit, prodire minime possint.

1. Nemini dubium est quin rerum creatio Deo propria sit; at creatio Cristo tribuitur: *Unus Deus Pater* (inquit Apostolus prima ad Corinth.) *ex quo omnia. Unus Dominus Jesus Christus per quem omnia*. Ad Hebræos 1. *per quem fecit omnia*. Ibidem sic idem Apostolus Christum alloquitur; *Et tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*.

2. Conservatio rerum creatarum Christo convenit. Ad Hebræos 1. *Qui portat omnia verbo virtutis suæ*. Ad Coloss. 1. *Omnia in ipso constant*. Joannis 5. ipse Christus rerum & creationem & conservationem tribuit sibi: *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit: Pater usque modo operatur, & ego operor*.

3. Miracula tribuuntur quoque Christo: *Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Ad ipsiusmet Christi invocationem Apostoli patrarunt miracula quæ in Actis leguntur: *In nomine Jesu Nazareni* (ait Petrus Actorum 3.) *surge & ambula*.

4. Scripturæ, cultum latriæ, seu adorationem Christo deberi testantur: *Et procidentes* (ait Matthæus cap. 1. de Magis loquens) *adoraverunt eum*. Paulus ad Hebræos 1. scribit, Angelis præceptum fuisse ut Christo cultum adorationis exhiberent: *Et cum iterum introducit primogenitum suum in urbem terræ dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*.

7. *Quæst.* Divinitas Christi potestne demonstrari ex locis quæ docent, eum esse æqualem Patri?

R. Potest: quia Deus in antiquo Testamento non semel prohibuit, ne qui ipsi creaturam aliquam auderet coæquare: *Quis* (ait ipse apud Isaiam cap. 44.) *similis mei?* Eam tamen æqualitatem cum Deo Patre novum Testamentum tribuit Christo.

Primo, Joannis 5. hæc habentur. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*.

Nec in hoc Judæi imponebant Christo. Nam 1. æqualitatem illam (quæ si Christus non esset vere Deus, maxima fuisset blasphemia) Christus non negavit, immo hocce argumento confirmavit: *Quæcumque ille* (Pater) *fecerit, hæc & Filius similiter facit .... Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius quos vult, vivificat*. 2. Æqualitatem illam Joannis 10. confirmat argumento, quod vocant a minori ad majus: *Quem Pater* (per unionem cum Verbo) *sanctificavit, vos dicitis quia blasphemas: quia dixi Filius Dei sum*. 3. Paullo ante mortem ipse sibi eamdem æqualitatem asseruit: *Rursum* (verba sunt Marci 14, 61.) *Summus Sacerdos interrogavit eum, & dixit ei, tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi: ego sum*. Illud vero Christi responsum Judæi de vera ac naturali filiatione, ac proinde de reali & vera, non autem metaphorica æqualitate interpretati sunt, ob id enim contenderunt Christum esse reum blasphemiæ: *Audistis blasphemiam: quid vobis videtur?* ob id eum morte damnarunt: *qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis*.

2. Paulus post Christi mortem eamdem ipsi æqualitatem cum Patre tribuit: sed iis terminis qui demonstrant æqualitatem illam de substantiali, ac realiter intelligi debent: *Hoc enim* (ait ad Philippenses 2.) *sentite in vobis, quod in Christo Jesu qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*.

In eam autem Apostoli sententiam obser-

vare est 1. proferri eam ab homine, cui perspecta erant Scripturæ loca, quibus Deus ipse vetuerat, ne quis creaturam Deo coæquaret: *Quis simili mei?* 2. Sententiæ Auctor noverat, Christum apud Judæos audisse tamquam blasphemum quod se Deo æqualem fecisset: *Æqualem se faciens Deo?* 3. Prævidere poterat ac debebat, eum loquendi modum, si Christus vere Deus non sit, pluribus fore scandalo, ut quondam Judæis fuerat. 4. Non simpliciter æqualitatem Christo tribuit, sed contestatur, juste id fieri: hoc est Christum non rem alienam, sed propriam vindicasse sibi, dum seipsum dixit æqualem Deo: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. 5. Rationem reddit cur æqualitas illa Christo debita sit, asseritque reperi debere ex eo quod Christus habeat Dei formam: *Qui cum in forma Dei esset*. 6. Tandem ideo de illa æqualitate loquitur, ut Verbi per incarnationem factam exinanitionem commendet, seu ut ostendat quantum seipsum depresserit, cum nostri caussa in sinu Virginis carnem induit: *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*.

Obj. 1. Verbum, seu Sapientia opus est a Deo creatum. *Ab initio* (ait Sapientia ipsa Ecclesiastici 25.) *& ante sæcula creata sum*: ergo, &c.

R. 1. Dist. ant. Opus a Deo creatum creatione improprie dicta, seu sumpta pro simplici productione quæ non fit ex nihilo, conc. ant. nempe cum ea creationis specie ibidem æternitas conjungitur *ab æterno ordinata sum*: Creatione proprie dicta, seu quæ fit eductio ex nihilo, nego ant.

R. 3. Dist. ant. Sapientia ut incarnata, seu prout est homo, est opus a Deo creatum, conc. ant. Sapientia, ut Verbum est, nego ant. *Caro* (inquit Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 7.) *Dominum agnoscit; Divinitas Patrem*.

Obj. 2. Deus Pater Verbo, tamquam instrumento usus est ad rerum creationem. *Omnia* (inquit Joannes cap. 1.) *per ipsum facta sunt*: & (ut ait Apostolus ad Hebræos 1.) *per quem fecit & sæcula*: ergo &c.

R. Nego ant. Nimirum in iis locis præpositio *per* significat caussam principalem, quia antea Joannes dixerat, Verbum esse Deum. Apostolus ipsi æternitatem quæ Deo soli propria est, tribuerat.

R. 2. Nego iterum ant. quis præpositio *per*, iis in locis significat caussam exemplarem non autem istrumentalem; hoc est, Deus Pater ad Verbi, seu Sapientiæ ideas exegit rerum omnium creationem. Ita Augustinus & post eum multi Patres locum de quo agitur, interpretantur.

Obj. 3. Cum Judæi vellent lapidare Christum quod se Dei filium appellasset, respondit ipse, se non alio sensu Deum esse, quam ii qui in dignitate politica constituti jus aliis dicunt: sic enim blasphemiam sibi a Judæis impactam consutavit Joannis cap. 10. *Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Jesus, Nonne scriptum est in lege vestra: Quia ego dixi: Dii estis vos? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi; Filius Dei sum?* ergo, &c.

R. Nego ant. Ratio est, quia ea quæ objecta sunt ex capite 10. Joannis, non sunt explicatio locorum, in quibus Christus se Deum, & Dei filium vocaverat: scilicet sunt argumentum quod vocant a minori ad majus, quoque tantum abest, ut Christus naturalem suam filiationem infirmaverit, quin potius confirmaverit invictissime: illius autem argumenti is est genuinus sensus: Ii, quibus Deus nonnihil suæ auctoritatis in terris concessit, in Scripturis Dii dicuntur: *Ego dixi, Dii estis vos*; ergo, non jam *appellativo* nomine (quod pluribus commune est, quodque participatam divinitatem metaphorice significat,) sed *proprio* nomine (quod singulare est, & consequenter totam, essentialem, & veram divinitatem significat) Deus appellari debet homo ille, quem Pater sanctificavit per divinæ suæ essentiæ in persona Verbi realem communicationem.

Obj. 4. Quod Christus sit Deus, Scriptura non asserit *explicite*: quod tamen asserere debuisset, cum articulus de divinitate Christi sit ad salutem necessarius. Non asserit quoque etiam *implicite*: Siquidem Scripturæ loca, ex quibus Christi divinitas infertur, facile solvi possunt.

Et sane 1. *Dei* nomen, quod nonnumquam Christo tribuitur, est nomen *appellativum*, quod in sacris Codicibus aliis a Deo entibus tribuitur, ut cum Moyses dicitur Deus Pharaonis: *Constitui te Deum Pharaonis*.

2. Dei attributa quæ Christo aliquoties adscribi videntur, sunt attributa per quamdam participationem, sicut dignitas Regis, quæ (licet in Scripturis Deo tribuatur) sæpius etiam hominibus conceditur.

3. Opera Dei dicuntur quidem a Christo fieri, sed virtute, quæ ipsi, sicut & Apostolis a Deo communicata sit, juxta illud Joannis 5. *Non potest Filius a se facere quidpiam*; necnon & illud Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: ergo, &c.

R. Ad 1. nego ant. Expresse nimirum (ut superius probatum est) Christi divinitas in Scripturis reperitur.

Ad 2. Dicendum est, nomen istud *Deus*, prolatum con additione, seu restrictione, nonnumquam quidem tribui creaturis, ut cum

cum Moyses dicitur *Deus Pharaonis*, sed absolute, simpliciter, & sine additione prolatum, nusquam in Scripturis nisi soli Deo vero tribuitur.

Ad 3. Dicendum est, falsum esse quod Dei attributa quæ Christo in Scripturis tribuuntur, aliquando tribuantur creaturis. Ubinam enim legitur creaturam aliquam dici & appellari æternam, omnipotentem, æqualem Deo? Ubinam attributa, quæ in veteri Testamento dicuntur de Deo vero tamquam caracteres, qui eum a creaturis distinguunt; alicui aut Angelo, aut homini concessa leguntur? Ubinam legitur creaturas scire quid sit in homine; scrutari renes & corda; eas operari quæcumque Deus operatur; eas cælos & terram creasse, portare eas omnia verbo virtutis suæ, quemadmodum in novo Testamento palam & aperte de Christo ea omnia asseruntur.

Ad 4. Dicendum est, Filium recepisse, & nunc etiam recipere *esse* suum a Patre: cum (ut inferius dicetur) a Patre procedat: at recipiendo *esse*, recipit scientiam, omnipotentiam, æqualitatem, & alia attributa: cum (ut constat ex Tractatu de Deo & Uno) in Deo esse, attributa, operari, sint unum & idem. Ex eo igitur quod Christus a Patre esse, attributa & operari receperit, & nunc etiam per æternam generationem recipiat, inferri non potest quod in illo esse, attributa, operari, sint (sicut in creaturis) aliquid participatum: ac proinde inferri non debet, eum non esse proprie ac substantialiter Deum.

Obj. 5. Scripturæ loca quæ Christo, *Dei* nomen, attributa & operari tribuunt, metaphorice tantum accipienda sunt: si enim sumerentur ad litteram, Scripturæ loquendi modus esset aut præter, aut contra rationem, quod quidem est falsum: ergo, &c.

Resp. Ad 1. Falsum esse, quod Scriptura metaphorice sumi debeat, quoties id significatur per sensum litteralem, quod est præter creatæ mentis captum. Ratio est, quia potentia Dei est infinita; e contra finitus est humanæ mentis captus; ac proinde multo plura Deus potest operari, quam ratio, etiam quæ per peccatum corrupta non fuisset, concipere possit.

Præterea si id tantum (ut volunt Sociniani) credi debeat quod ratio concipit, sequitur revelationem exigi debere ad rationis normam, non e contra rationis normam ad revelationis certitudinem & infallibilitatem, seu ad auctoritatem Dei revelantis. Sequitur iterum Paulum hæc immerito scripsisse primæ ad Corinth. 1. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.*

Ad 2. Dicendum est, falsum esse quod loca, quæ Christo divinitatem tribuunt, si ad litteram sumantur, pugnent contra rectam rationem; neque enim quidquam aut ex essentia divina, aut ex illius attributis detrahunt, aut eis labem inferunt vel minimam ut hujusce libri parte secunda fuse probatum est.

8. *Q.* Verbi divinitas poteстne ex Traditione Patrum Græcorum demonstrari?

R. Potest: & quidem unanimi traditione Patrum qui floruerunt ante Nicænum I. Concilium, in quo Verbi divinitas contra Arium expresse definita fuit.

1. Ignatius Martyr in Epistola ad Ephesios dicit Christum *in carne Deum, & in morte veram vitam.*

2. Polycarpus Joannis Apostoli discipulus in oratione quam paullo ante mortem fudit, Christum (ut testatur Eusebius hist. lib. 4. cap. 5.) una cum Patre glorificat; hoc est, ipsi eamdem, quam Patri, gloriam tribuit: *Per quem*, Christum, *tibi* Patri, *cum ipso in Spiritu sancto gloria nunc, & in sæcula, sæculorum. Amen.*

3. Justinus Martyr in Apologia quæ secunda dicitur, scribit Filium esse Deum, idque probat ex eo quod Verbum sit Dei primogenitum; *Filium*, inquit, *esse Patri universorum, qui, quod Verbum Dei primogenitum sit, Deus etiam existit.* In Dialogo cum Tryphone, asserit Filium non per dispertitionem essentiæ a Patre generari, Virtutem esse quæ gignitur a Patre, tamquam ignis ab altero igne. In jam laudata Apologia secunda scribit Christianos falso a gentilibus tamquam Atheos traduci, cum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum una simul colant & adorent: *Verum etiam ipsum, & qui ab eo venit, Filium & Spiritum sanctum, colimus & adoramus cum ratione & veritate venerantes.*

4. Irenæus in libro 3. adversus hæreses cap. 6. scribit solum Deum verum in Scripturis definitive nominari Deum, additque ob id, Verbum esse Deum: *Nisi*, inquit, *qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium.*

5 Clemens Alexandrinus, initio admonitionis ad Græcos, non minus Verbo, quam Patri omnia subjicit: non minus, quam Patri adscribit immensitatem: *Unus quidem est universorum Pater. Unum est etiam Verbum universorum. Et Spiritus sanctus unus, qui & ipse est ubique.* Ibidem cap. 8. Verbum dicit esse unum cum Patre Deum: *Nihil odio habet Deus, sed neque Verbum: Utrumque enim unum est, nempe Deus.*

6. Origenes libro 3. contra Celsum probat Christum esse Deum, quod sit Patris Verbum; *Sciant ipsi criminatores hunc Jesum, quem ab initio Deum, Deique Filium esse credimus, ipsum esse Verbum, ipsam Veritatem, ipsam Sapientiam.*

7. Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Dionysium Romanum Pontificem Christum dicit

dicit Patri *consubstantialem*: negatque, se, cum adversus Sabellium scripsit, quidquam dixisse quod Verbi divinitati labem inferret iis in locis, in quibus personarum distinctionem ex professo stabilierat.

8. Patres Concilii Antiocheni, quod tertio sæculo contra Paulum Samosatenum habitum est, aperte definiunt, Christum, cujus divinitatem negaverat Samosatenus, *esse & Verbum, Virtutemque Dei ante sæcula existentem, non sola præscientia, sed substantia & subsistentia Deum.*

Obj. 1. Justinus Martyr in Apologia secunda scribit Christianos Filium Dei in *secundo loco habentes cum ratione venerari*. At is, qui est in secundo loco, non est Deus.

Resp. Dist. min. Secundo loco ratione originis, conc. min. ratione dignitatis, neg. min. Scilicet Justinus eo in loco probat plures in divinis esse personas: quod postea negarunt Sabelliani.

Obj. 2. Justinus in Dialogo cum Tryphone, de Filio dicit, quod sit *administer Dei, universorum creatoris*: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Administer *improprie*, conc. ant. *proprie*, nego ant. Christus est administer improprie, quia & esse & operandi virtutem accipit a Patre, non est vero minister proprie, quia non ita agit nomine Patris, ut virtus, per quam agit, non sit eadem cum virtute Patris: scilicet, ex eodem Justino, accipit esse a Patre sicut ignis accipit esse ab alio igne.

Obj. 3. Justinus in Dialogo cum Tryphone negat universorum Deum apparuisse Patriarchis, & tamen ibidem asserit Filium eis se videndum præbuisse. Ibidem quoque docet, Deum esse Filio *caussam ut sit*: ergo, &c.

Resp. Ad 1. Dist. ant. Et per Deum universorum intelligit solam personam Patris, conc. ant. Deum simpliciter, nego ant. Ratio est, quia per has voces, *Deum universorum*, Scriptores secundi & tertii sæculi per quemdam loquendi modum, quem Theologi vocant *per appropriationem*, intellexerunt Deum Patrem, quemadmodum & nos eum intelligimus in primo Symboli articulo, ubi dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

Resp. Ad 2. dist. ant. Et nomine caussæ Justinus intellexit caussam improprie sumptam; hoc est, pro eo omni a quo ens aliquod recipit esse, sive dependenter, sive independenter, conc. ant. intellexit caussam proprie sumptam, seu principium a quo esse recipitur dependenter, nego ant. Nec id mirum est; cum (ut videre est in Concilio Florentino, in definitione Fidei) Græci dicant Patrem esse *caussam* Filii, licet Latini non eo nomine, sed isto, *principium*, utantur.

Obj. 4. Irenæus libro 3. adversus hæreses cap. 8. scribit. 1. Deum Patrem præcepisse Filio, ut mundum conderet. 2. Filium vocat *ministrum* Patris. 3. Contendit, Filium latuisse extremam judicii diem: ergo, &c.

R. Ad 1. vocem *præcepisse* sumi improprie; hoc est, pro impulsu, quem Filius cum aliis suis attributis accepit a Patre, non autem pro præcepto proprie sumpto, quod sit domini ad subditum.

Ad 2. Dist. ant. Ministrum connaturalem & internum, ac proinde qui sit ejusdem cum Patre substantiæ, conc. ant. ministrum non connaturalem & extraneum nego ant. Scilicet Irenæus inde sumit argumentum, ut probet Deum, Angelorum ministerio non indiguisse, ut mundum conderet.

Ad 3. dist. ant. latuit Filium ut est homo per incarnationem, conc. ant. ut est Verbum, nego ant. Scilicet Irenæus de Filio loquitur, qui (ut ait ibidem) nos exterius docuit.

Obj. 5. Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 7. scribit Filium *servire* voluntati Patris: ipsum esse primo creatam Sapientiam; ergo, &c.

R. Ad 1. Clementem loqui de Filio ut homo est: nempe de eo loquitur prout est mundi salvator, & promovet hominum salutem: quo sane sensu servit voluntati Patris qui vult hominem fieri salvum.

Obj. 6. Origenes lib. 6. contra Celsum scribit 1. Patrem esse primarium mundi opificem, Filium vero proximum, seu secundum. 2. In lib. 8. contra eumdem Celsum docet Patrem & Filium esse duos *hypostases*; hoc est, natura, unum vero *concordia*. 3. Ibidem asserit, Verbum non esse universorum Deum. 4. Ibidem contendit Filium, ut filius est, esse minorem Patre, juxta illud Christi in Evangelio Joan. 14. *Pater major me est*.

R. Ad 1. dist. ant. ratione originis, conc. ant. ratione essentiæ, aut dignitatis, neg. ant. Ad 2. Jam Origenis tempore usus apud Orientales invaluerat, ut hypostasis, non pro natura, sed pro persona sumeretur. Addendum est unitatem concordiæ de qua idem Origenes loquitur, non excludere unitatem essentiæ. Ad 3. Veteres per hæc verba, *universorum Deum*, solam Patris personam, per appropriationem, intelligebant. Ad 4. Filius est minor Patre ratione originis, quia ab eo recipit esse: unde Pater dicitur fons totius divinitatis; sed non est minor ratione essentiæ. Ita hunc Evangelii textum: *Pater major me est*, Athanasius Oratione 5. contra Arianos, interpretatur.

Obj. 7. Dionysius Alexandrinus scribens adversus Sabellium, asseruit Deum Patrem se habere ad Filium, sicut se habet agricola ad vitem, sicut fabricator navis ad scapham: ergo quemadmodum agricola natura & substantia differt a vite quam colit, & fabricator navis a scapha: ita Pater natura & substantia differt a Filio.

R. Nego conseq. Non enim quoad omnia adhibitæ sunt a Dionysio similitudines illæ, sed quoad unum tantum, nempe quoad scopum quem sibi sanctus Præsul proposuerat; ostendendi nimirum contra Sabellium personam Patris a persona Filii realiter distingui: cum Pater sit principium Filii, quemadmodum fabricator navis (remotis tamen imperfectionibus) est artifex scaphæ, & ab ea realiter distinguitur.

9. *Q.* Verbi divinitas poteståne demonstrari ex traditione Patrum Latinorum qui vixerunt ante primum Concilium Nicænum?

R. Potest. Tertullianus in Apologetico cap. 21. expresse docet 1. Dei filium vocari Deum: 2. eum esse unius cum Patre substantiæ: 3. utrumque ex eo colligi, quod ex Patre genitus sit. *Hunc* (inquit) *ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum, ex unitate substantiæ.*

Dionysius Pontifex Romanus probavit litteras quas ad eum dederat Dionysius Alexandrinus, in quibus Christum (ut superius dictum est) Patri Consubstantialem asseruerat.

Cyprianus in libro 2. Testimoniorum adversus Judæos ad Quirinum, totus est ut probet e Scripturis Christum esse Deum: unde ei omnia tribuit quæ soli Deo vero conveniunt.

Obj. Plura sunt in Tertulliano quæ adversantur divinitati Verbi. Nam 1. in libro contra Hermogenem cap. 3. scribit Deum non fuisse semper patrem: *Non tamen* (inquit) *ideo pater semper, quia Deus semper.* 2. In libro adversus Praxeam cap. 6. docet Sermonem, seu Verbum, seu Sophiam, a Patre procedere per quamdam separationem. *Et hinc* (ait de Sophia loquens) *adsistentem eam ipsa separatione cognoscit*: Ergo, &c.

Resp. Ad 1. dist. ant. Tertullianus scribit patrem non semper fuisse patrem extrinsece, conc. ant. intrinsece, nego ant. Nimirum Tertullianus eo loci respondet argumento Hermogenis contendentis materiam esse æternam, quod alioquin sequeretur Deum non fuisse semper patrem, rerum scilicet extra se positarum.

Ad 2. Tertullianus non loquitur de separatione proprie dicta, per quam scilicet Filius sit a Patre separatus, quemadmodum res externæ quæ ab eo creatæ sunt; sed loquitur de separatione improprie dicta, quæ nihil aliud est, quam Filii a Patre missio, seu impulsus ad opera externa, quæ (ut ait Evangelium) per Verbum facta sunt. Nempe idem auctor in libro contra Valentinianos cap. 8. sic loquitur; *Filius in Patre semper, & numquam separatus a Patre.*

10. *Q.* Verbi divinitas poteståne demonstrari traditione Patrum, qui ab ineunte sæculo quarto hucusque floruerint?

R. Potest. Concilium Nicænum 1. quod anno 325. habitum est, aperte definiit Verbum esse Deum, quod quidem negaverat Arius: *Deum*, inquit, *de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Addit, ipsum esse ejusdem substantiæ cum Patre: *Genitum non factum, consubstantialem Patri.* Damnat insuper eos qui cum Ario asserebant, ipsum æternum non esse, dicentes: *Erat quando non erat, & priusquam nasceretur, non erat.* Patres, qui post laudatum Concilium floruerunt, Nicænæ Synodi de Verbo fidem ubique ad Socinianos usque semper amplexi sunt.

Obj. 1. Synodus Antiochena, contra Paulum Samosatenum tertio sæculo celebrata, damnavit vocem *homoousion*, seu *consubstantialem*, qua postea usi sunt Nicæni Patres: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Damnaverat quantum ad abusum, conc. ant. in se & absolute sumptam, nego ant. Paulus Samosatenus ex voce, *consubstantialem*, sumebat argumentum, ut probaret personas in divinis non esse realiter distinctas, unde merito vox illa quoad usum rejecta fuit a Patribus Antiochenæ Synodi.

Obj. 2. Vox *homoousion* in Scripturis non reperitur: ergo adhiberi non debuit a Patribus Concilii Nicæni I.

Resp. Conc. ant. nego conseq. Nimirum Ecclesia, ut impediat hæreticorum cavillationes, potest adhibere, immo & præscribere usum vocum, quæ licet quoad syllabas in Scripturis non legantur, in eis tamen quoad sensum continentur.

Obj. 3. Eusebius Cæsariensis ante & post Nicænum 1. Concilium negavit Verbi divinitatem: ergo ea de re non fuit unanimis Patrum consensus.

R. Ea omnia quæ Eusebius scripsit tum in libris Præparationis Evangelicæ, tum in libro 4. de Demonstratione Evangelica, tum lib. 1. hist. cap. 7. benigne in sensum catholicum explicari possunt: verum subdola Nicænæ Fidei explicatio quam ad suos Cæsarienses misit, probat illum Arianismo laborasse: eo enim sensu exponit, *Verbum esse genitum ex substantia Patris*, quod pater ipsum ita genuerit, ut retenta portione propriæ substantiæ, aliam ei tradiderit. Præterea nihil est in illa Eusebii explicatione quod cum impio Arii dogmate conciliari non possit. Nempe contendit vocem, *consubstantiale*, non aliud significare, quam quod dixerat significari per has voces, *Verbum esse genitum ex substantia Patris*; seu productum non fuisse per divisionem & separationem unius partis substantiæ divinæ ab altera, ita ut una remanserit in Patre, alia vero data fuerit Filio. Addit Concilium ideo tantum damnasse has Arii voces *Erat quando non erat; Ex non extantibus factus*, quod peregrinæ essent,

sent, seu quod in Scripturis minime repeariantur.

Obj. 3. Osius Cordubensis subscripsit secundæ formulæ fidei quam Ariani Sirmii promulgaverant, quæque puro Arianismo scatet: ergo post Concilium Nicænum unanimis non fuit de Verbi divinitate Patrum traditio.

R. Dato ant. nego conseq. Nempe Osius (ut Athanasius testatur in Epistola ad Solitarios) paullo ante mortem recantavit quod Sirmii exsul, & ærumnis ab Arianis oppressus probaverat.

Obj. 4. Liberius Papa subscripsit secundæ formulæ Sirmiensi: ergo &c.

R. Nego ant. Scilicet (teste Sozomeno historiæ lib. 4. cap. 15.) subscripsit tantum primæ Arianorum formulæ: in qua vox *homoousion* non continebatur quidem, sed (Hilario teste in libro de Synodis) nihil erat quod in sensum catholicum explicari non posset.

CAPUT III.

De Spiritus sancti Divinitate.

Nota. Nicænum primum Concilium siluit de Spiritus sancti divinitate, quod eam, aperte saltem, Arius contra quem convenerat, non impugnasset. Verum ii qui postea Semiariani dicti sunt, eam negarunt, & inter eos præcipue Macedonius, qui ob eam blasphemiam in Concilio I. Constantinopolitano damnatus est.

1. *Q.* Divinitas Spiritus sancti potestne ex Scripturis demonstrari?

R. Potest & quidem: 1. ex iis locis in quibus Dei nomen per oppositionem ad creaturas Spiritui sancto tribuitur: *Non es mentitus hominibus* (inquit Petrus, Actorum 5. de Anania, quem dixerat mentitum fuisse Spiritui sancto) *sed Deo.*

2. Textus veteris Testamenti, in quibus Deus dicitur locutus, in novo non semel explicantur de Spiritu sancto. Hæc verba *Audite audientes, & nolite intelligere*, quæ Isaiæ 6. Deo exercituum tribuuntur, Paulus ad Hebræos 3. dicit a Spiritu sancto prolata. Psalmo 105. hæc habentur; *Tentaverunt Deum in inaquoso*: at Deus ille quem Judæi tentarunt, ad Hebræos 13. vocatur Spiritus sanctus. Ubi Apostolus primæ ad Cor. 15. fideles vocavit Dei Templum: *Nescitis quia Templum Dei estis vos*; paullo post eos vocat Templum Spiritus sancti: *An nescitis, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus sancti.*

3. Omnes qui Deo proprii sunt caracteres, in Scripturis tribuuntur Spiritui sancto: & quidem 1. Processio: *Qui* (inquit Christus Joannis 6. de Spiritu sancto loquens) *a Patre procedit*: 2. Æqualiter & eodem modo cum aliis personis invocatur in baptismatis formula; *Baptizantes eos* (ait Christus ipse) *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. 3. Scrutatur hominum corda, primæ ad Corinth. 2. 4. Auctor est gratiæ qua sanctificamur. *Caritas Dei* (inquit Apostolus ad Romanos 5.) *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. 5. Non minus ipsi, quam aliis divinis personis tribuitur peccatorum remissio: *Accipite* (inquit Christus Joannis 30.) *Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. 6. Adscribuntur illi constitutio, vocatio & missio ministrorum, *Attendite vobis* (Actorum 20.) *& universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. 7. Agabus Actorum 25. suam prophetiam in Spiritum sanctum tamquam in illius auctorem refundit: *Hæc dicit Spiritus sanctus.*

Obj. 1. Ad Romanos 8. Spiritus sanctus gemere dicitur: *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* 2. A seipso non loquitur, ut habetur Joannis 6. ergo, &c.

R. Ad 1. dist. ant. Dicitur gemere improprie, quia scilicet (ut exponit Augustinus Epist. 105.) nos facit gemere per gratiam qua nos movet, conc. ant. Proprie, quasi ipse gemat, nego ant.

Ad 2. dist. A seipso non loquitur, per sapientiam quam ab aliis personis non receperit, conc. ant. quam receperit, nego ant. *Ab illo audiet* (inquit Augustinus Tractatu 99. in Joannem) *a quo procedit.*

2. *Q.* Spiritus sancti divinitas potestne ex traditione demonstrari?

R. Potest. Nam. 1. Tertullianus in libro de Pudicitia diserte profitetur *Trinitatem unius divinitatis, Patrem, Filium & Spiritum sanctum*. In libro adversus Praxeam capit. 13. ubi appellavit Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sic loquitur: *Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & Deus unusquisque.*

2. Cyprianus in libro de Unitate Ecclesiæ, hæc habet cap. 4. *De Patre, Filio & Spiritu sancto scriptum est* (primæ Joannis 5.) *hi tres unum sunt*. Iis Patribus adjungi debent ii omnes quos superius laudavimus pro divinitate Verbi: expresse enim meminerunt & Verbi & Spiritus sancti simul.

3. Ubi Macedonius Spiritus sancti divinitatem impugnare cœpit, statim ab Ecclesia Catholica damnatus est. Scilicet Concilium Constantinopolitanum I. quod est Generale secundum, Symbolo addidit integrum de divinitate sancti Spiritus articulum: *Et in Spiritum sanctum &c.* Illud vero Concilium, quoad fidei definitionem, omnes ubique gentium Ecclesiæ amplexæ sunt.

Obj. Concilium Constantinopolitanum I. Spiritui sancto Dei nomen non tribuit, quem-

quemadmodum Nicænum I. Verbum expresse Deum nominavit, Deumque esse asseruit: ergo, &c.

R. Concilium Constantinopolit. definiit 1. Spiritum sanctum adorari una cum Patre & Filio. 2. Definiit, Fideles non minus in Spiritum sanctum, quam in alias personas credere. 3. In Epistola Synodica, quæ est ad Damasum, expresse eamdem quam Patri & Filio divinitatem & consubstantialitatem tribuit Spiritui sancto.

3. *Q.* Mysterium sanctissimæ Trinitatis, quod quidem in eo positum est, ut una & indivisibilis essentia in tribus Personis realiter a se invicem distinctis, Patre, Filio & Spiritu sancto subsistat, potestne cognosci?

R. Potest per revelationem quæ in Scriptura & Traditione continetur: non potest vero sola ratione naturali: nec enim per se aliquam tanti mysterii ideam habet; nec aliquod illius vestigium, quod omnino simile sit, in rebus creatis reperitur.

CAPUT IV.

De Processionibus divinis.

1. *Qu.* Quid est processio?

R. Est emanatio, seu origo unius ab alio: sic fluvius dicitur procedere a fonte, quod ab eo emanet, ac oriatur.

2. *Q.* Quotuplex est processio?

R. Duplex: transiens, & immanens. Prior, est ea quæ habet pro termino rem positam extra potentiam quæ operatur. Altera e contra est ea, cujus effectus in ipsa potentia recipitur: hujusmodi est processio visionis ab oculo.

3. *Q.* Estne aliqua transiens processio in Deo?

R. Est: siquidem Deus extra se operatus est, cum creaturas eduxit ex nihilo.

4. *Q.* Sunt in Deo processiones immanentes?

R. Sunt: scilicet una Persona emanat, seu suam originem ab alia trahit. Juxta illud Christi, Joannis 8. *Ego ex Deo processi, & veni*, necnon & illud ejusdem Christi, Joannis 16. *Spiritus qui a Patre procedit*.

Obj. 1. Processio supponit prius & posterius: at prius & posterius locum in Deo non habent, cum omnes & singulæ personæ sint coæternæ & coexistentes.

Resp. Dist. min. Prius & posterius ratione temporis, conc. min. ratione originis, nego min. Illud cum æternitate non cohæret; secus vero istud, ut patet in lumine, quod quidem foret æternum, si sol, a quo oritur, extitisset ab æterno.

Obj. 2. Processiones Deo repugnant; Deus enim est ens a se: ergo, &c.

R. Dist. ant. Deus est ens a se, hoc est, non habet caussam a qua pendeat, quia sic esse ab alio arguit imperfectionem, conc. ant. hoc est, non habet principium a quo procedat, nego ant. quia sic esse ab alio dicit receptionem ejusdem esse, quod in producente reperitur, ac proinde receptionem esse omnino independentis, si illud esse in principio producente (ut in divinis contingit) sit omnino independens.

Obj. 3. Esse divinarum Personarum non potest esse receptum: quia si hoc esset, una persona daret, & alia reciperet: at id dici non potest, alioquin enim una persona foret alia perfectior: cum, ex Scriptura, Act. 20. *beatius sit magis dare, quam accipere*: ergo &c.

R. Dist. Beatius est magis dare, quam recipere in creatis, conc. ant. quia receptio in creatis fit cum recipientis dependentia ab eo, a quo recipitur: in divinis, nego ant. Scilicet persona, quæ dat esse alteri, non aliud esse tribuit, quam proprium suum esse, ac proinde esse independens, cum illud esse in persona dante sit esse omnino independens.

5. *Q.* Quotuplex est in divinis processio immanens?

R. Duplex, activa scilicet & passiva. Prior est actus, quo datur esse alicui personæ: Altera est receptio esse quod datur per activam processionem.

5. *Q.* Quot sunt in divinis processiones activæ?

R. Duæ tantum: intellectio nimirum & volitio: quia per solos duos illos actus esse divinum personis communicatur, Verbo quidem per Intellectionem, seu cognitionem; Spiritui vero sancto per volitionem, seu amorem.

Obj. 1. Una processio continet aliam, cum in genere processionis sit infinita, & infinitum in uno genere contineat omnia quæ ad illud genus reducuntur: ergo una tantum, non autem multiplex est in divinis processio.

R. Conc. ant. dist. conseq. Ergo est una tantum actu processio, conc. ant. est una tantum virtualiter, neg. ant. Ratio est, quia processio multiplicatur virtualiter ratione termini qui producitur: ac proinde cum duplex in divinis terminus, Filius nimirum & Spiritus sanctus, producatur, duplex quoque est virtualiter processio: licet sit una tantum realiter & actu.

Obj. 2. Ex potentia & bonitate non resultat aliqua processio: ergo neque resultare debet aliqua ex Intellectu, & voluntate.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est 1. quia actio potentiæ habet pro termino rem quæ extra Deum est, creaturam nimirum; processio vero habet terminos qui non sunt extra Deum, Filium scilicet & Spiritum sanctum. 2. Bonitas in sui idea non includit aliquam actionem: e contra vero processio activa eam includit.

7. *Q.* Quot sunt in divinis processiones passivæ?

R. Duæ tantum: quia duæ sunt tantum receptiones esse divini quod personis communicatur, scilicet receptio a Filio, & receptio a Spiritu sancto: a duabus enim illis personis tantum esse divinum recipitur; siquidem Pater, cum sit fons & origo totius divinitatis, a nullo alio principio recipit esse quod habet.

8. *Q.* Quomodo vocatur processio Verbi a Patre?

R. Vocatur generatio, juxta illud Scripturæ *Isai.* 53. de Verbo loquentis: *Generationem ejus quis enarrabit?* necnon juxta illud Symboli Nicæni, *Genitum non factum.*

9. *Q.* Cur processio Verbi a Patre dicitur generatio?

R. 1. Quia habet pro termino filiationem; juxta illud Scripturæ Ps. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* 2. quia illi processioni convenit idea generationis: sic enim generatio definitur: *Processio viventis a vivente in similitudinem naturæ.*

10. *Q.* Quænam sequuntur ex illa generationis idea quæ convenit processioni Verbi a Patre?

R. Sequitur, Verbum non esse aliquid exterius factum a Patre, quæ enim exteriora sunt, dicuntur fieri, non autem generari: *Genitum*, (ait Concilium Nicænum 1.) *non factum.*

Sequitur 2. Verbum esse de Patris substantia: nempe essentiale est genito, ut fiat ex substantia generantis: *Non est* (ait Augustinus libro 3. contra Maximinum cap. 14.) *degener ab uno Deo Patre Deus unicus Filius.*

Sequitur 3. Verbum esse omnino simile Patri: est enim de essentia generationis, ut genitum sit simile generanti, ut patet in igne qui ab alio igne generatur.

Sequitur 4. Verbum esse Filium per communicationem divinæ naturæ, siquidem generatio est processio viventis a vivente tamquam a principio *conjuncto*: at generans non conjungitur genito, nisi per suæ naturæ communicationem.

Sequitur 5. Verbum esse Dei Filium per communicationem totius naturæ: nempe, cum natura divina sit indivisibilis: oportet, si communicetur, ut tota communicetur.

Sequitur 6. Verbum esse *Omoousion*, hoc est, Consubstantiale Patri: quia cum vere sit genitum a Patre, necesse est ut sit ejusdem cum eo substantiæ.

Sequitur 7. Verbum esse vere ac substantialiter Deum; inest nimirum illi vere & proprie Dei natura.

11. *Q.* Quænam est specialis ratio, cur terminus processionis Verbi a Patre dicatur Filius?

R. Specialis ea ratio est, quod Verbum a Patre procedat vi actionis intellectus: *Cur Verbum dicitur?* (quæstio est quam sibi proponit Basilius hom. in initium Evangelii Joannis) *ut ostendatur* (responsio est ejusdem Patris) *ex mente processisse.* Ea autem est vis actionis intellectus, ut efformet imaginem objecti quod ab eo cognoscitur: ergo Pater æternus qui se ipsum perfecte cognoscit, perfectam sui imaginem efformat: ea vero imago dicitur Verbum; illud Verbum dicitur Filius, quia vi actionis per quam producitur, recipit naturam quæ cum sit eadem, perfecte similis est naturæ, quæ inest principio a quo producitur. Augustini est illud argumentum; scilicet Epistola 49. diserte scribit, *Christum dici Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, & ideo Filium quia Verbum, nec Verbum dictum atque transactum, sed apud incommutabilem Patrem incommutabile ipsum, atque incorruptibiliter manens.*

Obj. 1. Esse quod per actum intellectus recipitur, non est esse verum & reale, sed fictum tantum & intentionale: ergo Verbum a Patre vi actionis intellectivæ non recipit esse verum per quod realiter filius esse possit.

R. Dist. ant. In creatis, conc. ant. in divinis, nego ant. Ratio disparitatis est, quia intellectus divinus, non vero creatus, est omnino perfectus in ratione intellectus: ergo necesse est ut exprimat efformetque perfectam imaginem objecti de quo cogitat. Cum autem id non sit imago perfecta quod habet esse tantum fictum & intentionale, oportet quod esse imaginis, quæ exprimitur a Patre, habeat esse verum & reale.

Obj. 2. Intellectio & volitio in divinis sunt omnino idem: ergo tam dici potest Verbum procedere per volitionem Patris, quam per illius intellectionem.

R. Dist. ant. Sunt omnino idem actu, conc. ant. virtualiter, nego ant. hincque sequitur actionem, quæ unica est, actu æquivalere multis actionibus realiter distinctis, ac proinde producere duos terminos realiter distinctos, unum quidem, prout est intellectio, alium vero, prout est volitio.

12. *Q.* Quænam est specialis ratio propter quam processio Spiritus sancti non dicitur generatio, ac proinde nec ipse Spiritus sanctus dicatur Filius?

R. Est quod Spiritus sanctus vi actionis, per quam producitur, non recipiat simile Patri & Filio, a quibus procedit: scilicet procedit ab utroque per actum voluntatis, & ideo vocatur caritas, Donum, Amor Patris & Filii; actus autem voluntatis non efficit, ut objectum, quod amat, sit amanti simile; immo efficit potius, ut amans reddatur ei simile; unde tritum est apud Augustinum axioma; Talis est animus, quale est objectum quod amat, cælestis quidem, si objectum sit cæleste; ter-

terrenus e contra, si fluxæ ac labentis naturæ rebus per affectum inhæreat.

Obj. 1. Spiritus sanctus est perfecta imago Patris & Filii: eamdem enim quam illi naturam habet: ergo tam debet dici Filius, quam secunda persona.

Resp. Conc. ant. nego conseq. Quia Spiritus sanctus non est, sicut Verbum, perfecta imago vi actionis per quam a Patre & Filio producitur: sed tantum ex eo quod natura divina sit realiter idem cum amore, seu cum impulsu, per quem suum esse recipit. Hincque colligitur. 1. Spiritum sanctum non accipere immediate esse Patris & Filii, sed mediate tantum, nimirum mediante impulsu, cum quo esse Patris & Filii sunt unum & idem. Colligitur 2. quod licet Spiritus sanctus sit Deus, non procedit tamen formaliter ut Deus, quia non procedit per actionem quæ per se & immediate naturam divinam communicet. Ita Thomistæ omnes.

Obj. 2. Voluntas ex se tendit ad unionem objecti amati cum persona amante, ergo quemadmodum intellectus per se efficit similitudinem objecti de quo cogitat, ita & voluntas.

Resp. Conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia similitudo, si sit perfecta, ut est in divinis, est unitas per identitatem naturæ; unio vero, remanens in linea unionis, est tantum unitas per identitatem affectus.

13. *Q.* Quomodo Spiritus sancti processio, quæ generatio dici non potest, vocari debet?

R. Vocatur processio simpliciter: idque juxta illud Evangelii Joan. 15. *Spiritus qui a Patre procedit*. Si vero ulterius quæratur, quare illa processio dicatur processio simpliciter, & sine additione speciei processionis, dicendum erit sic appellari penuria terminorum: hoc est, licet processionis nomen absolute & simpliciter prolatum, per se generice sumatur; cum tamen de Spiritu sancto dicitur, sumitur specifice, seu pro certa processionis specie, quam defectu terminorum, qui proprii sint, nomine generico cogimur exprimere.

14. *Q.* Quomodo definitur principium divinarum processionum?

R. Definitur, id quod dat esse divinis personis; seu a quo divinæ personæ oriuntur. Sic ignis est principium alterius ignis, quia dat esse alteri igni; sic fons est principium fluvii, quia fluvius oritur a fonte.

15. *Q.* Quotuplex est principium divinarum processionum?

R. Duplex: unum quod vocatur principium *Quod*, & alterum quod appellatur principium *Quo*. Principium *quod*, est suppositum, seu hypostasis, seu persona cui ultimate operatio tribuit: tritum est enim Axioma: *Actiones sunt suppositorum*. Principium *quo*, est virtus per quam principium *quod* operatur: sic calor est principium *quo* per quod ignis calefacit.

16. *Q.* Quotuplex est principium *quo* divinarum processionum?

R. Duplex, proximum & remotum. Primum, est illud per quod suppositum immediate operatur: alterum vero, est illud per quod operatur tantum mediate. Sic manus pictoris est picturæ principium *quo* remotum: penicillus vero principium *quo* proximum.

17. *Q.* Admittine debet in divinis duplex principium divinarum operationum *quod* & *quo*?

R. Admitti debet: scilicet admitti debent & persona quæ producit, & virtus per quam producit. Sic Pater est principium *quod* Filii, & intellectio est ejusdem principium *quo*.

18. *Q.* Quodnam est principium *quo* proximum, divinarum processionum?

R. Sunt intellectio, & volitio, quia sunt virtus per quam Pater, vel Pater & Filius, immediate operantur: intellectione nimirum Pater immediate producit Filium; volitione vero Pater & Filius producunt Spiritum sanctum.

Obj. Principium *quo* proximum non debet esse commune omnibus personis, quia alioquin omnes & singulæ producerent: atqui intellectio & volitio sunt communes omnibus personis SS. Trinitatis; ergo &c.

Resp. Dist. maj. Principium *quo* sumptum relative, conc. maj. sumptum absolute, nego maj. Intellectio & volitio absolute sumptæ non sunt principium *quo* proximum divinarum processionum, sed tantum sumptæ relative, hoc est prout sunt intellectio & volitio personæ Patris, aut Patris & Filii simul.

19. *Q.* Quodnam est principium *quo* remotum divinarum processionum?

R. Essentia divina: tum quia principium *quo* proximum, intellectio nimirum & volitio, in essentia divina continentur: tum etiam quia termini divinarum processionum, Filius & Spiritus sanctus assimilantur in essentia & natura personis producentibus.

Obj. Essentia divina nec generat, nec generatur. *Et illa res* (inquit Concilium Lateranense IV.) *nec est generans, neque genita, nec procedens*: ergo essentia divina non est principium *quo* remotum divinarum processionum: principium enim *quo* debet generare, vel producere.

R. Dist. ant. Essentia divina nec generat, nec generatur tamquam principium *quod* conc. ant. tamquam principium *quo*, nego ant. Joachimus Abbas, contra quem lata est definitio Concilii Lateranensis, contendebat essentiam esse quid distinctum tribus personis: indeque concluserat essentiam generare tamquam principium *quod*. Confirmatur ex eo quod ubi Concilium asseruit, essentiam non generare, asserat esse personas quæ generant, & quidem (ut superius dictum est) tamquam principium

QUOD

QUOD: *Sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit.*

2. *Q.* Relationes, hoc est, Paternitas, Filiatio, & Spiratio activa, suntne principium *quo* remotum divinarum processionum?

R. Non sunt: quia non sunt virtus per quam genitum, aut productum, assimilentur generanti aut producenti: neque enim Filius assimilatur Patri in ratione Paternitatis, neque Spiritus sanctus assimilatur Patri aut Filio in ratione Paternitatis aut Filiationis: cum Filius non sit Pater; nec Spiritus sanctus Pater aut Filius.

Obj. Principium productivum divinarum processionum debet esse aliquid distinctum ab illarum terminis: neque enim principium & illius terminus possunt esse unum & idem: atqui solæ relationes in divinis distinguuntur a termino processionum: cum absoluta omnibus sint personis communia: ergo, &c.

R. Dist. maj. Principum *quod* debet esse aliquid distinctum a termino, conc. maj. principium *quo*, nego maj. Ratio est, quia termini in divinis perfecte personis producentibus assimilantur principio *quo* remoto, seu essentiæ, ut superius probatum est: ergo non debent esse aliquid realiter distinctum a principio *quo* remoto. E contra non assimilantur principio *quod*, ac proinde ab eo debent esse realiter distincti; & revera sic se res habet: nam Filius non assimilatur Patri in ratione paternitatis, sed tantum in ratione essentiæ & naturæ. Hinc patet formam, per quam Pater constituitur Pater, non esse principium *quo* remotum filiationis.

21. *Q.* Essentia divina, considerata prout abstracta a personis, estne principium *quo* remotum divinarum processionum?

R. Non est: sed tantum prout in obliquo connotat paternitatem & filiationem. Ratio est, quia essentia in abstracto sumpta, ex Concilio Lateranensi quarto, nec generat, nec generatur.

22. *Q.* Processiones in divinis suntne voluntariæ?

R. 1. Omnes processiones in divinis sunt voluntariæ voluntate concomitante: tum quia placent divinis personis: tum quia non fiunt ab invitis. *Si quis dixerit* (inquit Concilium Sirmiense apud Hilarium) *nolente Patre natum Dei Filium, anathema sit.*

R. 2. Processio Verbi a Patre non est voluntaria voluntate antecedente: quia voluntas non se habet in generatione Filii tamquam principium producens, sed solus intellectus.

Obj. Ex Augustino libro 15. de Trinitate, cap. 20. Verbo dicitur, *Concilium de Concilio, & voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia*: ergo.

R. Dist. ant. Dicitur voluntas de voluntate tamquam ex caussa materiali, conc. ant. tamquam a caussa productiva, nego ant. Id quod objicitur, dicitur ab Augustino contra Arianos qui docebant, Verbum esse ex nihilo tamquam ex caussa materiali: cum e contra Catholici docerent illud esse de patris substantia.

R. 3. Productio Spiritus sancti est voluntaria voluntate antecedente: quia voluntas est vere principium *quo* productivum Spiritus sancti: nempe producitur per amorem, qui est actus divinæ voluntatis.

Obj. Quod est voluntarium voluntate antecedente, est liberum: at dici non potest Spiritum sanctum libere produci a Patre & Filio: ergo, &c.

R. Dist. maj. Si sit a voluntate antecedente eligente, conc. maj. non eligente, nego maj. Hoc autem, non illo modo, productio Spiritus sancti est a voluntate antecedente, nempe est ab ea tamquam a principio naturali, quod necessario dat illi esse, non autem tamquam a principio quod possit dare, aut non dare esse.

CAPUT V.

De Divinis Relationibus.

1. *Quæst.* Quid est Relatio?

R. Est habitudo unius ad aliud: sic inter fontem & fluvium est relatio, quia fons dicit habitudinem, seu respectum ad fluvium qui ex illo oritur, & similiter fluvius ad fontem.

2. *Q.* Quotuplex est Relatio?

R. Duplex, Rationis nimirum, & Realis. Prior est ea quæ non existit nisi per operationem mentis quæ efficit habitudinem unius ad aliud. Posterior è contra est ea, quæ existit independenter ab operatione mentis, seu quæ existit, etiamsi nemo de illa cogitet.

3. *Q.* Suntne Relationes in Divinis?

R. Sunt: quia in Divinis existunt habitudines, seu respectus unius personæ ad aliam?

4. *Q.* Relationes in divinis suntne reales?

R. Sunt: tum quia habitudines, quas personæ divinæ dicunt ad se invicem, existunt independenter ab operatione intellectus creati: tum etiam quia datur realiter in divinis id quod personas realiter multiplicat: sed relationes realiter multiplicant personas: *In relativis* (inquit Concilium Toletanum XI.) *personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrumque refertur. Quæ cum relative tres personæ dicantur, una tamen naturalis substantia creditur.*

Obj. 1. Relationes reddunt terminos a se invicem dependentes; quod tamen de divinis personis dici non potest: ergo, &c.

R. Dist. ant. Dependentes, per modum simplicis termini, quia important mutuam terminorum coexistentiam, conc. ant. per modum caussæ, aut effectus, nego ant.

Obj. 2. Relationes reales præsupponunt terminos a se invicem realiter distinctos: at dici non potest de divinis, quia relationes in divinis sunt caussa distinctionis quæ inter eorum terminos, seu personas reperitur: neque enim Pater & Filius ratione alicujus formæ absolutæ distinguuntur: ergo, &c.

R. Dist. ant. In creatis, conc. ant. in divinis, nego ant. Ratio est, quia relationes in creatis sunt accidentia; proindeque præsupponunt objectum cui inhæreant, & terminos in quibus sit fundamentum mutuæ relationis: e contra vero in divinis relationes non sunt formæ distinctæ realiter ab essentia divina, neque illarum termini, seu personæ sunt aliud a divina essentia: & consequenter non est necesse ut præsupponatur subjectum prius existens, aut termini qui præexistant.

Obj. 3. Relatio est ordo unius ad aliud, atqui in Deo non est hujusmodi ordo: nempe (ut Concilium Lateranense IV. definiit,) personæ licet sint a se invicem distinctæ, non sunt aliud, & aliud: ergo, &c.

Resp. Vox hæc *Aliud* in definitione relationis posita, sumitur aut adjective, aut substantive, pro ratione terminorum inter quos reperitur: unde cum in divinis sint tantum alius & alius, non autem aliud & aliud, vox, *aliud* sumitur adjective, non vero substantive, hoc est non significat naturam, sed personam.

5. *Q.* Quot sunt relationes reales in divinis?

R. Quatuor: paternitas scilicet, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva: quia nec plus nec minus sunt, quam quatuor illæ formæ, per quas personæ ad se invicem referantur, & una dicat ordinem ad aliam.

Obj. Si essent quatuor relationes, in Deo foret quaternitas: esset enim spiratio activa ultra tres personas: sed in Deo non est quaternitas, ut definiit Concilium Lateranense IV. ergo, &c.

Resp. Nego maj. quia spiratio activa, quæ non aliud est, quam actus voluntatis per quem producitur Spiritus sanctus (qui quidem dicitur spiratio passiva) non distinguitur realiter actu a Patre & Filio: ac proinde quaternitatem non constituit.

6. *Q.* Relationes in divinis distinguunturne realiter a se invicem?

R. Distinguuntur: quia sunt formæ per quas personæ a se invicem realiter distinguuntur: at propter quod unumquodque tale, & illud magis.

7. *Q.* Quæ distinctio reperitur inter essentiam divinam & relationes?

R. Non reperitur 1. distinctio realis actualis, qualis est inter rem & rem: eam enim distinctionis speciem damnavit Rhemense Concilium contra Gilbertum Porretanum: *Credimus* (inquit) *nullas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates sive unitates dicantur, adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.*

Non reperitur 2. distinctio Scotistica, seu distinctio quæ ex una parte dicitur realis, quia (ut vult Scotus) est independens ab operatione mentis; & ex alia dicitur formalis, quod reperiatur inter varias formas, seu respectus sub quibus Deus potest considerari. Scilicet (ut agentes de attributis in communi diximus) ea distinctio Scotistica coincidere videtur in distinctionem Gilberti Porretani, & aliunde est omnino fictitia.

Non satis est tamen 3. mera distinctio rationis quæ fit sine fundamento in re: tum quod (ut de attributis differentes contra Nominales ostendimus) coincidere videatur in distinctionem, quam satis non esse Basilius adversus Eunomium ostendit: tum etiam quod posita illa sola distinctione, explicari non possit, quomodo essentia Patris quæ est idem cum paternitate, communicetur Filio, eadem paternitate minime communicata.

Dicendum est igitur 4. requiri & satis esse distinctionem virtualem, seu (ut loquuntur Thomistæ) distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ actu mere mentalis est, fundamentaliter vero est realis, eo sensu quod in objecto sit aliquid, illius nimirum eminentia, quæ efficit, ut pluribus rebus actu distinctis objectum ipsum æquivaleat. Hincque patet 1. de ipso secundum essentiam & relationes accepto dici posse duo contradictoria; si tamen contradictoria sint, quæ de eodem, sed non secundum idem; prædicantur. Patet 2. quod licet essentia & relationes sint de mutuo conceptu reali, illa tamen sine istis, & istæ sine illa cum fundamento in re concipi possint. Vide quæ hujusce operis parte 2. diximus agentes de distinctione attributorum ab essentia divina.

8. *Q.* Relationes divinæ suntne perfectiones?

R. Sunt: & quidem 1. si consideretur secundum esse IN, quia sic acceptæ sunt idem cum subjecto, seu essentia divina, in qua, secundum nostrum concipiendi modum, recipiuntur: sunt 2. perfectiones, si considerentur secundum esse AD, seu præcise prout sunt respectus, seu ordo unius ad alium: tum quia sic acceptæ constituunt in divinis personas quæ haud dubie sunt perfectiones: non enim personæ per aliquid absolutum constituuntur, cum ea, quæ in divinis sunt absoluta, toti Trinitati communia sint: tum etiam quod essentia divina in Patre v. g. per relationem ad Filium perficiatur, juxta illud Cyrilli lib. 2. Thesauri cap. 1. *Non potest esse perfecta divinitas, nisi Filium habeat.*

Obj. Sequeretur 1. Trinitatem simul sumptam, esse perfectionem singulis personis seorsim sumptis, cum Trinitas simul sumpta plures perfectiones, quam una tantum persona, contineat. Sequeretur 2. unam personam

non

non habere omnes omnino perfectiones; nempe Pater non habet filiationem. 5. tres essent res in Trinitate, tres nimirum reales perfectiones relativæ.

Resp. Ad. 1. nego ant. quia singulæ personæ habent essentiam divinam cum qua relationes omnes sunt unum & idem a parte rei; unde Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 8. docet, *Tantum esse solum Patrem, vel solum Filium, vel solum Spiritum sanctum, quantum tres personæ simul sumptæ*.

Ad 2. Una persona non habet quidem actu omnes omnino perfectiones relativas, sed habet eminenter; tum quia habet essentiam divinam; tum etiam quod perfectiones relativæ non sint (ut loquuntur Scholastici) perfectiones simpliciter simplices, hoc est, non sunt meliores ipsæ quam non ipsæ; unde paternitas non est melior filiatione, nec filiatio paternitate.

Ad 3. Tres admitti debent res relativæ in Trinitate, non autem tres res absolutæ. Nimirum damnatus est Sabellius, quod tres res relativas non admiserit; Arius vero, quod asseruerit esse in divinis tres res absolutas. Ita Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. ratiocinatur.

9. *Q.* Suntne in Deo tres existentiæ relativæ, quemadmodum sunt tres relationes?

R. Non sunt; Scilicet nec Scriptura, nec Patres ejusmodi existentiæ relativæ meminerunt; immo quoties de existentia divinarum personarum locuti sunt, semper rem absolutam expresserunt; *Ego* (ait Deus ipse) *sum qui sum*.

Obj. In Deo sunt tres res relativæ; ergo etiam & tres existentiæ relativæ; nempe res qualibet cujuscumque sit generis, existentiam sibi convenientem habere debet.

Resp. Nego conseq. quia multiplex esse relativum dicit tantum plures terminos; plures vero termini eadem existentia in divinis existunt. Unde singulæ relationes sunt extra caussas per existentiam alienam, essentiæ nimirum, & cum producuntur, ut filiatio & spiratio passiva, terminus productionis est existentia communis, ac proinde absoluta, non autem relativa.

10. *Q.* In essentia divina ante relationes concepta, estne aliqua subsistentia absoluta?

R. Non est; quia subsistentia est certus quidam existendi modus essentiæ jam in suo esse constitutæ adveniens; atqui modus ille admitti non debet in essentia divina ante relationes concepta; quia ex Patribus, nihil aliud, quam relationes advenire essentiæ divinæ concipitur; unde iidem Patres negarunt in divinis esse unum subsistentem ante relationes; *Non unus est subsistens* (ait Concilium Sirmiense) *sed una substantia non differens*.

Obj. 1. Agatho Papa in Epistola quæ legitur in VI. Synodo, actione 4. sic loquitur; *Confitemur trium subsistentiarum, sive personarum unam subsistentiam*. 2. hæc etiam habet Augustinus libro 7. de Trinitate cap. 4. *Omnis res ad se ipsam subsistit, quanto magis Deus*: ergo, &c.

R. *Ad* 1. Agatho nomine *subsistentiæ* intelligit *substantiam*, seu dicere voluit, in tribus personis non multiplicem, sed unam esse tantum substantiam. Nec id mirum est: iis enim temporibus Patres non raro subsistentiam pro substantia sumpserunt. Ut videre est apud Augustinum lib. 7. de Trinitate cap. 4.

Ad 2. Augustini dictum intelligi debet eo sensu, quod qualibet res absoluta, si in se ipsa consideretur, non dicat ordinem ad aliud, ut dicit res relativa: *Sicut etiam* (ait ibidem Augustinus) *ab eo quod est esse, appellatur essentia, ita ab eo, quod est subsistere, dicitur substantia*.

Obj. 2. Essentia sine relationibus concepta operatur; creat nimirum, intelligit, & vult; ergo est suppositum aliquod absolutum, cum, ut fert tritum axioma, actiones sint suppositorum.

R. *Ad* 1. Conc. ant. nego conseq. ad cujus probationem dico valere illud axioma in caussis quæ suppositum habent, seu subsistentiam; non autem in iis quæ non habent, ut revera in statu, de quo hic agitur, non habet essentia divina.

CAPUT VI.

De personis Divinis generatim.

1. *Quæst.* Quid est persona in genere?

R. Est substantia spiritualis quæ certo modo existit; seu certus existendi modus, quo res spiritualis ita existit, ut sit incommunicabilis alteri. Sic Pater est persona, quia ita existit, ut ratione paternitatis filio communicari non possit.

2. *Q.* Quibus nominibus usi sunt Patres Latini, ut personas divinas exprimerent?

R. Usi sunt 1. nomine *substantiæ*, ut docet Augustinus libro 7. de Trinit. cap. 4. sed tunc substantiæ nomen opposuerunt essentiæ. Usi sunt 2. nomine *subsistentiæ*, ut videre est apud Ambrosium cap. 2. in Apostolicum Symbolum. Usi sunt 3. nomine *personæ*; nempe sic loquitur Hieronymus in Epistola ad Damasum papam: *Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes perfectas, æquales, coæternas*.

3. *Q.* Quo tempore Latini Patres uti cœperunt nomine *personæ*, ut relationes exprimerent?

R. Tunc primum adhibitum est, cum prodiit hæresis Sabelliana. Ita Facundus Hermianensis lib. 1. pag. 19.

4. *Q.* Quibus nominibus usi sunt Græci Patres, ut esse relativum, quod est in divinis, exprimerent?

R. Usi

R. Usi sunt frequentius *hypostasis* nomine. Ita Dionysius Alexandrinus in responsione ad propositionem quartam Pauli Samosateni, qui cum Sabellio personas in divinis confundebat. Ita etiam Alexandrina Synodus quæ sub Osio celebrata est anno 319.

5. *Q.* Quo tempore Latini admiserunt pro persona vocem, *hypostasis*, quam Græci passim adhibebant?

R. Ab anno 362. tunc nimirum sub Athanasio habita est Alexandrina Synodus, in quà Latini cum Græcis eo in capite concordiam inierunt; existimaverant enim antea, hypostasim significare substantiam; sed ubi intellexerunt, Græcos per eam vocem non aliud intelligere, quam personam, lis, Athanasio auctore, composita est. Postea tamen Hieronymus timens, ne venenum sub ea voce lateret, hæc ad Damasum Papam scripsit: *Aut si rectum putatis tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus: sed, mihi credite, venenum sub melle latet.*

6. *Q.* Personæ in divinis constituunturne per aliquid absolutum, an vero per aliquid relativum?

R. Per aliquid relativum: quia constituuntur per id quod numerum facit in divinis: sed id est relativum, non autem absolutum: *Hoc solo* (inquit Augustinus tractatu 39. in Joannem) *numerum insinuant quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt.*

Obj. 1. Ex Augustino libro 7. de Trinitate cap. 6. *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem*: Atqui Deus constituitur in esse per aliquid absolutum; ergo & in persona.

Resp. Dist. maj. non aliud a parte rei, conc. ant. nimirum essentia Dei, & personæ divinæ a parte rei non distinguuntur. Secundum nostrum concipiendi modum, quo in Deo unum sine alio concipimus cum fundamento in re, nego maj.

Obj. 2. Ex Augustino lib. 7. de Trinitate cap. 6. *Persona Patris non aliud, quam ipse pater est: ad se quippe dicitur persona, non ad Filium, vel Spiritum sanctum.* Præterea, ex eodem Augustino, personæ non dicuntur sicut tres amici, tres propinqui: ergo, &c.

Resp. ad 1. Dist. ant. Pater ad se dicitur persona, sumendo personam indirecte & in obliquo, conc. ant. Sumendo directe & in recto, nego ant. hoc est dicitur ad se, prout est idem cum essentia Patris, non vero prout est præcise persona. Ad 2. Totum esse vicini, amici, est ad aliud: non autem totum esse personæ divinæ, quia est idem cum aliquo absoluto, nimirum cum essentia divina.

7. *Q.* Quot sunt proprietates personarum divinarum?

R. Sunt quatuor, Appropriatio, Circuminceffio, Notio, & Missio.

8. *Q.* Quid in Divinis est Appropriatio?

R. Est modus loquendi, quo quædam attributa, quædam operationes, licet a parte rei singulis personis communes, uni tamen potius quam alteri tribuuntur. Is autem loquendi modus fundatur frequentius in modo quo personæ ab aliis procedunt.

9. *Q.* Quid est Circuminceffio in divinis?

R. Est mutua personarum inhabitatio: seu est proprietas, per quam personæ sunt invicem in se ipsis: juxta illud Christi in Evangelio Joan. 10. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est.* Nec id mirum est; cum singulæ tres personæ eamdem omnino essentiam habeant, sintque realiter idem cum ipsa: ac proinde nullatenus ab invicem separari possunt.

10. *Q.* Quid in divinis est Notio?

R. Est nomen quo caracteres alicui personæ proprius exprimitur; sic paternitas est Notio, quia est nomen quo exprimitur caracter primæ personæ ita proprius, ut alteri minime conveniat: hinc vero sequitur nomina Notionalia semper aliquid relativum significare: ea enim quæ sunt absoluta, toti Trinitati communia sunt.

11. *Q.* Quot sunt Notiones in divinis?

R. Nec plus nec minus sunt quam quinque: innascibilitas nimirum, paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva.

Ratio est, quia ii soli caracteres relativi ex divinis processionibus oriuntur: nam tria tantum in divinis processionibus considerari possunt, principium, terminus, negatio tum principii, tum termini: innascibilitas oritur ex negatione tum principii, tum termini; nempe Pater, cui convenit, nec habet principium a quo producatur, nec est terminus alicujus productionis.

Ratio principii constituit paternitatem & spirationem activam, quia Pater est principium, a quo Filius oritur; Pater & Filius sunt principium a quo Spiritus sanctus producitur. Tandem terminus vel est respectu generationis, & sic constituit filiationem, vel spirationis activæ, & sic constituit spirationem passivam, seu personam quæ a Patre & Filio spiratur.

12. *Q.* Quid est Missio in divinis?

R. Est processio unius personæ ab alia in ordine ad aliquem effectum ad extra de novo producendum. Hinc Christus Joannis 8. missus dicitur, *Sed ego, & qui misit me Pater.* Sic etiam Spiritus sanctus dicitur mittendus a Cristo Joan. 16. *Si autem abiero mittam ad vos.* Hinc patet missionem passivam non convenire Patri, quia ab alia persona non procedit.

CAPUT VII.

De personis Divinis in particulari.

1. *Quæst.* Quænam sunt nomina quæ primæ personæ specialiter conveniunt?

R. Sunt ista; *Principium*, *Auctor*, *Radix*, *Fons*, *Caput*, *Pater*, *Ingenitus*; *prima Persona*. Dicitur 1. *Principium*, quia aliæ personæ ab ea suum esse accipiunt. Dicitur 2. *Auctor*, quia aliis communicat proprium suum esse, seu propriam suam existentiam. Dicitur 3. *Radix*, quia ex ea ceteræ personæ tamquam rami a radice oriuntur. 4. Propter eamdem rationem dicitur *Fons*, *Origo*, *Caput*. Dicitur 5. *Pater*, quia producit per viam generationis Verbum. Dicitur 6. *Ingenitus*, quia caret omni prorsus principio; a nulla enim alia persona suam trahit originem. Tandem 7. dicitur *Prima persona*, quia nullam aliam origine priorem supponit.

2. *Q*. Prima persona potestne dici *initium* & *caussa* aliarum?

R. 1. Dici non potest *initium*, quia vox *initium* in suo conceptu proprio significat prioritatem temporis, quæ in divinis nulli personæ respectu aliarum convenit. 2. A Græcis vocatur *Caussa*, ut patet ex Concilio Florentino, sed improprie tantum, quia caussa proprie sumpta importat dependentiam termini, qui a caussa producitur.

3. *Q*. Quænam sunt nomina secundæ personæ Sanctissimæ Trinitatis propria?

R. Vocatur 1. *Verbum*, quia verbum, seu imago objecti, est terminus intellectionis, per quam Secunda Persona a Patre producitur. Vocatur 2. *Filius*, quia est terminus actionis quæ proprie est generatio. Vocatur 3. *Sapientia* juxta illud Apostoli de Christo loquentis primæ ad Corinth. 1. *Virtus & Dei sapientia*. Sed observandum est, nomen illud (cum aliquid absolutum significet) non tribui Secundæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis, nisi per appropriationem. Vocatur 4. *Imago* Patris: *Qui est* (ait Apostolus ad Colossenses 1.) *imago Dei invisibilis*. Illud vero nomen non est absolutum, sed relativum: *Quid autem absurdius* (inquit Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 4.) *quam imaginem ad se dici*. Sic idem S. Doctor loquitur lib. 5. cap. 13. *Relative dicitur Filius*, *relative dicitur Verbum & Imago*.

4. *Q*. Quænam sunt nomina quæ Tertiæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis propria sunt.

R. Sunt, *Spiritus sanctus*, *Donum*, *Amor*. Primum nomen reperitur in forma baptismatis Matthæi 28. nec non pluribus aliis in locis. Alterius Christus ipse meminit Joannis 4. *Si sciret donum Dei*. Tertium recenset Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 7. Ea vero nomina relative, ac consequenter proprie, de Tertia Persona dicuntur, quia exprimunt voluntatis actum, per quem Spiritus sanctus a Patre, & Filio procedit.

5. *Q*. Spiritus sanctus proceditne a Filio?

R. Procedit. Nam 1. mittitur a Filio: *Quem ego* (ait Christus Joannis 15.) *mittam vobis a Patre*. 2. Accipit esse a Filio, *Quia* (Joannis 16.) *de meo accipiet*. 3. Non ob aliud dicitur Spiritus Jesu: *Misit Deus* (ad Galatas 4.) *Spiritum Filii sui*. 4. Id ipsum asserit Epiphanius: *Filius* (inquit in Ancorato num. 72.) *a quo* (Spiritus) *procedit*, *& a quo accipit*. 5. *Ex utroque* (ait Cyrillus Alexandrinus in libro de lapsu & conversione hominis) *profluit*. 5. Tertullianus libro contra Praxeam hæc ait: *Tertius est Spiritus a Deo & Filio*. 6. Sic etiam Augustinus in libro 4. de Trinitate: *Nec possumus dicere*, *quod Spiritus sanctus & a Filio non procedat*: *neque frustra idem Spiritus*, *& Patris & Filii Spiritus dicitur*. 7. Articulus, de quo agitur, definitus fuit in pluribus Conciliis generalibus, quibus aderant & Græci; Lateranensi, & Florentino in definitione fidei quæ anno 1439. probantibus etiam Græcis, sollemniter promulgata est.

6. *Q*. Processio sancti Spiritus a Filio potestne rationibus theologicis demonstrari?

R. Potest. Nam 1. Filio convenit actio, seu actus voluntatis, per quem Spiritus sanctus producitur, juxta illud Christi in Evangelio Joan. c. 16. v. 13. *Omnia quæcumque habet pater*, *mea sunt*. 2. Spiritus sanctus a Filio realiter distinguitur: at in divinis distinctio realis non petitur nisi ex processione: *Hoc solo* (inquit Augustinus tractatu 30. in Joannem) *numerum insinuant*, *quod ad invicem sunt*, *non quod ad se sunt*.

Obj. 1. Scripturæ, cum loquuntur de eo a quo Spiritus sanctus procedit, solius Patris meminerunt: ergo, &c.

R. 1. Nego ant. idque patet ex locis superius laudatis. 2. Ideo plerumque solius Patris Scipturæ meminerunt, quod sit (ait Augustinus tractatu 99. in Joannem) aliarum personarum caput, fons, & origo.

Obj. 2. Patres Græci passim asserunt, Spiritum sanctum a Patre *Per* Filium procedere: ergo non crediderunt, eum *Ex* Filio procedere.

R. Conc. ant. nego conseq. Scilicet Patres Græci asseruerunt, Spiritum *ex Patre* procedere, quod Pater sit (ut dictum est) aliarum personarum fons & origo: & ideo dixerunt PER Filium procedere, quod Filius eum producat per actionem a Patre cum sua essentia receptam.

7. *Q*. Si Spiritus sanctus per impossibile a Filio non procederet, essetne adhuc ab eo personaliter distinctus?

R. Non distingueretur. Ita S. Th. Nempe non esset fundamentum distinctionis: quia sola processio unius personæ ab alia est distinctionis fundamentum.

Obj. 1. In suppositione, de qua agitur, adhuc Spiritus sanctus alia via, quam Filius a Patre, procederet, nimirum per actum voluntatis: cum e contra Filius per actum intellectus procedat: ergo, &c.

R. Conc. ant. nego conseq. quia unus & idem ter-

terminus diversis ac variis modis produci potest. Adamus v. g. qui per creationem a Deo productus est, potuit ab alio homine per generationem produci.

Obj. 2. Spiritus sanctus adhuc Filio opponeretur: quia esset terminus a Filio disparatus: sicut duo fratres qui ab eodem Patre nascuntur: ergo adhuc a Filio distingueretur.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est quia terminus disparatus in divinis non excludit alium, si ipsi relative non opponatur: quia includit omnes omnino perfectiones quæ sibi invicem relative non opponuntur: ac proinde Filius contineret id totum quod esset in Spiritu sancto.

Obj. 3. Spiritus sanctus in suppositione, de qua agitur, foret persona distincta a persona Filii: quia ipsa persona Filii esset distincta a persona Spiritus sancti; terminaret nempe actum intellectus per quem Pater Filium generat: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Terminaret imperfecte actum intellectus, conc. ant. perfecte, nego ant. quia terminus generationis perfecte non terminat generationem, nisi fiat imago perfecta generantis: at Filius non sic fieret imago Patris: nec enim in virtute spirandi similis esset.

Obj. 4. Si per impossibile Spiritus sanctus a solo Filio procederet, adhuc esset a Patre distinctus: ergo a pari, si a solo Patre procederet, esset distinctus a Filio.

Resp. Conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia in ea suppositione Pater, saltem mediate, daret esse Spiritui sancto: scilicet Filius non produceret Spiritum sanctum nisi per virtutem acceptam a Patre; ac proinde inter Spiritum & Patrem adhuc reperiretur oppositio relativa: at idem dici non posset, si solus Pater Spiritum sanctum produceret, hoc est, inter Filium, & Spiritum sanctum nulla foret oppositio relativa; ac proinde nec aliqua realis distinctio.

8. *Q.* Particula *filioque* fuitne jure inserta Symbolo?

R. Jure inserta fuit: 1. quia continet necessariam ac veram hujusce textus Scripturæ, *Qui ex Patre procedit*, expositionem: scilicet, cum nonnulli contenderent textum illum excludere Filium ab activa spiratione, opus fuit ut contrarium fideles in Symbolo docerentur. 2. Ecclesia potest integrum Symbolum concedere: ergo a fortiori jam condito particulam necessariam potest inserere. 3. Nicænum I. Concilium potuit inserere Symbolo vocem *homoousion*: ergo & alia Concilia potuerunt inserere particulam *filioque*. 4. Fides de processione sancti Spiritus a Filio distinguit catholicos ab hæreticis: ergo potuit inseri Symbolo.

Obj. 1. Ephesinum Concilium quod est Generale III. expresse prohibuit, ne quis aliam a Nicæna fidei formulam conscriberet: ergo &c.

Resp. 1. Prohibitio illa intelligitur de compositione Symboli, quæ adornetur a viris privatis, non autem quæ fiat auctoritate Ecclesiæ 2. Dici potest eam prohibitionem intelligi de formula quæ in additione aut detractione contingeret, efficeretque ut doctrina Symbolo Nicæno contraria proponeretur credenda.

9. *Q.* Quandonam, & a quibus particula *Filioque*, inserta fuit Symbolo?

R. 1. Hispaniarum Ecclesiæ labente sexto sæculo, particulam de qua agitur inseruerunt Symbolo; scilicet Toletanum III. Concilium, quod habitum est anno 589. Constantinopolitanum Symbolum cum ea additione recitavit; *Credimus & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre & Filio procedentem.*

R. 2. Concilium Aquisgranense, quod Gallorum, & Germanorum Episcopi anno 809. celebrarunt, additionem de qua est quæstio, probavit, misitque Legatos ad Leonem Papam III. ut additionem confirmaret, juberetque ut Romæ intra Missarum sollemnia Symbolum cum eadem additione caneretur.

R. 3. Ea additio licet primum a Leone III. rejecta, non multo post probata est a Romanis Pontificibus, scilicet definente sæculo IX. hoc est, Nicolai Papæ I. temporibus Occidentales publicis scriptis Photinum impugnarunt quod Ecclesiæ Romanæ tamquam summo crimini additionem de qua est quæstio, verteret, ut videre est apud Retramnum libro 2. quem circa annum 858. pro Ecclesia Romana contra Photium, eique adhærentes Græcos conscripsit.

PARS TERTIA.

De Deo Creatore.

Nota. DEus qui in se Unus est, ac Trinus, per Creationem ex se ipso aliqua ratione exiit; inter res autem quæ ab eo per creationem emanarunt, sunt 1. Aspectabile hoc Universum; 2. Angeli; 3. Primus homo. De iis igitur in hac quarta hujusce compendii theologici parte differendum est.

CAPUT PRIMUM.

De Universi Creatione.

1. *Qu.* QUæ sunt opera primæ diei creationis hujus Universi?

R. Sunt Cælum, Terra, Lux, & divisio lucis a tenebris, scilicet Moyses Geneseos cap. 1. scribit ea primo die a Deo facta fuisse.

2. *Q.* Quodnam fuit opus secundæ diei?

R. Non

R. Non aliud quam firmamentum: *Dixit quoque Deus* (ait Moyses Genes. 1. loquens de die secunda) *fiat firmamentum*. Trita vero est apud recentiores opinio, hic firmamenti nomine intelligi immensum illud aeris spatium, quod a terris ad empyreum usque protenditur, & in quo sidera tamquam pisces in mari, postea collocata sunt, suosque stato tempore circulos agunt.

3. Q. Quid Deus egit die tertia?

R. Aquas in unum locum congregari jussit: Terra aquarum mole liberata apparuit, cœpitque recepta divinitus fecunditate, germinare, ut habetur Geneseos cap. 2. Locus autem, in quo aquæ congregatæ fuerunt, fuit concavitas terræ, in qua sunt maria, nec non subterranei meatus in quibus sunt fontes & flumina.

4. Q. Quodnam est opus quartæ & quintæ diei?

R. Deus die quarta (Geneseos cap. 1.) Solem, Lunam & Stellas effinxit: die vero quinta, pisces, & volucres ex aquis produxit.

5. Q. Quod est opus diei sextæ?

R. Animalia omnia quæ in terra a Deo producta aut reptant, aut saltitant, aut ambulant. Quæ autem ex putri materia nascuntur, ut culices, ranæ, mures non sunt immediate producta a Deo, sed tantum mediate, in putri nimirum materia, ex qua deinceps per calorem genita sunt. Idem quoque dici debet de animalibus heterogeneis, ut sunt muli, & leopardi: creatis enim animalium illorum duplicis speciei parentibus, mediate creata censentur. Tandem homo eadem sexta die creatus est, qui mundum tamquam paratum sibi palatium incoleret, dominareturque iis omnibus, quæ, antequam produceretur, creata fuerant.

6. Q. Sex illi dies, quos Scriptura testatur Deum impendisse ad rerum omnium productionem, suntne dies veri qui viginti quatuor horis constarent, an vero metaphorici & figurati tantum?

R. Fuerunt dies veri, non autem metaphorici. Ratio est 1. quia res, quæ sex illis diebus productæ sunt, res sunt reales & veræ: ergo & dies; cum Scriptura de iis diebus eodem modo loquatur, at de rebus quæ intra spatium illud productæ sunt. 2. Ex Augustino libro 1. de Civitate Dei cap. 2. Scriptura figurate non est sumenda, cum nec scelus, nec flagitium jubere videtur; seu cum ad id nulla cogit necessitas. 3. Diebus de quibus agitur, successit (ut Exodi cap. 20. dicitur) die septima cessatio ab omni opere: at vere non successisset illis diebus, si metaphorici tantum fuissent. Augustinus tamen contrarium docuit in libro 1. de Civit. Dei cap. 7. Sed S. Doctori alii Patres non consentiunt.

7. Q. Dies fuitne prior nocte? an e contra nox diem præcessit?

R. Probabilior videtur opinio quæ asserit noctem præcessisse. Ratio est 1. quia cælum & terra facta sunt ante creationem lucis: ergo nox diem præcessit. 2. Tempore Legis Mosaicæ dies a vespera (quæ per Synecdochen pro nocte sumitur) incipiebant, ut patet ex Levitici cap. 23. ubi Deus jubet, ut a vespera ad vesperam Sabbata celebrentur: at id ideo præceptum esse videtur, quod Deus Sabbatum, quo ab omni cessavit opere, inchoaverit a nocte, quæ septimam diem immediate præcessit. 3. Sententia est Hieronymi in Jonæ caput secundum.

7. Q. Qua anni tempestate conditus est mundus, hoc est, in quo Zodiaci signo Sol a Deo primum constitutus est?

R. Theodoretus putat conditum fuisse verno tempore; alii vero, autumno: tum quia ea anni parte fructus maturi sunt, & ad cibum apti, tum etiam quia ante Moysem autumnus anni civilis initium vocatur. Exodi cap. 23. & 24. & exitus æstatis dicitur anni finis.

Nec est quod quis opponat praxim Judæorum, qui annum sacrum a mense Nisan, seu æquinotio verno incipiebant. Nempe constat, id a Moyse primum constitutum fuisse, cum annus antea ab autumno duceret initium.

CAPUT II.

De Angelis.

§. I. *De Angelorum Existentia, Natura & Creatione.*

Nota. Angelorum nomine intelligimus substantias, quarum species inter Deum & homines media sit: seu quæ Deo sit inferior, & superior homine.

1. Q. Existuntne Angeli?

R. Existunt: Angelorum enim tum antiquum, tum novum Testamentum non semel meminerunt.

2. Q. Angeli suntne substantiæ cujuslibet corporis expertes?

R. Sunt. Nam 1. Scriptura Angelos vocat *Spiritus*. Ad Hebræos 1. *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus?* ad Ephesios 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus*: quibus quidem locis vox *Spiritus*, opponitur substantiæ quæ corporea sit.

2. Id Patres docuerunt. Ignatius in Epistola ad Trallianos, Angelos vocat *incorpoream naturam*. Gregorius Nyssenus in lib. 12. contra Eunomium, vocat eos *incorpoream creaturam*. Eusebius Cæsariensis L. 4. Demonstrationis Evangelicæ cap. 1. Chrysostomus hom. 22. in Genesim, necnon Theodoretus quæstione 20. in Genesim, eadem ratione loquuntur.

Eorum Patrum sententiam tamquam veram sup-

supposuit Concilium Lateranense IV. sic enim loquitur cap. 1. de fide Catholica: *Creator omnium qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit naturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam*, &c.

Obj. 1. De Angelis malis intelliguntur hæc Genesis 6. verba; *videntes Filii Dei filias hominum, quod essent pulcra, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*: tum quod plures ex codicibus septuaginta interpretum, loco *Filii Dei*, legant *Angeli*: tum etiam quod in libro Enoch, quem Judas Apostolus in sua Epistola Canonica laudavit, ii Filii Dei vocentur *Angeli*: tum denique quod plures e Patribus ita senserint.

R. Nomine *Filii Dei* in laudato textu intelliguntur Filii Seth, nimirum propter animum in pietate antea constantem: & per *filias hominum* intelliguntur filiæ quæ ex Caina progenie flagitiis corrupta prodierant. Nec obstant codices in objectione laudati: ii enim eo in capite non sunt sinceri: Non obstat quoque liber Enoch: scilicet Judas Apostolus non eo in capite, sed in altero quod profert, librum illum, alioquin apocryphum, probat. Nec obstant etiam aliqui Patres: iis enim major aliorum pars contradixit.

Obj. 2. In Concilio Nicæno II. definitum fuit Angelos pingi posse: *Quoniam* (ait in Actione 5. laudatæ Synodi Joannes Tessalonicensis) *circumscripti sunt*, ergo, &c.

R. Concilium quoad unum caput, nempe quoad illud quo asserebatur Angelos pingi posse; probasse Joannis dictum: sed non quoad aliud: scilicet quoad rationem qua idem Joannes dictum suum confirmarat, *Quoniam circumscripti sunt*.

Obj. 3. Angeli sub sensibili specie hominibus visi sunt: ergo, &c.

R. Dist. ant. Et illa species erat aliena, conc. ant. & erat propria, nego ant. Angeli nimirum illi hominibus sub humana specie apparuerunt; & sæpe etiam sub illa specie Dei nomine locuti sunt, ut (inquiunt plures ex Græcis Patribus) homines ad fidem Incarnationis disponerent.

4. *Q.* Ante Concilium Lateranense IV. eratne de fide Catholica, quod Angeli sint substantiæ cujuslibet corporis expertes?

R. Non erat: tum quia unanimis non erat ea de re Patrum doctrina: tum etiam quia ipse etiam Augustinus libro 2. de Trinitate cap. 7. ætherea corpora Angelis, (sed dubitanter) tribuit: tum etiam quia Bernardus libro 5. de consideratione cap. 4. inter opiniones rejicit quæstionem de Angelorum corpore: *Unde* (inquit) *si quis inter opinabilia magis id ponendum esse censuerit, non contendo*.

Cum Lateranense Concilium IV. ex professo quæstionem de Angelorum corpore non tractaverit, Estius censet, eam ad fidem Catholicam non pertinere: licet (ait) temerarium sit Angelis corpus adscribere: Unum enim (addit) propositum erat Concilio, damnare nimirum Albigenses, qui, sicut antea Manichæi, contendebant Deum non esse substantiarum omnium auctorem.

4. *Q.* Angeli differuntne specie?

R. 1. Quæstio de qua agitur ad fidem non pertinet: *Quid inter se differant* (inquit Augustinus in libro ad Orosium contra Priscillianistas) *nescio: nec sane ignorantia periclitari me puto*.

R. Probabilior est sententia quæ docet, Angelos omnes ejusdem esse speciei: tum quod Basilius libro 9. contra Eunomium scribat eos non magis a se differre, quam stella ab alia stella differt: tum etiam quod Cyrillus Alexandrinus libro 2. in Joannem, expresse asserat *ejusdem omnes esse speciei*.

Obj. 1. Differentia inter Angelos petitur ex eorum forma: non enim, cum sint corporis expertes, peti potest a materia; sed differentia, quæ petitur ex forma, est specifica: ideo enim homo differt a bruto, quod penes formam, quæ est anima rationalis, ab eo differat.

R. Angelorum differentia a se invicem, nec ex forma, nec ex materia petitur, sed ex qualitatibus accidentalibus, aut ex eorum individuatione, unde Michael a Raphaele physice non differt, nisi quod idem non sit cum illo individuum.

Obj. 2. Angeli non possunt differre solum numero, seu individuo: quia non est in eis principium individuationis, seu multiplicationis intra eamdem speciem: nempe principium individuationis, seu multiplicationis intra eamdem speciem, est materia sigillata (ut Thomistæ quidem loquuntur) seu affecta quantitate.

R. Nego quod principium multiplicationis sit sola materia, quæ sigillata sit quantitate: est enim præterea Dei voluntas, quæ similem essendi & existendi modum pluribus intra eamdem speciem entibus communicare potest pro libito: hinc fit ut si duæ animæ rationales existerent post propriorum corporum annihilationem, solo individuo, non vero specie differrent.

5. *Q.* Quinam est auctor Angelicæ substantiæ?

R. Deus solus: qui (ut ait Concilium Lateranense IV.) simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam.

Obj. Moyses nullam in Genesi facit mentionem de Angelorum creatione, licet expresse recenseat aliarum omnium rerum factarum a Deo productionem: ergo, &c.

R. 1. Conc. ant. nego consequ. Ideo enim Moyses

Moyses recensuit rerum visibilium creationem, ut Judæis eriperetur idololatriæ periculum: Judæi enim propendebant in cultum rerum quæ sub sensus cadunt, non autem ad cultum earum, quæ cum spirituales sint, sensus fugiunt: unde cum a Deo vero defecerunt, nusquam aliud in Scripturis coluisse leguntur, quam quod visibile esset: in eoque Gentilium, inter quos vixerunt in Ægypto, mores imitati sunt.

R. Moysem non obscure innuisse, Angelos a Deo fuisse creatos: nempe iis locis ubi eorum meminit, de iis non loquitur, nisi tamquam de ministris ac nuntiis Dei illius, cui Geneseos cap. 1. rerum omnium productionem adscripserat.

6. *Q.* Quo tempore creati fuerunt Angeli?

R. Creati non fuerunt ante visibile hoc Universum: idque colligitur 1. ex his Geneseos verbis: *In principio* (hoc est: ut Augustinus interpretatur, ante omnia) *creavit Deus cælum & terram*: igitur ante cælum & terram nulla existebat creatura. Colligitur 2. ex his aliis. Exodi 20. *Sex diebus fecit Deus cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt*; igitur ante sex illos dies nihil existebat ex iis quæ sunt in cælo, aut in terra: ac proinde nec ipsi etiam Angeli, qui in cælis sunt.

7. *Q.* Propositio qua affirmatur Angelos ante hoc Universum creatos non fuisse, estne propositio quæ ad fidem Catholicam pertineat?

R. Non pertinet. Nam 1. unanimis ea de re non fuit Patrum traditio: *Ad primum ergo dicendum* (inquit S. Thomas 1. part. q. 61. art. 4.) *quod Hieronymus loquatur secundum sententiam Doctorum Græcorum, qui omnes hoc concorditer sentiunt, quod Angeli, sunt ante mundum corporeum creati*. 2. Nulli ex iis Patribus qui ante Concilium Lateranense IV. floruerunt, quæstionem de qua agitur, ad fidem Catholicam retulerunt: immo expresse (ut patet ex Augustino lib. unico de Genesi ad litteram cap. 3.) inter opiniones dubias collocarunt.) 3. Post Concilium Lateranense, IV. hæc habet S. Thomas 1. part. q. 61. art. 3. in corr. *Non est igitur probabile, quod Deus creaturam Angelicam seorsim ante omnes alias creaturas creaverit; quamvis contrarium non sit reputandum erroneum*. 4. Estius hæc habet de sensu Concilii Lateranensis in quo asseritur Deum simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam. *Verum laudati Patres id non proposuerunt tamquam fidei articulum, sed tantum tamquam probabiliorem opinionem*.

8. *Q.* Quo in statu creati fuerunt Angeli?

R. Creati sunt 1. beati beatitudine naturali, quæ scilicet omnem miseriam excluderet: *Diabolus & Angeli ejus* (inquit Augustinus in libro de corrept. & grat. cap. 10.) *beati erant antequam caderent*. Creati sunt 2. in statu gratiæ sanctificantis: *Quia* (ut ait Augustinus lib. 12. de Civ. Dei) *sine bona voluntate* (quæ quidem non aliud est, quam caritas) *numquam sanctos Angelos fuisse credendum est*. 3. primo suæ creationis instanti acceperunt gratiam actualem, non qua perseverarent, seu quæ ipsos ad perseverandum determinaret, sed qua perseverare poterant, hoc est, qua ad perseverandum uti poterant. *Si autem* (inquit Augustinus in libro de corrept. & gratia cap. 2.) *hoc adjutorium Angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, non utique sua culpa cecidissent*.

Obj. Angeli sancti, dum adhuc erant in via, non erant certi, quod Deus eis daturus esset donum quo indigebant ad perseverandum & quod acceperunt postea: ergo tunc immunes non erant a qualibet miseria: nimirum incertitudo de perseverantia finali non levis est miseria.

R. Antecedens est de non supponente: nempe supponit SS. Angelos indiguisse ad actu perseverandum dono aliquo, quod eos ad perseverandum determinaret, quod falsum est: ipsis enim satis erat liberum arbitrium cum auxilio versatili, & cum solo eo auxilio cujus determinatio subjacebat eorum voluntati, reipsa perseverarunt, ut passim Augustinus docet in libris de corrept. & gratia, de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ.

Obj. 2. Augustinus asserit Deum in Angelis ostendere voluisse quid sine Dei gratia posset liberum creaturæ innocentis arbitrium: *Credimus* (ait in libro de corrept. & gratia c. 10.) *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum voluntatem, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium*: ergo gratia actualis SS. Angelis data non fuit statim post eorum creationem.

R. Dist. ant. Quid absque gratia *per se efficaci* posset Angelorum arbitrium, conc. ant. absque gratia *ex se efficaci*, nego ant. *Tale quippe erat* (ait Augustinus lib. de correp. & gratia cap. 11.) *adjutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet*.

§. II. *De Angelorum proprietatibus*.

1. *Quæst.* Quænam sunt Angelorum proprietates?

R. Cognitio, Amor, Locus, Motus, Locutio, Missio.

2. *Q.* Quænam sunt res quas Angeli naturaliter cognoscunt?

R. Cognoscunt res omnes necessarias, quæ sunt ordinis naturalis: cum iis enim proportionem habent, & aliunde perfecte norunt modos omnes, qui cum caussis necessariam habent connexionem.

3. *Q.*

3. *Q.* Angeli cognoscuntne naturaliter occultas cordium cogitationes, & futura libera?

R. Non cognoscunt, saltem certo. Earum enim rerum cognitio tamquam Deo soli proprius caracter in Scripturis laudatur: *Ego Dominus* (ait Deus ipse Jeremiæ 17.) *scrutans cor, & probans renes.* Apud Isaiam cap. 14. hæc habentur: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dei estis vos.*

4. *Q.* Estne Amor in Angelis?

R. Est: scilicet se habet Amor in creatura rationali, sicut pondus in corpore: *Amor meus* (inquit Augustinus) *pondus meum: eo feror, quocumque feror*: ergo sicut in quolibet corpore est pondus, ita & in qualibet libera voluntate est amor. Qui autem amor in Angelis dominatur, est amor in Deum, cum sit amor recte ordinatus; & aliunde ordo postulet, ut Deus præ creaturis diligatur.

5. *Q.* Amor Dei ut auctoris naturæ fuitne naturalis in Angelis viatoribus?

R. Naturalis fuit ex parte objecti: hoc est, habuit objectum quod non erat, eo saltem in capite, ordinis supernaturalis: Non fuit vero naturalis quoad principium, quia elicitus non fuit sine illo gratiæ auxilio, quod S. Augustinus vocat adjutorium *sine quo*.

6. *Q.* Angelorum amor estne naturaliter immutabilis, hoc est Angelus poteſtne mutare voluntatem?

R. Potest: Nam 1. rationes, propter quas Angelus eligit aliquod objectum, quod poterat non eligere, remanent in intellectu, etiam ejus electione facta: ergo eum movere possunt ad non amandum idem objectum, quemadmodum eum ante electionem ad ipsum non eligendum determinare poterant. 2. Patres, cum agunt de dæmonum voluntate perseverante in peccati amore, ejusmodi amorem eorum naturæ a Deo desertæ tribuunt; cum vero agunt de SS. constante virtutis amore, eum quoque non adscribunt immutabili ex natura eorum voluntati, sed divini auxilii viribus efficacissimis: *Ut magna* (inquit Augustinus in libro de corrept. & gratia c. 10.) *per Spiritum sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent.*

7. *Q.* Angeli suntne in loco?

R. Sunt, quia in eo operantur. Triplex est autem Angelorum locus: nonnulli sunt in inferis, alii in cælo, alii vero in aere: juxta illud Apostoli ad Ephesios 2. *Secundum principem potestatis aeris hujus.*

8. *Q.* Quomodo Angeli sunt in loco?

R. Non sunt *circumscriptive*: quia, cum non habeant corpora, non respondent quantitati, seu extensioni spatii in quo existunt: sed sunt *definitive*: ita enim aliquo in loco existunt, ut eorum substantia non sit alibi.

9. *Q.* Quænam est forma, per quam Angeli sunt in loco?

R. Non est eorum essentia: eorum nimirum essentia est per se indifferens ad existendum alicubi: unde abstrahit ab omni loco. Dicendum est igitur probabiliorem esse sententiam Doctoris Angelici contendentis Angelos *formaliter* constitui in loco per operationem ad extra. Ratio est quia Spiritus (ut diximus agentes de Dei immensitate) non per aliam formam sunt in loco, quam per contactum loci: ille autem contactus non est contactus quantitatis, cum Angeli sint illius expertes: ergo est contactus virtutis; ac proinde actionis ad extra. Hincque sequitur Angelum non esse *formaliter* in eo loco, ubi nihil extrinsecum operatur.

10. *Q.* Angeli moventurne localiter?

R. Moventur: nempe Scripturæ tribuunt eis ascensum ad cælos, & ex eis descensum: ascensus autem & descensus præbent ideam motus localis, per quem tamen variis partibus spatii non respondeant, ut dictum est superius.

11. *Q.* Angeli colloquunturne inter se?

R. Colloquuntur juxta illud Isaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum.* Præterea sanctam quamdam societatem inter se invicem efficiunt; societas autem non est, nisi per mutuam idearum manifestationem: quæ quidem oritur ex eo, quod Deus, ad nutum Angeli, illius ideam aperiat ei ad quem ab Angelo dirigitur.

12. *Q.* Angelis convenitne aliqua Missio?

R. Convenit: quia ex Dei imperio aliquos effectus ad extra producunt: unde Exodi 33. sic Deus Moysi loquitur: *Mittam præcursorem tuum, Angelum.* Mittuntur vero ex omnibus Ordinibus & Hierarchiis, juxta illud Apostoli ad Hebræos 1. *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis?*

13. *Q.* Quilibet homo habetne Angelum custodem?

R. 1. Quilibet fidelis habet. In illud enim de parvulis Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Chrysostomus sic loquitur: *Hic manifestum est, quia omnes sancti Angelos habeant.* Hæc etiam Basilius scribit in Psalm. 48. *Cuilibet fidelium est Angelus assistens.* Articulus tamen ille ad fidem Catholicam non pertinet: quia nullibi expresse definitus fuit ab Ecclesia. Id autem non impedit, quin temeritatis notam incurrat is qui eumdem articulum negare ausus sit: quia (inquit Estius) Scripturæ valde consentaneus est, & Patrum sententiis maxime celebratus.

R. 2. Probabilis est opinio quæ cuilibet homini etiam infideli custodem Angelum adscribit. Nam ita censet Hieronymus in Matthæi caput 8. *Magna* (inquit) *dignatio animarum, ut unaquæque habeat ab ortu suæ nativitatis, in custodiam sui, Angelum deputatum.* 2. Idem innuit Bernardus lib. 5. de Considerat. cap. 4.

cap. 4. *Putamus* (ait) *Angelos dici, qui singulis hominibus dati creduntur*. Reprobis tamen hominibus propter ipsos præcise, non datur Angelus custos, sed præcipue propter electos, quibus reproborum opera ad hujus vitæ sustentationem necessaria sunt. *Propter eos* (inquit Apostolus) *qui hereditatem capiunt salutis*.

R. 3. Non est improbabile cuique Regno, Provinciæ, immo & Civitati deputatum esse Angelum custodem. Nam 1. Danielis 10. fit mentio Angeli qui præerat Regno Persarum, & alterius qui præerat Regno Græcorum. 2. Theodoretus quæstione tertia in Genesim sic loquitur: *Cuique genti Angelum præesse affirmat Scriptura*.

14. *Q.* Quilibet homo habetne Angelum malum, a quo, aut ad peccatum provocetur, aut a quo in naturæ, fortunæque rebus detrimentum nonnumquam patiatur?

R. Non habet: Nam 1. reprobi suæ concupiscentiæ pondere libenter dæmoni serviunt, nec opus est, ut adsit semper Diabolus qui ad peccatum eos provocet. 2. Omnes dæmones maxime proclives sunt, ut electis noceant: frustra igitur deputatus fuisset cui id commissum esset officii. 3. Licet Origenes, Cassianus, & post illos auctores Magister Sententiarum, cuique homini Angelum malum assistere docuerint; alii tamen Patres contrarium asseruere.

15. *Q.* Angeli sancti merueruntne aliquid?

R. Meruerunt augmentum gratiæ sanctificantis, & præterea vitam æternam: *Angeli sancti* (inquit Augustinus in libro de correptione & gratia cap. 11.) *cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium* (adjutum auxilio versatili) *steterunt ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantum scilicet beatitudinis plenitudinem qua eis certissimum sit, semper se in illa mansuros*.

16. *Q.* Ignorantia mentis, & passio cordis fueruntne origo primi peccati Angelorum?

R. Non fuerunt; quia locum non habuerunt in Angelis ante peccatum, sunt enim miseriæ quæ nonnisi peccatoribus inflictæ sunt: cum sub Deo justo (ait Augustinus) nemo sit miser, nisi mereatur. Dicendum est igitur Angelorum voluntatem fuisse unicam peccati in quod lapsi sunt, originem, juxta illud Augustini: *Cadentibus aliis per liberum arbitrium*, &c.

17. *Q.* Quodnam est in specie primum Angelorum peccatum?

R. Superbia: siquidem 3. *in ipsa* (ait Spiritus sanctus Tobiæ 4.) *initium sumpsit omnis perditio*. 2. Primum Angelorum peccatum fuit inordinatus amor propriæ excellentiæ: hac enim ait Angelus nequam (Isaiæ 14. sub figura Regis Babyloniorum) *Ascendam in cælum & ero similis Altissimo*. Atqui inordinatus amor propriæ excellentiæ est superbia: ergo &c.

18. *Q.* Quinam sunt Angelorum effectus externi?

R. 1. Nonnumquam in corporibus assumptis, hominibus apparent. 2. Applicando activa passivis, dæmones (Augustino teste libro 15. de Civit. Dei cap. 23.) possunt producere animalia, quæ sine generatione stricte sumpta ex aliis corporibus nascuntur, ut sunt ranæ, muscæ, mures, vermes. 3. Si a Deo non impediantur, possunt hominum sensibus illudere: excitare tempestates in aere, nocere fructibus: hincque colligitur, quam pie se gerat Ecclesia, cum adhibitis precibus, aerem, flumina, terræ fructus benedicit. Diaboli tamen patrare non possunt vera miracula, quia Deus permittere non potest, ut vera miracula fiant in erroris alicujus confirmationem.

Obj. 1. Exod. 7. Malefici Pharaonis verterunt virgas suas in dracones, & aquam in sanguinem, eduxeruntque, sicut Moyses, ranas ex fluviis.

R. 1. Mutationes illæ non fuerunt reales, sed apparentes tantum, nimirum dæmones tunc arte sua hominum sensibus illuserunt. Ita docet Tertullianus lib. de anima cap. 17.

Resp. 2. Dato quod illæ mutationes fuerint veræ ac reales, ut docet Augustinus quæstione 21. in Exodum, non superarunt naturales dæmonis vires: quia (ut scribit idem Augustinus libro 3. de Trinitate capit. 83.) passivis applicando activa, Diabolus potest corpora quædam immutare, quæ per generationem stricte sumptam non producuntur.

Obj. 2. Ex capite 46. Ecclesiastici, Samuel per Pythonissæ incantationes Sauli Regi post mortem apparuit, & locutus est: ergo, &c.

R. Ea Samuelis suscitatio fuit apparens tantum, non autem vera. Ita docet Augustinus libro 2. ad Simplicianum cap. 3. Præterea dici potest cum eodem Augustino illud miraculum opera Diaboli patratum non fuisse, sed potius una Dei virtute: idque factum est in pœnam sceleris, cujus Saul Pythonissam adeundo reum se constituit.

19. *Q.* Quot sunt Angelorum Ordines?

R. Novem, scilicet sunt Seraphimi, Cherubimi, Archangeli, Angeli, Principatus, Virtutes, Potestates, Throni, & Dominationes. Septem meminit Paulus in suis Epistolis, quibus conjungendi sunt Seraphimi, & Cherubimi, quos Isaias, & Daniel recensent.

20. *Q.* Quot sunt Hierarchiæ Angelorum?

R. Tres a Dionysio recensentur in libro de cælesti Hierarchia cap. 6. In primam Hierarchiam refert Seraphimos, Cherubimos, Thronos: In alteram, Dominationes, Virtutes, Potestates: in tertiam denique, Principatus, Archangelos, Angelos.

21. *Quæst.* Quid Dionysius Hierarchiæ nomine intellexit?

R. Non aliud quam certum Angelorum numerum, qui sibi invicem, ac uni tamquam principi in ordine ad cælestes actiones subordinantur; hoc est, sibi invicem in scientia, potestate & actione subjiciuntur.

CAPUT III.

De primo Homine.

Nota. IN Adamo, qui hominum primus est, perpendi possunt illius creatio, vires quas accepit a creatore, & tandem peccatum cujus per inobedientiam factus est reus.

1. *Q.* Quænam sunt hominis partes?

R. Corpus & anima: utriusque nimirum Scriptura meminit Geneseos cap. 2.

2. *Q.* Cur Deus ex limo effinxit primi hominis corpus?

R. Ut (inquit Augustinus lib. 2. de Genesi ad litteram, cap. 7.) hominis immortalitas non naturæ, sed gratiæ tribueretur.

3. *Q.* Cur Scriptura loquens de homine, dicit, Deum formasse illius corpus ex limo, animam vero inspirasse in faciem ejus?

R. Ut (ait Augustinus lib. 7. de Genesi ad litteram, cap. 18. doceremur, corpus ex præsupposita materia eductum fuisse, animam vero ex nihilo fuisse creatam.

4. *Q.* Quandonam Eva, quæ prima est mulier, producta fuit?

R. Immediate post Adami formationem Eva producta fuit: *Masculum* (inquit Moyses Genesis 1.) *& feminam fecit illos*. Nec obstat, quod Geneseos 2. mulieris formatio postea recenseatur: quæ enim ibi de Eva dicuntur, sunt explicatio eorum quæ generatim tantum capite 1. jam dicta fuerant.

5. *Q.* Ex qua materia formatum fuit Evæ corpus?

R. Factum fuit 1. de viro suo Adamo: 2. de viro dormiente: 3. de latere viri: 4. de costa ejus: 5. pro costâ ex Adami corpore detracta, substituta fuit caro. Eæ nimirum circumstantiæ recensentur Genesis 2. easque explicat Augustinus libro 12. de Civitate Dei cap. 33. necnon tractatu 9. in Joannem, ubi sic loquitur: *Dormit Adam ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de latere; mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.*

6. *Q.* Adamus & Eva ubinam creati sunt?

R. Extra paradisum voluptatis; sed in eum non multo post translati sunt, Genesis 2. tum ut illum colerent *per agriculturam* (inquit Augustinus lib. 8. de Genesi ad litteram c. 10.) *non laboriosam, sed delitiosam*: tum etiam, ut illum custodirent *sibi ipsis* (ait idem S. Doctor) *ne aliquid admitterent, quare inde mererentur expelli*. Si quis vero quærat, in qua Orbis Regione constitutus esset Paradisus voluptatis, respondendum erit illud Augustini lib. 8. de Genesi ad litteram c. 8. *Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis*.

7. *Q.* Adamus creatusne fuit in statu gratiæ sanctificantis?

R. Creatus fuit: *Erat* (inquit Augustinus) *simul condens naturam, & largiens gratiam*. Confirmatur ex Scriptura quæ sic loquitur Ecclesiastæ c. 7. *Fecit Deus hominem rectum*, hincque sic ratiocinatur Augustinus lib. 4. de Civitate Dei cap. 11. *Ac per hoc voluntatis bonæ: non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas est opus Dei*: quid vero sit bona voluntas idem S. Doctor aperit in libro de gratia Christi cap. 1. *Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo.*

5. *Q.* Quænam fuerunt dotes intellectus Adami innocentis?

R. Naturalis rerum omnium scientia ei a Deo infusa fuit: tum quod Adamus rebus nomen conveniens imposuerit; tum quod constitutus fuerit princeps, qui rebus omnibus præsideret.

6. *Q.* Error habuitne locum in Adamo innocente?

R. Non habuit: quia error est miseria, ac proinde peccati est pœna: unde Augustinus in lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. merito sic loquitur, *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

Obj. Prima mulier adhuc innocens, decepta fuit: *Serpens* (inquit ipsa, Genesis c. 3.) *decepit me, & comedi*: ergo, &c.

R. Nego ant. scilicet (Augustino teste libro 12. de Genesi ad litteram c. 3.) Errorem illum præcesserat non quidem peccatum operis, sed cordis, internæ nimirum elationis.

Obj. 2. Adam ideo de fructu vetito comedit, quia credidit his Serpentis verbis: *Eritis sicut dii scientes bonum & malum*: ergo, &c.

R. Nego ant. Nam. 1. *Adam* (ait Apostolus 1. ad Tim. 2.) *non est seductus: mulier autem seducta est*. 2. Adam nec Serpenti, nec Evæ credidit, sed (ut ait Augustinus in libro 14. de Civitate Dei) sola sociali necessitudine, uxoris adhæsit desiderio.

10. *Q.* Quænam fuerunt dotes voluntatis hominis innocentis.

R. Primo, in ea locum non habuerunt passiones quæ respiciunt malum pœnæ: timor nimirum, & dolor, *Quid enim* (Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 10.) *timere poterant primi homines in tantorum affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla mala valetudo, nec dolor: quandoquidem nihil inerat, quod carnem, animumve hominis feliciter viventis offenderet?* Aliæ vero passiones quæ sunt ad bonum, amor scilicet & gaudium, desi-

derium

derium boni absentis, sed habendi suo tempore, inerant hominis innocentis voluntati: sed ita tamen, ut rationem nec prævenirent, nec perturbarent,

11. *Q.* Aliquis concupiscentiæ, hoc est, propensionis ad malum, motus, habuitne locum in primis parentibus innocentibus?

R. Non habuit locum: tum quia ille motus esse non potuisset aut sine peccato, aut sine bello: tum etiam quia id olim contra Pelagianos Ecclesia Catholica definiit; tum denique quod Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5. expresse declaraverit concupiscentiam *ex peccato esse, & ad peccatum inclinare*.

12. *Q.* Quænam fuerunt dotes corporis hominis innocentis?

R. 1. Immortalitas: mors enim est pœna peccati: *Per unum hominem* (ait Apostolus ad Romanos 5.) *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*. Hinc merito Palæstina Synodus damnavit hanc Pelagii propositionem: *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset*.

Obj. 1. Augustinus in libro 1. de peccatorum meritis cap. 2. scribit, Adamum ante peccatum fuisse mortalem: ergo, &c.

R. Dist. ant. fuisse mortalem, hoc est mori potuisse conc. ant. mori debuisse, nego ant. *Poterat mori* (ait Augustinus libro 1. contra Julianum operis imperfecti) *poterat namque peccare*: unde inter hominem innocentem, & hominem reum, discrimen est, quod ille poterat mori, hic vero mori debeat; discrimen ab homine beato, quod beatus etiam nec possit mori: *Prima immortalitas* (ait Augustinus libro de corrept. & gratia c. 12.) *erat posse non mori*: *Novissima*, beatorum, *erit multo major, non posse mori*.

Obj. 2. Consenuisset tandem hominis innocentis corpus: ergo tandem defecisset.

R. Nego ant. & conseq. Aderat nimirum cibus in arbore vitæ, per quem Adamus corpus proprium in juventutis flore ac robore conservaturus fuisset: *Habebat* (inquit Augustinus in libro 1. de peccatorum meritis) *quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem*.

13. *Q.* Si primi parentes in innocentia stetissent, genuissentne liberos?

R. Genuissent: sed sine libidine; quia actus conjugalis libido, cum usum rationis præveniat, eumque tunc penitus absorbeat, magna est miseria: ac proinde ante peccatum locum non habuit.

14. *Q.* Adamus innocens potuitne peccare?

R. Potuit, cum (Scriptura teste) reipsa peccaverit: nec mirum; cum enim eductus fuisset ex nihilo, in nihilum per peccatum relabi poterat; possent & ob eamdem rationem beati, nisi id in eis Dei singulare beneficium impediret: juxta illud Augustini lib. 3. contra Maximinum cap. 12. *Cuicumque creaturæ rationali præstatur, ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ*.

15. *Q.* Cur Deus per suam gratiam primum hominem non reddidit impeccabilem?

R. Quod decuerit ut homo mereretur impeccabilitatem tamquam meritorum suorum præmium: nec par fuit ut tempora prævenirentur, seu, ut quod pro plenissima beatitudine servabatur, homini concederetur in prima sui institutione.

16. *Q.* Cur homo talis factus non est, qui licet peccare posset, reipsa tamen & actu peccare nollet?

R. Id factum est, quod auxilium QUO ægræ tantum ac infirmæ naturæ, non autem sanæ ac integræ conveniret: seu naturæ innocenti & sanæ satis erat auxilium SINE QUO poterat non peccare, nec opus erat ei auxilio quo reipsa peccare nollet. Ita ratiocinatur Augustinus in libro de correptione & gratia cap. 12.

17. *Q.* Cur Deus primum hominem fecit, quem sciebat peccaturum?

R. Augustinus libro 11. de Genesi ad litteram cap. 4. id refert ad inscrutabilia Dei judicia. Dici tamen potest præterea Dei præscientiam non debuisse obscurare illius tum sapientiam, tum bonitatem, quæ in Verbi incarnatione maxime commendatæ sunt.

18. *Q.* Quodnam in specie fuit primum Adami & Evæ peccatum?

R. Superbia: independentia nimirum, si fore: possibilis: unde Augustinus in Psalmum 118. sic loquitur: *Primi homines per serpentem decepti, & dejecti non fuissent, nisi plusquam acceperant, habere & plusquam facti fuerant, esse voluissent*.

Obj. Augustinus lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 2. docet, inordinatum uxoris amorem præcessisse Adami inobedientiam: ergo & quodlibet aliud peccatum.

R. Augustinus loquitur de inobedientia externa, non autem de interna: *Nisi autem* (ait idem sanctus Doctor lib. 15. de Civit. Dei cap. 13.) *ad sibi placendum averteretur a superiori immutabili bono, non Dei mandato uxoris præponeret voluntatem*.

19. *Q.* Quibus gradibus Eva cecidit?

R. 1. In Eva præcessit suggestio serpentis: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*. 2. Eva serpentis promissionem volvit animo, ad eamque sponte delectata est. 3. Appetiit id in quo præter ordinem rectum, sibi complacuerat; similitudinem nimirum cum Deo, si foret possibilis. 4. Eam mentis elationem subsecuta est deceptio: verum enim id credidit quod serpens promiserat, scilicet se, si fructum vetitum ederet, fore sui juris. Ita enim Augustinus libro 11. de Genesi ad lit. cap. 30. expresse docet. 5. Mulier consideravit lignum scientiæ boni & mali, vidit-

que bonum ad escam & decorum aspectu. 6. Porrexit Adamo fructum de quo gustaverat.

20. *Q.* Quibus gradibus Adamus cecidit?

R. 1. Ab Eva audiit serpentis promissum: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*. 2. Appetiit cum Deo similitudinem, saltem conditionate, si nimirum foret possibilis. 3. Licet non crederet (sicut mulier crediderat) se per esum vetiti fructus, tantum bonum consecuturum esse; ex eo tamen degustavit, ne contristaret uxorem, ratus suam inobedientiam non fore mortalem, si solo studio indulgendi uxori suæ Dei præceptum infringeret. Ita ratiocinatur Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. Nonnulli alii Patres contendunt, Adamum in iis omnibus fuisse seductum, in quibus Eva seducta fuerat: Apostolum vero in eo sensu dicere, eum non fuisse seductum, quod aut primus, aut a serpente seductus non fuerit.

23. *Q.* Adami peccatum fuitne gravissimum?

R. Fuit. Idque patet 1. ex fine quem appetiit, seu ut esset sui juris & omnino independens. 2. Ex præcepti facilitate. 3. Ex bono ex quo per peccatum excidit. 4. Ex gravitate supplicii, quo Deus in Adami peccatum animadvertit. 5. Ex Dei contemptu qui in ea transgressione reperitur. Ita Augustinus libro 14. de Civit. Dei cap. 15.

22. *Q.* Quænam sunt pœnæ peccati in quod Adamus innocens incidit?

R. Prima, fuit carnis adversus spiritum concupiscentia: 2. Fuga & elongatio a Deo: 3. Servitus sub peccato: 4. Impotentia operandi bonum supernaturale, nisi intellectus cæcitati & voluntatis infirmitati gratia Christi medeatur: 5. Ejectio a beatitudine ad hujus vitæ miserias: 6. Mors utraque, prima scilicet & secunda. Prima mors (ait Augustinus) animam nolentem pellit ex corpore: secunda vero mors, animam nolentem tenet in corpore: scilicet damnati mortem invocabunt, & mors ab eis fugiet.

PARS QUARTA.

De Deo Incarnato.

Nota. DEi incarnati nomine intelligitur Compositum quod resultat ex unione naturæ divinæ cum humana, in persona Verbi: illud vero Compositum vocatur Christus, Actio per quam illa unio facta fuit, dicitur *Incarnatio*, quia Dei incarnati mysterium, per carnem manifestum fuit. In eo vere mysterio perpendi possunt Possibilitas, Existentia, Necessitas, Motivum, Essentia, & tandem Terminus qui ex eodem mysterio resultat.

CAPUT PRIMUM.

De Possibilitate Incarnationis.

1. Quæst. POssibilitas Incarnationis potestne ratione naturali contra Gentiles demonstrari?

R. Non potest: id enim nec a priori, nec a posteriori potest fieri, scilicet, Incarnatio nec caussam, nec effectum habet in rebus naturalibus, quibus demonstrari possit.

2. *Q.* Gentiles possuntne demonstrare Incarnationem esse impossibilem?

R. Non possunt: quia probare non possunt Incarnationem involvere contradictionem aliquam.

Obj. 1. Impossibile est ut Deus mutetur: id tamen foret possibile, si Incarnatio esset possibilis: Deus enim aliud de novo posset adquirere, humanam nimirum naturam; & realem novam denominationem; scilicet ex non homine, realiter denominaretur homo.

R. Ad 1. Dist. ant. Deus posset aliquid de novo adquirere per sui communicationem, Verbi nimirum personæ, quam humanæ naturæ, communicaret, conc. ant. Per rei alicujus receptionem in se tamquam in subjecto, nego ant. Ad 2. dist. pariter ant. Deus ex non unito fieret unitus per formam quæ reciperetur in termino unionis, scilicet in humana natura, conc. ant. per formam quæ in Deo tamquam in subjecto reciperetur, nego ant.

Obj. 2. Natura humana non potest propria subsistentia spoliari; quia subsistentia est realiter idem cum humana natura: ergo nec potest uniri personæ Verbi: quia res eadem non potest duplicem habere subsistentiam, seu personam.

R. Dist. ant. Subsistentia est idem cum humana natura sumpta prout dicit negationem communicabilitatis; hoc est reduplicative prout est incommunicabilis, seu prout est sui juris, conc. ant. cum natura humana in se & absolute sumpta, nego ant. At natura humana non uniretur Verbo prout dicit negationem communicationis; hoc est, prout esset sui juris; siquidem per suam cum Verbo unionem desineret esse proprii juris, & inciperet esse juris ipsiusmet Verbi: cum enim duæ res uniuntur (ut patet in corpore & anima) inferior fit juris caussæ superioris: ab ea nimirum & movetur, & regitur, & dignitatem accipit. Vide quæ dicentur inferius de persona Christi.

Obj. 3. Supposita possibilitate Incarnationis, Deus posset esse mortalis simul & immortalis; una numero persona posset diversas operationes habere: sed hæc implicant contradictionem: ergo, &c.

R. Dist. min. Sed hæc implicant contradictionem, si considerentur sub eodem respectu, conc. min. si sub diverso, nego min. Deus foret immortalis sub ratione naturæ divinæ, & mortalis ratione humanæ naturæ, cui se conjungeret. Dist. pariter aliam minoris partem: una persona, quæ non existit in duabus naturis, non potest habere operationes spe-

specie diversas, conc. min. quæ existeret in duabus naturis, nego min.

Obj. 4. Si incarnatio foret possibilis, Deus conciperetur in potentia ad unionem cum natura humana; sed id implicat, cum Deus sit actus purissimus; hoc est, actus expers cujuslibet potentiæ.

R. Dist. min. Deus expers est cujuslibet potentiæ passivæ, quia non potest aliquid in se tamquam in subjecto recipere, conc. min. potentiæ activæ; hoc est, potentiæ aut agendi aut supplendi effectum alicujus caussæ, nego min. In Incarnatione Deus nihil recipit, sed tantum supplet effectum humanæ subsistentiæ, in quantum eam reddit alteri caussæ incommunicabilem, efficiendo ut sit juris Verbi divini.

Obj. 5. Incarnatio superat captum creatæ mentis: ergo non est possibilis.

R. Conc. ant. nego conseq. Scilicet ipsa ratione docemur, Deum, cum sit infinitæ virtutis, multo plura posse, quam mens creata, utpote finita, comprehendere valeat.

3. *Q.* Mens creata potestne, seclusa revelatione, suspicari Incarnationem esse possibilem?

R. Non potest: quia incarnatio est omnino supernaturalis, sive secundum substantiam, sive secundum modum consideretur: cum nihil Incarnatione, sive secundum substantiam, sive secundum modum accepta, majus excogitari possit.

Obj. 6. Angelus comprehendit humanam naturam; ergo potest cognoscere modos omnes, quibus subsistere potest, ac proinde & modum existendi per Verbi personam.

R. Dist. conseq. Modos omnes naturales, conc. conseq. supernaturales, nego conseq. Ad id enim necesse esset, ut Angelus ipsam divinam omnipotentiam comprehenderet; hoc est, ut conciperet modos omnes possibiles, quibus Deus erga creaturam sese gerere potest.

Obj. 2. Angelus potest naturaliter cognoscere id omne, quod non involvit contradictionem: ergo & possibilitatem Incarnationis.

R. Dist. ant. Si sit ordinis naturalis, conc. ant. si supernaturalis, nego ant. At Incarnatio est hujus, non autem alterius generis.

Obj. 3. Angelus potest naturaliter cognoscere, prius posse existere sine posteriori: ergo potest naturaliter cognoscere naturam humanam posse existere sine propria subsistentia, cum hæc illa posterior sit.

Resp. 1. Dist. ant. Si posterius non sit ita arcte conjunctum cum priori, ut substantia creata est conjuncta cum humana natura, conc. ant. si sit ita arcte conjunctum; neg. ant. 2. Dato ant. neg. conseq. quia Angelus non posset, etiam in ea suppositione, suspicari Deum posse se ita deprimere, ut suppleat subsistentiæ creatæ effectum, cum id Deus non potuerit, quin (ut ait Apostolus seipsum exinanierit.

Obj. 4. Ab Angelo naturaliter solvi possunt argumenta quæ moveri possunt contra possibilitatem Incarnationis: ergo naturaliter potest saltem suspicari eam esse possibilem.

R. Dist. ant. Si Incarnatio prius venerit in Angeli mentem, conc. ant. si non venerit, nego ant. At in eam venire non potest, nisi per revelationem.

Obj. 5. Incarnatio est evidenter credibilis: ergo naturaliter cognosci potest illius possibilitas.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est, quia evidentia credibilitatis petitur ex argumentis quæ demonstrant esse revelatam: possibilitas e contra ex caussis illius intrinsecis. Illa, seu argumenta quæ demonstrant Incarnationem esse a Deo revelatam, patent omnium oculis; istæ vero, seu mysteri caussæ intrinsecæ, cum sint omnino supernaturales, latent, seclusa revelatione, quamlibet creatam mentem.

CAPUT II.

De Existentia Incarnationis.

1. *Qu.* Existentia Incarnationis potestne contra Gentiles demonstrari? hoc est, potestne demonstrari, Verbum revera carnem induisse?

R. Potest: tum quia demonstrari potest vera miracula fuisse patrata ad confirmandam existentiam Incarnationis, ea nimirum quæ in libris novi Testamenti continentur, quorum librorum auctoritatem divinam demonstrant Theologi, agentes de auctoritate canonicorum librorum: tum quia fides de Incarnationis mysterio, licet multas in specie, hoc est, apparentes contradictiones involvat, totum intra paucos annos, sola imperitorum & rusticorum hominum (ut erant Apostoli) prædicatione, totum orbem subjugavit.

2. *Q.* Existentia Incarnationis potestne contra Judæos demonstrari?

R. Potest: scilicet adversus illos demonstrari potest Messiam in lege promissum venisse, ac proinde Deum actu fuisse incarnatum: Messias enim (ut supponitur ex dicendis) est Deus incarnatus.

3. *Q.* Existentia Incarnationis potestne demonstrari ex prophetia Jacob, quæ Genesis capite 49. legitur:

R. Potest. Nimirum in illa prophetia dicitur quod venturus sit Messias, ubi sceptrum desierit esse in Juda: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*: atqui jamdiu sceptrum, seu principatus, seu regimen politicum desiit esse in Juda, sive quoad actum, sive quoad jus, tum ratione præscriptionis, tum quod, eversa per Titum Jerosolyma, nulla servata sit Tribuum distinctio, nec ser-

servari potuerit, cum tabulæ in quas relata erat genealogiarum accurata distinctio, una cum Templo concrematæ fuerint.

Obj. Nimis probat argumentum quod pro adventu Messiæ jam completo, petitur ex prophetia Jacob Genesis 49. Scilicet probat. 1. Messiam jam venisse tempore Captivitatis Babylonicæ; tunc enim sceptrum desiit in Juda, probat 2. saltem post Captivitatem Babylonicam Messiam debuisse venire: ab eo siquidem tempore ad Herodem usque, Assamonæi qui erant ex Tribu Levi, ut pote Summi Sacerdotes, præfuerunt politico Judæorum regimini: ergo, &c.

Respondent nonnulli, per Prophetæ verba, *de Juda*, non intelligi Tribum Juda prout ab aliis distinguitur; sed per synecdochen, totam intelligi Judaicam gentem: ita ut sensus sit, venturum esse Messiam circa illud tempus quo regimen gentis ad extraneos transferetur: hincque colligunt nasci debuisse Christum Herodis tempore qui erat alienigena. Addunt aut spatium 70. annorum quibus Babylonica Captivitas perduravit, exiguum esse tempus, quod proinde numerari non debeat; aut, stante etiam Captivitate, Judæos Judæis, ex concessione Regum Babyloniorum, præfuisse, iisque dixisse jus, ut Susannæ historia aperte demonstratur.

Respondent alii, per hoc prophetiæ verbum, *Sceptrum*, non intelligi actuale regimen, sed jus ad illud divina ordinatione, contra quam non valet humana præscriptio, Tribui Juda concessum: quod quidem jus perduravit donec acta publica, in quibus distinctio Tribuum & familiarum accurate servabatur, in excidio Jerosolymitano cum Templi exustione combusta sunt. Addunt, verba hæc, *donec veniat qui mittendus est*, non significare tunc tantum venturum esse Messiam, cum tribus Juda suo ad regimen jure exciderit, sed significare venturum eum esse circa illud tempus, quo Tribus Juda suo jure spoliari debebit:

4. *Q.* Existentia Incarnationis potestne demonstrari ex nono capite prophetiæ Danielis?

R. Potest: siquidem demonstrari potest ultimam ex septuaginta hebdomadibus, intra quas Daniel prædixit venturum esse Messiam, revera elapsam esse; quia contigerunt ea omnia quæ Propheta prædixerat ventura esse post elapsam hebdomadam ultimam: nempe & urbs Jerosolymitana, & Templum diruta sunt a Vespasiano & Tito Romanis Imperatoribus; sacrificia quoque defuerunt omnino, cum ex legis præscripto in uno Templo, quod Jerosolymis erectum erat, ea liceret offerre: *In dimidio hebdomadis* (sunt prophetiæ verba) *deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Obj. 1. Dici non potest, an Danielis hebdomadæ sint hebdomadæ mensium, an annorum, an jubilæorum, an sæculorum, an decenniorum. 2. Dici quoque non potest, quandonam hebdomadæ illæ, seu sub quo Persarum rege, cœperint: volunt enim aliqui ducere eas initium a Cyro: alii a Dario; nonnulli ab Artaxerse Longimano: alii denique ab Artaxerse Memorioso: ergo ex prophetia Danielis certo colligi non potest venisse Messiam.

R. Dato antecedente (quod tamen falsum est) nego conseq. Difficultates enim quæ in antecedente recensentur, impertinentes sunt ad quæstionem hanc, an Messias reipsa venerit; nempe certum est ultimam ex hebdomadis, de quibus Propheta loquitur, & intra quas prædixerat venturum esse Messiam, revera & actu elapsam fuisse.

5. *Q.* Messias, qui venit, estne Jesus Nazarenus?

R. Est: tum quia Prophetiæ quæ erant de Messia, in Jesu Nazareno, & non in alio completæ sunt omnes; tum etiam quia Jesus Nazarenus certis ac evidentibus miraculis comprobavit se esse, ut dixerat, Messiam illum, quem Prophetæ venturum prædicarant.

6. *Q.* Incarnatio Verbi debuitne fieri statim post Adami lapsum?

R. Non debuit: quia par fuit ut homines per præcedentia oracula disponerentur ad fidem mysterii, quod est creditu difficillimum: par quoque fuit ut homines multo tempore suam ad bonum agendum imbecillitatem experirentur: indeque cogerentur expectare Messiam, a quo vires ad operandum bonum acciperent.

7. *Q.* Incarnatio peractane fuit convenienti tempore?

R. Peracta fuit: scil. eo tempore quo Verbum unitum est carni, expletæ erant Prophetiæ quæ Messiæ adventum prænuntiarant. Nimirum 1. sexagesima nona hebdomada postquam Messias (ex Danielis cap. 9.) nasciturus erat, expleta erat omnino, cum Christus in lucem prodiit. 2. Jam ab aliquot annis ablatum fuerat sceptrum a Tribu Juda, aut saltem imminebat tempus, circa quod Tribus Juda spolianda erat dato sibi divinitus ad sceptrum jure. 3. Romanum Imperium, hoc est, quantum illud regnum quod ex Danielis 1. cap. tria priora, Caldaicum nempe, Persicum & Græcum, domare debebat ac conterere, & cui regnum Messiæ, ex eodem Propheta, immediate succedere debebat, aut saltem intra quod Messias ex eodem Propheta nasciturus erat, jam a multis annis eminebat in orbe, cum Verbum caro factum est: ergo Incarnatio convenienti tempore peracta fuit.

8. *Q.* Angeli sancti cognoveruntne existentiam Incarnationis, hoc est, cognoveruntne ante Christi mortem peractum fuisse Incarnationis mysterium?

R. Co-

R. Cognoverunt. Nam 1. Gabriel Archangelus illud Mariæ nuntiavit Luc. 1. *Ecce concipies & paries filium*. 2. Pastores ipsum docti sunt ab Angelis. 3. Evangelia fidem faciunt sanctos Angelos, Christo, dum viveret, sæpius ministrasse.

9. *Q*. Angeli apostatæ cognoveruntne certo ante Christi mortem, peractum fuisse mysterium Incarnationis?

R. Non cognoverunt certo. Nam 1. non cognoverunt Christum ex Virgine natum fuisse: ideo enim, ne id scirent, Christus ex desponsata nasci voluit. 2. Si id scivissent, nusquam auctores fuissent Judæis, ut Jesum agerent in crucem: quippe ex Prophetarum oraculis noverant, se per Messiæ mortem spoliandos esse suo in homines imperio.

Obj. Ex Evangeliis constat 1. Jesum Nazarenum a Diabolis sæpe vocatum fuisse Dei Filium. Constat 2. Diabolos non semel a Christo prohibitos fuisse, ne illum palam confiterentur. 3. De Diabolis hæc habentur Lucæ 3. *Sciebant ipsum esse Christum*: ergo cognoverunt peractum Incarnationis mysterium.

R. Conc. ant. dist. conseq. Cognoverunt cognitione dubia, conc. conseq. cognitione certa, nego conf. Scilicet erant argumenta quibus in eam suspicionem adducerentur: unde merito sic Hieronymus de allatis ex Evangelio textibus loquitur: *Dæmones suspicari magis Filium Dei, quam nosse intelligendi sunt*.

CAPUT III.

De Necessitate Incarnationis.

Nota. Necessitas duplex est, stricta nimirum & lata. Prima dicitur de eo quod aliter esse non potest: altera autem de eo quod non convenit aliter esse, quamvis simpliciter loquendo, aliter esse possit. Necessitas stricta subdividitur in absolutam, quæ nimirum est independens a quacumque suppositione, seu conditione; & in hypotheticam, quæ præsupponit aliquam conditionem.

1. *Q*. Incarnatio fuitne simpliciter & absolute necessaria?

R. Non fuit: quia Verbum potuit non incarnari; Deus enim, cum ex se sit perfecte beatus, est prorsus liber ac indifferens circa opera quæ sunt ad extra, ut est Incarnatio.

Obj. 1. Deus sibi vult necessario bonum perfectissimum: ergo & Incarnationem.

R. Dist. ant. bonum intrinsecum, ut sunt attributa divina, conc. ant. extrinsecum, nego ant. Istius, non autem illius generis est Incarnatio: quia ad Dei beatitudinem nihil omnino confert.

Obj. 2. Ex Augustino libro 1. contra Adversarium legis & Prophet. capite 14. Deus vult necessario bonum, etiam extrinsecum, quod melius est: ergo & Incarnationem; cum melior sit quam non Incarnatio.

R. Dist. ant. melius bonum, hoc est, quod malitia & imprudentia vacuum sit, conc. ant. melius alio sensu, nego ant. Augustinus eo loci arguit Manichæos, qui contendebant unum esse Deum, qui malorum auctor esset; alterum vero, bonorum.

Obj. 3. Patres Concilii Francofordiensis sic loquuntur? *Credimus Deum omnia velle, quæ meliora sunt*; ergo, &c.

R. Dist. ant. quæ meliora sunt comparative, hoc est, aptiora ad finem, quem Deus sibi proponit, conc. ant. quæ meliora sunt absolute, nego ant.

2. *Q*. Incarnatio fuitne absolute necessaria, saltem supposito peccato?

R. Non fuit: quia Scriptura non necessitati, sed caritati, etiam supposito peccato, Incarnationem adscribit: *Sic Deus* (inquit Joannis 4.) *dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*.

Obj. Si supposito peccato, Deus non fuisset incarnatus; aut ars Diaboli qui hominem rapuerat, prævaluisset arti divinæ, per quam homo ad beatitudinem conditus fuerat; aut peccatum remansisset impunitum; sed hæc absurda sunt: ergo, &c.

R. Nego ant. In perpetua nimirum hominis rei damnatione eluxisset Dei justitia, & in condonatione peccati minime per pœnas castigati misericordia commendata fuisset.

3. *Q*. Incarnatio fuitne simpliciter necessaria ex suppositione decreti liberandi homines per imperfectam redemptionem?

R. Non fuit: quia in ea suppositione, mera creatura potuisset imperfecte pro peccato satisfacere, nimirum per actus, elicitos ex gratiæ auxilio, quod quidem Deus illi gratuito concessisset: neque enim ad imperfectam satisfactionem requiritur æqualitas inter personam satisfacientem & personam læsam.

Obj. Patres non semel asserunt uno Dei incarnati sanguine hominem redimi potuisse: ergo: &c.

R. Dist. ant. Supposito decreto de redemptione per satisfactionem perfectam, conc. ant. per imperfectam, nego ant.

4. *Q*. Incarnatio fuitne absolute necessaria ex suppositione decreti de hominis redemptione per condignam ac perfectam satisfactionem?

R. Fuit, quia ad perfectam & condignam satisfactionem requiritur, ut inter personam læsam & personam satisfacientem sit æqualitas perfecta: quemadmodum enim gravitas offensæ petitur ex dignitate personæ læsæ, ita & meritum satisfactionis desumitur ex dignitate personæ satisfacientis; atqui sine Incarnatione non fuisset æqualitas inter personam satisfacientem & personam læsam; nimirum per-

persona læsa est Deus ipse infinitæ sanctitatis, & aliunde quæcumque creatura semper est finitæ sanctitatis: ergo necessaria fuit satisfactio per Deum incarnatum; solus enim Deus Deo æqualis est.

Obj. 1. Malitia peccati non est infinita: ergo creatura simplex potest pro ea satisfacere. Probatur ant. Si esset infinita, id oriretur ex eo quod læderet personam infinitam: atqui illa ratio nulla est; alioquin enim infinita esset peccati venialis malitia: quod est absurdum.

R. Ad 1. dato & non concesso antecedente, nego conseq. quia etiamsi malitia peccati supponatur finita, tam gravis tamen est in peccato mortali, ut creaturæ simplicis satisfactio ei minime possit æquari, quia ad satisfactionem condignam & æqualem satis non est, debitum, quod physice æquale sit, reddere; sed præterea requiritur proportio inter personam satisfacientem & personam læsam: neque enim rusticus, quantumcumque se deprimat, potest condigne satisfacere pro alapa quam Principi impegisset.

Obj. 2. Homo justus adjutus gratia posset vitam æternam de condigno mereri: ergo potest quoque condigne satisfacere.

R. Conc. ant. nego conseq. quia ad meritum non attenditur dignitas personæ, modo per gratiam habitualem sanctificata sit, sed solum illius opus: si enim rustico & nobili præmium proponatur, non minus rustico, quam nobili debebitur, si præscriptum opus adimpleverit: e contra in satisfactione præter proportionem operis cum injuria illata, requiritur proportio personæ satisfacientis cum persona læsa.

Obj. 3. Homo justus condigne satisfacit pro pœna temporali debita peccato jam quoad culpam dimisso: ergo satisfacere quoque potest pro illata Deo injuria.

R. Conc. ant. nego conseq. quia satisfactio pro pœna temporali, in hoc rerum statu, fit præsertim ex Christi meritis: e contra satisfactio in casu, de quo est quæstio, fieret independenter a meritis personæ infinitæ.

5. *Q.* Incarnatio fuitne necessaria necessitate late sumpta, hoc est, necessitate quæ dicitur necessitas Convenientiæ?

R. Fuit: quia maxime conveniens fuit, ut homo redimeretur per perfectam justitiam: at res ita evenit per incarnationem: nimirum satisfactio, quæ a Christo fuit exhibita, propter dignitatem infinitam satisfacientis, æqualis est injuriæ quæ per Adami peccatum illata fuerat infinitæ personæ.

Obj. Redemptio quæ per meram peccati condonationem facta fuisset, magis commendasset Dei misericordiam, quam quæ facta fuit per justitiam; ergo, &c.

R. Dist. ant. magis commendasset Dei misericordiam in Christi humanitatem; conc. ant. in reliquum humanum genus, nego ant. Scilicet Deus in Christum sæviendo, maxime sese misericordem & liberalem erga homines præbuit. *Sic enim* (ait Scriptura Joan. 4.) *Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.*

6. *Q.* Præcipua Dei attributa commendanturne in Verbi Incarnatione?

R. Commendantur. Et quidem 1. Dei caritas qui proprio suo Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum. 2. Sapientia: quia Deus contraria contrariis curavit, maximam scilicet superbiam, Unigeniti sui exinanitione. 3. Omnipotentia: quia eadem vis ad refingendum opus requiritur, quæ ad illud primo faciendum adhibita fuit: ergo cum in hominis creatione maxime enituerit Dei potentia, ita & in ejus redemptione. 4. Justitia: par pari nimirum redditum est, infinitæ dignitatis pretium pro injuria infinitæ malitiæ. 5. Justitia enituit per incarnationem non solum Dei respectu, sed etiam respectu Diaboli, scilicet Diabolus per Incarnationem & satisfactionem Verbi merito excidit jure quod per peccatum in hominem adquisierat; tum quia victus est in carne quam in Adamo vicerat; tum quia manus per Judæos inferens Christo innocenti, transiliit limites datæ sibi in solum hominem reum potestatis: *Per injustitiam plus petendi* (ait Leo Magnus serm. 2. in Nativitate Domini) *totius debiti summa vacuatur.*

Obj. 1. Diabolus æquum jus non habebat in hominem reum: ergo superatus non fuit ex justitia: justitia nimirum non habet locum, nisi eorum respectu qui jus justum habent in rem qua spoliantur.

R. Nego ant. licet enim jus Dæmonis in hominem lapsum injuste comparatum fuerit, jus tamen æquum erat. Ita docet Augustinus in lib. 3. de libero Arbitrio cap. 10. ubi scribit Dæmonem *jure æquissimo*, totum sibi genus humanum vindicasse. Ita etiam Bernardus Epist. 190. ubi sic loquitur: *Sciendum est, quod omnes Doctores nostri post Apostolos, in hoc conveniunt, quod Diabolus dominium & potestatem habebat super hominem, & juste eam possidebat, ideo scilicet, quod homo ex libertate arbitrii, quam habebat, sponte Diabolo consensit.*

Obj. 2. Furto jus equum non adquiritur. 2. Creatura seipsam, cum essentialiter Dei sit, alteri tradere non potuit, ergo, &c.

R. Ad 1. Dist. ant. per furtum jus equum non adquiritur, invito rei quæ rapitur, domino, conc. ant. consentiente rei domino, nego ant. Deus in pœnam defectionis, hominem lapsum Diaboli dominio dimisit. Ad 2. Dist. ant. creatura seipsam tradere non potuit, Deo contradicente, & non permittente, conc. ant. Deo non contradicente, & permittente, nego ant.

Ca-

CAPUT IV.

De Motivo Incarnationis.

Nota. MOtivum est id quod operantem movet ad agendum: duobus vero modis operans ad agendum movetur, vel clientum meritis, vel fine, quem sibi proponit.

1. *Q.* Humanitas Christi meruitne suam cum Verbo unionem?

R. Non meruit: quia humanitas Christi ne brevissimo quidem instanti extitit ante suam cum Verbo unionem: at operans non meretur antequam aliquo modo existat.

Obj. Psalmus 44. unionem Verbi cum humana natura refundit in ejusdem humanitatis caritatem; *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*; &c.

R. 1. Plures Patres eam oleo lætitiæ unctionem explicarunt de resurrectionis gloria, quam Deus humanitati Christi rependit tamquam præteritorum meritorum mercedem. 2. patres alii qui textum illum de Incarnatione interpretati sunt, præpositionem *propterea* sumpserunt pro caussa finali, non autem pro caussa meritoria: unde hunc Psalmo sensum adscripsère: *Dilexisti justitiam, nec mirum: ad hoc enim in te Deus tuus unxerat; hoc est, cum Verbo univerat.*

2. *Q.* Veteres Patriarchæ meruerruntne Incarnationem sumptam secundum substantiam?

R. Non meruerunt: quia Incarnatio Verbi post hominis lapsum, cuilibet hominum merito præsupponitur: nullum enim in homine lapso potest unquam esse meritum, nisi ex fide Incarnationis aut futuræ, aut jam peractæ.

Obj. Patriarchæ veteres crediderunt se posse mereri, merito saltem impetrationis, Incarnationem; eam enim enixe petierunt. *Mitte* (inquiunt in Scripturis) *quem missurus es.*

R. Dist. ant. eam petierunt quoad accelerationem temporis, conc. ant. quoad substantiam, nego antecedens.

3. *Q.* Patriarchæ meruerumtne Incarnationem non quidem secundum substantiam, sed secundum hanc circumstantiam, quod Christus ex eorum gente nasceretur.

R. Non meruerunt: quia Christus præsupponi debuit ut futurus; ad hoc ut Patriarchæ ex fide in eum quidquam mereri possent: at Christus ut futurus, præsupponitur futurus ex his aut illis parentibus determinate, ergo &c.

Obj. Geneseos 22. Deus Messiam Abrahamo promisit in remunerationem obedientiæ, quam illi exhibuerat: *Quia obedisti voci meæ, benedicentur in semine tuo omnes gentes.*

R. Dist. ant. Deus Messiam Abrahamo improprie promisit, conc. ant. promisit proprie, nego ant. hoc est, Abrahamus sua obedientia meruit, ut Deus suum de Messia ex illius semine nascituro decretum confirmaret.

4. *Q.* Beata Virgo meruitne aliquo modo, ut esset Dei mater?

R. Nullo modo meruit: quia jam futura erat Dei mater, antequam concipiatur quidquam mereri potuisse: scilicet mereri non potuit, nisi ex meritis Christi futuri, ac proinde de matre nascituri.

Obj. Ecclesia canit, quod Beata Virgo Dominum omnium portare meruerit: ergo, &c.

R. Dist. ant. quod meruerit metaphorice, con. ant. proprie, nego ant. Sensus est quod Beata Virgo, quantum creatura potest, idonea facta est, ut Dei mater esset.

5. *Q.* Estne de fide, quod Incarnatio facta sit ad liberandûm hominem?

R. Est: id enim exprese asseritur in Scripturis: *Venit* (inquit Christus ipse Matthæi 18.) *Filius hominis salvare quod perierat.*

Obj. Christus non liberavit homines: in eis enim magna remanet ad malum propensio: ergo ad eos liberandos non venit.

R. Dist. ant. quantum ad radicem, ex qua peccata nascuntur, conc. ant. concupiscentia enim in hominem ad extremum usque agonem remanet, ita tamen, ut cum auxilio gratiæ superari possit: non liberavit quantum ad peccati culpam, nego ant.

6. *Q.* Si homo non peccasset, Verbum fuisſetne incarnatum?

R. Non fuisset incarnatum. Nam 1. nullibi aut Scriptura, aut Traditio afferunt, quod Verbum fuisset incarnatum, si homo non peccasset: ergo id gratis asseritur a Scotistis. 2. Contrarium, implicite saltem, affirmat Scriptura: nempe quoties de motivo Incarnationis loquitur, non aliud assignat, quam peccatum delendum: unde Christum exhibet semper aut tamquam Legislatorem, aut Pastorem, qui ovem errantem quæsierit, aut tamquam medicum qui consuluerit hominum saluti. 3. Eadem Scriptura ex eo Dei in homines caritatem commendat, quod propter eos incarnatus sit: *Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, convivificavit nos in Christo Jesu, Ephes.* 2. at plurimum minuitur illa Dei in homines caritas, si asseratur, quod venturus fuisset, etiamsi propter nos non venisset. 4 Patres exprese docent, Christum, homine non peccante, non fuisse venturum: *Si* (inquit Irenæus lib. 15. adversus hæreses, cap. 4.) *non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Sic etiam loquitur Aug. serm. 6. de verbis Apostoli: *Nulla caussa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.* Sic etiam Leo Magnus serm. 3. de Pentec. *Si enim homo in sua natura honore mansisset, Creator mundi creatura non fieret.*

7. *Q.* Textus Scripturæ & Patrum, in quibus asseritur, quod Christus, homine non

pre-

peccante, non fuisset venturus, possuntne explicari de solo adventu in carne passibili, ut Scotistæ fingunt?

R. Non possunt. 1. quia Patres numquam asseruerunt Christum, homine non peccante, venturum fuisse in carne impassibili, ut Scotistæ docent. 2. Si ita explicari possent ii textus, falso Patres absolute asseruissent Christum, homine non peccante, non esse venturum: quando enim sunt duo motiva æque præcipua, absolute dici non potest, rem non esse futuram, si propter unum, licet non propter aliud, futura sit.

Obj. 1. Deus voluit Messiæ futuritionem, antequam decerneret hominis futuritionem: juxta illud de Christo, Proverbiorum 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*: ergo, &c.

R. 1. Ea Proverbiorum verba intelligi de Christo, non ut homo est, sed ut est Verbum Patris. 2. Intelligi quoque posse de Christo, ut homo est, sed in ea suppositione dicendum erit voces istas, *Antequam quidquam faceret*, intelligi de rebus quæ ad hominis salutem, non autem ad naturam, pertinent: hoc est, Deus Christi futuritionem decrevit, antequam de hominis lapsi reparatione, quæ est veluti secunda creatio, quidquam decerneret.

Obj. 2. Christus in Epistola ad Colos. c. 1. dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*: ergo fuit futurus ante omnem creaturam.

Resp. 1. Dist. ant. prout est Deus, conc. ant. nempe addit Apostolus; *Quoniam in ipso condita sunt universa*: quæ quidem verba idem significant ac ista alia Joannis cap. 1. *Omnia per ipsum*, Verbum, *facta sunt*.

R. 2. Dicitur, etiam ut est homo, primogenitus dignitate, conc. ant. futuritione, nego ant. 3. Est primogenitus futuritione in iis quæ pertinent ad hominis salutem, conc. ant. in iis quæ pertinent ad hominis naturam, nego ant. Unde Paulus subjicit: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.*

Obj. 3. Christi futuritio decreta fuit, antequam decerneretur, quod ex semine David nasceretur: *Qui* (inquit Apostolus ad Rom. 1.) *factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis*: at si Christi futuritio decreta fuit, antequam decerneretur, quod ex semine David nasceretur, decreta fuit independenter a futuritione peccati: ergo, &c.

R. Ad 1. nego ant. Ad 2. dici 1. potest cum Patribus Græcis, vocem illam *Prædestinatus*, idem esse ac *manifestatus*: unde unus sensus erit, Christi divinitatem fuisse in virtute resurrectionis manifestatam. Dici potest 2. vocem *Prædestinatus* sumi pro prædestinatione proprie sumpta: in ea vero suppositione pronomen *Qui*, intelligitur de Christo prout homo est: sic enim acceptus, ab æterno prædestinatus fuit ad divinam filiationem per futuram cum Verbo unionem.

Obj. 4. Apostolus in Epistola ab Hebræos, asserit Deum per Christum fecisse sæcula: *Per quem fecit & sæcula*: ergo futurus fuit ante sæcula. Nec dici potest eum textum intelligi de Christo ut Verbum est, siquidem intelligi debet de Filio per quem Apostolus paullo ante dixerat, Deum novissime nobis locutum fuisse: ergo, &c.

Resp. Apostolus in Epistola ad Hebræos loqui de Christo, modo ut Deus est, modo vero ut homo. Mirum igitur non est, quod dicat Deum nobis novissime locutum fuisse in Filio carne vestito, & quod per eumdem Filium, sed carne non vestitum, sæcula fecerit.

Obj. 4. Christus ex Apostolo, est hominum & Angelorum caput: sed caput morale futurum est ante illius membra: ergo & Christus futurus fuit ante Adamum & Angelos: ac proinde, Adamo non peccante, venturus fuisset.

R. Dist. maj. Christus est Angelorum caput dignitate, conc. maj. influxu, nego maj. Hoc est, gratia nec Adamo innocenti, nec Angelis data est ex meritis Christi futuri: ac proinde ex Apostoli loco non colligitur, quod ab æterno futurus fuerit ante Adami innocentis & Angelorum futuritionem.

Obj. 6. Christus adumbratus est in nuptiis Adami innocentis cum Eva: juxta illud Apostoli ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc* (matrimonium) *magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*: ergo futurus fuit ante Adami lapsum.

R. Conc. ant. nego conseq. quia cum Adamus iniit cum Eva matrimonium, jam tunc prævisum erat eorum peccatum, & Christus jam erat futurus. Mirum igitur non est, quod illius unio cum Ecclesia, quæ ex hominibus lapsis, tamquam membris constat, Adami nuptiis adumbrata fuerit.

Obj. 7. Ex Tertulliano in lib. de resurrectione carnis, corpus Christi fuit exemplar ad quod exacta est formatio corporis Adami: *Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus*. Sed exemplar est ante id quod ad illud exigitur: ergo, &c.

R. Dist. maj. Corpus Christi jam prædefiniti ex prævisione peccati futuri, fuit exemplar corporis Adami, conc. ant. Corpus Christi non prædefiniti ex prævisione peccati futuri, nego maj. Tertullianus eo in loco carnem hominis quam Marcion contra quem agit, deprimebat, commendare voluit ex eo, quod ad Christi, sed post peccati prævisionem jam prædefiniti, carnem exacta ac formata fuerit.

Obj. 8.

Obj. 8. Summum bonum est perfectissimo modo sui communicativum: ergo & per unionem hypostaticam cum humana natura: cum non sit alius nobilior ac perfectior unionis modus.

R. Dist. ant. Summum bonum est perfectissimo modo sui communicativum, *ad intra* seu per generationem Verbi, & productionem Spiritus sancti, conc. ant. ad extra, nego ant. quia Deus est perfectus & beatus independenter ab operationibus ad extra: ac proinde ab ipsa etiam Incarnatione.

Obj. 9. Si Redemptio generis humani esset adæquatum motivum Incarnationis, sequeretur, nobilius, Christum scilicet, unice ordinatum fuisse ad ignobilius, hominem nimirum redimendum; sed hoc est absurdum: is enim qui agit ordinate, nobilius ad ignobilius referre non debet.

R. Dist. maj. Sequeretur, nobilius ordinatum fuisse ad ignobilius tamquam ad finem *Cui*, conc. maj. tamquam ad finem *Cujus gratia*, nego maj. Incarnatio fuit quidem ordinata ad ignobilius, humani nimirum generis salutem, tamquam ad finem *Cui*, sicut medicus ad ægrotum; non autem tamquam ad finem *Cujus gratia*, quia non fuit ultimus finis quem Deus in Incarnatione sibi proposuit; immo vero medium, quo sibi gloriam extrinsecam compararet, ita tamen, ut eo medio gloriam hujusmodi sibi non fuisset comparaturus, si homo non peccasset.

8. *Q.* Christus venitne tum propter peccatum originale, tum propter actualia?

R. Venit: juxta illud primæ Joannis 1. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*; nec non juxta illud Matthæi cap. 1. *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Præcipue tamen venit propter peccatum originale, quia totum humanum genus infecit.

CAPUT V.

De essentia Incarnationis.

Nota. Essentia Incarnationis posita est (ut dictum fuit superius) in actione per quam natura divina & humana unitæ sunt in una Verbi persona. Hic igitur dicendum est de persona, quæ humanam naturam assumpsit: 2. de natura quæ fuit assumpta: 3. de unione quæ fuit utriusque vinculum.

§. I. *De Persona assumente.*

1. *Quæst.* Sola Verbi persona assumpsitne humanam naturam?

R. Sola assumpsit: tum quia de Verbo tantum, non autem de ceteris personis dicitur, quod carnem induerit: *Verbum caro factum est*, *Joan.* 1. tum quia damnati sunt olim Patropassiani seu Sabelliani, qui cum non distinguerent realiter Patrem a Filio, cogebantur fateri Patrem fuisse Incarnatum, & passum.

Obj. 1. Incarnatio est opus ad extra: ergo communis est singulis personis Sanctissimæ Trinitatis: siquidem opera ad extra toti Trinitati communia sunt.

R. Ad 1. conc. ant. nego conseq. ad 2. dist. ant. opera ad extra quæ oriuntur ex divinis personis tamquam caussa efficiente, sunt communia toti Trinitati, conc. ant. quæ oriuntur a personis tamquam a principio relativo, nego ant. Hoc, non autem illo modo, Incarnatio oritur a Filio: oritur enim a Filio reduplicative ut Filius, ac proinde non potest esse communis toti Trinitati.

Obj. 2. Ex S. Cyrillo, natura divina dicitur incarnata: ergo singulæ personæ humanam naturam assumpserunt; natura nimirum singulis personis communis est.

R. Dist. ant. Natura divina dicitur Incarnata ratione alterius, hoc est ratione personæ Verbi, quæ sola supplet vices subsistentiæ humanitatis, conc. ant. ratione sui præcise, nego ant. quia natura divina per se non est terminus humanitatis: hæc est præcise ut natura est, non supplet vices humanitatis.

2. *Q.* Tres personæ potueruntne simul eamdem naturam assumere?

R. Potuerunt: quia non est potior ratio de una tantum persona, quam de tribus: hoc est, non minus tres simul potuerunt supplere subsistentiam creatam humanitatis, quam una tantum.

Obj. 1. Unus & idem effectus non potest pendere a pluribus caussis totalibus: quia essent totales & non totales; admitterent enim aliarum consortium: ergo, &c.

R. Nego ant. neque enim una caussa desinit esse totalis, cum admittit aliarum consortium, si ipsa totum effectum producat; at revera totum producerent in casu de quo agitur, singulæ personæ Sanctissimæ Trinitatis.

Obj. 2. Una persona non potuit assumere humanitatem propria subsistentia jam terminatam; ergo nec terminatam subsistentiam alicujus personæ divinæ.

R. Conc. ant. nego conseq. quia natura quæ propriam habet subsistentiam est sui juris; ac proinde non potest fieri alterius; alioquin desineret esse proprii juris. E contra vero natura terminata per subsistentiam alienam non est sui juris; & consequenter nihil impedit, quin sub alio titulo fiat iterum juris alterius personæ.

Obj. 3. De natura humana quæ tribus divinis subsistentiis subsisteret, dici posset, quod esset simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus; at id dici non potest; cum dici non possit, quod Pater sit Filius.

Resp. Ad 1. conc. maj. nego min. ad 2. nego paritatem; quia hæc propositio, *Pater est Filius*, facit hunc sensum: persona Filii est per-

persona Patris; ista e contra: *Natura humana est simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, facit hunc sensum: Humana natura simul terminatur tribus subsistentiis, Patris nimirum, Filii, & Spiritus sancti.

Obj. 4. Dici non potest unam naturam humanam esse tres homines: ergo nec dici potest quod tres habere possit subsistentias.

R. Nego ant. quia ut dicantur tres homines, satis est ut sit triplex persona: quia denominatio multiplicationis sumitur ex multiplicatione suppositi, quod a natura distinguatur: hinc S. Thomas colligit, quod si una persona assumeret duas naturas, non diceretur duplex homo, sed unus tantum.

§. II. *De Natura assumpta.*

1. *Qu.* Qualibet natura potuitne assumi a Verbo?

R. Potuit: quia qualibet natura potest spoliari propria subsistentia, & terminari subsistentia divina: unde Corpus Christi mortuum in sepulcro carens propria subsistentia, terminatum fuit per Verbi subsistentiam.

2. *Q.* Quam naturam Verbum assumpsit?

R. Humanam tantum, juxta illud Apostoli ad Hebr. 2. *Non Angelos, sed semen Abrahae apprehendit*. Praeterea eam tantum assumpsit, quam sanavit: at non aliam sanavit, quam humanam. Venit enim Filius hominis salvum facere quod perierat.

Obj. Origenes docuit, Christum aliquando pro Diabolis passurum esse, eosque morte sua redempturum. Id testatur Hieronymus in Epistola ad Avitum.

R. Origenem, si ita sensit, turpiter errasse, nec non in multis aliis capitibus; unde nullius est ponderis argumentum ex illius auctoritate desumptum.

3. *Q.* Cur Verbum Incarnatum noluit Angelos apostatas redimere?

R. In hoc suam erga nos homines caritatem Deus commendavit. Praeterea (ut ait Augustinus tractatu 110. in Joannem) Diabolus auctor fuit peccati, homo vero ejusdem Diaboli fuit imitator tantum.

4. *Q.* Fuitne conveniens, ut Verbum solam humanam naturam assumeret?

R. Fuit. Scilicet par fuit, ut Diabolus in eadem natura vinceretur, quam ipse vicerat. Par fuit, ut natura quae peccaverat, cum Verbo hypostatice conjuncta sanaretur.

5. *Q.* Natura a Verbo assumpta habuitne propriam existentiam?

R. Habuit: quia natura quae non habuisset existentiam, non fuisset ens verum & reale; istud enim differt a nihilo, quod nihilum non habeat existentiam. Praeterea Cyrillus in 1. Orat. adversus Nestorium, docet existentiam carnalem humanitatis Christi initium accepisse in sinu Virginis; *Nec* (ait) *existentia carnalis initium viam alteram* (quam generationem, & nativitatem) *habere possit*: atqui Verbum assumpsit id totum quod in virgine initium habuit; ergo, &c.

Obj. Sophronius in Epistola Synodica quae probata est in Sexta generali Synodo, sic de Christi humanitate loquitur: *In ipso enim* (Verbo) *& non per se ipsam existentiam habuit*. S. Joannes Damascenus lib. 3. cap. 12. docet carnem Christi *extantiam in ipso Verbo habere*: ergo, &c.

R. Ad 1. Dist. ant. Natura humana *non per se ipsam*, hoc est, ante suam unionem cum Verbo, non habuit existentiam, conc. ant. *Non per se ipsam*, hoc est unita Verbo non habuit propriam existentiam, nego ant. Haec enim verba praecedunt ea quae nobis objecta sunt: *Simul enim caro, simul Dei Verbi caro.* Ad 2. dist. etiam ant. Caro Christi extantiam *sibi propriam* habuit in Verbo, conc. ant. *non sibi propriam*, nego ant. Nec enim Damascenus eo loci aliud voluit quam quod Ecclesia contra Nestorium; hoc est, naturam humanam ne momento quidem extitisse ante suam cum Verbo unionem: unde ibidem haec habet Damascenus: *Assumptione carnis, hujus extantiam, & deificationem a Deo Verbo eodem momento fuisse.*

6. *Q.* Verbum assumpsitne personam humanam?

R. Non assumpsit: quia si assumpsisset, humana persona cum divina post unionem remansisset, cum ea, quae Verbum semel assumpsit, numquam dimiserit; atqui non remansit: alioquin enim duae essent in Christo personae etiam post unionem: quod tamen Ecclesia in Nestorio damnavit juxta illud Concilii Chalcedonensis, actione 5. ubi definitur: *Utriusque naturae proprietates salvas manere, & in unam personam, atque unam hypostasim concurrere.* Praeterea si duae in Christo forent personae, admitti non posset idiomatum communicatio; hoc est, dici non posset hominem esse Filium Dei, & vicissim Filium Dei esse hominem: non enim idiomatum communicatio alio principio nititur, quam quod una sit in Christo persona, in qua duae naturae subsistunt.

Obj. 1. Verbum assumpsit humanam substantiam: ergo & subsistentiam; ista enim est de conceptu alterius; nempe substantia definitur: *Ens per se subsistens.*

R. Conc. ant. nego conseq. ad cujus probationem, dist. ant. Substantia definitur ens per se subsistens in exigentia, conc. ant. actu, nego ant. Hinc licet humanitas Christi exigat per se subsistere, (in quo quidem differt ab accidente, quod exigit subsistere in alio tamquam in subjecto cui inhaereat) actu tamen per se non subsistit, sed in Verbo tantum per cujus subsistentiam unice subsistit.

Obj. 2. Natura est manca, & imperfecta, si propriam subsistentiam non habeat: atqui Verbum mancam, & imperfectam naturam non assumpsit: ergo, &c.

R. Dist.

R. Dist. maj. Est manca, & imperfecta accidentaliter, conc. maj. substantialiter, nego maj. siquidem subsistere per se actu, est accidentale substantiæ; exigere vero per se subsistere, est illi essentiale, & in hoc differt ab accidente, quod quidem essentialiter exigit esse in alio.

Obj. 3. Subsistentia & individuum sunt unum & idem: ergo cum Verbum assumpserit individuum humanæ naturæ, assumpsit & illius subsistentiam.

R. Nego ant. quia individuum, prout individuum, non aliud est, quam aliquid singulare; nempe sic acceptum opponitur communi: at id omne quod est singulare, non est persona: quia singulare excludit tantum id quod est commune multis: persona vero excludit præterea conjunctionem cum ente superiore a quo pendeat, & cujus juris proprie sit: quod quidem dici non potest de natura humana, quam Verbum assumpsit: nempe per sui cum Verbo unionem desiit esse proprii juris, & facta est juris alieni, Verbi nimirum.

7. *Q.* Verbum potuitne humanam personam assumere?

R. Non potuit: quia in ea suppositione humana natura proprii juris esset, utpote habens personam propriam; & simul non esset, utpote per hypostasim divinam facta juris alieni.

8. *Q.* Verbum assumpsitne verum corpus, an vero phantasticum tantum?

R. Assumpsit verum. Nam 1. Scripturæ verum Corpus Christo tribuunt: *Corpus meum* (inquit ipse apud Isaiam cap. 50.) *dedi percutientibus*. Ad Hebræos 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*. Joannis 8. Christus se ipsum dicit verum hominem: *Quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis*. Christus post resurrectionem suum corpus discipulis palpandum obtulit. Matthæus cap. 1. Christi genealogiam describit. 2. Ecclesia damnavit Cerdonem, Marcionem, Manichæum, quod contenderent, Christi corpus fuisse phantasticum tantum & apparens, non autem verum & reale. 3. Sequeretur, Christum, nec vere natum, nec vere passum fuisse, nec vere resurrexisse: quæ quidem singula & Scripturæ & Patribus, & sensibus contraria sunt.

Obj. 1. Apostolus ad Philippenses cap. 2. sic de Christo loquitur: *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo:* Sed qui in similitudinem tantum hominis factus est, non assumpsit veram carnem: ergo, &c.

R. Dist. maj. in similitudinem quoad statum in quo sunt homines, seu quoad statum peccati, conc. maj. Scilicet (ut ait Apostolus ad Rom. 8.) *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*. Quoad substantiam, nego ant. est enim verus homo.

Obj. 2. Apostolus secundæ ad Corinth. 5. hæc habet. *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*. Hoc est, licet olim putaverimus Christum habuisse verum corpus, nunc doctiores facti, id non credimus: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Sed nunc jam non novimus secundum carnem, hoc est, non multi facimus carnalem quorumdam consanguinitatem cum Christo, conc. ant. non novimus veram in eo carnem, nego ant. Laudatæ igitur ex Apostolo sententiæ is est sensus: & si cognovimus secundum carnem Christum, hoc est, licet olim pluris fecerimus gentilem & consanguineum esse Christi secundum carnem, nunc jam non novimus, id est, non multi id facimus, nec censemus in hujusmodi re gloriandum esse. Hincque patet Paulum eo loci carpere pseudo Apostolos qui (ut constat ex ejus Epistolis) eo in primis gloriabantur, quod Christo carne & sanguine conjuncti essent.

9. *Q.* Verbum assumpsitne corpus terrenum, an vero cæleste?

R. Terrenum assumpsit: Nam 1. Christus dicitur Filius hominis: 2. Matthæi 1. dicitur natus non *in* Maria, sed *de* Maria: *De qua natus est Jesus*. 3. Genitus est ex semine David. 4. Idem demonstrat Christi genealogia quæ refertur Matth. c. 1.

Obj. Apostolus 1. ad Cor. 15. sic Christum opponit Adamo: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cælo cælestis*: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Secundus homo post resurrectionem, de cælo cælestis, conc. ant. ante resurrectionem, nego ant. Apostolus eo loci opponit Christi corpus quod resurrexit, Adami corpori post peccatum; asseritque quod, cum istud mortale fuerit ac passibile, illud e contra jam sit immortale & impassibile.

10. *Q.* Christi corpus fuitne corpus corruptibile?

R. Fuit ante resurrectionem: nimirum 1. Verbum assumpsit omnes, uno excepto peccato, humanæ vitæ miserias. 2. Christus in suo corpore vere passus est. 3. Ex Apostolo, *Crucifixus est ex infirmitate*.

Obj. 1. Psalmo 15. sic Christus Deum Patrem alloquitur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: ergo David prædixit Christi carnem fore incorruptibilem.

Resp. Dist. conf. Post mortem & in tumulo positam conc. ant. ante mortem, & extra tumulum, nego ant. *Hoc*, seu immunitatem a putredine, (inquit Fulgentius) *non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit*.

Obj. 2. Dionysius Alexandrinus in Epistola quam conscripsit adversus Paulum Samosatenum, illum tamquam hæreticum arguit, quod diceret Christi sanguinem esse corruptibilem: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Post resurrectionem, conc. ant. nempe loquebatur de sanguine qui in

calice

calice post consecrationem continetur: ante resurrectionem, nego ant.

Obj. 3. Christus non ex necessitate, sed ex potestate mortuus est: ergo illius caro non erat corruptibilis.

Resp. Dist. ant. ex potestate quæ inesset Verbo, conc. ant. quæ inesset carni, nego ant. *Principatus enim in Verbo erat* (inquit Augustinus tractatu 47. in Joannem) *ibi potestas erat, quando poneret animam, & quando sumeret.*

11. *Q.* Corpus assumptum a Verbo fuitne sanctum, hoc est, genitum ex puella quæ partum cum virginitate conjunxerit?

R. Fuit. Id enim prædictum fuerat apud Isaiam cap. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Varias ad illum locum Judæorum responsiones vide Institutionum nostrarum tom. 4. confutatas. Id vero quod antea prædictum fuerat, revera postea accidisse testatur Matth. cap. 1. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Idem asseritur Lucæ 1. Hincque factum est, ut omnia fidei Symbola quæ ab Ecclesiæ incunabulis huc usque edita sunt, articulum expresse tradant, quod Christus de Maria Virgine prodierit.

Obj. Paulus ad Galatas 4. Sic de Christo loquitur: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*: atqui *mulier* est nomen feminæ corruptæ: ergo, &c.

Respondet Tertullianus de virginibus velandis cap. 4. vocem *Mulier* significare sexum, non vero conditionem, aut qualitatem sexus: seu, nomen esse quod sumitur pro *femina*, sive sit virgo, sive non sit; id autem probat ex eo quod Eva statim a sua creatione, & antequam a viro cognita fuisset, mulier appellata sit.

12. *Q.* Corpus Christi floruitne venustate formæ?

R. Non floruit: par enim non fuit ut externa pulcritudine mortales ad se alliceret: Ut quid se Christus eo commendasset, quod cuique homini despectui esse debet? Incarnatio est Verbi exinanitio: par igitur fuit ut Christus omnem, quæ ex ore pendet, humanam gloriam abdicaret.

Obj. 1. Hæc Psal. 44. habentur de Christo: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. speciosus forma interna, conc. ant. externa, nego ant. *Hic autem* (ait Chrysostomus in illum locum) *speciosus forma præ filiis hominum, significat gratiam, sapientiam, doctrinam.*

Obj. 2. Hieronymus in Epistola ad Principiam, asserit nonnihil sidereum emicuisse in Christi vultu: ergo, &c.

Resp. Nonnihil sidereum emicuisse in Christi vultu, *aliquando*; cum scilicet discipulos ad se attraxit, cum terrefecit milites, cum quæstuarios ejecit e templo, conc. ant. emicuisse passim & ordinarie, nego ant.

13. *Q.* Corpus Christi fuitne exterius deforme?

R. Non fuit. Nam 1. oris deformitas nusquam a Judæis carnalibus exprobata fuit Christo: 2. Quemadmodum Christus eleganti forma non debuit hominum oculos ad se convertere; ita nec deformi abalienare: scilicet decuit ut eo in capite aurea mediocritas servaretur.

Obj. Isaiæ cap. 44. hæc de Christo leguntur: *Non est species ei neque decor: & vidimus eum & non erat aspectus, & desideravimus eum;* ergo, &c.

R. Isaias loquitur de Christo pendente in patibulo, non autem ante passionem; *Despectus erat & ignobilis,* (inquit Hieronym. in cap. 43. Isaiæ) *quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum, peccata nostra portabat, & loquebatur Patri; Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

14. *Q.* Verbum assumpsitne hominis animam?

R. Assumpsit: Nam 1. Joannis 10. sic loquitur: *Ego pono animam meam,* in passione, *ut iterum sumam eam,* in resurrectione. 2. Damnati sunt Ariani, quod vellent Verbum esse in Christo animæ loco, ut ipsimet Verbo passionem & mortem adscriberent. 3. Verbum id assumpsit quod sanavit. *Cavendum est* (inquit Augustinus in libro de fide & operibus cap. 4.) *ne cum crediderit aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem.* 4. Christus est verus homo: ergo præcipuam hominis partem, seu animam rationalem habuit.

Obj. S. Joannes cap. 1. de Incarnatione loquens, solius corporis meminit: *Verbum* (inquit) *caro factum est*: ergo, &c.

R. Nego conseq. S. Joannes quippe per Synecdochen locutus est, hoc est, partem pro toto sumpsit, eoque tropo usus est, ut Dei in nos caritatem magis commendaret.

15. *Q.* Verbum assumpsitne cum hominis anima humanum intellectum?

R. Assumpsit: intellectus enim est necessaria animæ humanæ proprietas & perfectio: at Verbum assumpsit animam cum proprietatibus & perfectionibus necessariis; alioquin enim mancam & imperfectam animam assumpsisset: quod est absurdum.

16. *Q.* Verbum assumpsitne humanam voluntatem?

R. Assumpsit. Nam 1. Christus ipse suam humanam voluntatem a Patris, ac proinde Verbi, voluntate distinxit: *Non mea* (inquit Lucæ 22.) *sed tua voluntas fiat.* 2. Monothelitæ in sexta generali Synodo tamquam hæretici damnati sunt, quod unam (Verbi nimirum) in Christo voluntatem fuisse contenderent. 3. Imperfecta alioquin & manca fuisset anima quam Verbum assumpsit.

17. *Q.* In Christo fuitne una tantum, an vero

vero duplex operatio, divina nimirum & humana?

R. Non una in Christo, sed duplex fuit operatio. Nam 1. duplex in eo fuit natura: at quælibet natura propriam sibi operationem habet. 2. Patres adversus Eutychem, etiam post unionem in Christo duplicem naturam remansisse probarunt ex duplici operatione, humana nimirum & divina. 3. Nonnullæ fuerunt in Christo operationes quæ divinæ voluntati tribui non possunt: eæ nimirum omnes quibus corpus est occasio, ut tristari, sitire, esurire; nonnullæ etiam quæ tribui non possunt humanæ voluntati, ut sunt excitatio e mortuis, aliaque miracula quæ Christus patravit. Ob id in sexta generali Synodo damnati sunt Monothelitæ, quod unam tantum in Christo operationem admitterent.

Obj. 1. Unum tantum fuit suppositum in Christo Verbi nimirum: ergo & unica tantum operatio, scilicet divina.

R. Nego conseq. Ratio est, quia licet unitas aut multiplicitas operantis sumatur ex unitate aut multiplicitate suppositi; unitas tamen, aut multiplicitas operationis ex eo non petuntur, sed ex unitate aut multiplicitate naturæ, quia a natura sunt formæ per quas agens operatur.

Obj. 2. Caussæ principalis & instrumentalis eadem est & unica operatio: sed humanitas Christi fuit respectu Verbi, caussa instrumentalis: ergo una tantum fuit operatio Christi.

R. 1. Dist. maj. Si caussa principalis & instrumentalis ejusdem sint naturæ, conc. maj. propter eam enim rationem motus qui imprimitur cerebro & manui ad pingendum, est una & eadem actio seu operatio: si sint diversæ naturæ, nego maj. ob id nimirum actio per quam ignis comburit subjectum, non est eadem actio per quam applicatur subjecto.

R. 2. Dist. min. Humanitas Christi fuit caussa instrumentalis Verbi ad operandum hominis salutem, conc. min. Ad actus sibi proprios, nego min. Ita S. Thomas 3. part. q. 19. art. 1.

Obj. 3. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Evangelium Joannis, hæc habet de suscitatione e mortuis filiæ principis Synagogæ: *Eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu carnis vivificando, unam & congenitam per hæc ambo ostendit operationem*: ergo in Christo una tantum fuit operatio.

R. Dist. conseq. Ergo una tantum fuit operatio in patrandis miraculis, conc. conseq. in functionibus naturæ humanæ propriis, ut sunt velle & intelligere, nego conseq. In hoc ultimo capite, non autem in illo, posita fuit Monothelitarum hæresis.

18. *Q.* Quotuplicis generis operationes fuerunt in Christo?

R. Triplicis. Nonnullæ enim fuerunt divinæ, aliæ humanæ, aliæ denique mixtæ. Primæ sunt eæ quæ emanarunt a Christo ut Deus est, ut sunt rerum creatio & conservatio. Secundæ, sunt eæ quæ naturæ humanæ propriæ sunt, ut bibere, flere, velle, intelligere. Tertiæ tandem, sunt eæ in quibus egit utraque natura, ut cum Christus suo contactu curabat ægrotos; in ea nimirum curatione natura divina agebat per suam omnipotentiam, & natura humana per suum contactum. Ita Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Acacium Melitinensem Episcopum.

19. *Q.* Quibus nominibus appellatæ sunt a Patribus *Mixtæ* Christi operationes?

R. A Patribus Græcis vocatæ sunt *Theandricæ*, a Latinis vero *Dei viriles*.

20. *Q.* In quo errarunt Monothelitæ circa operationem Theandricam, aut Deivirilem?

R. In eo quod docuerint operationem Theandricam, aut Deivirilem, unam tantum esse, non multiplicem: hoc est, non esse mixtam ex divina & humana, sed esse mere divinam, seu, solam Verbi voluntatem; ita ut nullo modo hominis voluntas in eam influeret.

Obj. Omnes Christi operationes fuerunt Theandricæ; nam omnes emanarunt ab eadem persona: ergo, &c.

R. Ad 1. Nego ant. Ad 2. dist. ant. Emanarunt ab eadem persona tamquam conferente dignitatem, conc. ant. tamquam caussa efficiente, nego ant. Igitur illæ tantum operationes dicuntur Theandricæ quæ emanarunt a natura divina, & a natura humana tamquam illarum caussis efficientibus.

21. *Q.* Verbum assumpsitne corpus defectibus toti speciei communibus obnoxium?

R. Assumpsit. Hincque colligitur, quod Christi corpus revera corruptibile fuerit, obnoxium motibus qui sunt doloris occasio, eique alterationi ac dissolutioni quæ mortem pariunt.

22. *Q.* Defectus corporei assumpti a Christo fueruntne necessarii?

R. Non fuerunt quoad assumptionem; Verbum enim potuerat assumere corpus illis defectibus non obnoxium. Non fuerunt quoque necessarii quoad actus: humanitas enim Verbo conjuncta poterat impedire, ne actus illi, famis v. g. aut doloris orirentur; sed fuerunt necessarii spectata sola naturali conditione humanitatis assumptæ.

Obj. Hilarius lib. 10. de Trinitate, docet ictibus quidem laceratum fuisse Christi corpus, inde tamen animam nihil doloris sensisse: scilicet animam Christi comparat cum aqua, cum igne, cum aere, quæ telo aliquo pervaduntur: ergo quemadmodum in eo casu nec aqua, nec ignis, nec aer, aliquid doloris sentiunt: ita nec anima Christi ad corporis, cui unita erat, divisionem, aliquem dolorem percepit.

Resp.

Resp. 1. Dist. conseq. Ita nec anima Christi ad corporis divisionem aliquem percepit dolorem eo modo quo nos percipimus, conc. conseq. siquidem nos impedire non possumus, ne ad divisionem corporis anima dolorem percipiat: alio modo, nego conseq. quia Christus poterat impedire, ne anima ad sui corporis divisionem aliquid doloris pateretur.

R. 2. dist. ant. Hilarius negat dolorem habuisse locum in Christo, prout Verbum est, conc. ant. prout homo, nego ant. Ratio solutionis petitur ex scopo quem Hilarius eo loci sibi proponit. Intendit autem solvere argumentum Arianorum, qui ex eo quod fames, sitis, dolor, extiterint in Christo, concludebant Verbum non esse Deum: asserebant nimirum in Christo non fuisse animam, sed Verbum vices illius supplevisse.

23. *Q.* Christus assumpsitne naturales ac innocentes animæ passiones?

R. Assumpsit. Scilicet in anima Christi locum habuerunt motus illi qui naturaliter oriuntur ex alicujus objecti apprehensione. Sic Christus dolorem ad sui corporis divisionem sensit: sic etiam ex apprehensione crucis & mortis, cœpit (ait Lucas) contristari & mœstus esse; sic pariter fuit iratus: *Circumspiciens eos* (Marci 3.) *cum ira:* & ita de ceteris ac similibus motibus.

Obj. 1. Hieronymus in caput 26. Matthæi scribit, Christum nullas passiones expertum fuisse, sed tantum *propassiones*, id est externam passionum similitudinem: ergo, &c.

R. Dist. ant. Christum non expertum fuisse passiones nostris quoad modum similes, conc. ant. neque enim Christus motus aliquos invitus sensit: nostris similes quoad substantiam, nego ant.

Obj. 2. Hilarius in lib. 10. de Trinitate, a Christo timorem mortis quatuor argumentis removet. 1. Quod ipse Christus ab Apostolis omnem mortis timorem abegerit. 2. Quod Christus non fuerit infirmior iis martyribus, quibus mors in votis fuit. 3. Quod mori, aut non mori in illius esset potestate. 4. Quod ipse ceteris (militibus nimirum a quibus comprehensus est) timorem incusserit: ergo, &c.

R. Dist. ant. Timorem mortis qui fuerit involuntarius, ut in nobis, conc. ant. qui fuerit voluntarius, seu quem poterat (quod nos non possumus) cohibere, nego ant. Præterea dici potest, Hilarium loqui de Christo, ut Verbum est: agebat enim (ut supra dictum est) adversus Arianos; non autem de Christo, ut homo est.

Obj. 3. Humanitas Christi a primo suæ conceptionis instanti fuit beata: fruita est enim visione Dei intuitiva: ergo non potuit tristitiæ passionem percipere.

R. Nego conseq. quia Deus, ex œconomia & dispensatione, impediit, quoad caput de quo agitur, effectum beatitudinis, qua Christus secundum essentiam sumpta fruitus est semper.

24. *Q.* Ignorantia fuitne in Christo, prout est homo?

R. Non fuit, quia ex Apostolo, fuit in eo plenitudo omnis scientiæ.

Obj. 1. Apostolus primæ ad Cor. 5. scribit, Christum non *novisse* peccatum. 2. de Christo infante sic Isaias cap. 4. loquitur: *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci*. 3. De Christo dicitur quod nonnumquam miratus sit: sed admiratio ignorantiam arguit? ergo, &c.

R. Ad 1. Apostolum loqui de cognitione experimentali, non autem de cognitione simpliciter sumpta. Ad 2. Eadem est adhibenda responsio. Ad 3. Dist. ant. In Christo fuit admiratio metaphorice sumpta, quia os composuit ad modum mirantis, conc. ant. Admiratio proprie sumpta, quæ nimirum nascitur ex aliquo novo, & insolito, nego ant. Alia argumenta vide iis locis ubi diximus de Christi divinitate.

25. *Q.* Peccatum fuitne in Christo?

R. Non fuit juxta illud ad Hebræos cap. 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato:* necnon & juxta illud ejusdem Epist. cap. 7. *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. Præterea si Christus peccasset, indiguisset Redemptore: quod dictu impium est.

Obj. 1. Psalmo 21. Sic David in Christi persona loquitur: *Longe a salute mea verba delictorum meorum*. 2. Apostolus secundæ ad Corinth. 5. hæc scribit: *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit*: ergo, &c.

Resp. ad 1. Christus aliena delicta vocasse propria, quod propter ea sese Deo Patri fidejussorem exhibuerit.

Resp. ad 2. Peccatum eo loci sumi pro victima peccati: idque juxta Scripturæ morem, quæ sacrificia peccati nomine nonnumquam appellat: *Peccata populi mei comedent*. Oseæ 4.

26. *Q.* Humanitas Christi potuitne peccare? aut fuitne impeccabilis?

R. Non potuit peccare. Nam 1. id expresse asserit Augustinus: *In cujus non tantum divinitate* (inquit lib. 2. de peccatorum meritis cap. 13.) *sed nec in anima, nec in carne ullum potuit esse peccatum*. 2. Potentia peccandi tribui posset Verbo tamquam principio *quod*: nempe denominationes tribuuntur supposito tamquam principio *quod*, quemadmodum illi, propter unionem cum humana natura, mors, fames, sitis, dolor tribuuntur: sed id impium est: ergo &c.

Obj. 1. In Christo fuit principium peccati, hoc est voluntas humana ex nihilo educta; quidquid enim eductum est ex nihilo, est defectibile: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Principium impeditum tum ex visione beatifica, tum ex unione hypostatica, conc. ant. principium non impeditum, nego ant.

Obj. 2. Mors non minus Deo repugnat, quam peccatum: non enim Deus minus est vivens per essentiam, quam sanctus per essentiam: atqui mors non repugnat Deo, prout in humana natura subsistenti: ergo nec potentia peccandi.

R. nego maj. Ratio disparitatis est, quia mors est malum pœnæ, cujus Deus potest esse auctor: peccatum vero est malum culpæ, cujus Deus nec directe, nec indirecte potest auctor esse; cum peccatum sit aliquid essentialiter inordinatum; ac proinde peccatum magis repugnat sanctitati per essentiam, quam mors repugnet vitæ per essentiam in aliena natura subsistenti.

27. *Q.* Unde orta est in Christo impotentia peccandi?

R. Orta est 1. ex visione beatifica qua humanitas Christi fruita est a primo suæ conceptionis instanti: nimirum visio beatifica tollit indifferentiam judicii, hoc est, efficit ne intellectus objectum legi contrarium apprehendat tamquam habens boni speciem, ac proinde efficit ne voluntas illud objectum amare possit; non enim voluntas ferri potest in objectum in quo intellectus nullam boni speciem apprehendere valet. Præterea eadem visio beatifica includit summam caritatis plenitudinem, quæ ita movet ac rapit voluntatem, ut voluntas non possit non amare Deum. Orta est 2. ex unione hypostatica; ita enim docuerunt Patres: *Nisi Christus esset Deus Verbum* (inquit Dionysius Alexandrinus in sua contra Paulum Samosatenum Epistola) *non poterat a peccato immunis esse*. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. in Joannem, agens de his Christi Verbis: *Quis ex vobis arguet me de peccato*, seu, quærens caussam cur Christus peccare non potuerit, caussam illam refert in unionem hypostaticam: *Quod* (inquit) *prorsus fieri nequeat, ut in peccatum incidat, qui ex Deo prodiit Deus verus*. Hæc etiam habet Hilarius lib. 10. de Trinitate: *Non est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est.* Idem docet Augustinus in libro de corrept. & gratia cap. 12. *Cum* (ait) *ista susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepta nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.*

Obj. Persona Verbi nihil prorsus immutavit in potentiis humanæ naturæ: ergo, cum humanitas Christi (seclusa unione) peccare potuerit, ita & cum unione hypostatica.

R. Dist. ant. Nihil immutavit physice, conc. ant. moraliter, nego ant. Nimirum persona Verbi, humanitati conjuncta, exigit ut Deus ita regat, moveat, ac determinet humanam Christi voluntatem, ut a bono deflectere non possit: unde licet non sit caussa proxime efficiens, quatenus est persona, impeccabilitatis humanæ naturæ in Christo, est tamen radix quæ exigit illam impeccabilitatem.

§. III. *De Unione.*

Nota. In Unione quæ inter personam Verbi, & humanam naturam intercedit, perpendi possunt Essentia, Proprietates, & Consequentia: de iis igitur est hic specialiter agendum.

De Essentia Unionis.

1. *Qu.* Unio Verbi cum humanitate estne idem cum productione humanitatis Christi?

R. Non est idem: quia unio illa supponit, in prioritate naturæ, humanitatem jam productam; vinculum enim duorum supponit duo jam producta, ut patet in unione quæ corpus cum anima conjungit.

Obj. 1. Humanitas Christi ipsa unione, seu assumptione creata fuit: *Natura nostra* (inquit Leo Magnus Epist. 11.) *non sic assumpta est, ut prius creata, postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur*: ergo, &c.

R. Ad 1. Nego ant. Ad 2. dist. ant. Ut prius prioritate temporis (quod volebat Nestorius) creata, postea assumeretur, conc. ant. Prius prioritate naturæ, nego ant.

Obj. 2. Creatio humanitatis Christi, & ejus Unio cum Verbo, eumdem habuerunt terminum, subsistentiam nimirum divinam: ergo sunt unum & idem.

R. Nego ant. Creatio enim habuit pro termino existentiam, quæ (ut superius dictum est) a subsistentia in Christo distinguitur: existentia enim abstrahit a termino qui aut in se, aut in alio subsistat.

2. *Q.* Unio Verbi cum humanitate estne modus realiter ab extremis distinctus?

R. Non est: nam vel ille modus esset quid creatum, vel increatum. Si primum, non redderet humanam naturam cum Verbo proportionatam, nec posset in Verbo recipi. Si secundum, non magis posset in humanitate recipi, quam ipsa increata subsistentia Verbi.

Obj. 1. Humanitas Christi mutata fuit per suam cum Verbo unionem: ergo aliquid intrinsecum recipit; illud autem non aliud est quam modus ab extremis distinctus: ergo, &c.

R. Humanitas intrinsece mutata est per immediatam receptionem subsistentiæ Verbi; ac proinde non fuit modus necessarius ad efficiendum eam intrinsecam humanitatis mutationem.

Obj. 2. Humanitas unita Verbo est aliquid reale

reale de novo positum in rerum natura: ergo est aliquid ab extremis distinctum.

R. Nego conseq. illud enim de novo positum, est ipsamet Verbi subsistentia, prout per se & immediate humanitati conjungitur: quia sic conjuncta reddit humanitatem alteri supposito incommunicabilem, eamque in ratione naturæ subsistentis constituit.

3. *Q*. Estne aliquod discrimen inter Unionem, Unitionem, Incarnationem, Assumptionem, & Terminationem?

R. Differunt. Nam 1. Unio est vinculum extrema conjungens; Unitio vero est actio ex qua unio resultat tamquam terminus, 2. Incarnatio effective sumpta, est idem cum Unitione, accepta vero formaliter, est idem cum Unione. 3. Assumptio, quæ est quasi ad se, seu, ad esse proprium sumptio, differt ab Incarnatione, quod Incarnatio in suo primario conceptu dicat relationem ad humanam naturam; Assumptio vero relationem humanæ naturæ ad Verbum. Tandem 4. Terminatio est effectus formalis subsistentiæ Verbi: ex illa enim subsistentia resultat terminatio, seu incommunicabilitas humanæ naturæ. Hinc vero patet unitionem esse communem singulis personis Sanctissimæ Trinitatis, Unionem e contra, propriam esse Verbo ut Verbum est; sicut Assumptio & Terminatio.

4. *Q*. In quo positive consistit Unio hypostatica Verbi cum humanitate?

R. In sola communicatione esse divini facta humanitati. Scilicet posita illa sola communicatione intelligitur, quomodo natura humana non sit persona humana, sed divina: siquidem ratio propriæ personæ posita est in eo quod natura aliqua sit juris proprii, non alieni: quod se ipsam regat, ac gubernet; atqui per realem communicationem esse divini recte intelligitur, quomodo natura humana non sit juris proprii, sed alieni: quomodo a se ipsa regi ac gubernari non possit. Nempe quoties natura inferior accedit ad superiorem, tunc inferior desinit esse juris proprii; natura inferior regitur, ac gubernatur a superiore. Id videre est in corpore humano respectu animæ rationalis: nam ideo corpus hominis non est persona quæ sit distincta a persona animæ; quod per modum naturæ inferioris accedat ad animam, quæ est natura superior: quod non a se ipso, sed ab anima moveatur ac gubernetur, animæque tribuantur omnia quæ fiunt a corpore. Ita ratiocinatur Cyrillus Alexandrinus in Scholiis pag. 782. Ita etiam Augustinus tractatu 19. in Joannem.

De proprietatibus Unionis.

1. *Quæst.* Unio verbi cum humana natura estne physica ac substantialis an vero moralis tantum?

R. Nestorius anno 418. ad Episcopatum Constantinopolitanum evectus, docuit unionem de qua est quæstio esse moralem tantum, non autem physicam & substantialem.

Ex eo autem principio collegit 1. Verbum non alia secundum speciem ratione, licet diversa secundum gradum, humanitatem inhabitasse, quam ea, qua homines justos cum aliis Sanctissimæ Trinitatis personis inhabitare.

Collegit 2. duplicem esse in Christo personam, inhabitatam quidem, seu humanam; & inhabitantem, seu divinam.

Collegit 3. Mariam Virginem non esse *Theotocon*, sed tantum *Christotocon*, idest, non *Deiparam*, sed *Christiparam*: quod nempe non Deum genuerit, sed merum hominem, qui sua eximia virtute postea meruit tam singularem auctoritatis & gratiæ conjunctionem, ut Deus appellatus sit.

Collegit 4. admitti non debere realem ac veram idiomatum communicationem; seu contendit veras non esse propositiones in quibus personæ Verbi tribuuntur, quæ humanæ naturæ conveniunt; aut eas in quibus, quæ personæ Verbi propria sunt, humanæ naturæ adscribuntur: proindeque hasce propositiones. *Deus mortuus est*; *Homo est immortalis*; *Deus est bimestris, aut trimestris*: *Homo est æternus*, impias esse censuit.

2. *Q*. Quibus argumentis demonstrari potest unionem Verbi cum humana natura esse non moralem tantum, sed physicam, & substantialem?

R. Iis omnibus quibus in tractatu de Trinitate demonstratum fuit Christum esse physice vere, ac substantialiter Deum, eique latriæ cultum deberi qui soli Deo exhiberi potest. Non enim Christus potest esse physice, vere ac substantialiter Deus, si inter Verbum & humanitatem non alia sit, quam moralis unio. Utitur illo argumento Cyrillus in Epistola ad Cælestinum Papam: *Atqui* (ait) *quomodo non magis oportuit illud pro certo habere, cum omnes per terrarum orbem sparsi ortodoxi Episcopi, & laici Christum Deum, Virginem vero quæ illum genuit Deiparam esse confiteantur?*

3. *Q*. Unio Verbi cum humanitate fuitne Universalis?

R. Fuit Universalis: quia Verbum non mancam & imperfectam, sed totam, ac integram humanitatem vel mediate, vel immediate assumpsit.

4. *Q*. Quænam humanæ naturæ partes *immediate* assumptæ fuerunt a Verbo?

R. Corpus, Anima, potentiæ animæ, intellectus scilicet & voluntas. Ratio est, quia omnes illæ partes sunt essentiales humanitati, aut ex essentia humanitatis proxime & necessario sequuntur.

5. *Q*. Verbum assumpsitne *immediate* sanguinem?

R. Assumpsit immediate: quia sanguis est

pars

pars integrans corporis? ita ut corpus non sit integrum sine sanguine. Et sane 1. Levitici 17. *Anima* (animalis) *in sanguine est.* 2. Medium est quo anima omnes vitales operationes exercet. 3. Connexionem habet necessariam cum corpore: ea nimirum de caussa Concilium Tridentinum Sess. 3. cap. 3. definiit Christi sanguinem esse *per concomitantiam* sub speciebus panis consecrati, & vicissim corpus sub speciebus vini. 4. Verbum eo modo sanguinem assumpsit quo carnem. *Quia* (ait Apostolus ad Hebræos 2.) *pueri communicaverunt carni & sanguini: & ipse similiter participavit eisdem.* 5. Christi sanguis per se, & solum ratione corporis in quo continetur, pretii est infiniti, *In quo* (ait Apost. ad Eph. 1.) *habemus redemptionem per sanguinem ejus:* Unde Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus*, asserit unam sanguinis Christi guttulam fuisse sufficiens redemptionis nostræ pretium.

6. *Q.* Verbum assumpsitne *immediate* partes quæ ad corporis ornatum pertinent?

R. Probabile est eas partes *immediate* a Verbo fuisse assumptas: eo quod ad meliorem corporis statum pertineant, ut videre est in capillis, unguibus, & aliis hujusmodi. Jam vero quod spectat ad sudores, lacrimas, aliasque excrementitias partes, dicendum est eas non pertinere aut ad ornatum, aut ad meliorem corporis statum: ac proinde immediate cum Verbo unitæ non fuerunt: unde non alium cultum quam relativum (si quæ in terris supersunt) merentur.

7. *Q.* Unio Verbi cum humanitate fuitne indissolubilis?

R. Fuit. Nam (ut docent Scholastici post sanctum Joannem Damascenum) *Quod semel Verbum assumpsit, numquam dimisit.* Hinc dicitur in Symbolis, quod Dei Filius ad inferos descenderit, quod anima Verbo unita remanserit; hinc etiam dicitur, quod idem Dei Filius sepultus fuerit, quia Verbum remansit unitum corpori quod jacuit in sepulcro.

Obj. In terris remanserunt, & nunc etiam servantur guttulæ sanguinis in lancea, in sudario, in corona spinea: & tamen cum illis guttulis Verbum non remansit unitum.

R. Axioma Theologicum quod mox laudatum est intelligi de iis tantum partibus quæ cum Christi corpore in resurrectione iterum conjungendæ erant, non autem de aliis.

8. *Q.* Verbum in triduo mortis remansitne unitum sanguini qui ex Christi corpore in Passione fusus est?

R. Quæstio illa ad fidem non pertinet: scilicet Pius Papa II. difficultatem illam inter Dominicanos & Franciscanos circa annum 1462. motam sic solvit, ut utrisque prohibuerit, ne ob id sibi invicem aliquam Theologicam notam inurerent.

De consequentibus Unionem.

1. *Quæst.* Ex unione substantiali Verbi cum humana natura sequiturne in Christo naturarum confusio?

R. Eutyches circa medium sæculum quintum Constantinopoli Abbas, docuit ante unionem duas fuisse in Christo naturas realiter distinctas; sed post unionem unam tantum coaluisse ex intima utriusque commixtione. Non alia ratione existimavit propugnari posse definitionem Concilii Ephesini I. quod quidem contra Nestorium definierat, unam tantum esse in Christo personam. Addidit tam intimam fuisse utriusque naturæ unionem, ut divina absorpserit humanam.

2. *Q.* Potestne demonstrari duplicem in Christo naturam, etiam post unionem, remansisse?

R. Potest. Nam 1. in Christo esse divinam naturam demonstratur iis omnibus argumentis, quibus in Tractatu de Trinitate probavimus Christum esse Deum. 2. Esse pariter humanam naturam demonstratur iis rationibus, quibus superius ostensum est, non phantasticum, sed verum corpus humanum in Christo fuisse, necnon animam rationalem, easque facultates quæ ex ipsa naturaliter sequuntur, intellectum scil. & voluntatem. 3. Utramque naturam, post unionem in Christo remansisse demonstrant hæc Apostoli verba ad Rom. 1. *De Filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* 4. Huc referri debent ea quæ Scripturæ docent, Christum esse simul Deum & hominem. Tandem 5. si humana natura in Christo post unionem non remanserit, dici non potest quod Christus vere passus sit, quod vere sit mortuus, quod vere fuerit sepultus: scilicet eæ propositiones veritatem non habent in Verbo, nisi in quantum in natura humana realiter subsistit.

Obj. 1. Ex Cyrillo in Epistola 1. ad Successum, *Post unitionem una est Verbi Dei Incarnata natura*; ergo, &c.

R. 1. Eo loci nomine *natura* intelligitur *hypostasis*, seu *persona*; Cyrillus enim agebat contra Nestorium qui duas personas admittebat in Christo.

Resp. 2. Dist. ant. Verbi Dei Incarnata natura, una est unitate suppositi, conc. ant. Unitate substantiæ, nego ant.

Obj. 2. Cyrillus in Epistola 1. ad Successum docet, duas naturas post unitionem *sola mentis consideratione distingui*: ergo, &c.

R. Dist. ant. Sola mentis consideratione distingui *quoad separationem*, conc. ant. *quoad entitatem & substantiam*, nego ant. scilicet in exemplum distinctionis de qua agit, Cyrillus profert unionem animæ cum corpore, quæ licet distincta sint, non sunt tamen separata.

Obj. 3. Augustinus in Epistola ad Volusianum scribit Christum esse *mixturam Dei & hominis*: ergo una tantum in eo est natura quæ ex illa mixtione resultaverit.

R. Nego conf. quia ea mixtio facta non est per mutationem unius naturæ in aliam, sed tantum per unionem, ratione cujus unionis homo quoque dici potest mixtura corporis & animæ.

Obj. 4. Justinus in Apologia secunda scribit, Verbum factum fuisse carnem eo modo quo panis in Eucharistia fit Christi corpus: ergo per conversionem unius naturæ in aliam: cum panis in Eucharistia vere convertatur in Christi corpus.

Resp. Dist. ant. Eo modo secundum aliquid, conc. ant. secundum omnia, nego ant. In eo valet allata a Justino comparatio, quod sicut Verbum per Incarnationem *realiter* factum est caro: ita panis in Eucharistia fit realiter Corpus Christi per conversionem.

3. *Q.* Ex unione substantiali Verbi cum humana natura sequiturne Idiomatum communicatio?

R. Sequitur. Nam 1. quemadmodum unio corporis cum anima efficit ut inter corpus & animam admittatur idiomatum communicatio: ita & idem præstat unio Verbi cum humana natura: est enim ex S. Cyrillo, & ex S. Augustino, similis unioni quæ inter corpus & animam reperitur. 2. Scriptura docet, Deum suo sanguine sibi Ecclesiam adquisivisse; Deum animam pro nobis posuisse; Filium hominis de cælo descendisse. 3. Concilium Ephesinum I. damnavit Nestorium; quod eam, de qua agitur, Idiomatum communicationem nollet admittere; contendens eam habere locum inter ea quæ physice sunt unita, non autem inter ea quæ moraliter tantum conjuncta sunt, ut putabat Verbum cum homine unitum fuisse.

Obj. Felix Papa II. damnavit hanc propositionem, *Unus de Trinitate passus est*: quæ tamen est vera, si admittenda sit idiomatum communicatio: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Damnavit in sensu Eutychianorum, qui negantes humanam naturam in Christo remansisse, passionem ipsimet Verbo adscribebant, conc. ant. In sensu obvio, seu quem verba præ se ferunt, hoc est, in quantum significat unam Trinitatis personam in carne passam fuisse, nego ant. Scilicet Joannes Papa III. in Epistola ad Avitum, docet Catholicæ regulæ consentaneum esse, sive dicatur, *Unum de Trinitate passum esse*; sive, *Unam de Trinitate personam passam esse*.

Cum vero postea Monachi Scythæ contenderent, sine additione hujus propositionis, definitionem Synodi Chalcedonensis adversus Eutychem, esse mancam ac imperfectam, Hormisdas Papa in Epistola ad Possessorem, eamdem, in sensu illorum Monachorum, propositionem damnavit.

4. *Q.* Communicatio idiomatum in Christo estne realis, an vero metaphorica tantum?

R. Est realis: damnatus est enim Nestorius, quod vellet eam communicationem esse tantum metaphoricam.

5. *Q.* Quibus principiis nititur idiomatum communicatio?

R. Nititur 1. Unitate hypostasis quæ in Christo reperitur. Nititur 2. altero principio quod sequitur ex hypostasis unitate: nimirum humanitas ratione unionis hypostaticæ facta est humanitas propria Verbi. Nititur 3. immutatione naturæ in alteram naturam.

6. *Q.* Ex unione substantiali Verbi cum humanitate sequiturne personam Christi esse compositam?

R. Sequitur: 1. quia ex illa unione sequitur personam Christi subsistere physice & realiter in duabus naturis. 2. Patres Quintæ Synodi generalis dicunt Christi *unam esse substantiam compositam*. Eodem modo loquuntur Patres Sextæ generalis Synodi: *unam ejus* (inquiunt Act. 11.) *subsistentiam compositam dicimus*. 3. Se habet persona in Christo, sicut truncus cui duæ arboris species insertæ sunt: ergo quemadmodum truncus ille recte dicitur compositus; ita & persona Christi in qua duæ naturæ subsistunt. 4. Id in quo duo extrema uniuntur, dicitur compositum: sed duo extrema uniuntur in persona Christi, humana nimirum & divina natura: ergo, &c.

Obj. 1. In suppositione, de qua agitur, natura divina & natura humana essent partes quæ constituerent personam Christi: quod est falsum: nam alioquin sequeretur personam Christi esse perfectiorem natura divina: quia totum est perfectius parte: ergo, &c.

R. Neg. ant. Se habent enim per modum termini tantum: unde numerum faciunt, non partes: *Christus una persona est gemina substantia* (inquit Aug. lib. 3. contra Maximin. c. 11.) *Quia Deus & homo est: nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest*.

Obj. 2. Componentia etiam per modum numeri sunt priora composito, quod ex eis resultat: atqui natura divina non est prior persona Christi; ergo persona Christi non est composita.

R. Nego min. Ratio est, quia persona Christi non est persona Verbi simpliciter & absolute sumpta, sed est persona Verbi reduplicative prout terminat humanam naturam: at natura divina est prior persona Verbi reduplicative prout terminante naturam humanam.

Obj. 2. Admitti non debent istæ propositiones: *Persona Verbi est composita*: ergo nec ista alia, *persona Christi est composita*: Siquidem persona Christi est idem cum persona Verbi.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis

tatis est, quia in ista propositione, *Persona Verbi est composita*: nomen hoc, *persona*, absolute ac simpliciter sumitur: e contra in hac alia, *persona Christi*, &c. vox *persona* sumitur (ut loquitur Concilium Chalcedonense) prout *in duabus naturis* existens: ac proinde est in Christo, non autem in se ac simpliciter, composita.

Obj. 4. Hæc propositio: *Duæ naturæ, divinitas & humanitas, sunt unus Christus*, non est vera: scilicet in Concilio Constantiensi Sess. 15. cum aliis Joannis Hus articulis damnata fuit: ergo nec ista, *Persona Christi est composita*, est vera.

R. 1. Nego ant. ad cujus probationem disting. ant. Damnata est in sensu Joannis Hus qui post Wiclefum eam sumebat in sensu diviso, conc. ant. in se, & absolute sumpta, seu in sensu composito, nego ant. Hæretica est quatenus facit sensum divisum, hoc est prout significat, divinitatem & humanitatem divisim sumptas, esse unum Christum; sana est e contra & vera, prout significat divinitatem & humanitatem hypostatice conjunctas, esse unum Christum. Ita non pauci Theologi ratiocinantur.

R. 2. Concesso antecedente, nego conseq. Ratio est, quia Christus est aliquid aliud præter divinitatem & humanitatem: est enim præterea divinitas & humanitas prout in persona Verbi subsistentes, juxta illud Augustini tractatu 78. in Joannem: *Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri; humanam vero, qua major est Patre: utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus.*

CAPUT VI.

De Termino Incarnationis.

Nota. Terminus Incarnationis est id quod resultat ex Incarnatione: id autem quod ex ea resultat est compositum illud quod Christus vocatur, quodque constat ex duabus naturis in una Verbi persona subsistentibus: In Christo autem perpendi possunt: Scientia, Sanctitas, Libertas, Meritum, Subjectio, Adoptio, Prædestinatio, Dignitas Capitis, Sacerdotis, Regis, Redemptoris, Mediatoris, Oratio ab eo fusa, & tandem Adoratio ipsi debita.

§. I. *De Scientia Christi.*

1. *Q.* Fuitne in Christo scientia creata?

R. Fuit: quia natura humana in Christo fuit natura perfecta, ac proinde natura quæ omnibus naturalibus dotibus prædita fuerit.

2. *Q.* Quotuplex fuit in Christo scientia creata?

R. Triplex, Infusa, Creata, & Adquisita.

3. *Q.* Quomodo ex Scientiæ species definiuntur?

R. Scientia infusa est ea quæ humanitati Christi indita fuit divinitus, absque ullo humanitatis actu. Beata definitur ea quam humanitas Christi habuit ex vi intuitivæ Dei visionis. Adquisita tandem est ea quam humanitas Christi propriis actibus comparavit.

4. *Q.* Quo argumento probari potest fuisse in humanitate Christi scientiam infusam?

R. Probari potest ex eo quod illius humanitas statim instructa fuerit donis omnibus; fuit enim perfecta humanitas: at inter ea dona est scientia, non quidem adquisita, cum fuerit in humanitate Christi a primo suæ conceptionis instanti; ergo fuit ipsi a Deo infusa.

5. *Q.* Quibus argumentis probari potest, Scientiam Beatam in Christo fuisse?

R. Probari potest ex eo quod humanitas Christi fruita sit intuitiva Dei visione: ergo habuit scientiam Beatam, quæ est ejusdem visionis effectus.

6. *Q.* Potestne demonstrari humanitatem Christi a primo suæ conceptionis instanti fruitam esse visione Dei intuitiva?

R. Potest. Nam 1. sic ipse Christus loquitur Joannis 3. *Si dixero, quoniam non novi eum* (Patrem) *ero similis vobis mendax; sed scio eum, & sermonem ejus servo.* Scire & nosse Patrem est eum intuitive videre: qui enim intuitive non videt, credit, nec novit, nec scit: atqui Christus, ut homo erat, sciebat & noverat Patrem: nam is, qui noverat & sciebat Patrem, est is qui dicebat: *sermonem ejus servo*: sed qui servabat sermonem Patris, seu qui obediebat præceptis Patris, erat Christus ut homo est; ergo, &c. 2. Idem docet Augustinus in libro de Octoginta tribus quæstionibus, quæstione 65. ubi scribit, quod inter Christum & nos illud sit discrimen, quod cum ille Deum ante mortem intuitive viderit, nos e contra non simus eum nisi post mortem visuri. 3. Idem docet Eusebius Cæsariensis in libro 10. de Demonstratione Evangelica. 4. Idem fuit semper Catholicorum omnium sensus: hincque concluditur Ecclesiam caput illud habere ex Apostolorum traditione. Unde erronea foret sententia qua contrarium assereretur.

7. *Q.* Quo argumento probari potest scientiam *Adquisitam* fuisse in humanitate Christi?

R. Isto. Christus sæpius elicuit actus intellectus circa res quæ sunt ordinis naturalis; multa quoque per actionem sensuum expertus est: ergo rerum illarum habuit scientiam adquisitam; de ea intelligi possunt hæc verba Lucæ 2. *Et Jesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines.*

8. *Q.* Quodnam fuit objectum scientiæ *Infusæ* Christo? hoc est quænam sunt res quas humanitas Christi cognovit per scientiam infusam?

R. Cognovit res omnes necessarias, species omnium entium existentium, artes omnes, cunctas cujuscumque generis disciplinas; scilicet rerum illarum cognitio confert ad humanitatis assumptæ perfectionem.

9. Q. Quænam sunt quæ humanitas Christi cognovit per scientiam Beatam?

R. Existentia omnia, in quacumque temporis differentia concipiantur; quia beati in Deo quem vident, cognoscunt ea omnia quæ ad illorum statum pertinent; at cognitio omnium existentium ad Christi statum pertinet; scilicet a Patre constitutus est rerum omnium Dominus, Angelorum & hominum judex.

Obj. Humanitas Christi non cognovit tempus quo futura est extrema judicii dies; *De die autem illa vel hora* (inquit ipse Marci 13.) *nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius hominis, nisi Pater*; ergo Christus per scientiam beatam non cognovit omnia existentia in quacumque differentia temporis, quamvis ad illius statum, ut tempus extremæ judicii diei, pertinerent.

Resp. Dist. ant. Non cognovit, improprie ac metaphorice loquendo, conc. ant. proprie & non metaphorice loquendo, nego ant. Humanitas Christi (metaphorice loquendo) dicitur nescivisse tempus extremæ judicii diei, eo quod Apostolos non fecerit illius scientes; Unde sententiæ ex Marco laudatæ is est sensus; *Nemo scit, neque Filius hominis*, sed *ea scientia quæ aliis communicari debeat*, nec enim quidquam a Filio manifestari debuit Apostolis præter id quod Filius manifestandum a Patre didicerat.

Nec inde sequitur quod (ut volunt nonnulli Scriptores) Christus ea loquendi ratione usus est restrictione mentali. Siquidem Apostoli jam sæpius observaverant, Christum sæpius adhibuisse similem metaphoricum loquendi modum; unde facile supplebant id quod in sententia de qua agitur subintelligebatur. Nempe Joannis 15. in his Christi vocibus: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo*, suppleverant vocem, *Manifestanda*: In his aliis de Spiritu sancto cap. 16. *Quæcumque audiet loquetur*, suppleverant quoque vocem *Manifestanda*; ita sic eam Christi sententiam intellexerint; *Quæcumque manifestanda audiet, loquetur*.

§. II. *De Sanctitate Christi*.

1. Q. Fuitne in humanitate Christi vera Sanctitas?

R. Fuit; juxta illud Lucæ 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*.

2. Q. Quotuplex fuit Sanctitas in humanitate Christi?

R. Duplex, Substantialis nimirum, & Accidentalis.

3. Q. Unde oriebatur substantialis Sanctitas humanitatis Christi?

R. Ex substantiali, seu hypostatica illius unione cum persona Verbi; Nam 1. per eam unionem Christus factus fuit Filius Dei; 2. Per eamdem unionem uncta fuit substantialiter humanitas Christi; at unctio in Scripturis pro Sanctitate sumitur, juxta illud Augustini in caput 2. Epist. 1. Joannis; *Unctio invisibilis, Spiritus sanctus; Unctio invisibilis caritas illa est, quæ in quocumque fuerit, tamquam radix illi erit; quamvis ardente sole arescere non potest*.

4. Q. Unde oriebatur accidentalis Sanctitas humanitatis Christi?

R. Ex caritate habituali illi infusa in primo suæ conceptionis instanti, & ex caritate actuali qua semper & sine interruptione in Deum movebatur. Ea vero caritas dicitur Sanctitas accidentalis, quia distincta erat realiter tum a persona Verbi, tum ab humanitate in qua tamquam in subjecto recepta erat.

Obj. 1. Sanctitas accidentalis reddit subjectum in quo est, Filium adoptivum; at id Christo etiam ut homo est, non convenit; ergo, &c.

R. Dist. maj. Si subjectum in quo recipitur, sit capax filiationis adoptivæ, conc. ant. si non sit illius capax, ut revera capax non est Christus etiam ut homo est, quia nimirum est Filius naturalis, nego ant.

Obj. 2. Sanctitas accidentalis eminenter continetur in substantiali, quam Christus habet; ergo post unionem hypostaticam est inutilis.

R. Conc. ant. nego conseq. Quia confert ut humanitas Christi compleatur ad agendum modo connaturali, per principium nimirum sibi ad actus supernaturales proportionatum.

Obj. 3. Sanctitas accidentalis non est infinita; ergo inutilis fuit in Christo ad exhibendam Patri satisfactionem infinitam.

R. Conc. ant. nego conseq. Quia infinitum Christi meritum non petitur ex Sanctitate accidentali in se sumpta, sed prout est in operante qui propter unionem hypostaticam cum Verbo dignitatis est infinitæ.

5. Q. De qua Sanctitate, Substantiali, an Accidentali, debet intelligi plenitudo gratiæ quæ (dicente Sciptura) reperitur in Christo?

R. Intelligitur de utraque: & quidem 1. de substantiali, quæ cum sit idem cum persona Verbi humanitatem sanctificante, est omnino infinita: 2. de accidentali: quæ quidem ideo plenitudo gratiæ dicitur, quod totam expleat humanitatis capacitatem.

6. Q. Plenitudo Sanctitatis & gratiæ fuitne necessario in Christo?

R. Fuit: & quidem 1. quia Christus est naturalis Dei Filius: 2. quia caput est totius Sanctitatis quæ in fidelibus, qui sunt illius membra, reperitur: 3. quia Sacerdos est & me-

mediator; *Talis enim* (ait Apostolus ad Hebræos 7.) *decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.*

§. III. *De Libertate Christi.*

1. *Q.* Libertas fuitne in humanitate Christi?

R. Fuit; 1. quia libertas est naturalis perfectio humanitatis; 2. Libertas requiritur ad merendum & ad satisfaciendum; quod quidem præstitit humanitas Christi.

2. *Q.* Quotuplex fuit libertas in humanitate Christi?

R. Duplex. Libertas nimirum *voluntatis*, & libertas *arbitrii*. Prima est ea per quam humanitas Christi quædam voluit, quæ tamen non poterat non velle. Altera est, per quam voluit quæ poterat non velle.

3. *Q.* Libertas quæ dicitur *arbitrii* fuitne in humanitate Christi ad Deum amandum?

R. Non fuit; quia non potuit non amare Deum; non potuit autem non amare Deum, quia in privatione aut negatione amoris Dei, intellectus Christi non apprehendit aliquod bonum, etiam apparens; voluntas vero non potest ferri in objectum, in quo intellectus non apprehendit aliquod bonum, saltem apparens.

Obj. Humanitas Christi meruit per actus caritatis in Deum; ergo illorum respectu fuit libera libertate arbitrii.

R. Dist. ant. Meruit per actus caritatis in Deum prout ad creaturas terminatos, conc. ant. prout ad ipsum Deum terminatos, nego ant. caritas in Deum fuit quidem in humanitate Christi principium meriti; sed per eam non meruit, nisi inquantum caritatis actus ad hominum salutem retulit, aut inquantum fuit principium quod eum movit ad exercitium aliarum a caritate virtutum; istas enim, non autem illam pro libito omittere potuit; quia non sunt ultimus finis, sed tantum media ad finem: libertas vero arbitrii non versatur circa finem ultimum, sed tantum circa media quæ sunt ad finem: unde a S. Thoma definitur: *Electio mediorum servato ordine finis.*

4. *Q.* Humanitas Christi fuitne libera libertate arbitrii circa mortem sibi a Patre absolute præceptam?

R. Fuit, quia mors non est finis ultimus, sed medium ad ultimum finem: at libertas arbitrii reperitur in omnibus quæ sunt ad finem. Ita passim Thomistæ respondent.

Obj. Humanitas Christi non potuit non subire mortem sibi a Patre absolute præceptam; ergo circa eam non fuit libera libertate arbitrii. Probat. ant. Si Christus potuisset non subire mortem, potuisset non obedire præcepto Patris: at non potuit non obedire, alioquin peccare potuisset, quia omissio mortis præceptæ est peccatum; ergo, &c.

Respondent Thomistæ ad 1. nego ant. ad 2. dist. maj. Si potuisset non subire mortem in sensu composito, potuisset non obedire præcepto Patris, conc. maj. Si autem in sensu diviso, nego maj. Humanitas Christi non potuit, propter rationem allatam, non subire mortem in sensu composito; hoc est, non subire mortem reduplicative ut præceptam: sed potuit eam non subire sumptam in se, & consideratam seorsim a præcepto; quia privatio mortis in se, & absolute sumptæ, hoc est, sine respectu ad præceptum Patris, non est malum culpæ, ac proinde nec peccatum: satis est vero ad libertatem arbitrii ut res in se considerata, possit omitti & non omitti: non enim requiritur ut possit omitti considerata prout subest præcepto divino, quia sic sumpta, est malum culpæ: at ad libertatem, etiam arbitrii, non requiritur potestas faciendi malum culpæ; hoc enim tantum est essentiale libertati quod sit *electio mediorum servato* (ut fuse dicemus in tractatu de actibus humanis) *ordine finis*. Ita Massoliæus, Gonetus, & aliis Thomistæ ratiocinantur.

§. IV. *De merito Christi.*

1. *Q.* Estne de fide quod humanitas Christi meruerit?

R. Est. Nam. 1. meruit nostram redemptionem, juxta illud Petri epist. 1. cap. 1. *Mementote quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione: sed pretioso sanguine agni immaculati.* 2. In humanitate Christi fuerunt omnes conditiones ad merendum requisitæ; nimirum sanctitas, libertas arbitrii, status viæ, & promissio ex parte Dei, acceptandi actus Christi in ordine ad præmium, juxta illud Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur.*

2. *Q.* Quo tempore humanitas Christi mereri cœpit?

R. A primo suæ conceptionis instanti: quia per actum perfectissimæ caritatis obtulit sese Deo, Patri hostiam pro generis humani redemptione juxta illud Apostoli ad Hebræos cap. 10. *Ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.*

3. *Q.* Humanitas Christi mereturne jam in cælis?

R. Non meretur: quia, ex ordinatione divina, in merente requiritur status viatoris, qui jam in Christo in cælis existente non reperitur: est enim in cælis comprehensor tantum,

tum, cum e contra in terris fuerit simul comprehensor, & viator.

4. *Q.* Per quos in specie actus meruit humanitas Christi?

R. Per omnes actus, circa quos humanitas Christi fuit libera libertate arbitrii: non autem per eos, circa quos fuit libera tantum libertate voluntatis.

5. *Q.* Humanitas Christi meruitne sibi primam actualem gratiam?

R. Non meruit: quia prima gratia actualis est principium meriti: principium autem meriti non cadit sub meritum.

Obj. Gratia substantialis, sive unio hypostatica fuit in Christo primum principium meriti; gratia vero actualis secundarium tantum: ergo Christus potuit ratione unionis hypostaticæ mereri sibi primam gratiam actualem.

Resp. Dist. ant. Unio hypostatica fuit primum principium *dignitatis* meriti conc. ant. *caussalitatis* meriti, nego ant. Quamvis enim unio hypostatica contulerit dignitatem meritis Christi, & exegerit ut gratia actualis conferretur humanitati Christi; non fuit tamen caussa efficiens meriti, sed gratia actualis qua phisice humanitas ad actus supernaturales determinata fuit.

6. *Q.* Humanitas meruitne sui glorificationem, & sui nominis exaltationem?

R. Meruit utrumque, & quidem 1. sui glorificationem: eam enim petiit Joannis 17. *Pater clarifica Filium tuum*: in quæ verba sic loquitur Augustinus tractatu 104. in Joannem: *Ut Christus resurrectione glorificaretur, prius humiliatus est passione. Humilitas, claritatis est meritum: claritas, humilitatis est præmium.*

7. *Q.* Humanitas Christi meruitne nobis salutem, & ea omnia quæ ad salutem conferunt?

R. Meruit: Concilium enim Tridentinum Sess. 6. definiit. 1. Christum nobis gratiam sanctificantem meruisse. Definiit 2. justum ex Christi meritis mereri sibi augmentum gratiæ. Definiit 3. Christum meruisse nobis prærequisitas ad justificationem dispositiones: ad ea omnia referri debent hæc Apostoli verba ad Ephesios 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo Jesu.*

8. *Q.* Humanitas Christi meruitne nobis bona temporalia?

R. Non meruit, nisi ad salutem ordinentur; aperte nimirum Christus in Evangelio profitetur regnum sibi a Patre datum, non esse de hoc mundo.

9. R. Humanitas Christi meruitne Angelis, & Adamo innocenti gratiam quam habuerunt?

R. Non meruit: quia Christus non fuit futurus, nisi post prævisum peccatum originale. Præterea, ex Apostolo, primæ ad Corinth. 5. non nisi pro mortuis, hoc est, lapsis mortuus est: *Si unus* (inquit) *pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.*

Obj. Ex Apostolo ad Coloss. c. 1. Deus instauravit *omnia in Christo quæ in cælis & in terra sunt*: ergo Christus Angelis gratiam meruit.

Resp. Dist ant. Instauravit omnia, substituendo homines Angelorum ruinæ, conc. ant. Moriendo pro Angelis, nego ant. Ex ipsa hominum redemptione (inquit Augustinus Enchiridii cap. 16.) *Ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur.*

§. V. *De Subjectione Christi.*

1. *Q.* Humanitas Christi fuitne in se serva Dei Patris?

R. Fuit utpote creata: unde hæc ait Apostolus ad Philippenses 1. *Formam servi accipiens.*

2. *Q.* Christus potestne absolute, ac sine hoc addito, *prout est homo*, dici servus Patris?

R. Non potest dici: quia servitus sine addito adscripta concreto, cadit in personam: at Christus secundum personam non est servus Patris; cum e contra sit Filius ejus naturalis, ac proinde independens a Patre.

3. *Q.* Christus cum hoc addito, *Prout homo*, potestne dici servus Patris?

R. Circa eam quæstionem duplex est Scholasticorum sententia. Prima, quæ est Sylvii & plurium aliorum, docet, hanc propositionem, *Christus, prout est homo, est servus Patris*, esse, rigorose loquendo, veram. Altera, quæ est Thomassini nostri & plurium aliorum negat, eamdem propositionem esse in rigore veram.

4. *Q.* Quænam ex illis duabus opinionibus conformior est Scripturæ & Patribus?

R. Ea, quæ docet, Christum, *etiam prout homo est*, non posse dici servum Patris.

5. *Q.* Potestne ex Scriptura probari Christum non posse dici servum Patris, etiam cum hoc addito, *prout est homo?*

R. Potest. Et quidem 1. Christus nusquam in Evangelio seipsum dixit Patris servum. 2. Apostoli Christum vocarunt quidem Dominum suum, sed nusquam servum Patris. 3. Christum e contra Apostoli iis, qui servi essent, opposuerunt; *Moyses quidem tamquam famulus* (inquit Paulus in Epistola ad Hebræos cap. 3.) *Fidelis fuit in tota domo ejus; Christus autem, tamquam Filius in domo sua.* Inde vero, seu quod Christus non fuerit servus, hanc Apostolus elicit conclusionem; *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus.*

6. *Q.* Potestne ex Traditione probari Christum etiam cum hoc addito: *prout est homo*, dici non posse servum Patris?

R. Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Paulum Samosatenum, expresse, negat, Christum, *qui natura Dominus erat, fuisse natura servum.* Objicit sibi hunc Apostoli textum:

Fer-

Formam servi accipiens; sed respondet formam in eo loco non significare naturam intrinsecam servi, sed apparentem tantum: *Neque vero* (ait) *forma servi servus est, ut si famulum suum herus jubeat pellem ovis induere.*

Theodoretus ad calcem secundi Dialogi Apollinario vertit crimini, quod Christum vocasset servum; quod quidem (inquit) nullus nostrum antea ausus erat dicere.

Hadrianus Papa I. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ damnat Felicem, & Elipandum, quod Christum ausi fuissent vocare servum.

Concilium Francofordiense, ut probet contra Felicem & Elipandum in Hispania Episcopos Christum non esse Filium adoptivum, utitur hoc principio, quod Christus nec sit nec dici possit servus; *Si Deus verus est* (inquit in Epistola Synodica) *qui de Virgine natus est, quomodo potest tunc adoptivus esse vel servus? Deus enim nequaquam audent confiteri servum vel adoptivum.*

Hincque patet verum non esse commentarium eorum qui, ut vim argumenti declinent, respondent, Concilium Francofordiense rejicere servi nomen, non quidem (ajunt) absolute, sed tantum, prout ex adoptione a Felice & Elipando colligebatur.

Præterea si Concilium existimasset, Christum posse aliquo sensu, seu cum additione, *prout est homo*, dici servum Patris, non negasset simpliciter, absolute, & cum terminis indefinitis, eum nec esse, nec dici posse servum Patris, sed restrictionem adhibuisset, ne termini indefiniti, quibus utitur, universaliter acciperentur.

Obj. 1. Isaiæ c. 42. hæc habentur: *Ecce servus meus, suscipiam eum*; sed illa verba intelliguntur de Christo, ut patet ex Matthæi c. 12. ergo, &c.

R. Dist. maj. Vocatur servum metaphorice, hoc est, prout servi officia exhibuit, conc. maj. Proprie & non metaphorice, nego maj. Ita Concilium Francofordiense locum exponit.

Obj. 2. Psaltes Regius sic Christum loquentem inducit; O *domine*, *ego servus tuus & Filius ancillæ tuæ*; ergo, &c.

R. Dist. ant. Inducit loquentem in persona aliena, hoc est, prout ratione officiorum quibus perfunctus est, in Israele, aut in Davide, aut in Prophetis adumbratus fuit, conc. ant. In persona propria, nego ant. Ita respondent Hadrianus Papa in Epistola ad Hispaniarum Episcopos.

Obj. 3. Apostolus scribit, Verbum accepisse formam servi; ergo &c.

R. Dist. ant. Secundum apparentiam & officia, conc. ant. Secundum realitatem & conditionem, nego ant. Ita Concilium Francofordiense.

Obj. 4. Christus *prout homo*, fuit dependens & creatus; ergo & servus.

R. Conc. ant. nego conseq. Siquidem ut quis sit servus realiter & secundum conditionem, satis non est quod habeat naturam dependentem, sed præterea requiritur quod in eo sit persona dependens; quæ quidem non fuit in Christo; cum in eo alia non sit persona, quam persona Verbi. Ita expresse respondet Concilium Francofordiense.

Obj. 5. Christus fuit obediens Patri; tenebatur præceptis legis naturalis: ergo fuit Servus.

R. Conc. ant. nego conseq. Quamvis enim Filius obediat Patri, quamvis teneatur illius præcepta servare, quamvis servilia ei exhibeat officia, non ob id tamen vocari potest servus. Ita Concilium Francofordiense, solvens illud argumentum a Felice & Elipando objectum.

Obj. 6. Christus prout est homo, Patrem adoravit, & nunc etiam adorat latriæ cultu: *Nos adoramus* (ait Christus ipse) *quod scimus*: ergo fuit, & est servus.

Resp. 1. Dist. ant. Adoravit digne Deo, juxta illud Apostoli ad Heb. cap. 5. *Exauditus est* (a Patre) *pro sua reverentia*, conc. ant. Non digne Deo, ut fit a servis, nego ant.

R. 2. Conc. ant. nego conseq. Quia licet adoratio sit officium servi, nihilominus exhibentem non constituit servum. Ita ratiocinatur Tertullianus in libro de carne Christi.

Obj. 7. Plures Patres Christum vocarunt servum, scilicet Arianis contra Verbi divinitatem objicientibus Prophetarum oracula, in quibus Christus vocatur servus, responderunt ea intelligi debere non prout *Verbum est, sed prout est homo*; ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Responderunt ea de Christo homine intelligi debere metaphorice, conc. ant. proprie, nego ant. Ita argumentum illud solvit Hadrianus Papa in Epistola ad Episcopos Hispanos.

Obj. 8. Christus ipse *prout homo*, Deum Patrem vocat Dominum suum: sed qui Dominum habet, servus est; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Vocat Dominum suum secundum officia servilia, quæ Patri exhibuit, conc. ant. secundum conditionem, nego ant. *Dominative igitur* (ait S. Joannes Damascenus in libro de fide orthodoxa, cap. 2.) *dicitur servus, non quod ipse sane hoc existat, sed quod propter nos formam servi accepit, & servus nobiscum vocatus est.*

§. VI. *De Adoptione Christi.*

1. *Q.* Cristus potestne dici Filius adoptivus cum exclusione filiationis naturalis?

R. Non potest; quia Concilium Ephesinum I. damnavit Nestorium, quod filiationem natu-

naturalem ac substantialem, quæ oritur ex unione hypostatica naturæ humanæ in persona Verbi, a Christo excluderet.

2. *Q.* Christus potestne dici absolute & sine hoc addito, *prout homo*, Filius adoptivus?

R. Non potest: quia filiatio simpliciter & sine addito sumpta, cadit in persona: at Christi personæ, cum sit persona Verbi, adoptiva filiatio tribui non potest.

3. *Q.* Christus potestne dici filius adoptivus cum hac additione, *prout est homo*?

R. Non potest. Si enim Christus non potest dici servus, etiam cum additione, *prout est homo*; a fortiori non potest dici Filius adoptivus.

4. *Q.* Potestne demonstrari ex Scriptura Christum, etiam cum additione, *prout est homo*, non posse dici Filium adoptivum?

R. Potest. Siquidem Scriptura Christum, etiam *prout est homo*, vocat Dei Filium: *Qui* (inquit Apostolus ad Rom. 8.) *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: nimirum secundum humanitatem traditus est: *Quia* (ait Hadrianus Papa) *non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id quod homo erat.*

Joannis cap. 3. sic de Christo Joannes Baptista loquitur: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manus ejus*: eo in loco Christus dicitur Filius, etiam *prout est homo*: neque enim Pater illi, *prout Deus est*, dedit omnia in manus. Confirmatur ex eo quod post laudata verba, hæc subjiciantur: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur*: non enim ut Deus locutus est, sed *prout est homo.*

Licet Christus Deum sæpe in oratione vocaverit Patrem, nusquam tamen dixit patrem *Nostrum*; ergo etiam *prout est homo* non potest dici Filius adoptivus, alioquin enim, cum oraret *ut homo*, dixisset aliquando Patrem *Nostrum*: communem scilicet & eodem modo cum aliis hominibus, *Prout homo est* Patrem habuisset.

5. *Q.* Potestne demonstrari ex Patribus Christum, etiam *prout est homo*, nec esse, nec dici posse Filium adoptivum Patris?

R. Potest. Hilarius ex his Pauli verbis ad Rom. 1. *Qui proprio Filio suo non pepercit*, expresse concludit, Christum, etiam *ut est homo* (nam ea sententia de eo sic considerato intelligitur) concludit inquam, Christum non posse dici adoptivum: sic enim loquitur: *Numquidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen?*

S. Idelphonsus in libro de Virginitate S. Mariæ, colligit Christum non esse Filium adoptivum ex eo quod sit ceterorum adoptator: *Ideo non est adoptivus Filius, sed adoptator (ut ita dicam) ceterorum.* Idem antea docuerat Augustinus tractatu 2. in Joannem in illud capitis primi, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri.*

6. *Q.* Potestne rationibus demonstrari Christum, etiam *prout est homo*, nec esse, nec dici posse Filium adoptivum?

R. Potest. Nam 1. Christus, etiam *prout homo*, jus habet ad hereditatem, cum sit cum Verbo unitus. 2. Non est extraneus Filius, sed proprius. 3. Filii nomen proprie convenit personæ, non autem naturæ. 4. Ille, qui adoptivus est, non physice & substantialiter conjungitur cum adoptante, sed moraliter tantum, scilicet per affectum & legem: atqui Christus, etiam *prout est homo*, non solum per affectum & legem, sed etiam physice & substantialiter cum Deo conjungitur, sicut anima cum corpore cui unita est: ergo, &c.

7. *Q.* Debeturne alicujus censuræ theologicæ nota doctrinæ, qua assereretur, Christum dici posse, *prout est homo*, Filium adoptivum Patris?

R. Debetur. Nam 1. est *temeraria*; cum nec Scriptura, nec Patres unquam Christum dixerint adoptivum: 2. est *erronea*; quia, ex unanimi fere theologorum consensu, Scripturæ & Patribus adversatur; 3. Videtur quod ab Ecclesia damnata fuerit *ut haretica*; quia proscripta est ab Hadriano Papa I. & a Concilio Francofordiensi in sensu Felicis & Elipandi.

Et sane Felix, & Elipandus non eam propugnarunt cum exclusione filiationis naturalis: tum quia veram & realem inter Verbi personam, & hominis naturam admiserunt idiomatum communicationem, ut aperte patet ex fidei confessione, quam ante Concilium Francofordiense miserunt ad Carolum Magnum: tum quia unam tantum in Christo personam admiserunt: *homo interior* (inquiunt in sua fidei confessione) *in una eademque Dei, & hominis persona deglomeratus*; tum denique quia Hadrianus Papa & Concilium Francofordiense adversus Felicem & Elipandum disputantes, nusquam argumentis probarunt unionem substantialem Verbi cum humana natura, sed eam supposuerunt tamquam principium, ex quo necessario sequeretur Christum nec esse, nec dici posse adoptivum Dei Filium.

Præterea Felix & Elipandus non simpliciter & absolute propugnarunt Christum & esse & dici posse Filium adoptivum, sed cum additione, *prout est homo*. Nam 1. Concilium Francofordiense in Epistola ad Hispaniarum Episcopos sic Felicis doctrinam exponit: *Quam adoptionem ad Christi voluit transferre humanitatem.* 2. Elipandus in fidei confessione ad idem Concilium missa sic loquitur: *Filius adoptivus humanitate, & non adoptivus divinitate, mundum redemit.* 3. Idem de iis Episcopis asserunt, Jonas Aurelianensis in lib. 1. de cultu imaginum, Ammonius lib. 5. de gestis Francorum, cap. 83. Ado Viennensis in Chronico ad annum 793. & ante eos

eos omnes Hadrianus Papa I. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ.

Obj. 1. Irenæus in lib. 3. adversus hæreses cap. 21. scribit, *Dei* Verbum *adoptionem* percepisse: ergo, &c.

R. Dist. ant. Et illa verba, *adoptionem percepisse*, non referuntur ad Christum, conc. ant. Et ad Christum referuntur, nego ant. Sensus enim Irenæi est, quod (ut ipse ibidem loquitur) *homo immixtus sit Verbo Dei, ut adoptionem percipiens, sit Filius Dei*.

Obj. 2. Marius Victorinus libro 1. contra Candidum Arianum docet, Christum *quadam adoptione* esse Filium *secundum carnem*: ergo Marius Victorinus censuit Christum esse Filium adoptivum, *prout est homo*.

R. Conc. ant. dist. consſ. Adoptione improprie dicta: quia nimirum humanitas Christi nullo modo meruit suam cum Verbo unionem, conc. conseq. Adoptione proprie dicta, nego conseq. Quia Marius Victorinus non dicit Christum esse Filium adoptivum secundum carnem adoptione vera, sed *quadam adoptione*.

Obj. 3. Hilarius in lib. 2. de Trinitate post medium, scribit, carnem a Verbo adoptatam fuisse: *ita potestatis* (inquit) *dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*: ergo, &c.

R. 1. Mendum irrepsisse in Hilarii textum: nam loco hujus vocis, *Adoptatur*, legendum est, *Adoratur*. Id enim innuunt hæc verba quæ præcedunt ea de quibus est quæstio: *Panni sordent, Deus adoratur; ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur*.

R. 2. Dist. ant. Dum carnis humilitas adoptatur *improprie* (quod nimirum unionem hypostaticam non meruerit) conc. ant. Proprie, nego ant.

Obj. 4. S. Ildephonsus ante Felicis & Elipandi tempora, sic legebat in missa de cœna Domini; *Qui per adoptivi hominis passionem, dum suo indulsit corpori*, &c. In Missa de Ascensione sic quoque legebat: *Hodie Salvator noster post adoptionem carnis, sedem repetivit Deitatis*; ergo, &c.

R. Dato antecedente, quod tamen nonnulli falsum esse contendunt, nego conseq. Scilicet cum de quo agitur Missæ textum nusquam probavit, immo rejecit Ecclesia Catholica. Ita Patres Concilii Francofordiensis in Epistola Synodica respondent. Addi potest Ildephonsum, ut superius ostensum est, nequaquam sensisse Christum dici posse Filium adoptivum: licet in Missa (ut fertur) legerit, & licet non correxerit quod in Missæ Canonem Toletanum per errorem aliquorum antea irrepserat.

Obj. 5. Christus, *prout est homo*; non est Filius naturalis; sic enim consideratus, a Deo Patre genitus non est, sed creatus: ergo est Filius adoptivus.

R. Ad 1. nego ant. Ad 2. dist. ant. A Deo Patre genitus non est, & est homo Verbo hypostatice conjunctus, conc. ant. & non est homo hypostatice conjunctus Verbo, nego ant. Ad filiationem, etiam naturalem, non requiritur humanitatis productio a Deo Patre per veram generationem, sed satis est ejusdem humanitatis hypostatica conjunctio cum Verbo: quia ut sit filius naturalis, satis est ut ejus persona per veram generationem a Deo Patre producta sit.

Obj. 6. In Christo est forma, ex qua necessario sequitur adoptio, gratia nimirum habitualis: ergo, *prout homo*, dici potest Filius adoptivus.

R. Dist. ant. ex qua sequitur adoptio, si subjectum sit illius capax, conc. ant. si non sit capax, nego ant. Christus, *etiam ut homo*, propter unionem hypostaticam cum Verbo, nusquam fuit capax adoptionis: ac proinde mirum non est quod gratia habitualis illum in eo effectum minime produxerit.

§. VII. *De Prædestinatione Christi.*

1. *Q.* Christus potestne vere dici prædestinatus?

R. Potest: quia ab æterno decretum fuit, ut Christus esset in tempore.

2. *Q.* Quid in Christo est subjectum prædestinationis?

R. Duplex est; persona nimirum Verbi, & illius humanitas: scilicet utraque ab æterno præordinata fuit ad aliquid: persona quidem Verbi, ut in tempore subsisteret in humana natura: & humanitas, ut in tempore cum persona Verbi hypostatice conjungeretur.

3. *Q.* Potestne ex Scriptura probari Christi personam ab æterno prædestinatam fuisse?

R. Potest: sic enim loquitur Apostolus ad Rom. 1. *De Filio suo, qui factus est ei* (Deo) *ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*. Aliter tamen locus ille potest exponi. Nempe: in Græco textu, loco vocis *prædestinatus*, legitur *declaratus*, ita ut, secundum Græcum textum, is sit Apostolicæ sententiæ sensus: idem ille qui factus est ex semine David secundum carnem (quem proinde constat verum hominem fuisse) etiam declaratus est, & certissimis argumentis comprobatus, esse Filius Dei. Ea autem argumenta sunt 1. *Ex virtute*, hoc est, per miracula: 2. Secundum *spiritum sanctificationis*, id est, per Spiritum sanctum, quem in se credentibus, per evidentia signa multipliciter impertitus est: 3. *Ex resurrectione mortuorum*, sive a mortuis: seipsum enim (ut vivens prædixerat) a mortuis suscitavit.

5. *Q.* Quinam est terminus prædistinationis Christi? hoc est, ad quid Christus, *ut est Deus*, & *prout est homo*, prædestinatus est?

R. Chri-

R. Christus, *ut Deus est*, prædestinatus fuit ut in tempore subsisteret in humanitate; neque enim ab æterno in humanitate subsistit. Christus vero, *prout est homo*, prædestinatus fuit tum ad veram Dei filiationem, tum etiam ad visionem beatificam. Et quidem 1. ad veram Dei filiationem: scilicet Christus prædestinatus fuit *prout est homo*, ad unionem hypostaticam cum Verbo, ex qua necessario sequitur, quod Christus etiam prout est homo, sit naturalis & verus Dei Filius: 2. Ad visionem beatificam: quia visio beatifica sequitur (ut superius ostensum est) ex vera & naturali Dei filiatione.

Obj. In hac propositione, *Christus prædestinatus est ad visionem beatificam*: *vox Christus* supponitur pro persona: atqui persona Christi prædestinata non fuit ad visionem beatificam: prædestinatio nimirum locum non habet, nisi in iis quæ in tempore incipiunt: at persona Christi non cœpit in tempore frui visione beatifica: ergo, &c.

Resp. Ad 1. conc. maj. nego min. Ad 2. dist. min. persona Christi prout non subsistens in humana natura, non cœpit in tempore frui visione beatifica, conc. min. prout in ea subsistens, nego min.

6. *Q.* Potestne dici quod Christus, *prout Verbum*, prædestinatus sit ut esset in tempore Filius Dei?

R. Potest: quia in tempore cœpit esse in humana natura Filius Dei.

Obj. Subjectum prædestinationis debet esse prius termino prædestinationis: sic prius est Petrum existere quam illum ad dignitatem aliquam prædestinari: sed Christus *prout est Verbum*, non est prior filiatione divina: ergo dici non potest quod Christus *prout Verbum est*, prædestinatus sit ut esset in tempore Filius Dei.

R. Dist. min. Christus prout est Verbum, non est prior filiatione divina in se & absolute sumpta, conc. min. Nempe Verbum est ab æterno Dei Filius: non est prior filiatione divina in humana natura, nego min. Solutio patet ex dictis superius.

7. *Q.* Potestne dici quod humanitas sit prædestinata ad filiationem divinam?

R. Dici non potest: quia humanitas præcise ut humanitas, dicit naturam humanam: at filiatio divina cadere non potest in humanam Christi naturam, sed tantum in personam.

Obj. 1. Christus, *prout est homo*, dici potest prædestinatus ad filiationem divinam; ergo etiam & natura humana Christi.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia hoc nomen, *homo*, est nomen concretum, ac proinde nomen quod naturam & personam significat: e contra vero *humanitas*, *natura humana* sunt nomina abstracta, quæ non includunt personam.

Obj. 2. Dici potest quod humana natura Christi sit prædestinata ad unionem hypostaticam, ut patet ex Aug. Enchiridii cap. 40. ergo dici quoque potest, humanitatem, naturam humanam Christi, prædestinatam fuisse ad filiationem divinam.

R. Conc. ant. nego conseq. quia unio cadit in naturam; est enim illius subjectum: e contra vero filiatio non cadit nisi in personam. Ita ratiocinatur sanctus Thomas 3. p. q. 24. art. 1. in corp.

8. *Q.* Prædestinatio Christi estne exemplar prædestinationis hominum?

R. Est: quia sicut humana natura gratuito, hoc est sine ullis præcedentibus meritis ab æterno prædestinata fuit ad gratiam unionis, & ad visionem beatificam: ita homines gratuito & sine ulla meritorum prævisione prædestinati fuerunt ab æterno ad gratiam & ad gloriam. Sic Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. ratiocinatur.

9. *Q.* Prædestinatio Christi estne caussa meritoria prædestinationis hominum tum ad gratiam, tum ad gloriam?

R. Est: nulla enim (ut Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. definiit) nobis beneficia, quæ ad salutem pertinent, aut in tempore conferuntur, aut præparata sunt ab æterno, nisi ex intuitu meritorum Christi.

10. *Q.* Quinam fuit ab æterno, secundum nostrum concipiendi modum, ordo prioris & posterioris inter prædestinationem Christi & prædestinationem nostram?

R. Iste. Primo Deus ab æterno statuit permittere Adami, ac proinde & illius posterorum lapsum. 2. Decrevit, nonnullos indeterminate ex perditionis massa liberare. 3. Prædestinavit Christum. 4. Prævisis Christi meritis, hoc est, intuitu prævisorum meritorum Christi jam in intentione divina futuri, hoc & illos in specie homines ad gloriam primum, ut pote finem, ac postea ad gratiam elegit.

Inde vero concluditur, quod licet in Deo fuerit voluntas nonnullos indeterminate homines salvandi antequam Christi futuritio decerneretur, ac proinde antequam illius merita prævidérentur; non fuit tamen voluntas aliquos in particulari eligendi aut ad gratiam, aut ad gloriam, independenter a prævisis Christi futuri meritis. Ita sensisse videtur sanctus Thomas 3. part. q. 24. art. 4.

§. VIII. *De dignitate Capitis, Regis & Judicis in Christo.*

1. *Q.* Christus estne Caput hominum?

R. Est, quia & dignior est hominibus, & in eos aut actu, aut potestate influit.

2. *Q.* Christus estne caput Ecclesiæ?

R. Est. *Et ipsum* (ait Apostolus ad Ephesios 1.) *dedit caput super omnem Ecclesiam*. Nec mirum: sicut enim caput influit in membra, ita & Chri-

& Christus in Ecclesiam, cum nullus ne levis quidem motus gratiæ sit in fidelibus, qui a Christo non oriatur.

3. *Q.* Quid Christus, ut Caput, influit in justos, qui viva sunt illius membra; quid in fideles qui sunt in statu peccati mortalis; quid in infideles qui nihil unquam audire potuerunt de Evangelio, de eoque nihil audient unquam?

R. Justis vitam spiritualem quæ in caritate posita est tribuit, fidelibus qui sunt in statu peccati mortalis largitur fidem & spem, nec non auxilia quibus ad conversionem moventur, infidelibus, qui aliquando convertendi sunt, fidem non infundit quidem actu, sed infusurus est aliquando, unde licet quamdiu infideles sunt, cum Christo conjuncti non sint, sunt tamen cum eo conjuncti in potentia quæ aliquando reducetur ad actum. Infideles vero qui numquam habituri sunt fidem, sunt cum eo conjuncti potentia quæ ad actum nusquam reducetur; *Quinto* (ait S.Thomas 3. p. q.8.art.3.) *eorum* (Christus est caput) *qui in potentia sunt sibi uniti, quæ numquam reducetur ad actum; sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati, qui tamen ex hoc sæculo recedentes, totaliter desinunt esse membra Christi, qui jam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur.*

4. *Q.* Per quam gratiam Christus in ratione Capitis constituitur?

R. Per gratiam seu per sanctitatem quam Deus in ejus humanitatem cum Verbo hypostatice conjuncta jugiter operatur: per illam nimirum sanctitatem prout est in natura conjuncta Verbo, Christus nobis promeritus est dona omnia quæ ad salutem ordinantur.

5. *Q.* Christus estne Caput Ecclesiæ prout est homo?

R. Est: sub ea enim ratione quamdam habet cum corpore visibili, ut est Ecclesia, proportionem: ita tamen est caput Ecclesiæ prout est homo, ut homo non in abstracto, seu prout præcisus a persona Verbi concipiatur: quia sic in abstracto consideratus infinitam illam sanctitatem non haberet, quæ Ecclesiæ Capiti necessaria est; scilicet Christi sanctitas non est infinita; nisi in quantum est in natura, quæ Verbo hypostatice conjuncta est.

Q. Christus, dum in humanis egit, fuitne vere ac proprie Rex?

R. Fuit; nempe interrogatus a Pilato, an Rex esset; *Ergo Rex es tu?* respondit se Regem esse; *Tu dicis quia Rex sum ego*, Joan. c. 18.

7. *Q.* Christus fuitne Rex solum ut Deus, an vero etiam ut homo?

R. Rex fuit etiam ut homo, *Ego autem* (ait ipse Psalm. 2. quem Paulus de Christo homine interpretatus est) *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.*

8. *Q.* Christi, prout est homo, regnum fuitne temporale?

R. Non fuit. Nam id ipse Pilato respondens asseruit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Joan. c. 18.

Obj. Deus Pater Christo, etiam ut est homo, gentes pro hereditate pollicitus est; *Postula a me* (inquit Psal. 2.) *& dabo tibi gentes hereditatem tuam*: ergo, &c.

R. Dist. ant. Hereditatem spiritualem, conc. ant. terrenam, nego ant. *Quid est enim* (ait Augustinus in laudati Psalmi verba) *ejus regnum, nisi credentes in eum.*

9. *Q.* In quo positum est spirituale Christi regnum?

R. Positum est in institutione, administratione, dispensatione rerum omnium quæ ad hominum salutem ordinantur. Unde Christus potuit 1. Sacramenta instituere. 2. creare Magistratus Ecclesiasticos. 3. condere leges. 4. omnes omnino homines ad suarum legum observationem adstringere.

10. *Q.* Christus estne Judex vivorum & mortuorum?

R. Est. *Hic est* (ait Scriptura, Actorum 12.) *qui constitutus est a Deo Judex vivorum & mortuorum.*

11. *Q.* Christus estne Judex vivorum & mortuorum, etiam prout est homo?

R. Est. *Potestatem* (verba sunt Evangelii, Joannis 5.) *dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Hinc est quod Matthæi 24. visibilis futuri judicii apparatus & forma describantur.

§. IX. *De Sacerdotio Christi.*

1. *Q.* Christus estne vere ac proprie Sacerdos?

R. Fuit, & nunc est vere Sacerdos: Nam 1. Apostolus in Epistola ad Hebræos c. 5. hæc Psalmi 109. verba, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, de Christo dicta fuisse contendit. 2. Christus seipsum olim pro nobis obtulit in cruce, & cruento quidem modo; nunc autem incruento, tum in cælis, tum in Eucharistia.

3. *Q.* Christus estne Sacerdos, prout est Verbum, an prout est homo: an vero prout est & Verbum & homo.

R. Non est Sacerdos 1. prout est Verbum tantum, quia Christus sub ea ratione non est inferior Patre, nec eum potest orare, nec ei offerre sacrificium: quæ tamen tria ad Sacerdotium requiruntur. 2. Non est Sacerdos prout homo tantum; hoc est, prout est homo præcisus ab unione cum Verbo: quia sic consideratus, illius oblatio pretii non fuit infiniti: quod tamen necessarium fuit, ut condigna satisfactio exhiberetur Deo patri.

Dicendum est igitur Christum fuisse Sacerdotem prout est homo hypostatice cum Verbo conjunctus. Nempe quod *prout homo* fuerit Sacerdos aperte docetur ab Apostolo: *Omnis Pontifex* (inquit ad Hebræos 5.) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur*

in

in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Jam vero quod fuerit Sacerdos, *prout homo hypostatice cum Verbo conjunctus*, patet ex eo quod sic consideratus, oblatum ab eo sacrificium fuerit infinitæ dignitatis: *Si quis ergo* (inquit Cyrillus adversus Nestorium) *Pontificem & Apostolum nostrum, alium dixerit esse factum, præterquam ipsum Dei Verbum, quando factum est caro, & secundum nos homo .... anathema sit.*

3. *Q.* Quandonam Christus cœpit esse Sacerdos?

R. In primo instanti quo humanitas illius concepta est in utero Mariæ; quia eodem instanti humanitas uncta fuit a Verbo per unionem hypostaticam: in ea autem unctione positum est Christi Sacerdotium.

4. *Q.* Christi Sacerdotium estne perpetuum? hoc est, perdurabitne semper?

R. Est: tum quia stabit in æternum unio hypostatica humanitatis cum Verbo: in qua quidem unione posita est essentia Sacerdotii Christi; juxta illud Augustini in Psalm. 26. *Unctus est ille Rex & Sacerdos.*

Obj. Post extremum Judicii diem, Sacerdotium Christi erit inutile: neque enim tunc erunt peccata quæ expiari debeant: ergo perpetuum non est Christi Sacerdotium.

R. Nego ant. Nimirum Electi post extremum Judicii diem indigebunt Sacrificio, non quidem ut expientur eorum peccata, sed ut ipsi cum Christo consummentur, hoc est, ut Christus & Electi in perfectum Sacrificium Deo patri offerantur: tunc enim (Apostolo teste epist. ad Ephes. c. 5.) seipsum Ecclesiæ caput, & Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam Deo patri in perpetuum offeret Sacrificium.

5. *Q.* Quinam sunt effectus Sacerdotii Christi?

R. Unus, integra nimirum peccatorum expiatio: eo enim peccata tum quoad culpam, tum quoad pœnam delentur: quoad culpam quidem, juxta illud ad Hebræos 9. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*: quoad pœnam vero; quia Christus seipsum offerens, æquale peccato pretium obtulit æterno Patri.

6. *Q.* Quodnam, quoad integram peccatorum expiationem, est discrimen inter Sacerdotium Christi & Sacerdotium Aaronicum?

R. Duplex est discrimen. Nam 1. Aaronicum Sacerdotium non erat perpetuum in hominibus qui eo semel inaugurati fuerant: in Christo e contra perpetuum est. *Et alii quidem* (inquit Apostolus ad Hebræos 7.) *plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium; unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* 2. Hostiæ quæ ab Aaronicis Sacerdotibus offerebantur, non expiabant peccata, unde pro eisdem peccatis pro quibus jam oblatæ fuerant, singulis annis offerebantur: *Et omnis quidem Sacerdos* (ait Apostolus ad Hebræos 10.) *præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata*: e contra, hostia, quam Christus obtulit in cruce, ita vim habuit delendi peccata, ut iterum ad eum finem offerri non debeat: *Neque* (ait Paulus ad Hebræos 9.) *ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.*

Obj. Christi humanitas unita Verbo quotidie in Eucharistia offertur in Sacrificium; in cælis quoque Christus singulis momentis seipsum hostiam viventem offert Deo Patri: *Ut* (inquit Apost. ad Heb. 9.) *appareat nunc vultui Dei pro nobis*: ergo a Mosaicis Sacrificiis non differt Sacrificium Christi, quod illa iterari deberent, istud vero non debeat iterari.

R. Nego conseq. Ratio est 1. quia licet in Sacrificiis Mosaicis singulis annis eadem in specie hostia pro peccatis offerretur, non offerebatur tamen eadem numero: e contra Sacerdotes in Eucharistia, Christus in cælis eamdem numero offerunt hostiam quæ in cruce oblata fuit. 2. Sacrificia Mosaica, quæ uno anno offerebantur, licet eadem essent in specie, non erant tamen eadem numero cum iis quæ anno superiore oblata fuerant: e contra Sacrificium quod a Christianis offertur in Eucharistia idem non in specie tantum, sed & numero est Sacrificium quod Christus obtulit in cruce: in eo enim eadem in individuo est hostia, quæ oblata fuit in cruce, idem Sacerdos qui eam obtulit in cruce, juxta illud Augustini in lib. 11. de Civitate Dei cap. 20. *Sacerdos ipse Christus offerens, ipse & oblatio: cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium.* 3. Mosaica sacrificia singulis annis iterabantur, ut priorum defectui & inefficaciæ suppleretur: e contra oblatio Christi in Eucharistia non iteratur, ut insufficientiæ aut defectui sacrificii crucis in cruce oblati suppleatur, sed tantum ut infinita virtus sacrificii crucis fidelibus applicetur: unde non aliud quam Crucis sacrificium fideles offerunt in Eucharistia: idem quippe est sacrificium, sola (ait Concilium Tridentinum) offerendi ratione diversum.

8. *Q.* Christus estne Sacerdos secundum ordinem Melchisedech?

R. Est: Illud enim Psalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: Apost. in Epist. ad Hæbreos cap. 7. interpretatur de Christo: *Contestatur enim*, ait, *Quoniam tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

9. Q.

9. *Q.* Quænam sunt in quibus Sacerdotium Melchisedecis adumbravit Christi sacerdotium?

R. Multa sunt. Nam 1. sicut Melchisedech panem & vinum obtulit; ita & Christus suum corpus & suum sanguinem sub speciebus panis & vini obtulit in Eucharistia.

2. Sicut Melchisedech non ex successione (quemadmodum Aaronici Sacerdotes) suum habuit Sacerdotium, ita nec Christus: per extraordinariam nimirum missionem illud a Deo immediate consecutus est: *Hinc enim Melchisedech* (ait Apostolus ad Hebræos 7.) *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in æternum.*

3. Quemadmodum Sacerdotium Melchisedecis præstantius fuit Levitico (id enim mysterii tunc adumbratum fuit, cum Melchisedech ab Abrahamo, in cujus lumbis erant Levitæ omnes, decimas accepit) ita Christi Sacerdotium longe præstantius est Aaronico: *Intuemini autem* (inquit Apostolus ad Hebræos 7.) *quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis; quamquam & ipsi exirent de lumbis Abrahæ: Cujus autem generatio non annumeratur in eis; decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. Sine autem ulla contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur.*

4. Ideo præter Aaronicum sacerdotium fuit aliud, scilicet sacerdotium Melchisedecis, quod illud esset imperfectum; ita necesse fuit ut aliud sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, Christi nimirum, appareret: *Si ergo* (ait Apostolus ad Hebræos 7.) *consummatio per sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici?*

§. X. *De Oratione Christi.*

1. *Qu.* Christus dum in terris esset oravitne?

R. Oravit, juxta illud Lucæ 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*: necnon & juxta illud Apostoli ad Hebræos 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido & lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

2. *Q.* Christus jam nunc in cælis existens oratne pro nobis?

R. Orat: juxta illud Apostoli ad Hebræos 7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Obj. Christus oratione quam fudit, dum in terris ageret, sacrificio quod obtulit in cruce, meruit omnia quæ ad hominum salutem conferre possunt, juxta illud Apostoli ad Hebræos 10. *Una enim oblatione consummabit in sempiternum sanctificatos*; ergo inutilis esset oratio quam nunc in cælis pro nobis funderet.

R. Conc. ant. dist. conseq. Inutilis esset oratio ad merendum aliquid de novo, conc. ant. ad applicationem meritorum, quæ dum in terris esset, comparavit, nego ant.

3. *Q.* Christus oravitne in terris, & oratne nunc in cælis, prout Verbum est, an vero prout homo?

R. Nec oravit olim, nec etiam jam orat præcise prout est Verbum Patris: sic enim consideratus habet in se omnem operandi ad extra virtutem. Dicendum est igitur orasse eum quondam, & nunc orare, prout est homo: sic enim consideratus, non habet (ut docet sanctus Thomas) voluntatem, quæ per se operativa sit ejus quod desiderat.

3. *Q.* Christus oravitne pro se dum in terris ageret?

R. Oravit: scilicet corporis sui naturalis resurrectionem petiit, juxta illud Apostoli ad Hebræos 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Petiit quoque divinæ suæ missionis externam confirmationem, juxta illud Joannis 17. *Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.*

5. *Q.* Oratio Christi fuitne exaudita?

R. Fuit, juxta illud ipsiusmet Christi, Joannis 12. *Sciebam, quia semper me audis*, id autem sanctus Thomas 3. part. q. 21. art. 4. hocce argumento probat: *Secundum autem voluntatem rationis, Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle. Et ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis: & per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita.*

Obj. 1. Christus non obtinuit dispensationem a Calice Passionis, quam tamen petiit Matthæi 26. ergo, &c.

R. Christum non absolute, sed conditionate tantum petiisse dispensationem a calice Passionis: si nimirum id Deo Patri placeret: *Verum* (inquit) *non mea, sed tua voluntas fiat.* Jam vero si quis roget, cur Christus oraverit sub conditione quam sciebat nusquam ponendam esse, dicendum erit cum S. Thoma eum sic se gessisse, tum ut demonstraret naturalem non moriendi voluntatem, quam tamen impleri ratio absolute & efficaciter noluit: tum etiam ut manifestum faceret quantum acerbus esset calix quem pro hominum salute bibiturus erat: tum ut eos ad amorem pro tanto beneficio rependendum excitaret.

Obj. 2. Christus Lucæ 23. petiit ut peccatum suis crucifixoribus dimitteretur: *Jesus dicebat, Pater, dimitte illis*, non tamen omnibus dimissum est: ergo, &c.

R. Illud argumentum sanctus Thomas 3. p. q. 21. art. 4. hisce verbis solvit; *Adscendum*

dum dicendum, quod Dominus non oravit (petendo auxilium efficax) *pro omnibus crucifixoribus, neque etiam* (petendo singulare donum perseverantiæ) *pro omnibus qui erant credituri in eum, sed pro his solum qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam.*

§. XI. *De Redemptione per Christum.*

1. *Qu.* Christus estne redemptor hominum?

R. Est, juxta illud ad Romanos 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Unde electi sic Apoc. 5. Christum alloquuntur: *Redemisti nos, Deus, in sanguine tuo.*

2. Christus estne mortuus solum pro hominibus ad regnum cæleste prædestinatis?

R. Non est mortuus pro solis prædestinatis: constat enim, reprobis qui baptizati sunt, fructum aliquem mortis Christi, justificationem nimirum, collatum fuisse.

Obj. Christus pro solis suis ovibus mortuus est. *Animam meam* (inquit ipse) *pono pro ovibus meis.* At ovium nomine soli prædestinati intelliguntur; nempe subjicit Christus: *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*: ergo, &c.

R. Dist. maj. quantum ad integram liberationem, quæ includit vocationem, justificationem, & singulare donum perseverantiæ usque in finem, pro solis Electis mortuus est, conc. maj. quantum ad imperfectam liberationem, quæ aut aliquas gratias actuales, aut justificationem complectitur, sed non singulare perseverantiæ donum, nego maj.

4. *Q.* Christus estne mortuus pro salute dumtaxat prædestinatorum?

R. Christus non est mortuus pro salute dumtaxat prædestinatorum. 1. Id patet ex damnatione quintæ Jansenii propositionis, quæ infra describetur. 2. Ille mortuus non est pro salute dumtaxat prædestinatorum, ex cujus meritis Deus Pater largitur hominibus justis, etiam reprobis, auxilia actualia, ut perseverare possint usque in finem, ac proinde æternam consequi salutem: Atqui Deus Pater hominibus justis, etiam reprobis, largitur ex Christi meritis auxilia actualia per quæ perseverare possint usque in finem, ac proinde æternam consequi salutem, ut in nostro Tractatu de gratia dicemus. Scilicet Christus a Patre petiit illorum auxiliorum collationem, & hujusmodi auxilia, tum ex natura sua, tum ex Dei Patris intentione, tum ex Christi voluntate ad salutem æternam ordinantur: ergo Christus non est mortuus *pro salute* eorum dumtaxat qui sunt e numero prædestinatorum.

4. *Q.* Christus estne mortuus pro omnibus hominibus?

R. Mortuus est pro omnibus omnino hominibus. Id nimirum expresse in Scripturis asseritur: *Unus enim Deus* (ait Apostolus 1. ad Tim. 2.) *unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Primæ Joannis 1. hæc etiam habentur: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

5. *Q.* Quo sensu Christus pro omnibus hominibus mortuus est?

R. Duplici in sensu Christus mortuus est pro omnibus omnino hominibus. Et quidem 1. quoad virtutem pretii, quod obtulit Patri; scilicet Christi sanguis, per se & in ratione pretii (cum propter suam cum Verbo unionem dignitatis sit infinitæ) satis fuit ad omnium omnino hominum redemptionem: 2. quoad præparationem (& ut loquuntur Thomistæ) quoad oblationem auxiliorum quæ ad salutem sufficiant. Scilicet cum Christus, sicut & Pater, per voluntatem antecedentem vere sincereque voluerit omnium in individuo hominum salutem, pro omnibus meritus est præparationem auxiliorum, quibus singuli in individuo homines æternam salutem adipisci possint.

6. *Q.* Christus estne mortuus *æqualiter* pro omnibus in individuo hominibus?

R. Non est *æqualiter* mortuus pro omnibus in individuo hominibus; nimirum pro Electis dumtaxat a Patre petiit singulare perseverantiæ donum; hoc est auxilium efficax per quod Electi ad finem usque perseverant: pro reprobis petiit aut aliorum a singulari perseverantiæ actualis dono auxiliorum collationem, aut eorum saltem præparationem.

7. *Q.* Merita mortis Christi, quæ (ut dictum est) oblata fuit pro omnibus in individuo hominibus, communicanturne actu & de facto omnibus in individuo hominibus?

Respondet Concilium Tridentinum hisce verbis sessione 6. c. 3. *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii tantum, quibus meritum passionis illius communicatur.*

8. *Q.* Christus per passionem suam & mortem redemitne homines proprie & non metaphorice tantum?

R. Circa eam quæstionem est impius error Socinianorum, qui contendunt, Christum metaphorice tantum homines per passionem redemisse: eo nimirum sensu, quod (inquiunt) Christus admirabili patientiæ exemplo, veritatis viam, quam verbo prædicaverat, confirmaverit. Unde inferunt, Deum ex mera misericordia & absque ullo respectu ad Christi passionem, tamquam ad pretium sibi oblatum, pœnam peccato debitam iis remittere, qui credunt in eum, qui justificat impium. Illi Socinianorum impietati contraria est Catholicorum doctrina, qui prædicant & credunt Christum, proprie loquendo, homines a pœnis, alioquin infligendis, redemisse: idque

idque patebit ex responsionibus quæ traduntur ad subsequentia Quæsita, quibus docebitur quantum hoc in capite Ecclesia Christi discrepet a Synagoga Socini.

9. *Q.* Quot conditiones requiruntur ad redemptionem proprie dictam?

R. Tres requiruntur; scilicet requiritur 1. ut Deus Pater pœnas peccato debitas in Filium suum incarnatum conjecerit. 2. Ut Filius incarnatus pœnas hujusmodi in seipsum susceperit, eo fine ut iis homines liberaret. 3. Ut pœnæ peccatis alioquin debitæ, mutatæ fuerint in eas, quas Christus voluntarie, ex Patris tamen mandato, in se suscepit.

10. *Q.* Potestne ex Scriptura probari, Patrem æternum pœnas peccato debitas in Filium suum incarnatum conjecisse?

R. Potest; scilicet Isaiæ c. 53. hæc habentur: *Posuit Dominus in eo* (Christo) *iniquitatem omnium nostrum.* Quo autem modo Deus Pater in Filio iniquitatem omnium nostrum posuerit, ibidem hisce verbis exprimitur: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.*

Hæc etiam ait Apostolus ad Rom. 4. *Qui traditus est propter delicta nostra.* A Patre vero traditum illum esse in mortem ibidem asseritur; *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Idem Apostolus 2. ad Corinth. 5. scribit Christum a Deo Patre factum fuisse hostiam pro peccato: *Eum* (inquit) *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

11. *Q.* Potestne ex Scripturis probari, Christum pœnas peccato alioquin infligendas, in seipso suscepisse, ut eis perferendis hominem liberaret?

R. Potest. Paulus enim ad Hebræos 2. docet, Christum pro nobis mortem gustasse. Joannis cap. 11. idem Christus prænuntiatur moriturus pro tota gente. Secundæ ad Corinth. 5. *Unus pro omnibus mortuus est.* Unde sic arguitur; ille pœnas, peccato alioquin infligendas, in seipso suscepit, eo fine ut iisdem pœnis homines reos liberaret, qui pro hominibus mortuus est; scilicet pro hominibus moriendo seipsum eorum loco subrogavit: atqui Christus, &c. &c.

12. *Q.* Potestne ex Scripturis probari pœnas, peccato alioquin infligendas, revera mutatas fuisse in eas, quas Christus in seipso pro nobis suscepit?

R. Potest. Nam Scripturæ docent, Christum morte sua avertisse a nobis pœnas, quibus alioquin castigandi eramus; eum placasse Patrem in nos juste irratum: *Et ipse est* (1. Joannis 2.) *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*: Ejusdem Epistolæ c. 4. Christus ob id missus dicitur, ut esset placamen pro peccatis. *Misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Ad Ephesios 1. a Christo per ejus sanguinem redempti dicimur; *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.*

Ex iis autem locis sic argumentum conficitur. Pœnæ nobis propter peccatum infligendæ, mutatæ sunt in id quod fuit placamen, seu propitiatio pro peccatis nostris; in id per quod Deo reconciliati sumus; in id quo redempti fuimus: atqui pœnæ, quas Christus in se suscepit, hoc est, mors illius & passio fuerunt placamen, seu propitiatio pro peccatis nostris; per illius mortem, per illius sanguinem Deo reconciliati sumus; per eumdem sanguinem redempti sumus a peccato: ergo pœnæ, alioquin peccatis nostris infligendæ, in eas mutatæ sunt, quas Christus in seipso pro nobis suscepit.

13. *Q.* Potestne ex Traditione probari, Christum proprie & non metaphorice tantum homines redemisse.

R. Potest. Justinus martyr ad Diognetum hæc scribit; *Proprium ipse Filium, pretium redemptionis nostræ pro nobis dedit. O dulcem permutationem!* Cyprianus, *Orabat* (ait in Epistola 8.) *ille pro nobis, cum peccator ipse non esset, sed nostra peccata portaret.* Hæc etiam Ambrosius in libro de Joseph Patriarcha, c. 14. *Unus exsolvit quod ab omnibus debebatur.* Hæc etiam Augustinus in libro 13. de Trinitate c. 14. *Pergit inde ad passionem, ut pro debitoribus nobis, quod ipse non debebat, exsolveret.*

Ex iis autem locis sic arguitur. Ii docuerunt, Christum *proprie* hominem redemisse, qui asseruerunt, Christum Deo Patri obtulisse pretium redemptionis nostræ; qui asseruerunt pœnam nobis debitam in illud pretium mutatam fuisse; exsolvisse eum pœnas quæ nobis debebantur; passum eum fuisse, ut ipse peccata nostra portaret: atqui id Patres asseruerunt unanimi consensu; ergo, &c.

Obj. 1. Dici non potest, quis sit is ex cujus jure & ira Christus reum hominem redemerit; non enim est Deus ipse, cum sit pars læsa, & creditor: scilicet redemptio non fit ex parte læsa nec ex creditore: quia pars læsa & creditor jus non habent exigendi pœnam, sed tantum restitutionem: ergo, &c.

R. Is ex cujus jure & ira Christus reum hominem redemit, esse Deum ipsum: non quidem tamquam partem læsam, aut tamquam creditorem, sed prout est supremus rerum omnium Dominus: sub ea nimirum ratione consideratus, jus habet exigendi pœnam ab eo qui legem infregerit.

Obj. 2. Dici non potest cujus speciei sit actus quo pœna homini reo debita, commutata fuit in eam quam Christus in se suscepit: ergo, &c.

R. Est actus jurisdictionis; scilicet a Deo ipso qui superior est, facta fuit illa commutatio.

Obj. 3. Scripturæ loca in quibus Christus dicitur pro nobis mortuus, hostia, placamen,

tamen, propitiatio, exponenda sunt metaphorice: quia ad litteram sumpta approbant factum, quod est contra æquitatem, scilicet injustum est, Christum alioquin summe innocentem, rei & sontis loco castigari; ergo, &c.

R. Dist. ant. Injustum est innocentem rei loco castigari, si ipse ex summa in reum caritate, & ex ardenti in Dei gloriam zelo non se libere subjiciat rei loco, conc. ant. Si ipse illius loco ex summa in reum caritate & ex ardenti in Dei gloriam zelo, rei loco libere se ipsum, ut Christus, subjiciat, nego ant.

Obj. 4. In locis Scripturæ, in quibus Christus dicitur *pro nobis* mortuus fuisse, *pro* nobis propitiatio, hostia, & alia hujusmodi; præpositio *pro* sumitur pro utili; ita ut sensus sit, Christi mortem ad confirmandam veritatem & ad patientiæ exemplum contulisse; ergo &c.

R. Nego ant. Nam 1. alioquin dici posset, Apostolos, & Martyres *pro* nobis mortuos esse: quod tamen Paulus ipse negat 1. ad Corint. 1. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* 2. In Caiphæ Prophetia præpositio *pro* necessario sumitur pro subrogatione in alterius locum: *Nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* 3. Petrus primæ Epist. cap. 2. per præpositionem *pro* subrogationem in alterius locum aperte distinguit a patientiæ exemplo, quod Christus sua morte nobis præbuit: *Christus* (inquit) *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.*

§. XII. *De satisfactione a Christo exhibita.*

1. *Qu.* Christi passio habetne rationem satisfactionis proprie dictæ?

R. Habet. Nempe satisfactio proprie dicta, tria complectitur; pœnæ impositionem a superiore; ejusdem pœnæ voluntariam susceptionem in inferiore; & tandem pœnæ, reo alioquin infligendæ, commutationem in pœnam, quam inferior, ex mandato superioris, in se ipso libere susceperit, atqui &c. ergo, &c.

2. *Q.* Satisfactio exhibita a Christo, fuitne ex rigore justitiæ?

R. Circa eam quæstionem duæ sunt scholasticorum sententiæ; prima, quæ est negativa, a Scoto propugnatur in 3. dist. 19. altera, quæ est affirmativa, a S. Thoma defenditur.

3. *Q.* Quot sunt conditiones requisitæ ut aliqua satisfactio sit ex rigore justitiæ.

R. Quinque. Nam 1. debet esse ad alterum: 2. actus quo exhibetur, debet esse liber: 3. res quæ per satisfactionem redditur, debet esse æquivalens debitæ. 4. debet esse ex bonis quæ satisfacienti propria sint, seu ex bonis in quæ satisfaciens verum dominium habeat; oportet 5. ut sit ex bonis alias indebitis, id est, non debet esse ex bonis quæ alio *justitiæ* titulo creditori debeantur. Potest addi 6. conditio, scilicet. Necesse est ut creditor acceptare teneatur satisfactionem quam debitor exhibuerit.

4. *Q.* Christi satisfactio fuitne ad alterum.

R. Fuit. Quia exhibita fuit a Verbo in humana natura subsistente: at Verbum sub eo respectu distinguitur non tantum a personis Patris & Spiritus sancti, sed etiam a se ipso prout in divina tantum natura subsistit.

Obj. Satisfactio quæ a filio exhibetur Patri, non est proprie ad alterum, quia pater & filius unam tantum, saltem moraliter, personam constituunt, ut jura fuerunt: ergo, &c.

R. Dist. ant. Si non habeant diversa dominia, conc. ant. Si habeant, nego ant. Verbum prout subsistens in humana natura habet dominium distinctum & diversum a dominio quod habet prout in divina natura subsistens; unde satisfactio Christi exhibita non tantum Patri & Spiritui sancto, sed ipsi etiam Verbo, est proprie ad alterum.

5. *Q.* Actus quo Christus satisfactionem exhibuit, fuitne liber?

R. Fuit. Nimirum Christus libere mortuus est, ut probavimus superius agentes de Christi libertate.

6. *Q.* Pretium, quod per Christi satisfactionem persolutum est, fuitne æquivalens & æquale debito per homines erga Deum contracto.

R. Fuit: quia mors Christi, propter humanæ naturæ cum Verbo unionem, meriti fuit, in genere moris, infiniti: quia majus vel minus meritum operis petitur ex merito personæ operantis.

Obj. Quando effectus producitur a duabus caussis, quarum una est finita & altera infinita, est simpliciter finitus, ut patet ex visione beatifica; sed Christi satisfactio emanavit ab illis caussis, persona nimirum Verbi; quæ est infinita: & humanitate quæ est finita, ergo, &c.

R. Dist. ant. Si ambæ caussæ sint caussæ physicæ, ut in visione beatifica, Deus & creatura conc. ant. Si una sit caussa physica, ut natura humana, & alia moralis; ut est in Christi satisfactione, persona Verbi, nego ant.

7. *Q.* Satisfactio quam Christus exhibuit, fuitne ex propriis Christi bonis?

R. Fuit: quia exhibita est per actus humanitati proprios; de iis enim humana Christi natura pro libito, servato tamen ordine finis, disponere potuit: hoc est, potuit eos impendere ad actus virtutum alios ab actibus justitiæ.

Obj. Actus humanæ naturæ, utpote creatæ erant sub Dei dominio; ergo non erant sub dominio humanitatis.

R. Dist. ant. Erant sub Dei dominio universali sicut res omnes creatæ, conc. ant. Sub dominio singulari, nego ant. Istud autem, ab illo non tollitur; scilicet operantis libertas per universale Dei dominium non tollitur.

8. *Q.* Actus per quos humana natura verbo conjuncta satisfecit, erantne, titulis aliis a titulo justitiæ, Deo debiti?

R. Erant, titulo nimirum obedientiæ, religionis, caritatis, & gratitudinis.

Obj. Si illi actus, titulis aliis a titulo justitiæ Deo debiti erant, nonnihil ex rigorosæ satisfactionis justitia detraxerunt: ergo, &c.

R. Nego ant. Quia cum illi actus essent a principio hypostatice conjuncto cum persona Verbi, valoris fuerunt infiniti: ac proinde perfecte explere potuerunt omnes omnino titulos, cujuscumque speciei supponantur: Præterea multiplicatio titulorum non multiplicat debitum; sic qui debet centum aureos, & eos solvit creditori egenti, per unam eorum solutionem & titulum justitiæ & titulum caritatis explet perfecte.

9. *Q.* Deus potuitne non acceptare exhibitam a Christo satisfactionem?

R. Non potuit: quia exigit infinita Filii dignitas ut semper a Patre exaudiatur, juxta illud ad Hebræos 5. *Exauditus est pro sua reverentia.*

Obj. 1. Deus Pater acceptavit satisfactionem a Christo exhibitam, tantum propter pactum de ea acceptanda, quod libere inter ipsum & Christum sancitum fuerat: ergo poterat eam non acceptare: potuit enim pactum illud non ferire.

R. Nego ant. Non enim tantum propter illud pactum acceptata fuit, sed præterea propter ipsiusmet satisfactionis intrinsecam dignitatem: unde, secluso etiam eo pacto, Deus Pater Christi satisfactionem acceptasset.

Obj. 2. Exhibita per Christum satisfactio, fuit ex gratia & liberalitate personæ offensæ, ex unione nimirum hypostatica quæ humanitati nullo modo debebatur: ergo, &c.

R. Dist. ant. Fuit ex gratia præsuppositive, hoc est, satisfactioni exhibitæ ab humanitate præsupposita fuit unio hypostatica, conc. ant. Fuit formaliter ex gratia, hoc est, fuit pars quæ opera satisfactoria componeret, nego ant. At gratia quæ tantum præsuppositive se habet ad opus satisfactorium, non opponitur rigori justitiæ, ut patet in debitore, qui creditorem solvit per pecuniam quam sua industria lucratus est ex auro quod ab eodem creditore mutuatus fuerat.

§. XIII. *De Christi Mediatione.*

1. *Q.* Quid intelligitur Mediatoris nomine?

R. Mediator, est is qui inter aliquos dissidentes, aut saltem minime conjunctos, medium se interponit, ut eos aut redigat in concordiam, vel novo fœdere conjungat.

2. *Q.* Christus estne Mediator Deum inter & hominem?

R. Est. Id enim expresse asseritur ab Apostolo primæ ad Tim. 2. *Unus* (inquit) *& Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.*

3. *Q.* Quot modis Christus est inter Deum & hominem Mediator?

R. Pluribus modis: per substantiam nimirum & operationem. Et quidem 1. per *substantiam*, quia Deus & homo in Christo substantialiter uniuntur. 2. Per *operationem*, quia Mediator est per discretionem & judicium; a Deo enim constitutus est judex & arbiter ineundæ pacis; si Deus primum agnosceret, & homo permaneret in fide quæ per dilectionem operatur: 3. per modum *internuntii*, scilicet Christus sancitas a Deo leges hominibus nunciavit, unde Malachiæ 3. dicitur *Angelus testamenti*; 4. Per *orationem & supplicationem* (unde ait Apostolus,) *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, Hebr. 6. 5. per *solutionem & satisfactionem*: scilicet *propitiatio est pro peccatis nostris*. 1. Joann. 2.

5. *Q.* Christus estne Mediator prout est Deus, an vero, prout est homo?

R. Est Mediator prout homo, qui tamen cum Verbo substantialiter conjunctus sit. Primo Mediator est *prout homo*, juxta illud Apostoli primæ ad Tim. 2. *Unus Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* 2. Homo ille, Mediator est *in quantum Deo conjunctus*: nempe Scriptura illi sub ea ratione considerato adscribit Ecclesiæ adquisitionem: *In quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo.* 3. Non alia ratio potest Mediatoris partes explere: orationem nimirum, satisfactionem, & alia hujusmodi, quæ ad pacem nostram cum Deo stabiliendam conferunt.

6. *Q.* Christus estne ita Deum inter & homines Mediator, ut excludat mediationem Sanctorum una cum ipso in cælis regnantium?

R. Non excludit: quia Sanctorum Mediatio non est (ut est Mediatio Christi) primaria mediatio, sed secundaria tantum: scilicet apud Deum caussam non agunt nostram, nisi ex meritis mortis quam Christus passus est, nisi in virtutem gratiarum quibus ex Christi meritis donati sunt; non orant, nisi in ejus nomine: non aliud offerunt Deo, quam Christum ipsum, aut illius dona.

Obj. Apostolus primæ ad Timoth. 2. scribit, Christum esse *solum* inter Deum & ho-

 mi-

mines Mediatorem: *Unus Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*: sed qui *solus* est Mediator, excludit alios: ergo, &c.

R. Dist. maj. Mediatorem *primarium*, qui scilicet pro nobis mortuus est, qui pro nobis satisfecit, qui nos dato pretio redemit, qui caussa est meritoria omnium gratiarum, qui propria & non aliena merita obtulit Deo, conc. maj. Mediatorem secundarium, nego maj. Non alia ratione Sancti, qui una cum Christo regnant in cælis, sunt nostri apud Deum Mediatores, quam ii qui adhuc in terris militant: quam pastores qui pro suis ovibus orant: quemadmodum ergo Christi Mediatio non excludit Mediationem Sanctorum in terris degentium, nec pastorum pro ovibus orationem: ita nec Mediationem Sanctorum qui cum eodem Christo regnant in cælis.

7. Q. Quid fides Catholica docet de Sanctorum, qui in cælis regnant, erga nos officiis?

R. Docet 1. eos suas orationes pro nobis offerre: 2. bonum ac utile esse eos invocare: *Mandat sancta Synodus* (ait Concilium Tridentinum Sess. 25.) *omnibus Episcopis, & ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut . . . fideles diligenter instruant, docentes eos*, Sanctos, *una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere*.

Obj. Sancti qui regnant in cælis, non noverunt preces quas homines viatores ad eos dirigunt; ergo pro hominibus viatoribus non orant.

R. 1. Dato antecedente, licet falsum sit nego conseq. Dici enim potest sanctos in cælis orare pro iis qui eorum invocant auxilium, quamvis in specie non cognoscant a quibus invocentur, sicut nos hic in terris orare solemus pro iis omnibus qui se commendant orationibus nostris, quamvis nesciamus quinam ii sint in specie.

R. 2. Nego ant. Quia (ut diximus agentes de intuitiva Dei visione) Deus revelat Sanctis ea omnia quæ ad eos specialiter pertinent.

§. XIV. *De Adoratione Christi debita*.

1. *Quæst.* Quid est Adoratio?

R. Est cultus enti alicui propter supernaturalem ac eminentem ejus excellentiam exhibitus.

2. Q. Quotuplex est Adoratio?

R. Triplex, Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ. Prima, definitur, *Cultus ob divinam & infinitam excellentiam exhibitus*: altera, *cultus enti exhibitus propter excellentiam creatam, sed pluribus communem*: tertia, *cultus alicui exhibitus propter excellentiam creatam, sed eximiam, & ipsi propriam*.

3. Q. Adoratio Latriæ, debeturne Christo?

R. Debetur: quia debetur enti quod (ut Christus) est vere ac substantialiter Deus.

4. Q. Potestne dici, demonstrato Christo, quod huic homini adoratio debeatur?

R. Potest: quia vox illa *homo*, cum sit nomen concretum, non significat naturam humanam solam, sed etiam personam: ea vero quæ personæ propria sunt, humanæ naturæ per communicationem idiomatum tribuuntur: propter eam enim rationem dicitur quod hic homo (demonstrato Christo) sit Deus.

5. Q. Adoratio latriæ debeturne Christo, etiam prout est homo?

R. Triplex est ea de re Scholasticorum opinio. Alexander de Hales docet, humanitatem Christi sic consideratam, coli quidem debere cultu latriæ, sed qui relativus sit, hoc est, qui ultimo ad divinitatem terminetur, sicut cultus qui exhibetur imaginibus Christi. Scotus fatetur quidem, absolutum latriæ cultum deberi humanitati Salvatoris, sed addit deberi & ipsi alium cultum, qui hyperduliæ dicitur, propter eximias dotes ac virtutes quibus excellit. S. Thomas e contra contendit Christo etiam prout est homo, non posse exhiberi alium a latria cultum.

6. Q. Potestne probari latriæ cultum deberi Christo, etiam prout est homo?

R. Potest. Scilicet Christo sub eo respectu considerato sub quo mundum ingreditur, debetur latriæ cultus: juxta illud Apostoli ad Hebræos c. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli Dei*: atqui Christus, prout est homo, mundum ingreditur: ergo, &c.

7. Q. Idem potestne probari ex sanctis Patribus?

R. Potest. Athanasius in Epistola ad Adelphium, vetat ne is qui Christum adorat, duplicem adorationis terminum sibi proponat, Verbum nimirum & humanitatem: jubet ut utrumque conjunctim, hoc est una adoratione colatur: *Neque* (ait) *corpus ejusmodi per se dividentes, per Verbum adoramus; neque Verbum adorare volentes, ipsum longe a carne disjungimus*. Epiphanius in Ancorato docet, humanitatem esse veluti vestem Dei Verbi; hincque concludit unica cum Verbo adoratione coli eam debere, quemadmodum unico ac eodem honore & regem, & purpuram qua indutus est, colimus; ita & Verbum & humanitatem ab eo assumptam. Ambrosius in libro 3. de Spiritu sancto cap. 12. Augustinus in Psalm. 98. in his Psalmi verbis. *Adorate scabellum pedum ejus*, nomine, *scabelli*, intelligunt humanitatem Christi, ajuntque, eam sine impietate adorari. Idem expresse docet S. Joannes Dama-

Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa cap. 8. *Quem* (inquit) *adoramus unica adoratione cum ejus immaculata carne.*

8. *Q.* Potestne probari ex Conciliis, Christi humanitati latriæ cultum deberi?

R. Potest. Ephesinum I. Concilium probavit Cyrilli Anathematismos duodecim adversus Nestorium, at Anathematismo 8. Cyrillus expresse docet, hominem assumptum & Dei Verbum una & eadem adoratione coli debere: *Et non una potius adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum Caro factum est, anathema sit.* Concilium generale V. eodem modo loquitur: *Si quis* (ait) *non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, anathema sit.*

9. *Q.* Potestne probari ratione, absolutum latriæ cultum deberi humanitati Christi?

Q. Potest. Nempe honos qui primo & per se respicit personam, secundario & ex consequenti respicit ea omnia quæ in illa persona existunt: sed, &c. ergo, &c.

Obj. Humanitas Christi non est Deus; ergo illi non debetur adoratio latriæ.

R. Dist. cons. Ergo illi primo & per se non debetur adoratio latriæ, conc. conseq. Secundario & ex consequenti, nego conseq. Solutio patet ex dictis.

16. *Q.* Potestne dici quod humanitas Christi, solum per accidens adoretur latriæ cultu?

R. Dici potest, si per has voces, *per accidens*, idem intelligatur ac per has alias *secundario & ex consequenti*. E contra dici non potest, si per easdem voces, *per accidens*, intelligatur adorationem deberi humanitati Christi, quia sequitur (ut volebat Nestorius) ex accidentali unione cum Verbo.

11. *Q.* Adoratio hyperduliæ potestne tribui Christo, ratione excellentiæ creatæ quæ in ejus humanitate reperitur?

R. Non potest. Nam 1. inde sequeretur humanitatem & Verbum in Christo posse duplici adoratione coli: quod tamen fieri non posse Cyrillus negat. 2. Nullus e SS. Patribus meminit hyperduliæ quæ Christi humanitati exhiberi possit: 3. quando res cui per se cultus minor debetur, est conjuncta alteri cui debetur cultus præstantior, minor ille cultus non exhibetur, sed solus præstantior, sic qui Rex est & Comes simul, non honoratur officiis quæ soli comiti exhibenda sunt.

12. *Q.* Debeturne Sanctis una cum Christo in cælo regnantibus aliqua adorationis species, seu quod idem est, aliquis religiosus cultus?

R. Debetur: non minus enim illis, quam quibusdam hominibus adhuc in terra degentibus exhibendus est honor propter excellentiam, quæ, ut in Ecclesiasticis pastoribus & multis hominibus maxime piis, ad religionem spectet.

13. *Q.* Cultus qui Sanctis debetur, estne latriæ cultus?

R. Non est: *Quis enim* (ait Hieronymus adversus Vigilantium) *aliquando martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?*

14. *Q.* Quomodo vocatur cultus religiosus qui Sanctis exhibendus est?

R. Is qui Sanctis exhibetur, vocatur cultus *duliæ*: qui vero Virgini Deiparæ, vocatur cultus *hyperduliæ*.

15. *Q.* Debeturne cultus aliquis Sanctorum reliquiis?

R. Debetur; quamdam enim, quæ ad religionem spectet, dignitatem compararunt ex eo, quod vera fuerint Christi membra, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda.

Praxim qua cultus religiosus reliquiis exhibetur, quarto sæculo Vigilantius, sicut & decimo sexto Lutherani & Calvinistæ damnaverunt; sed eum Vigilantium argumento ex consensu totius orbis petito, hisce verbis confutat Hieronymus: *Male ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te, vilem pulvisculum, offert Domino Sacrificium, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria. Et non solum unius urbis, sed etiam totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Basilicas Martyrum.*

16. *Q.* Cultus aliquis religiosus debeturne imaginibus sacris?

R. Debetur: nam 1. id post Nicænam II. Synodum Tridentina definiit Sessione 25. ubi hæc habentur: *Eisque* (de sacris imaginibus loquitur) *debitum honorem & venerationem impertiendam.* 2. Quando Iconomachi bellum indixere sacris imaginibus, omnes ubique Christiani eas in templis habebant, eisque quemdam religiosum cultum exhibebant. 3. Imperatoris imagini, quod Imperatorem repræsentet, cultus civilis exhibetur; ergo religiosus exhiberi debet imaginibus, quæ rem sacram repræsentant.

Obj. 1. Cultus exhibitus sacris imaginibus videtur idem esse cum eo quod Gentiles Deorum suorum simulacris exhibebant: ergo, &c.

R. Nego ant. Scilicet Gentiles credebant, simulacra sua Deos esse veros, juxta illud Sapientiæ 13. *Appellarunt Deos opera manuum hominum*: aut saltem putabant, Deos suos, saltem per virtutem aliquam, inesse simulacris, quibus thus adolebant: at neutrum de imaginibus, quas colunt, credunt Catholici: hoc est, nec credunt imagines esse Deos, nec aliquam eis inesse virtutem, propter quam cultum mereantur: *Non quod credatur* (inquit Concil. Trid. Sess. 25.) *inesse aliqua in eis divinitas, vel virtus, propter quam sint colenda, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, sicut olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant.*

Obj. 2. Exodi cap. 20. omnium omnino rerum per se extantium, seu alteri per modum ornamenti non adhærentium, sculptura & pictura prohibentur: ergo & a fortiori imaginum sive sculptarum, sive pictarum cultus.

R. Circa prohibitionem, de qua agitur, triplex est Theologorum sententia.

Prima, asserit Deum in antiqua lege non prohibuisse omnium prorsus imaginum usum, sed earum dumtaxat, quæ ad falsum aliquod Numen repræsentandum fierent, quæque, proprie loquendo, idola vocantur.

Altera, docet Judæis prohibitum fuisse non tantum inanium Deorum, (ut vult prima sententia) sed etiam Dei veri imaginem effingere, aliarum vero rerum imagines, quæ ad latriæ adorationem non effingerentur, Judæis non fuisse prohibitas.

Tertia, contendit prohibitum fuisse Judæis aliquarum rerum, cujuscumque speciei supponantur, imagines sculpere aut pingere: *Non facies tibi sculptile* (inquit Scriptura Exodi 20.) *neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis & sub terra.* Eam praxim Judæos ad litteram servasse docent Philo Judæus in libro de Decalogo, & Josephus libro 17. Antiquitatum.

Verum quæstionis illius solutio non est necessaria, ut solvatur argumentum quod nobis objectum est: nempe, dato antecedente, nego conseq. Ratio est, quia præceptum de non effingendis aliquarum rerum imaginibus erat præceptum mere cæremoniale, & ideo latum, quod Judæi ad Deorum inanium cultum essent maxime propensi: at præcepta mere cæremonialia per Evangelii promulgationem abrogata fuerunt.

Obj. iterum 1. Gregorius Magnus in suis ad Serenum Episcopum Massiliensem Epistolis, docet nullum plane cultum sacris imaginibus exhiberi debere. 2. Libri Carolini damnant Nicænam II. Synodum, quod cultum imaginibus asseruisset. 3. Concilium Francofordiense eamdem Nicænam II. Synodum ob eamdem rationem proscripsit. 4. Idem factum est a Concilio Parisiensi, quod anno 825. celebratum est: ergo, &c.

R. Ad 1. Gregorius Magnus non alium imaginibus negavit cultum, quam qui etiam in Nova lege primo Decalogi mandato prohibetur: at cultus qui primo mandati Decalogo in Nova lege prohibetur, est cultus latriæ absolutus. Confirmatur, eo quod Gregorius probet ut ante imagines populi fideles procumbant, eaque exterius faciant quæ honorifici & religiosi cultus sunt argumenta.

R. Ad secundum, tertium, & quartum argumentum, libros qui Carolini dicuntur, Concilium Francofordiense, & Concilium Parisiense, per errorem facti, non autem ex errore juris damnasse Nicænam II. Synodum: scilicet illorum Conciliorum Patres censuerant Nicænam Synodum Latriæ cultum Sanctorum imaginibus detulisse. *Ut* (inquiunt Patres Concilii Francofordiensis, Nicænæ II. Synodi referentes definitionem) *qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur.*

Ratio vero cur Francofordiensi Concilio ita visum fuerit, petitur ex eo quod Nicænæ Synodo adscripserit opinionem Constantini Episcopi, qui cum suam in Synodo Nicæna sententiam dixerat, usus fuerat eo loquendi modo cui Concilium Francofordiense censuram inurit. At licet illi loquendi modo Nicæna Synodus non contradixisset, nusquam tamen eum probaverat: scilicet in definitione fidei sacra Synodus venerationem honorariam quam asserit imaginibus, aperte distinguit a cultu latriæ qui soli Deo debetur: sic enim habet: *Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui eas contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam, & desiderium; non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam divinam decet, impertiendam.*

17. *Q.* Cultus qui sacris imaginibus debetur estne absolutus, an vero relativus? hoc est, terminaturne ad imagines, an vero ad prototypa refertur?

R. In intentione honorantis, est relativus. Ratio est 1. quia ita sensisse videtur Nicæna II. Synodus: sic enim Sess. 7. in definitione fidei loquitur: *Imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.* 2. Eadem est Concilii Tridentini doctrina: scilicet Sessione 25. definit 1. Imagines non honorari *quod credatur inesse aliqua in his divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ.* Definit 2. ideo eas honorari, *quoniam honos, qui eis exhibetur, ad prototypa refertur.* Definit 3. quod *per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.*

PARS QUINTA.

De Deo Auctore Legum.

Nota. Agendum est hic 1. de Lege in communi; 2. de lege æterna; 3. de Lege naturali; 4. de lege Divina; 5. de Lege Ecclesiastica; 6. de Lege Civili.

CAPUT PRIMUM.

De Lege in Communi.

1. *Quæst.* QUid est lex in communi?

R. Lex definitur, Ordinatio rationis ad commune bonum, ab eo qui curam perfectæ communitatis habet, promulgata.

2. *Q.* Valetne allata legis definitio?

R. Valet. Nam 1. convenit omni legi, sive sit naturalis, sive sit divina, sive sit humana. 2. Convenit soli legi, nempe quatenus est *ad bonum*, differt ab eo omni quod ordinem justitiæ perturbat: prout vero refertur ad bonum *commune*, discrepat à præcepto, quod quidem respicit bonum privatorum, ut privati sunt: prout vero dicitur *promulgata ab eo qui curam habet perfectæ communitatis*, differt a statutis, quæ in civitatibus non sufficientibus sibi, vel in Congregationibus, tum Ecclesiasticis, sive sæcularibus, sive regularibus, tum laicis ferri solent.

3. *Q.* A quo lex condi debet?

R. A solo perfectæ communitatis Superiore; quia illi soli convenit potestas jurisdictionis ad promovendum commune bonum. Nomine autem perfectæ Communitatis intelligitur ea, quæ sibi sufficit ad finem, ad quem fuit instituta.

4. *Q.* Lex non promulgata obligatne subditos?

R. Non obligat: quia sine debita promulgatione non censetur sufficienter subditis cognita.

5. *Q.* Promulgatio estne de essentia legis?

R. Non est: quia promulgatio supponit legem esse jam conditam; non enim aliud est, quam debita illius ad subditos, servatis servandis, applicatio. Quænam autem sint quæ servanda sunt, pendet ex regnorum & provinciarum receptis consuetudinibus.

CAPUT II.

De Lege æterna.

1. *Quæst.* LEx æterna quomodo definitur?

R. Definitur, Ratio suprema directiva omnium actionum & motionum.

2. *Q.* Quinam est sensus allatæ definitionis?

R. Lex æterna dicitur 1. *Ratio*, quia est ordinatio mentis mediorum ad finem. Dicitur 2. *Suprema*, quia est ultima regula, ad quam omnia agenda exigi debent, sicut primum principium est ultima regula ad quam quæcumque cognoscenda in speculativis reducuntur. Dicitur 3. *directiva omnium actionum & motuum*: quia versatur circa actiones & motiones; scilicet actiones & motiones sunt media per quæ creatura qualibet tendit ad debitum finem.

3. *Q.* Lex æterna estne omnibus nota sub ratione legis æternæ?

R. Non est, quia multi sunt qui Dei, in quo est illa lex, existentiam non cognoscunt, nec distincte norunt aliquid quod sit æternum.

4. *Q.* Lex æterna estne omnibus nota in genere?

R. Est: scilicet nullus est qui non norit incommutabilem aliquam legem, ut sunt prima & communissima morum principia, cujusmodi sunt hæc duo: *Bonum est agendum*, *Malum est vitandum*.

5. *Q.* Lex omnis derivaturne ab æterna tamquam a caussa?

R. Derivatur: quia primum in unoquoque genere est caussa ceterorum: ergo cum lex æterna sit omnium prima, est enim *summa ratio*, est caussa aliarum omnium legum.

Obj. Lex fomitis, quæ inclinat ad malum, est vera lex, juxta illud Apostoli Rom. 7. *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ*; sed hæc non derivatur ab æterna lege: ergo &c.

R. Dist. ant. Est lex æquivoce, in quantum scilicet movet, & impellit voluntatem, conc. ant. est lex vere & proprie, nego ant. Scilicet inclinat ad malum: lex vero (ut superius dictum est) ad bonum debet inclinare; alioquin enim non erit lex.

6. *Q.* Omnia subjiciunturne æternæ legi?

R. Subjiciuntur: quia Deus rebus omnibus ad normam æternæ legis indidit instinctum, per quem in finem sibi convenientem ferantur: unde est illud Augustini in lib. 16. de Civit. Dei, cap. 12. *Nihil a legibus summi Creatoris, Ordinatorisque subtrahitur, a quo pax universitatis administratur*.

Obj. Peccata non subjiciuntur æternæ legi, contra illi adversantur: ergo, &c.

R. Dist. ant. Legi dirigenti, conc. ant. permittenti, nego ant. Hinc est illud Augustini de Angelo prævaricatore in lib. 19. de Civit. Dei, cap. 13. *In veritate non stetit, sed veritatis judicium non evasit; quia in ordinis tranquillitate non remansit; nec ideo tamen a potestate ordinatoris effugit*.

7. *Q.* Quodnam est primum & præcipuum legis æternæ mandatum?

R. Est ut debitus ordo in rebus & actibus servetur: *Æterna lex* (ait Augustinus in libro 1. de libero arbitrio, cap. 6. *est ea, qua justum est ut omnia sint ordinatissima*: aut (ut idem sanctus Doctor docet libro 22. contra Faustum, cap. 24.) *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*. Ordo vero naturalis (ut observat idem Augustinus) fert, ut inferiora superioribus subjiciantur, creaturæ Deo, entia corporea spiritualibus, & ita de aliis.

CAPUT III.

De Lege Naturali.

1. *Q.* Quomodo definitur lex Naturalis?
R. Definitur: *Participatio legis æternæ, creaturæ rationali per inspirationem luminis & amoris impressa.*

2. *Q.* Valetne allata legis naturalis definitio?
R. Valet. Nempe 1. quatenus est *participatio legis æternæ*, convenit cum omnibus legibus positivis; omnes enim, si justæ sunt, ab æterna derivantur. 2. Per hanc vocem, *impressa*, differt ab iisdem positivis legibus: harum scilicet nullum est menti nostræ inditum vestigium. 3. Hæc verba, *Per inspirationem luminis & amoris*, exponunt duo legis naturalis officia, in eo posita, quod lex naturalis ostendat bonum, & ad illud per modum præcepti & cujusdam suasionis inclinet.

3. *Q.* Estne discrimen aliquod inter Synderesim, conscientiam, & naturalem legem?
R. Est. Nam 1. Synderesis inclinat ad assentiendum principiis practicis, ut sunt ista: *Bonum est agendum, malum est fugiendum*: e contra, lex naturalis *per se* non inclinat ad illum assensum, sed eum dumtaxat præcipit. 2. Differt a conscientia, quod hæc sit de agendis aut vitandis hic & nunc; lex vero naturalis sit de agendis aut vitandis in genere tantum.

4. *Q.* Existitne lex naturalis?
R. Existit: scilicet indita sunt nobis quædam boni cognitio & amor: unde Scriptura docet, prævaricatores esse quicumque peccant: *Prævaricantes* (inquit Propheta Rex, Psalm. 118.) *reputavi omnes peccatores terræ.*

5. *Q.* Estne in lege naturali aliquod primum principium, ad quod cetera præcepta reducantur.
R. Est aliquod in cognoscendis, istud nempe; *Impossibile est idem esse simul & non esse*; ergo & in agendis: quia sicut debet esse aliqua prima regula cognitionis, ita & debet esse actionis, ista nimirum quæ cuique per se nota est: *Bonum est faciendum, & malum fugiendum.*

6. *Q.* Omnes actus virtutum suntne de lege naturali?
R. Sunt, si actus illi sumantur in genere: nempe rationi sunt consentanei, & ad eos eadem inclinat ratio. Si vero sumantur in specie, omnes non sunt de lege naturali: scilicet sic accepti, non sunt semper rationi conformes, quia cuique statui non conveniunt: sic virginitas conjugatis, ut conjugati sunt, non convenit: tenentur nimirum ad conjugale debitum, si exigatur.

7. *Q.* Lex naturalis estne una apud omnes?
R. Est una, quoad prima & communia principia: *Bonum est faciendum malum autem fugiendum*: sumpta vero secundum conclusiones particulares, saltem remotas, non est una apud omnes: nempe conclusiones particulares remotæ falsò a plerisque deducuntur ex primis principiis: sic ex isto generali principio, *Furari non licet*, sequitur quidem Usuram esse prohibitam, cum a parte rei sit furtum proprie dictum: sed tamen ea conclusio non est apud omnes una.

8. *Q.* Lex naturalis estne immutabilis?
R. Est prorsus immutabilis; quia objectum illius mutari non potest; seu fieri non potest ut quod vetat, sit licitum; & quod præcipit, sit malum.

9. *Q.* Potestas humana potestne dispensare in iis quæ sunt legis naturalis?
R. Non potest: quia inferior est lege naturali: inferior autem non potest solvere quod ligatum est a superiore.

Obj. 1. Ecclesia dispensat in votis, quorum tamen obligatio est de jure naturali: nimirum præscribit ratio, ut compleantur quæ Deo promissa sunt: ergo, &c.
R. Dist. ant. Ecclesia dispensat improprie, con. ant. proprie, nego ant. Hoc est, Ecclesia non eximit reum voti ab illius executione, stante lege voti; sed declarat voti legem non stare, seu non obligare in quibusdam particularibus circumstantiis. Ita Sanctus Thomas.

Obj. 2. Est de lege naturali ut alienum, invito Domino, non detineatur, in hoc tamen potestas civilis dispensat per legem præscriptionis: ergo, &c.
R. Nego ant. Nimirum, alienum per præscriptionem definit esse alienum; hoc est, potestas civilis, cui commissa est, propter utilitatem publicam, bonorum dispensatio, transfert per præscriptionem dominium rei, quæ ante præscriptionem erat aliena.

10. *Q.* Deus potestne dispensare in lege naturali?
R. Non potest: alioquin enim ageret contra legem æternam, quæ vetat ne licitum fiat quod per se est illicitum, & jubet ut id fiat quod recta ratio præscribit. Repugnat vero ut Deus quidpiam tentet contra legem æternam; id enim infinitæ illius sapientiæ adversatur.

Obj. Deus non semel dispensavit in lege naturali; Et quidem 1. cum Abrahamo, cui præcepit ut filium innocentem occideret. 2. cum Osea, cui jussit ut ex meretrice filios generaret. 3. cum Israelitis, ut Ægyptiorum vasa aurea & argentea furarentur. 4. cum iisdem Israelitis, ut cum alienis fenerarentur. 5. cum iisdem Israelitis, ut dimitterent uxores. 6. cum Patriarchis veteribus, quibus polygamiam indulsit. 7. cum obstetricibus Ægyptiis quarum mendacium compensavit: ergo Deus potest in lege naturali dispensare.
Resp. Dist. ant. Deus non semel in lege naturali dispensavit dispensatione improprie dicta,

dicta, subtrahendo nimirum actum aliquem ex materia legis naturalis, conc. ant. dispensavit dispensatione proprie sumpta; hoc est, actum non subtrahendo legi naturali, seu actu remanente legis naturalis materia, nego ant.

Et quidem 1. occisio Isaaci licet innocentis non erat vetita lege naturali, Deo qui necis & vitæ dominus est, eam præcipiente, e contra eo in casu præcipit ratio ut innocens occidatur.

2. Usus mulieris, etiam non conjunctæ, ad procreationem prolis, desinit esse materia legis naturalis, cum Deus (ut, teste sancto Thoma, Oseæ respectu contigit) muliebris corporis dominium in virum aliquem transfert. Præterea dici potest Oseam cum muliere fornicaria prius contraxisse nuptias, quam illa ad prolis generationem frueretur.

3. Vasorum ex Ægyptiis ablatio, desiit in casu de quo agitur: esse furtum: quia Deus, supremus rerum omnium dominus, eorum dominium transtulit in Israelitas, eisque in pœnam peccatorum Ægyptios spoliavit.

4. Fenus cum alienis, permissum est Judeis ad duritiam cordis: sed tunc non desiit esse peccatum. Idem dicendum est de uxorum dimissione quæ divinitus Judæis indulta fuit.

5. Polygamia in Patriarchis desiit esse materia legis naturalis: tunc enim tantum est contra legem naturalem, cum absolute necessaria non est ad propagandum Dei populum; non autem cum, accedente expresso Dei mandato, fuit, ut contigit Patriarcharum tempore, necessaria. Præterea multi contendunt polygamiam non esse contra legem naturalem, sed tantum contra positivam legem in Evangelio promulgatam. *Tunc* (inquit Augustinus) *peccatum non erat, quando mos erat.*

6. Deus non compensavit mendacium obstetricum Ægyptiarum, sed earum dumtaxat intentionem; quæ quidem non alia fuit, quam ut prodessent Hebræorum masculis, quos Pharao inique & contra leges omnes præfocari jusserat: seu (ut clarius loquamur) benevolentia quæ in eo facto emicuit, non fallacia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis, temporali mercede, quæ non est merces proprie dicta, remunerata fuit. Ita docet Augustinus contra Faustum Manichæum.

11. *Q.* Lex naturalis potestne ex hominum cordibus omnino deleri?

R. 1. Deleri non potest, quoad universalissima præcepta; se habent in practicis, sicut se habent in speculativis prima principia: ergo quemadmodum prima principia, &c. De lege naturali secundum ejusmodi respectum considerata intelligitur hæc Augustini sententia in libro 2. Confess. cap. 4. *Lex scripta est in cordibus hominum quam nec ulla quidem delet iniquitas.*

R. 2. Deleri potest secundum principia communia quæ non multum distant ab universalissimis; scilicet non pauci reperti sunt qui errarunt circa Decalogum: Gentiles enim omnes probarunt idololatriam; veteres Germani crediderunt furtum esse licitum; Priscillianistæ mendacio & perjurio patrocinati sunt; Plato uxorum communitati favit, ita ut vir pro libito aliena uxore frueretur ad multiplicandum Reipublicæ populum.

R. 3. Deleri a fortiori potest secundum conclusiones quæ valde remotæ sunt a primis morum principiis: *Quantum vero* (ait sanctus Thomas 1. 2. q. 94. art. 6.) *ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, eo modo, quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias; vel etiam propter pravas consuetudines & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia, peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Rom.* 1.

CAPUT IV.

De Lege positiva Divina.

1. *Qu.* Quomodo definitur lex positiva Divina?

R. Definitur lex quæ libere a Deo sancita est, ut homines sub æterna lege per Fidei, Spei, Caritatis, & quarumdam cæremoniarum praxim obedienter viverent.

2. *Q.* Quotuplex est lex positiva divina?

R. Duplex, Vetus & Nova. Illa Judæis olim per Moysem data fuit; ista e contra omnibus hominibus per Christum. Illa Vetus Testamentum; ista vero Novum appellatur: utraque in nostris Bibliis continetur.

3. *Q.* Lex vetus fuitne bona?

R. Fuit, juxta illud Apostoli ad Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum*: nec mirum; nihil enim lex antiqua præcipit, quod non sit rationi conforme.

Obj. 1. Ezechielis cap. 20. Deus sic loquitur: *Dedi eis præcepta non bona*: ergo, &c.

R. 1. Dist. ant. Dedi permissive, conc. ant. Scilicet (ex Hieronymo) textus ille debet intelligi de iniquis Gentilium legibus: dedi positive, nego ant.

R. 2. Dist. ant. Præcepta non bona, comparative ad legem novam, con. ant. absolute & simpliciter, nego ant. Ita Greg. Magnus lib. 28. Moral. cap. 7.

Obj. 2. Lex vetus (ex Apostolo ad Hebræos 8.) non vacavit culpa: ergo, &c.

R. Dist. ant. Culpa improprie sumpta, tum quod relinqueret in culpa, tum quod per accidens esset occasio peccati: nitimur enim in vetitum, conc. ant. culpa proprie sumpta, nego ant. *Quid ergo dicemus* (ait Apostolus ad Rom. 8.) *lex peccatum est? absit.*

Obj. 3.

Obj. 3. Ex Apostolo ad Rom. 7. peccatum per legem reviviscit; ergo non erat bona.

R. Dist. ant. Reviviscit *per accidens*, conc. ant. cum enim non subministraret gratiam, homo corruptus ex ea sumpsit occasionem peccandi: revivit *per se*, nego ant.

4. Q. Lex vetus fuitne perfecta?

R. Non fuit. Nam ex Apostolo ad Galat. 2. satis non fuit ad conferendam hominibus justitiam.

Obj. Plures in antiqua lege veram justitiam consecuti sunt; ergo fuit perfecta.

R. Dist. ant. Vi fidei in Christum, conc. ant. vi antiquæ legis, nego ant. Unde de justis qui sub lege veteri vixerunt, hæc ait Augustinus in libro 3. ad Bonifacium cap. 3. *Nondum nomine, sed reipsa fuerunt Christiani.*

5. Q. Cur lex vetus data fuit hominibus?

R. Data est 1. ut eos pœnarum metu a flagitiis & facinoribus deterreret: 2. ut revocaret in mentem legem naturalem, quam homines ex suis cordibus majori ex parte deleverant: 3. ut homines ad Christi fidem disponeret; unde ad Galatas 3. vocatur *Pædagogus noster in Christo.*

6. Q. Quinam est auctor veteris legis?

R. Deus ipse: id nimirum asseritur Exodi capite 24. necnon Lucæ 2. & pluribus aliis Scripturæ locis.

Obj. Lex vetus sæpe Moysi in Scripturis tribuitur: unde vulgo appellatur lex Moysi, ergo non est a Deo.

R. Dist. ant. Tribuitur Moysi tamquam promulgatori, conc. ant. tamquam auctori, nego ant. Nempe hæc habentur Levitici 24. *Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Hic est ritus leprosi*, &c.

7. Q. Lex vetus datane fuit Moysi immediate a Deo?

R. Data non fuit, juxta illud actorum 7. *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum.*

Obj. 1. Is qui cum Moyse locutus est, Deus in Scripturis dicitur: &c.

R. Dist. ant. Dicitur Deus, quod Dei nomine locutus sit, conc. ant. quod vere Deus fuerit, nego antecedens.

Obj. 2. Dicitur de Moyse quod Dominus sanciens legem *facie ad faciem* cum eo locutus sit: ergo, &c.

R. Dist. ant. secundum populi opinionem, conc. ant. in rei veritate, nego ant. Ita Augustinus libro 12. in Genesim.

8. Q. Quibus hominibus data fuit lex antiqua?

R. Solis Israelitis, seu Jacobi posteris: idque vi solius promissionis quæ Patriarchis de Messia divinitus facta fuerat.

9. Q. Aliæ ab Israelitis gentes tenebanturne servare veterem legem?

R. Tenebantur quoad præcepta moralia quæ in Decalogo continentur, quia juris sunt naturalis, quod quidem omnes homines obligavit semper: non tenebantur vero quoad præcepta ceremonialia & judicialia, quia non eis, sed solis Israelitis a Deo imposita fuerant.

10. Q. Alii a Judæis populi poterantne salvari, licet Moysis legem non amplecterentur?

R. Poterant; scilicet sola lege naturali tenebantur: unde si qui ex auxilio gratiæ, cum fide saltem implicita in Christum, legem naturalem servaverint, justitiam consecuti sunt; proindeque salutem adipisci potuerunt.

11. Q. Lex vetus estne abrogata?

R. Est: Nempe non sancita fuerat ut esset perpetua, sed tantum donec Christus ad quem erat Pædagogus, mortis suæ sacrificium obtulisset: unde Apostolus ad Hebræos cap. 7. sic loquitur. *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.*

Obj. Lex vetus adhuc stat ac viget quoad præcepta moralia, nempe quoad Decalogum: ergo non est prorsus abrogata.

R. Dist. ant. Stat & viget quoad præcepta moralia, vi legis naturalis ad quam pertinent illa præcepta, conc. ant. vi legis antiquæ, nego ant.

12. Q. Quandonam abrogata fuit lex antiqua?

R. In Christi morte: de illius nimirum abrogatione Patres exponunt illud Christi morientis verbum, *Consummatum est*; hoc est, finem habent quæ me futurum prænuntiabant, quæque legis novæ a me sanciendæ umbra erant & figura.

13. Q. Lex antiqua statim post Christi passionem fuitne mortifera? hoc est, potuitne quoad ceremonialia præcepta aliquandiu sine peccato observari?

R. Fuit quidem (ut mox dictum fuit) mortua, sed non statim fuit mortifera: scilicet Apostoli pro loco & tempore, œconomiæ caussa sed non ex necessitate salutis, nonnullos illius ritus aliquamdiu servarunt: nempe Paulus Timotheum ex matre Judæa natum circumcidit, Actorum 16. Et cap. 21. suadente Jacobo, idem Apostolus Jerosolymis usus est legali purificatione, id autem (hoc est, observatio legis) per aliquod post Christi passionem tempus, solis Judæis ad fidem Christianam conversis, non autem Gentilibus qui fidem amplexi fuerant, indultum est: unde Paulus ad Galatas 5. hæc scribit: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.*

14. Q. Quotuplicis generis præcepta fuerunt in lege Mosaica?

R. Triplicis; Moralia nimirum quæ aut expresse in decalogo continentur, aut ad eum reducuntur: ceremonialia quibus præscripti erant ritus ad externum Dei cultum adhibendi: Judicialia tandem, quibus forma jus populo dicendi mandata fuerat.

15. Q. Quid est lex Nova?

R. Quæ a Jesu Christo sancita est, quæ-

que

que tum in Evangeliis, tum in Actis & Epistolis & Apocalypsi, tum in unanimi Patrum traditione continetur: Nova vero vocatur, quod veteri successerit tamquam lux umbræ & veritas figuris.

16. *Q.* Quandonam lex Nova fuit sollemniter promulgata?

R. Die sacra Pentecostes quæ contingit post Christi mortem; tunc enim Apostoli, recepto Spiritu sancto, fidei in Christum necessitatem palam prædicarunt, eumdem Christum Messiam esse lege promissum declararunt, institutoque ab ipso baptismate credentes consignarunt.

17. *Q.* Quotuplicis generis sunt præcepta in lege Nova?

R. Triplicis: Moralia nimirum quæ in Decalogo vel explicite, vel implicite continentur: ceremonialia, cujusmodi sunt essentiales Sacramentorum ritus; & tandem judicialia, non quidem determinata in specie, ut erant in lege veteri, sed in genere tantum, quatenus scilicet fidelibus præscriptum est, ut Ecclesiam tamquam matrem & judicem audiant, juxta illud Christi in Evangelio Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

CAPUT V.

De Lege Humana in genere.

1. *Quæst.* QUænam est materia legum humanarum?

R. Res spirituales non sunt materia legum Civilium, quia leges civiles per se non habent pro fine populorum æternam salutem, sed temporalem tantum, & æternam eorum pacem, ad quam res spirituales nullum ordinem dicunt: e contra res spirituales, utpote salutem æternam promoventes, sunt materia legum Ecclesiasticarum.

2. *Q.* Lex humana estne tantum de actibus externis, an etiam de internis?

R. Est etiam de internis. Et quidem 1. Cum habent essentialem connexionem cum externis, sicut attentio interna cum horis Canonicis, aliisque orationis speciebus. 2. Cum se habent per modum dispositionis ad externos actus, ut pietas, & status gratiæ ad Communionem Eucharisticam. 3. Cum produntur per externos actus, sicut hæresis mente præconcepta & quæ signis exterioribus exprimitur.

4. Cum se habent per modum finis respectu externorum actuum, hoc est, cum actus externi præcipiuntur ad aliquem finem internum, ut jejunium pro obtinenda pace. 5. Tandem nonnumquam actus interni, ratione sui & per se præcipiuntur, ut cum concilia jubent ut fidei definitiones a se promulgatæ credantur.

Obj. Nec Ecclesia, nec Politica judicant de actibus internis, sed de externis tantum; ergo, &c.

R. Dist. ant. quantum ad vim externam coactivam, conc. ant. quantum ad vim directivam, nego ant.

3. *Q.* Quinam legibus humanis tenentur?

R. 1. Legislatores quoad vim directivam; scilicet par est ut caput cum membris cohæreat, ubi agitur de communi bono: non autem quoad vim coactivam: quia (ut supponitur) Legislatores non habent superiorem, a quo per pœnas cogi possint.

2. Clerici, salva Ecclesiarum immunitate, tenentur politicis legibus, juxta illud Apostoli ad Titum, cap. 3. *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire*: nec mirum, non enim sunt tantum clerici, sed etiam cives.

3. Subditi extra regnum degentes tenentur legibus personalibus: hæ nimirum personam, ubicumque degat, comitantur; hinc subditus, ubicumque sit, non potest bellum in suum Principem movere.

4. Peregrini & advenæ non tenentur quidem patriis legibus, quæ non sunt personales; quia Legislatoris jurisdictio extra proprium territorium non extenditur. Sed tenentur legibus locorum in quibus diversantur; ibi enim lex ligat, ubi persona forum sortitur.

4. *Q.* Leges tum Canonicæ, tum Civiles obligantne in foro interiori?

R. Obligant. Et quidem 1. Canonicæ: cum is, qui Ecclesiam audire noluerit, haberi debeat, ex Christi mandato, tanquam Ethnicus & Publicanus. 2. Civiles quoque, juxta illud Apostoli ad Romanos 13. *Itaque qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt.*

Obj. Potestas civilis est mere temporalis; ergo non obligat in foro conscientiæ.

R. Dist. ant. Temporalis est ratione objecti, quippe versatur tantum circa res flaxæ ac labentis naturæ, conc. ant. ratione debiti quod imponit, nego ant. Est enim potestas quæ emanat a Dei potestate: juxta illud Apostoli Rom. 13. *Non est potestas, nisi a Deo.*

5. *Q.* Quandonam leges humanæ obligant sub pœna peccati mortalis, quandonam vero sub pœna peccati venialis tantum?

R. Obligant sub pœna peccati lethalis, cum materia præcepta est gravis; sub veniali vero, cum levis est. Dignoscitur vero esse gravis tum ex pœna quæ prævaricatoribus infligitur, tum ex modo quo exprimitur: ut cum dicitur; *Sub interminatione divini judicii*, tum ex scandalo quod ex infractione legum oriretur. Cum autem dubium est, an materia sit gravis, illud axioma, *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, mandari debet executioni.

6. *Q.*

6. Q. Lex quæ nullo modo est præceptiva, aut prohibitiva, sed mere pœnalis, obligatne in foro conscientiæ?

R. Non obligat, si quæ sit ad culpam modo non sit alia lex aut naturalis, aut humana, quæ actum prohibeat; sed obligat tantum ad subeundam pœnam post judicis declarationem, sed non antea.

7. Q. Lex fundata in falsa præsumptione obligatne in conscientia?

R. Non obligat: quia tunc Legislator censetur non habuisse intentionem obligandi: nisi tamen id fiat in casibus qui ut plurimum accidunt: tunc enim Legislator ad vitanda incommoda, habet propter bonum publicum intentionem obligandi eos etiam in quibus caussa legis locum non habet, ut cum jubetur ne quis noctu armatus incedat.

8. Q. Quot modis lex humana potest mutari?

R. Mutari potest 1. per Epixiam; 2. per dispensationem: 3. per privilegium, 4. tandem per tolerantiam, derogationem, abrogationem, irritationem.

9. Q. Licetne Superiori sine caussa dispensare?

R. Non licet: quia alioquin peccat contra fidem quam aut Ecclesiæ, aut Reipublicæ debet; data nimirum est ei potestas, non ad destructionem, sed ad ædificationem.

11. Q. Subditus potestne in foro conscientiæ, uti dispensatione quæ sine legitima caussa sibi concessa fuerit?

R. Non potest, quia lex, illius respectu, viget, nec enim ab ea censetur exemptus.

12. Q. Actus qui facti fuerint ex dispensatione quæ sine caussa fuit concessa, valentne aliquando?

R. Valent. Sic matrimonium quod intra quartum gradum celebratum fuerit, valet etiamsi dispensatio sine caussa legitima concessa fuerit; in eo enim casu, & aliis similibus dispensatio est pro actu valido, quamvis non pro licito.

13. Q. Quid est Consuetudo?

R. Est jus moribus utentium introductum, ubi lex ipsa deficit, vel cum ejus sensus dubius est.

14. Q. Quandonam consuetudo vim habet legis?

R. Cum generalis est, aut cum est in usu in locis, in quibus utens degit, nihilque continet quod naturali, aut divinæ positivæ legi adversetur.

15. Q. Quandonam consuetudo censetur abrogare legem.

R. Cum legitime præscripta fuerit; tunc enim efficit ut lex abeat in desuetudinem; sed ad id tres conditiones requiruntur, 1. Ut consuetudo non sit contra jus naturale, aut divinum positivum. 2. Ut Legislator aut illius ministri, ei non contradixerint. 3. Ut a legitimo tempore, hoc est, ad præscriptionem requisito sit in usu.

CAPUT VI.

De Lege humana in specie.

1. Quæst. Quotuplex est lex humana?

R. Duplex, Civilis & Canonica. Prima versatur circa media quibus communi civium, & Reipublicæ tranquillitati consulatur. Altera versatur circa media quibus fideles ad æternam salutem promoveantur.

2. Q. Potestas Ecclesiastica potestne leges condere?

R. Potest. Nam 1. vi potestatis illius Apostoli in Concilio Jerosolymitano prohibuerunt gentibus ad fidem conversis ne idolothytis vescerentur, jusseruntque ut a suffocato & sanguine temperarent, licet lex naturalis, nec divina id prohibeant. 2. Eadem facultate quovis sæculo usa est Ecclesia in Conciliis tum generalibus, tum provincialibus, ut patet ex innumeris canonibus, qui ad meram disciplinam pertinent; quovis pariter sæculo fideles eam in Ecclesia facultatem agnovere; quippe qui tantum abest, ut vel ipsi Principes de oneribus sibi ab Ecclesiæ Pastoribus impositis conquesti sint, quin potius eis humiliter sese subjecerunt, ut patet in legibus circa matrimonium, innumerasque res alias ab Ecclesia sancitas.

3. Q. Unde Ecclesia habet facultatem condendi leges?

R. Ab ipsomet Christo qui de Pastoribus a se constitutis, & postea ab Ecclesia, apud quam est fidei & missionis depositum, constituendis, hæc ait: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*: nec mirum; cum enim Pastores Spiritus sanctus posuerit regere Ecclesiam Dei, par fuit ut illis facultatem daret statuendi regulas, quibus Dei cultus promoveatur, serventurque lata ab ipsomet Christo mandata.

4. Q. Lex ecclesiastica obligatne ante promulgationem?

R. Non obligat, quia licet sciatur condita, Legislator non censetur velle ut obliget, antequam, servatis servandis, promulgetur.

5. Q. Lex Ecclesiastica, quæ a saniori & majori provinciarum parte acceptata non fuit, habetne vim legis?

R. Non habet: propter enim eam rationem nova disciplina, quam Concilium Tridentinum invexit, vim legis non habet in multis orbis provinciis: *Leges* (inquit Gratianus Canone, *In illis* §. de legibus) *instituuntur, cum promulgantur; firmantur autem, cum moribus utentium comprobantur*. Vide in Institutionibus Animadversiones in opinionem asserentem, vim Legis pendere a populi acceptatione.

6. Q. Potestas Civilis habetne facultatem condendi leges?

R. Ha-

R. Habet: id enim aperte supponit Apostolus ad Romanos 13. *Omnis* (inquit) *anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi a Deo.*

7. *Q.* Lex Civilis obligatne antequam promulgetur?

R. Non obligat, idque propter rationem datam ad tertium quæsitum.

8. *Q.* Populi possuntne justas Principum leges non acceptare?

R. Non possunt, quia in iis, quæ justa sunt, tenentur Principibus obedire: unde Clerus Gallicanus ad Comitia generalia anno 1700. coactus, merito proscripsit hanc propositionem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla caussa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

PARS SEXTA.

De Deo Auctore Gratiæ.

Nota. Gratia inde nomen accepit quod gratis detur. Sumitur vero tribus modis. 1. late, nimirum pro eo omni quod gratis datur sive sit naturale, sive sit supernaturale: eo sensu creatio dici potest gratia: 2. stricte, nempe pro beneficiis supernaturalibus, sive sint ex Christi meritis, sive non sint: sic dona Adamo innocenti concessa appellantur gratiæ nomine: 3. strictissime pro beneficiis supernaturalibus quæ homini lapso ex Christi meritis conferuntur. Gratia in hoc ultimo sensu sumpta dividitur in actualem & habitualem; de utraque hic a nobis est dicendum: Nomine vero gratiæ actualis intelligitur actio divina per quam creatura rationalis adjuvatur ad operationes quæ naturales illius vires superant, quæque ad æternam illius salutem ordinantur.

CAPUT PRIMUM.

De necessitate Gratiæ Actualis.

Nota. Gratia actualis potest esse necessaria vel ad cognoscendum verum, vel ad agendum bonum. Verum autem & bonum duplicis sunt ordinis, naturalis nimirum, & supernaturalis. Primum nullum dicit respectum ad æternam hominis salutem; alterum e contra ad eam refertur. De necessitate gratiæ ad verum cognoscendum, & bonum agendum secundum duplicem illum ordinem consideratum, hoc in capite dicendum nobis incumbit.

§. I. *De necessitate Gratiæ ad cognoscendum verum.*

1. *Q.* Verum ordinis supernaturalis potestne cognosci sine gratia?

R. Non potest: quia intellectus creatus non habet sine gratia proportionem cum vero supernaturali: scilicet diversi prorsus sunt ordinis.

2. *Q.* Homo potestne sine gratia elicere actum fidei prout oportet?

R. Non potest: quia elicere actum fidei, *prout oportet*, est eum ita elicere, ut fiat satis præcepto credendi: sed homo sic eum elicere non potest, quia per præceptum credendi imperatur actus fidei supernaturalis, hoc est, qui ad æternam salutem referatur & ad justificationem disponat.

3. *Q.* Homo potestne sine gratia habere imperfectum saltem fidei desiderium?

R. Non potest. Nam 1. Concilium Arausicanum II. Can. 5. ita contra Semipelagianos definiit. 2. Apostolus in Epistola ad Philippenses cap. 2. non minus Dei gratiæ tribuit imperfectum rei supernaturalis desiderium, quam perfectam illius voluntatem: *Operatur* (inquit) *velle & perficere.*

4. *Q.* Cogitationes de amplectenda fide, quæ mentem subeunt, audita Evangelii prædicatione, possuntne haberi sine gratia?

R. Non possunt, juxta illud Apostoli 2. ad Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

5. *Q.* Liberum arbitrium potestne actu mere naturali iis assentiri quæ fides docet?

R. Non potest: quia assentiri iis quæ fides docet, est assentiri propter divinam revelationem: atqui liberum arbitrium non potest sine gratia, propter divinam revelationem iis assentiri quæ fides docet: motivum enim divinæ revelationis est motivum omnino supernaturale.

6. *Q.* Gratia quæ ad fidem requiritur, estne gratia intellectus simul & voluntatis?

R. Est: quia intellectus & voluntas concurrunt ad actum fidei: ille quidem, cogitando; ista vero, assentiendo: scilicet ut Augustinus ait in libro de prædest. SS. cap. 2. *Credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare.*

7. *Q.* Gratia fidei estne gratia prima quæ ordinem dicat ad salutem?

R. Non est prima gratia, si nomine fidei intelligitur assensus quem intellectus præbet revelatis: scilicet assensum illum præcedunt desiderium audiendi Evangelium, cogitationes de credendo, pius affectus erga revelata; ex iis vero neutrum haberi potest sine gratia.

8. *Q.* Gratia estne necessaria ad cognoscendum verum speculativum ordinis naturalis?

R. Non est necessaria ad cognoscendum quodcumque verum mere speculativum; hoc est, quod ad agendum non movet: quia Gentiles sine gratia quæ per Christum datur, multas veritates tum metaphysicas, tum physicas, tum morales cognoverunt, ut ex eorum libris patet. Est tamen necessaria ut omnes illæ veritates *collective* sumptæ cognoscantur: quia ad hoc tolli debent varia impedimenta quæ homo per se ipsum, moraliter loquendo, superare non potest.

9. *Q.* Gratia estne necessaria ad cognoscendum verum morale practicum, seu quod movet ad bonum agendum?

R. Aliquæ veritates morales sine gratia cognosci possunt, eæ v. g. quæ expresse continen-

tur in Decalogo, quia licet vires intellectus per peccatum debilitatæ fuerint, non tamen extinctæ sunt: ac proinde ab eo cognosci possunt ea quorum cognitio est maxime facilis.

Obj. 1. Scriptura asserit, intellectum non posse sine gratia cogitare de bono: Patres dicunt intellectum per peccatum, factum fuisse omnino cœcum: ergo, &c.

R. Dist. circa ea quæ conferunt ad salutem æternam, conc. ant. Circa ea quæ ad eam non conferunt, & quorum cognitio est aliunde facilis, nego ant.

Obj. 2. Fideles solent a Deo petere cognitionem præceptorum moralium etiam facilium: ergo supponunt eam sine gratia haberi non posse: *Oratio enim* (ait Augustin. Epist. 95.) *est clarissima gratiæ testificatio.*

R. Dist. ant. Petere in ordine ad Dei gloriam, conc. ant. Sine ordine ad Dei gloriam, nego ant. Nempe fideles gratiam petunt, ut vero morali, etiam quod intellectu facile sit, utantur ad Dei gloriam; non autem, ut illud simpliciter cognoscant.

10. *Q.* Gratia estne necessaria ad cognoscendas quasdam veritates morales, quæ maxime distant a principiis, ex quibus alioquin sequuntur?

R. Est. Ita enim docuit Augustinus adversus Pelagianos, qui contendebant tantæ virtutis esse mentem hominis, etiam in præsenti rerum statu, ut per se veritates morum etiam abstrusiores, cognoscere valeat. Præterea, licet intellectus per peccatum extinctus non fuerit, vires tamen illius attenuatæ fuerunt. Addendum est, hominem sæpe præoccupationibus, pravis habitibus, & mala educatione impediri, ne verum, de quo agitur, cognoscat. At sine gratiæ auxilio hujusmodi impedimenta tolli minime possunt.

§. II. *De necessitate Gratiæ ad agendum bonum Morale.*

1. *Qu.* Quid est bonum morale?

R. Est illud quod ex parte objecti bonum est, & ex parte operantis refertur ad finem honestum, hoc est rationi consentaneum.

2. *Q.* Homo per peccatum lapsus, potestne sine gratia agere aliquod bonum morale quod sit facile?

R. Potest. Scilicet Gentilis potest sine gratiæ auxilio suos parentes colere, & reddere depositum, præcise quod id jubeat ratio. Hinc vero concluditur merito a summis Pontificibus proscriptam fuisse hanc propositionem: *Omnia opera infidelium sunt peccata.*

3. *Q.* Homo lapsus potestne sine gratia bonum aliquod morale ad Deum, saltem ut auctorem naturæ, prout oportet, referre?

R. Non potest: quia actus non refertur ad aliquem finem, nisi ex amore illius finis: at Deus (ut suo loco cum Bellarmino dicetur) non potest, etiam prout auctor naturæ, amari sine gratia.

4. *Q.* Homo lapsus potestne sine gratia servare aliqua Decalogi præcepta?

R. Potest: quia nonnullorum officia potest exercere propter honestum finem: sic obstetrices Ægyptiæ non obtemperarunt iniquo Pharaonis de interficiendis omnibus Judæorum masculis mandato, quia id vetabat ratio, unde meruerunt etiam ut merces temporalis honestæ earum intentioni rependeretur.

5. *Q.* Homo lapsus potestne sine gratia omnia Decalogi mandata saltem secundum substantiam accepta servare?

R. Non potest: scilicet non potest servare primum, quo Dei super omnia dilectio jubetur: neque etiam istud: *Non concupisces*: quo præcipitur ne tentationi consensus præbeatur: illa enim duo sunt maxime difficilia, etiam quoad substantiam accepta.

Obj. 1. Ex Apostolo ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*: at in ultimo Apostolicæ sententiæ membro, *quæ Legis sunt, faciunt*, intelligitur Decalogus.

R. 1. Apostolus (ex S. Thoma) loquitur de gentibus ad fidem conversis, quæ quidem *naturaliter*, hoc est, sine lumine per legem scriptam accepto, non autem sine gratia, Decalogum observant.

R. 2. Dist. min. In ultimo membro intelligitur Decalogus secundum aliqua præcepta, conc. ant. secundum omnia, nego ant.

Obj. 2. Apud Isaiam c. 44. de Cyro dicitur quod omnem Dei voluntatem compleverit: ergo, &c.

R. Dist. ant. Voluntatem beneplaciti, con. ant. Voluntatem signi, seu præcepti, nego ant. Neque enim Cyrus idolis nuntium remisit.

Obj. 3. Omnia & singula Decalogi mandata sunt observatu possibilia; ergo, &c.

R. Dist. ant. Observatu possibilia cum auxilio gratiæ, concedo ant. sine auxilio gratiæ, nego ant. Ita S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 4.

6. *Q.* Homo lapsus potestne sine gratia aliquo modo, saltem imperfecto, Deum diligere, ut est auctor naturæ?

R. Non potest. Ita conceptis terminis docet Bellarminus. Ratio est, quia *quilibet* in Deum amor, absolute ac sine restrictione non homini, sed gratiæ in Scripturis tribuitur: *Caritas* (primæ Joan. 4.) *ex Deo est*. Eodem modo loquitur Concilium Arausicanum II. can. 25. *Prorsus Dei donum est diligere Deum*: unde hæc ait sanctus Augustinus in Epistola ad Vitalem: *Liberum arbitrium* (hoc est vires) *ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.*

Obj. 1. Homo lapsus potest seipsum super omnia diligere: ergo & Deum.

R. Nego cons. Ratio est, quia homo lapsus

psus innato pondere fertur ad fruendum seipso & aliis creaturis; nullo vero pondere naturali fertur ad Dei dilectionem.

Obj. 2. Homo habet inclinationem sibi innatam ad Deum diligendum: ergo, &c.

R. Dist. ant. Homo innocens, conc. ant. homo lapsus, nego ant. Scilicet naturali pondere fertur ad sui & aliarum creaturarum fruitionem: illud vero pondus non potest sine gratia superari; quia amor terrenus nonnisi amore cælesti pellitur.

Obj. 3. Intellectus hominis lapsi cognoscit sine gratia, Deum esse super omnia diligendum: ergo voluntas potest quoque illum amare sine gratia.

R. Conc. ant. nego conseq. quia (ut ait sanctus Thomas) homo per peccatum lapsus, magis per peccatum læsus est quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri. Nec mirum; voluntas enim in primo parente magis contulit ad peccatum, quam intellectus in quo nullus error ante peccatum esse potuit.

Obj. 4. Datur aliquis Dei amor naturalis: ergo Deus potest amari sine gratia.

R. Dist. ant. naturalis secundum objectum conc. ant. Deus enim amari potest & debet tamquam auctor naturæ: naturalis secundum principium, & modum, nego ant.

Obj. 5. Datur Dei amor qui non sit *sicut oportet*: siquidem datur aliquis qui sit *sicut oportet*: ergo datur Dei amor qui possit elici naturæ viribus.

R. Conc. ant. nego conf. Ideo enim amor aliquis dicitur *sicut oportet*, ut amor castus a spurio distinguatur: ille enim diligit Deum, sive quod in se sit summe bonus, sive quod sit finis creaturæ rationalis; iste e contra Deum diligit tantum propter bona temporalia.

6. *Q.* Homo lapsus potestne sine gratia superare aliquam tentationem sicut oportet?

R. Non potest. Ita Bellarminus. Ratio est 1. quia Scriptura victoriam ex tentationibus non hominis viribus, sed gratiæ auxilio tribuit: *In te* (ait Rex Propheta Ps. 15.) *eripiar a tentatione*: unde Matthæi 6. jubemur orare ad obtinendam ex tentatione victoriam: *Et ne nos inducas in tentationem*. 2. Traditio non minus aperte in eumdem sensum loquitur: *Fatentur* (ait Augustinus Epistola 106. de Pelagio loquens) *quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus, quam & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed adjutorio Dei nostram provenire victoriam*. Eodem tendunt hæc Innocentii Papæ I. rescribentis ad Concilium Carthaginiense: *Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*.

Dices. Textus laudati intelliguntur tantum de tentationibus gravibus, non autem de iis quæ graves non sunt, sed leves: ergo, &c.

Resp. Nego ant. Nam 1. in laudatis textibus nulla est omnino exceptio, nempe indefiniti sunt & generales. 2. Non ex gravibus tantum tentationibus, sed etiam ex levibus, quotidianis nimirum, victoriam a Deo petere jubemur hisce verbis Orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tentationem*.

Obj. Homo lapsus potest sine gratia aliquod opus in se bonum, ad finem honestum referre: ergo & aliquam tentationem superare.

Resp. Conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia pleraque opera sunt maxime facilia, quod ex inclinatione fiant, ut cum mater curat ægrotum filium: at victoria ex tentatione quæcumque sit, est semper difficilis propter innatum homini lapso concupiscentiæ pondus.

7. *Q.* Theologi possuntne inurere censuram aliquam opinioni quæ docet levem aliquam tentationem sine gratia superari posse?

R. Non possunt. Scilicet (teste Gabriele Vasquez) eam privatorum censuram Pius Papa V. prohibuit ac rejecit, cum hancce damnavit propositionem: *Non solum ii sunt fures & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiæ, hoc est, aliquam justitiam conscendi posse dixerit, aut tentationi ulli sine gratia ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur*.

8. *Q.* Gratia actualis estne necessaria ad vitandum peccatum?

R. Est: quia in statu naturæ lapsæ non peccatur, nisi consentiendo tentationi aut concupiscentiæ: ergo cum (ut superius dictum est) nulla tentatio superari possit ut oportet sine gratia, ita nec vitari peccatum.

Obj. Gratia habitualis, quæ est in quolibet justo, animam sanat: ergo satis est ad vitandum peccatum.

Resp. Dist. ant. Sanat imperfecte, conc. ant. tollit enim dominantem animæ conversionem ad creaturam: sanat perfecte, nego ant. Neque enim concupiscentiam, hoc est, propensionem ad malum extinguit in voluntate; proindeque opus est gratia actuali per quam illa propensio vincatur.

9. *Q.* Justus cum ordinariis gratiæ auxiliis potestne per exiguum tempus vitare omnia peccata venialia?

R. Potest: aut enim per aliquod instans non premetur tentatione; aut si prematur, eam superabit.

Obj. Hæc habentur primæ Joannis 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: ergo, &c.

R. Ea sententia non intelligitur de reatu, qui semper sit præsens, sed qui ita frequens sit, ut quodam modo sit continuus. Ita sanctus Thomas 1. p. q. 79. art. 4. ad 2. Præterea nemo, etiam pro brevissimo instanti, de suo inter-

interno statu, ac intima dispositione certus & securus esse potest.

10. *Q.* Homo lapsus potestne cum ordinariis gratiæ auxiliis omnia venialia per diuturnum tempus devitare?

R. Non potest, saltem collective sumpta; scilicet non est aliquis justus qui vere & humiliter non dicat: *Dimitte nobis debita nostra*: unde Concilium Tridentinum sess. 6. can. 23. sic loquitur: *Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Obj. 1. Præter beatam Virginem fuerunt in hac vita quidam homines perfecti, juxta illud ad Philippenses 3. *Quicumque ergo perfecti sumus:* ergo & homines qui omne peccatum veniale vitaverint.

R. Dist. ant. perfecti, perfectione ad quam impense tenderint, conc. ant. perfectione quam in hac vita consecuti sint, nego ant. Unde Apostolus ad Philippenses 3. de seipso, quem paullo ante perfectum dixerat, sic loquitur: *Non quod jam acceperim, aut perfectus sim.*

Obj. 2. De Zacharia & Elisabeth hæc habentur Lucæ 1. *Incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine macula:* ergo, &c.

R. Incedentes imperfecte, conc. perfecte, nego. *Non autem dictum est hoc* (ait Augustinus in libro de gratia Christi cap. 48.) *secundum illam perfectionem justitiæ, in qua vere & omnimode immaculati perfectique vivemus in patria.*

Obj. 3. Primæ Joannis 3. hæc habentur *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*: ergo &c.

R. Dist. ant. Peccatum non facit, nec potest peccare, quatenus operatur prout natus ex Deo: tunc enim agit ex caritate; conc. ant. quatenus operatur ut natus ex homine lapso, nego ant. quia tunc agit ex concupiscentia. Ita Augustinus in lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, capitibus 8. & 9.

Obj. 4. Si homo justus non possit sine speciali privilegio vitare per totam vitam omnia omnino peccata venialia, necessario peccabit; quod tamen dictu impium est: ergo, &c.

R. Nego maj. Ut enim homo justus libere peccet, non requiritur ut omnia *collective* peccata vitare possit, sed satis est ut omnia vitare possit *distributive*; hoc est satis est ut nullum sit quod in individuo vitare non possit. Ita S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 8.

11. *Q.* Gratia actualis estne homini lapso necessaria ad perseverandum?

R. Est. Nam 1. gratia est necessaria ad singulos actus; ita contra Pelagium definiit Palæstina Synodus, 2. Perseverantia in singulis (una excepta) orationis Dominicæ petitionibus a justis hominibus poscitur: juxta illud Augustini in libro de dono perseverantiæ cap. 3. *Quinto orationis loco dicimus: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, quia sola petitione non invenitur posci perseverantia*, ergo est Dei donum.

Q. In quo positum est perseverantiæ donum?

R. Positum est in conjunctione mortis cum statu gratiæ. Ea vero conjunctio oritur ex efficaci Dei voluntate conferendi gloriam suis electis: ea autem voluntas respectu parvulorum qui post Baptismum moriuntur, dicit singularem Dei providentiam, per quam sic caussas secundas disposuit, ut mortem parvulis illis inferant, antequam actu peccare possint. In adultis vero dicit aut præservationem ab occasionibus peccati, aut gratiam victricem quæ in illis occasionibus, si adsint, illis detur ex gratuita illorum ad gloriam electione.

13. *Q.* Gratia estne necessaria ad singulos actus?

R. Necessaria est: *Scimus* (ait Augustinus in Epistola ad Vitalem, de gratia loquens) *gratiam ad singulos actus dari.*

14. *Q.* Actus ad quos gratia dicitur esse necessaria, seu dari, suntne actus ordinis naturalis?

R. Non sunt: scilicet homo lapsus potest naturæ viribus quædam agere, quæ moraliter sunt bona, tum respectu operis quod agitur, tum ex parte finis ad quem ex se tendit, tum ex parte finis quem operans sibi proponit.

16. *Q.* In hoc axiomate; *Gratia datur ad singulos actus*: intelligiturne gratia habitualis?

R. Non intelligitur, tum quod positum sit illud axioma contra Pelagianos, quibus Ecclesia nullam unquam litem movit circa gratiam habitualem; eam enim ultro admittebant: tum etiam quod actus qui ad justificationem præparant, fiant ut oportet, ab homine qui agit ex motu & impulsu gratiæ actualis: in illo igitur axiomate de quo est quæstio, nomine gratiæ intelligitur gratia actualis: *Quæ* (ut ait Augustinus in libro de gratia Christi) *dilectionem inspirat, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat*: *Quæ* (ut ibidem ait sanctus Doctor) *velle & operari operatur in nobis*: ergo intelligitur gratia actualis.

16. *Q.* Quid in aliquo actu tribui debet gratiæ quæ datur ad singulos actus?

R. Totus actus tribui debet gratiæ, totus quoque libero arbitrio agenti: *Non partim gratia* (inquit Bernardus in lib. de gratia & libero arbitrio c. 14.) *partim liberum arbitrium, sed totum singula opera individuo peragunt: Totum quidem hoc, & totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.*

17. *Q.* Homo innocens indiguitne gratia?

R. In-

R. Indiguit. Nam id expresse docet Augustinus: *Quid ergo* (inquit in libro de correptione & gratia, cap. 11.) *Adam non habuit Dei gratiam.*

18. *Q.* Gratia fuitne homini innocenti necessaria ad singulos actus?

R. Fuit. *Meritum* (ait Augustinus in l. 14. de Civit. Dei cap. 27.) *habens in adjuta divinitus voluntate*; hoc est Adamus innocens in singulis actibus ante suum peccatum meruit: ergo gratia indiguit; non enim potest esse meritum sine gratia.

19. *Q.* Nomine gratiæ homini innocenti ad singulos actus necessariæ, intelligiturne sola habitualis?

R. Non intelligitur. Nam 1. nusquam de gratia habituali quæstio fuit cum Pelagianis; eam nempe tum in homine lapso, tum in innocente admittebant. 2. Gratia, ex Augustino, Adamo necessaria erat, sicut alimenta quæ ad vitam corporalem conservandam requiruntur; sed alimenta illa distinguuntur a vita corporali: ergo & gratia Adamo necessaria distinguitur ab illius spirituali vita, quæ quidem vita non alia erat, quam gratia habitualis, seu caritas qua justus erat.

20. *Q.* Gratia actualis Adamo innocenti necessaria, eratne simplex concursus simultaneus?

R. Non erat. Nam 1. concursus simultaneus influit quidem in opus, sed non in caussam operis: at in operis caussam, seu voluntatem influebat gratia Adamo necessaria. 2. Concursus simultaneus non subtrahitur homini in pœnam peccati; at gratia qua Adamus innocens indiguit, subtrahitur nonnumquam homini lapso (ut in quibusdam obduratis patet) in pœnam præcedentium peccatorum. *Nunc autem* (ait August. in lib. de corrept. & gratia cap. 11.) *quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.*

Obj. 1. Adamus innocens nec ignorantia, nec concupiscentia laborabat: ergo non indigebat gratia actuali.

R. Conc. ant. dist. conseq. Non indigebat ad depellandam ignorantiam, aut ad concupiscentiam superandam, conc. conseq. ad aliud, nempe ut actus suos ad finem supernaturalem ordinaret, nego conseq. Ita Augustinus in libro de correptione & gratia cap. 11.

Obj. 3. Ex Augustino, in Adamo innocente fuit potestas recte vivendi; fuit facultas ad Deum diligendum; fuerunt vires ut serpentis tentationem superaret: ergo non indiguit gratia actuali.

R. Dist. ant. In Adamo adjuto gratia versatili; hoc est, quæ Adamum non determinaret ad agendum, quemadmodum determinare debet hominem lapsum, conc. ant. non adjuto gratia versatili, nego ant.

Obj. Ex sancto Thoma 1. par. qu. 199. art. 3. *Homo in statu naturæ integræ poterat absque superadditione gratuiti doni diligere Deum super omnia*: ergo &c.

R. Dist. ant. amore innato & necessario, conc. ant. amore elicito & libero, neg. ant. *Homo* (inquit S. Thomas) *in statu naturæ integræ poterat operari virtute sua naturæ bonum, quod est sibi connaturale absque supperadditione gratuiti doni, licet non absque auxilio Dei moventis: diligere autem Deum super omnia est quoddam connaturale bonum, & etiam cuilibet creaturæ, non solum rationali, sed irrationali & inanimatæ, secundum modum amoris, qui unicuique creaturæ competere potest.*

CAPUT II.

De Gratuitate Gratiæ.

1. *Quæst.* Gratia estne donum omnino gratuitum?

R. Est. Scilicet ita quondam Ecclesia contra Pelagianos definiit: *Gratia* (verba sunt Palæstinæ Synodi) *secundum merita nostra non datur.*

2. *Q.* Quæ gratia non datur secundum merita?

R. Habitualis & actualis. Utramque enim secundum merita nostra dari contendebant Pelagiani, quos in eo capite damnavit Ecclesia.

Obj. Augustinus in Epistola ad Sixtum, dogma de quo agitur, exponit de gratia *qua justificati sumus, ut homines justi essemus*: ergo intelligitur de sola gratia habituali: neque enim actualis justificat.

R. Conc. ant. dist. conseq. Gratia actualis non justificat formaliter, conc. conseq. neque enim est forma justificationis: non justificat dispositive & præparatorie, nego conseq.

3. *Q.* Quid in laudato axiomate intelligitur *meritorum* nomine?

R. Intelligitur quilibet actus elicitus solis naturæ viribus: scilicet nullus actus elicitus solis naturæ viribus potest sive remote, sive proxime ad gratiam disponere; ob id enim damnati sunt Semipelagiani, quod vellent aliquid in homine lapso remansisse, quod ad Fidei initium sese præparare posset, seu quod esset saltem occasio ad quam Deus Fidem largiretur. *Quomodo autem* (inquit Prosper Cassianum alloquens in libro contra Collatorem c. 3.) *non advertis, te in illud damnatum incidere, quod velis, nolis, convinceris dicere, Gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur, affirmas?*

4. *Q.* Hoc axioma: *Gratia secundum merita nostra non datur*: excluditne quamlibet præparationem, quæ fit ex solis naturæ viribus?

R. Excludit, juxta illud Arausicani II. Conci-

Concilii can. 6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri divinitus .... resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? & Gratia Dei sum id quod sum.*

5. *Q.* Deus Pater ex pacto inito cum Christo confert ne gratiam iis qui bene moraliter se gerunt?

R. Non confert. Nam 1. pactum illud est omnino fictitium. 2. Contrarium est experientiæ, qua docemur Deum, relictis Ethnicis qui bene moraliter se gesserant, ad Fidem vocasse perditæ vitæ viros ac mulieres. 3. Parum sapiens esset pactum illud: cum opera moralia nullam prorsus habeant cum gratia proportionem. 4. Enervat argumenta omnia quibus Patres olim vicerunt Pelagianos & Semipelagianos, qui discretionem unius hominis ab alio in naturam, non in gratiam refundebant. 5. Eam doctrinam, mutato nomine, eamdem esse cum Semipelagiana definiit Clerus Gallicanus anno 1700. ad Comitia generalia coactus.

Obj. 1. Zachariæ 1. Deus sic loquitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* ergo &c.

R. Dist. ant. Et illud verbum *Convertimini*, intelligitur de conversione per auxilium gratiæ actualis, conc. ant. & non intelligitur, nego ant. Igitur sensus est: convertimini ad me per auxilium gratiæ, & ego convertar ad vos per peccatorum remissionem.

Obj. 2. Deus Actorum 10. attendit ad eleemosynas & orationes Centurionis, ut ipsi per Petrum Evangelii auditum procuraret: ergo &c.

R. Dist. ant. Ad eleemosynas factas ex imperfecta in Christum fide, conc. ant. facta sine illa fide, nego ant. Nempe Cornelius Centurio eamdem de Christo fidem habebat quam Judæi ex quibus Dei cultum didicerat.

Obj. 3. Augustinus in libro 19. de Civit. Dei c. 13. scribit Deum *pacto æquissimo* largiri immortalitatis pacem iis, qui mortalibus bonis recte usi fuerint: ergo &c.

R. Dist. ant. Iis qui mortalibus bonis recte usi fuerint ex auxilio gratiæ, conc. ant. sine auxilio gratiæ, nego ant. Neque enim Deus immortalitatem largitur, nisi iis qui eam in hac vita per pietatis opera meruerint.

Obj. 4. Tritum est apud Scholasticos axioma: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Illius axiomatis meminit S. Thomas in quæstionibus disputatis de veritate art. 1. ad 2. Ejusdem operis q. 14. art. 11. ad 1. in tertium sentent. dist. 25. q. 2. ergo &c.

R. Dist. ant. facienti quod in se est, ex viribus gratiæ, Deus non denegat aut gratiam uberiorem actualem, aut gratiam habitualem, conc. ant. ex solis viribus naturæ, nego ant. Ita laudatum axioma exponit S. Thomas in Summa, quæ postremum est illius opus, 1. 2. q. 109. art. 6. Ejusdem partis q. 112. art. 3. necnon in Commentario Epistolæ ad Rom. lectione 3. in cap. decimum.

CAPUT III.

De divisione Gratiæ.

Nota. Conveniunt omnes gratiam dividi in gratiam gratis datam, & in gratiam gratum facientem. Illa datur ad aliorum salutem, ut donum linguarum, donum Prophetiæ, donum miraculorum; ista vero, ad propriam salutem subjecti in quo recipitur. Gratia gratum faciens subdividitur in gratiam actualem & in gratiam habitualem: Actualis in operantem & cooperantem, in prævenientem & subsequentem, in excitantem & adjuvantem, in sufficientem & efficacem.

§. I. *De gratia operante & cooperante, præveniente & subsequente, excitante, & adjuvante.*

1. *Qu.* Quid est gratia Operans?

R. Est ea per quam Deus in nobis operatur primam boni voluntatem, hoc est, primum boni desiderium, juxta illud Apostoli ad Philip. 2. *Operatur velle.*

2. *Q.* Quid est gratia Cooperans?

R. Est ea per quam Deus operatur in nobis perfectionem, seu executionem boni operis, cujus initium jam operatus fuerat, juxta illud ad Phil. 2. *Operatur velle & perficere pro bona voluntate.*

3. *Q.* Quid sunt gratia Præveniens & gratia Subsequens?

R. Idem quod Operans & Cooperans, juxta illud Gregorii Magni hom. 9. in Ezechielem: *Ipse aspirando nos prævenit, ut velimus, qui adjuvans subsequitur, ne frustra velimus, sed possimus* (potentia quæ in actum reducatur) *implere quod voluerimus.*

5. *Q.* Quid sunt gratia Excitans & Adjuvans?

R. Idem quod præveniens & subsequens: de utraque illa gratia hæc habet Bernardus in libro de gratia & libero arbitrio: *Conatus liberi arbitrii cassi sunt, si non* ADJUVENTUR; *nulli, si non* EXCITENTUR.

§. II. *De natura & existentia Gratiæ sufficientis.*

1. *Qu.* Gratia sufficiens quot modis sumi potest?

R. Duobus modis; in sensu nimirum Ludovici Molinæ, & in sensu Thomistarum.

2. *Q.* Quid est gratia sufficiens in sensu Ludovici Molinæ?

R. Est auxilium quod ita dat *posse*, ut ex par-

parte Dei non requiratur aliud, ad hoc, ut creatura actu & de facto operetur actionem ad quam accepit posse.

3. *Q.* Quid est gratia sufficiens in sensu Thomistarum?

R. Est auxilium quod ita dat *posse* operari, ut tamen ex parte Dei requiratur aliud ad hoc, ut creatura *actu & de facto* bonum operetur.

4. *Q.* Creatura operaturne aliquando actu cum sola gratia sufficiente?

R. Operaretur, *si sufficiens* in sensu Molinæ sumeretur: quia creatura pro libito ea gratia ad actu operandum uteretur. Non operatur vero, si vox *Sufficiens* accipiatur in sensu Thomistarum: quia, ex Thomistis, creatura numquam *actu & realiter* agit opus pium; nisi ad illud per gratiam efficacem prædeterminetur.

5. *Q.* Daturne in statu naturæ lapsæ gratia sufficiens quæ ab efficace distincta sit?

R. Datur. Nempe datur gratia quæ voluntatem complet, ut *possit* operari, cum qua tamen sola *actu* voluntas numquam operatur.

6. *Q.* Poteſtne probari existentia gratiæ, quæ licet non det ipsummet operari, dat tamen *posse* operari?

R. Potest. Scilicet admitti debent (ut superius ostensum est) gratia Operans, gratia Excitans, & gratia Præveniens, quæ distinctæ sint (ut suo loco probatum est ex S. Augustino & aliis sanctis Patribus) a gratia Cooperante, a gratia Adjuvante, & a gratia Subsequente: atqui hujusmodi auxilia (testibus antiquioribus discipulis Doctoris Angelici, quibus recentiores omnes, Gonetus nimirum, Contensonius & Massouliæus adhæserunt) sunt idem cum gratia sufficiente. Nempe 1. creatam facultatem elevant ad statum supernaturalem. 2. Complent voluntatem, ut integrum pietatis opus, ad quod movent, & cujus *velleitatem* efficiunt, operari *possit*, quamvis tamen ex parte Dei præter illa auxilia alio eidem voluntati opus sit, ut actu & de facto bonum operetur, juxta illud Augustini in libro de libero arbitrio cap. 17. *Ipse*, Deus, *ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.*

2. Admitti debet gratia, per quam justo non perseveranti usque in finem possibile sit præceptum de perseverantia illi impositum: *Neque enim* (ait Concilium Tridentinum sessione 6.) *Deus impossibilia jubet, sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis:* atqui illa gratia, per quam justo non perseveranti possibile est præceptum de perseverantia illi impositum, non est gratia efficax; alioquin enim justus ille actu perseveraret, quod est contra suppositionem: ergo est gratia sufficiens; proindeque existentia gratiæ sufficientis recte concluditur ex Concilio Tridentino.

4. *Q.* Potentia quæ datur per gratiam sufficientem, prout ab efficaci distinctam, estne potentia *proxima*, an vero *remota* tantum?

R. Est *proxima*, non autem *remota* tantum. Ratio est, quia ita voluntatem complet ad hoc, ut *possit* integrum pietatis opus perficere, ut aliud auxilium ad *posse*, seu ad actum primum non requiratur, quamvis (ut jam cum Thomistis omnibus observatum est) aliud, efficax nimirum, ad ipsum *operari*, seu ad actum secundum ex parte Dei requiratur.

Obj. 1. Omnis gratia actualis habet effectum ad quem ex Dei voluntate datur; neque enim creatura aliqua (Scriptura teste) Dei voluntati resistit: ergo non existit gratia quæ det solum *posse*, ac proinde nulla datur gratia mere sufficiens.

Respondent Thomistæ omnes dist. ant. Ad quem datur ex Dei absoluta & consequente voluntate, conc. ant. Scilicet (dicente sancto Thoma) consequens Dei voluntas semper impletur: ad quem datur ex antecedente Dei voluntate, nego ant. hæc enim voluntatis species non habet effectum quem intendit, quemque sibi proponit: nempe est voluntas inefficax: hoc est, quæ Deus vult antecedente solum voluntate, non vult efficaciter, licet (ut dictum est hujusce Compendii parte 2.) vere sincereque velit.

Obj. 2. Præter gratiam quæ a Thomistis dicitur sufficiens, alia, efficax nimirum, ex parte Dei requiritur, ut voluntas actu & de facto operetur: ergo non re, sed nomine tantum est sufficiens.

R. 1. Illud argumentum non minus premit Theologos, quos Congruistas appellant, quam Angelici Doctoris discipulos. Scilicet Congruistæ docent justis, qui bonum instante præcepto non operantur, dari gratiam vere sufficientem; licet tamen contendant illis ad actu operandum bonum, opus fuisse gratia congrua: hoc est, gratia quæ detur in illis circumstantiis & cordis dispositionibus, in quibus Deus prævidet humanam voluntatem ei suum præbituram esse consensum.

R. 2. Conc. ant. nego conseq. Ut enim res aliqua sit ad aliquem finem sufficiens, satis est, ut præter eam non requiratur alia, per quam facultas *posse* recipiat, quamvis altera requiratur, ut *posse* jam acceptum ad actum secundum reducat, seu ut actu operetur: sic licet in Paulo, ut se in fluvium physice projicere possit, satis sit, quod sit sui dominus; aliud tamen requiritur, ut in illum *actu* se projiciat: requiritur enim, ut mutetur illius judicium, aliusque fiat mentis ac cordis affectus.

§. III. *De iis quibus datur aut non datur gratia sufficiens.*

1. *Qu.* Gratia sufficiens daturne actu & de facto omnibus omnino hominibus?

R. Licet a Deo tamquam Provisore generali omnibus omnino hominibus præparata sit, omnes tamen actu & de facto eam non recipiunt. Ita passim docet Thomistarum Schola, ut videre est apud Gonetum, Massoulium & alios.

1. Id expresse docet Augustinus in Epistola ad Vitalem, ubi sic loquitur: *Quoniam propitio Christo, Christiani Catholicique sumus, scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari*. Rationem reddit S. Doctor in Serm. de verbis Apostoli: *Communis est* (inquit) *natura, non gratia*.

2. Fulgentius libro 1. de veritate prædestinationis cap. 4. *Hi* (sancti Patres de quibus loquitur) *cognoverunt gratiam Dei non omnibus generaliter dari*.

3. Sancti Episcopi Africani, in Sardinia pro caussa fidei exsules; *De gratia Dei* (inquiunt in Epistola Synodica) *non digne sentit quisquis eam putat omnibus hominibus dari*.

Obj. 1. Cum Patres asserunt Dei gratiam non omnibus hominibus dari; intelligendi sunt aut de gratia habituali, aut de actuali efficaci, non autem de actuali sufficiente: ergo, &c.

R. Nego ant. Nam. 1. Patres, de quibus agitur, indefinite loquuntur: at termini indefiniti æquivalent universalibus; unde perinde est ac si Patres expresse dixissent (ut etiam dixerunt aliquoties) aliqui sunt homines quibus nulla per Christum gratia confertur. 2. Gratiam quam dicunt non omnibus dari, opponunt naturæ: *Communis est* (inquiunt) natura, non gratia: at oppositio illa omni omnino gratiæ convenit: unde S. Thomas de veritate q. 24. merito sic loquitur: *In nullo inveniuntur homines convenire, nisi in aliquo naturali*.

Obj. 2. Deus, ex Apostolo, vult omnes salvos fieri; ergo omnibus actu largitur auxilia, quæ sufficiant ad salutem consequendam.

R. Concedo antec. nego conf. Ratio est, quia Deus sola antecedente voluntate, non autem consequente vult reproborum salutem: at ex antecedente voluntate non sequitur semper mediorum applicatio, ut patet in parvulis qui sine baptismo moriuntur, sed tantum realis eorum præparatio. Ita Gonetus, Massoulius, & alii Thomistæ.

Obj. 3. Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus est, *Unus* (inquit Apostolus 2. Cor. 5.) *pro omnibus mortuus est*: ergo omnibus hominibus conferuntur auxilia ad salutem sufficientia.

R. Conc. ant. nego conf. Quamvis enim Deus Pater ex intuitu meritorum Christi omnibus auxilia sufficientia præparaverit, & quamvis ipse Christus tamquam redemptor generalis, Patri mortem pro omnibus obtulerit, instituerit pro omnibus Sacramenta, novamque legem promulgaverit; actu tamen & de facto illa auxilia omnibus in individuo hominibus non applicantur, seu, quod idem est, non recipiuntur in singulis: *Verum* (inquit Concilium Trident. sess. 6. c. 3.) *etsi ille pro omnibus mortuus est; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed hi tantum, quibus meritum passionis ejus communicatur*. Vide textum illum apud Gonetum aliosque Thomistas fusius explicatum. Vide etiam Catechismum Romanum ad Parochos, ea parte ubi loquitur de forma per quam Calix in Missæ Sacrificio consecratur.

2. *Q.* Daturne medium sufficiens ad salutem parvulis qui in utero materno moriuntur?

R. Non datur. Nempe baptisma, quod quidem ad salutem necessarium est necessitate medii, parvuli, de quibus agitur, recipere non possunt: cum nemo spiritualiter generari possit, quin ante carnaliter genitus sit.

Obj. Proferri non potest ratio cur baptismus parvulis omnibus non detur: ergo &c.

R. Id non oritur semper 1. ex ministrorum aut parentum negligentia. *Plerumque etiam* (ait August. in lib. de dono perseverantiæ c. 12.) *festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit ut daretur*.

Id quoque non oritur semper ex peccatis parentum. Scilicet (ut advertit Augustinus in lib. 6. contra Julianum, capite 14.) *Deus aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ feminæ: & aliquando non vult esse filium, quem formavit in utero filiæ suæ*.

Dicendum est igitur caussam proximam, cur parvulis, de quibus est quæstio, baptismus non detur, oriri ex caussarum secundarum dispositione, ex qua sequitur eorum mors in utero matrum suarum; caussam vero remotam, esse Deum ejusmodi dispositionis auctorem; neque enim dispositio illa fato (ut Augustinus contra Pelagianos probat in Epist. ad Sixtum) tribui debet. Eam vero dispositionem a se constitutam non impedit in circumstantiis particularibus, eo quod sit provisor generalis, & aliunde provisoris generalis partes sint non impedire actionem & motum caussarum secundarum, licet illa actio & ille motus nonnumquam aliquibus individuis noceant.

3. *Q.* Gratia sufficiens ad salutem daturne infidelibus, qui nihil de Evangelio audire potuerunt?

R. Ordinarie actu non datur. Nempe deberent habere actu medium quo in Christum credere possent: nam explicita in Christum fides est ad salutem absolute necessaria post Evangelii promulgationem: atqui infideles, de quibus agitur, non habent actu medium quo in Christum credere possint; illud enim medium ordinarie non est aliud quam auditus Evangelii: sed illi infideles audire non potuerunt, ad eos nimirum (ut supponitur) missi non sunt concionatores, qui Evangelium notum facerent: *Quomodo autem* (ait Apo-

ftolus in Epiftola ad Rom. c. 10. *audient fine prædicante? quomodo vero prædicabunt, nifi mittantur?* Unde fanctus Auguft. in libro de natura & gratia cap. 3. fic loquitur: *Juvenis vel fenex in ea regione defunctus eft, ubi* NON POTUIT *Chrifti nomen audire.*

Obj. Infideles, de quibus agitur, damnabuntur quod fidem non habuerint: ergo potuerunt eam habere.

R. Nego ant. Ratio eft, quia ignorantia myfteriorum fidei non eft peccatum infidelibus de quibus eft quæftio; cum fit omnino invincibilis: unde infidelitas illa a Theologis dicitur infidelitas *negativa*, non autem *privativa*. Itaque homines illi damnabuntur tum propter peccatum originale cujus rei funt, tum propter plura actualia quæ contra Decalogum admiferunt.

4. *Q.* Gratia fufficiens, inftante præcepto, & urgente tentatione, daturne femper actu & de facto omnibus & fingulis iis peccatoribus, qui excæcati & indurati dicuntur?

R. Fert recepta in Thomiftarum Scholis doctrina, cui adhærent Cajetanus & Bellarminus, gratiam fufficientem fingulis excæcatis actu & de facto non femper dari.

1. De Judæis excæcatis & induratis Joannis 12. dicitur; *Propterea* NON POTERANT *credere, quia iterum dicit Ifaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur & fanem eos.* Illi autem qui præ nimia cordis obftinatione in malo, in Chriftum, ut debebant, credere *non poterant*, haud dubie non habebant gratiam quæ ad falutem fufficeret, & per quam fuam infidelitatem deponere poffent.

2. Auguftinus tractatu 53. in Joannem, fcribit Deum nonnullos excæcare & indurare *deferendo & non adjuvando*. In libro de perfectione juftitiæ cap. 19. docet nonnullos defertos omni lumine veritatis, non poffe velle bonum, non poffe fervare divina quæ urgent, mandata: *Defertus* (inquit, de excæcato loquens) OMNI *lumine veritatis hoc velle* NON POTEST. Tanti roboris Vafquefio vifum eft illud argumentum, ut confeffus fit Auguftino perfuafum fuiffe pluribus excæcatis non adeffe auxilium ad falutem fufficiens.

3. Gratia actualis fufficiens duo dicit; unum ex parte intellectus, boni fcilicet agendi cognitionem; & aliud ex parte cordis, inchoatum nimirum ejufdem boni amorem, feu velleitatem. Atqui neutrum in aliquibus excæcatis & induratis reperitur: neque enim quoties peccant, ea percipiunt, ut experientia compertum eft, & probat iftud Auguftini axioma: *Sunt qui legem Dei omnino rejicientes, malas concupifcentias nec in hoftes deputant.*

Obj. 1. Deus non abfolute quidem, fed ex fuppofitione quod præceptum imponat, debet iis, quibus præceptum imponitur, gratiam fufficientem: ergo &c.

Refp. Nego ant. Ratio eft 1. quia excæcati, de quibus eft quæftio, per multa flagitia & multa facinora fefe gratia, quam Deus alioquin mifericorditer daret, indignos reddiderunt: unde eft illud Auguftini in libro de dono perfeverantiæ capite 8. *Non fimus ingrati, quod tam multos liberat mifericors Deus de tanta perditione, ut fi inde neminem liberaret, non effet injuftus.*

Ratio eft 2. quia fi Deus (ut fert argumentum) gratiam deberet homini impio ex fuppofitione præcepti quod illi imponit: gratiam ei fimpliciter & abfolute deberet: non enim poteft ei non præcipere ut fervet Decalogi præcepta: nempe cum fint de jure naturali, funt prorfus indifpenfabilia; at hæreticum eft dicere, gratiam abfolute & fimpliciter deberi, ut videre eft apud Auguftinum ex Apoftoli principiis contra Pelagianos difputantem.

Obj. 2. Poffibilia funt præcepta quæ obcæcatis & induratis imponuntur: ergo neceffe eft ut gratiam habeant per quam fiant poffibilia.

Refp. Dift. ant. Poffibilia funt remote & abfolute, conc. ant. quia potuerunt antequam in excæcationem & indurationem caderent, non apponere impedimenta gratiæ, fcilicet temperare potuerunt a flagitiis per quæ in miferum illum ftatum prolapfi funt. Et præterea Dominus, cum illi placuerit, auxilia conferre poteft quibus liberentur. Poffibilia funt proxime; ideft, per auxilium quod fit actu præfens, nego ant. Ita nodum illum folvunt Maffoulieus & alii tum antiqui, tum recentiores Thomiftæ.

Obj. 3. Obcæcati & indurati corripi & admoneri debent a fuis Paftoribus; ergo femper habent gratiam fufficientem, ne fcilicet inanis fit illa correptio.

Refp. Conc. ant. nego confeq. Neque enim Paftores fciunt, an Dei gratia comitatura, aut non comitatura fit fuas correptiones & admonitiones: unde quantumcumque peccatores fint excæcati & indurati, nufquam pro loco & tempore a correptionibus & admonitionibus temperare debent: *Hæc eft* (ait Auguftinus in libro de corrept. & gratia cap. 5.) *correptionis utilitas ... & tunc falubris, quando fupremus medicus refpicit.* Quæ verba fupponunt, eum non femper refpicere.

Obj. 4. Deus (ut habetur Jo. 1.) illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ergo, &c.

R. 1. Dift. ant. Per lumen rationis cui quo homini inditum; juxta illud Pfalmi 4. *Signatum eft fuper nos lumen vultus tui, Domine*: conc. ant. per gratiam internam quæ fit ex Chrifti meritis, nego antecedens.

Refp. 2. Difting. iterum ant. Illuminat mundum chriftianum, cum baptifma gratiam fanctificantem conferat iis qui non ficte accedunt,

conc. ant. Illuminat mundum prophanum & extra baptismum, nego ant. Ita S. Chrysostomus textum illum interpretatur.

5. *Q.* Mandata Dei sunt ne justis hominibus ad observandum impossibilia?

R. Non sunt. Nam 1. Concilium Arausicanum II. Leonis Papæ I. tempore celebratum hæc habet Canone 25. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, qua ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.*

2. Hæc etiam habet Concilium Tridentinum sessione 6. capite 11. *Nemo temeraria illa, & a patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.*

4. *Q.* Gratia sufficiens, per quam mandata reddantur *proxime* possibilia, daturne hominibus justis, urgente præcepto, & instante tentatione?

R. Datur. Nam 1. Concilium Tridentinum sess. 11. cap. 11. sic loquitur: *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Et in hoc Deus animæ medicus differt a medico corporis, qui (ut jam olim observavit Augustinus) hominem a se sanatum deserit, eumque propriis viribus, propriæque curæ committit.

Nec valet eorum Commentarius qui textum illum de gratia sanctificante interpretantur, quasi sensus sit, quod Deus per subtractionem gratiæ sanctificantis non deserat justum, nisi cum Deum ipse per peccatum mortale deseruit. Nam textus ille in Concilio Tridentino rationem continet cur justi *proficere possint*: sic enim habet; *Quo fit ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem facti Dei, sobrie & juste & pie viventes proficere* POSSINT *per Christum Jesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus* NAMQUE *sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis, &c.* At si staret Commentarius de quo agitur, ea ratio non valeret, neque enim gratia habitualis, seu sanctificans, dat *posse operari.* Licet enim hominem efficiat justum per justitiam quæ ipsi inhæreat, ejus tamen fructus per peccatum vires non restituit, nec tollit concupiscentiam: cujus motus nonnisi per gratiæ actualis auxilium cohiberi possunt. Idque evincitur ex eo quod justi orare debeant, ut possint divina observare mandata, illaque reipsa exequantur.

2. Ab Innocentio X. Alexandro VII. Innocentio XII. & Clemente XI. damnata est hæc 1. Jansenii propositio: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.*

§. IV. *De Gratia Efficaci.*

1. *Q.* Quid est gratia efficax?

R. Est ea quæ habet effectum ad quem voluntatem excitat, & ad quem a Deo datur: hoc est, quæ semper conjuncta est cum observatione præcepti: scilicet (ut Augustinus ait) *a nullo duro corde respuitur.*

2. *Q.* Gratia efficax habetne suam efficaciam tanquam a causa efficiente, ex determinatione voluntatis creatæ?

R. Non habet. Nam inde sequeretur. 1. Consentientem gratiæ se ipsum discernere a non consentiente, qui æqualem haberet gratiam, contra illud Apostoli 1. Cor. 4. *Quis te discernit?* 2. Eum non debere gratias agere Deo propter actum quem elicuit cum gratia: 3. Eum, qui jam habet gratiam sufficientem per quam potest operari, non teneri petere ipsam operationem seu mandati executionem: habere enim id totum quod est ex parte Dei, illi ad observationem mandati necessarium est. Sed hæc absurda sunt: ergo, &c.

3. *Q.* Gratia efficax habetne suam efficaciam ex illius attemperatione cum præsente subjecti genio & dispositione naturali, prout subest scientiæ Mediæ; hoc est, estne efficax eo quod Deus eam conferat in iis circumstantiis, in quibus prævidet humanam voluntatem illi præbituram esse consensum, quem extra illas circumstantias minime præberet?

R. Non habet; genium scilicet illud præsens rationalis creaturæ, dispositio naturalis in qua foret, circumstantiæ extrinsecæ in quibus poneretur, constituerent discrimen quod inter observantem mandatum, & non observantem reperiretur; bonum opus refunderetur in aliquid naturale quod a Deo per Christum non esset: ac proinde vim suam habent in illo systemate rationes omnes quæ in responsione ad quæsitum præcedens allatæ sunt.

Præterea Deus nonnunquam gratiam confert eo tempore quo minus cum illa attemperatum est præsens voluntatis genium, sicut in Paolo patuit, ut observat Augustinus in libro de prædestinatione Sanct. cap. 2. Idem S. Doct. hom. 13. inter Quinquaginta notat, Deum, ut gratiam largiatur, non attendere ad mores naturales creaturæ rationalis. Prosper in Carmine *de ingratis* asserit divinæ gratiæ virtutem nequaquam a loco, tempore, naturali dispositione subjecti pendere, sed ex vi & efficacia divinæ voluntatis.

4. *Q.* Unde petitur efficacia divinæ gratiæ?

R. Petitur ex intrinseca illius virtute, ex intrinseco illius operandi modo, ex absoluto decre-

decreto, quo Deus vult ut habeat effectum ad quod movet, & excitat voluntatem.

5. *Q.* Intrinseca efficacia gratiæ poteſtne probari ex Scripturis?

R. Poteſt. Nam 1. gratia facit ut faciamus: juxta illud Ezechielis 36. *Dabo vobis cor carneum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* 2. Gratia efficit ut Deus in nobis operetur velle & perficere: *Cum metu & tremore* (ait Apoſtolus ad Philippenſes 2.) *veſtram ſalutem operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* 3. Chriſti gratia efficit ut qui mandatum obſervant, agantur Spiritu Dei, juxta illud ad Roman. 8. *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi Filii Dei ſunt*: At ea efficere non poteſt, ſi ab intrinſeco non ſit efficax; hoc eſt, ſi voluntatem ipſam phyſice non determinet: ſi enim a voluntate creata ad actum determinetur, non faciet ut faciamus, ſed nos ipſi potius faciemus ut faciat; ipſa non operabitur velle & perficere pro bona Dei voluntate, ſed pro noſtra non ipſa agemur, ſed eam nos agemus, utpote pro libito eam ad operationem determinantes. Vide loca illa in eumdem ſenſum fuſe pertractata apud Auguſtinum in libro de gratia Chriſti.

6. *Q.* Intrinſeca gratiæ efficacia poteſtne probari ex orationibus Eccleſiæ?

R. Poteſt. Scilicet Eccleſia in ſuis orationibus petit non tantum *poſſe* operari, quod datur per gratiam ſufficientem, ſed ipſam etiam operationem: at vanæ ac irriſoriæ forent illæ orationes, ſi a nobis jam habentibus gratiam, effectus illius ſeu operatio actualis a nobis tantum penderet: quid enim ſtultius eſt (Auguſtino teſte) quam id petere quod jam habeas in tua poteſtate?

7. *Q.* Intrinſeca efficacia gratiæ poteſtne probari ex ipſius definitionibus ab Auguſtino traditis?

R. Poteſt. Definitur enim in libro de gratia Chriſti cap. 6. Gratia quæ non ſolum poſſe, ſed etiam ipſum velle & agere operatur in nobis. Ejuſdem libri cap. 14. dicitur eam eſſe, per quam omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad eum. Cap. 24. definitur ea per quam Deus *interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili poteſtate operatur in cordibus hominum, non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates* Cap. 38. definitur, *Adjutorium bene agendi per inſpirationem flagrantiſſimæ & lumínoſiſſimæ caritatis*: Atqui caderent illæ definitiones, ſi gratia a voluntate ad actum determinaretur, & non ipſa voluntas a gratia; ergo, &c.

8. *Q.* Efficacia gratiæ poteſtne probari, ex libro Auguſtini de Correptione & gratia?

R. Poteſt. Scilicet S. Doctor in libro de correptione & gratia duplex adjutorium diſtinguit; adjutorium nimirum SINE QUO, & adjutorium QUO. Docet, iſtud eſſe in ſtatu naturæ lapſæ neceſſarium ad ſingulos pietatis actus. Unde ſic arguitur; Auxilium QUO, eſt per ſe & ab intrinſeco efficax: ergo & gratia efficax, in ſtatu naturæ lapſæ eſt per ſe efficax.

Probatur ant. 1. ſi auxilium QUO non eſſet per ſe efficax, non differret ab adjutorio SINE QUO: iſtud enim eſt efficax accedente & determinante voluntatis conſenſu; ut ex eodem Auguſtino, in ſanctis Angelis accidit: ergo illud, hoc eſt Adjutorium QUO e contra eſt per ſe efficax, hoc eſt voluntatem ad conſenſum determinat.

2. Auguſtinus comparat auxilium QUO cum viſione beatifica: e contra auxilium SINE QUO comparat cum alimentis reſpectu vitæ conſervandæ, cum navi neceſſaria ad trajiciendum flumen: atqui viſio beatifica eſt per ſe efficax ad reddendum hominem beatum: cum e contra alimenta non ſint per ſe efficacia ad conſervandam vitam, nec navis ad trajiciendum flumen, ſi nempe quis nec navi nec alimentis uti voluerit: ergo auxilium QUO, eſt per ſe & ex natura ſua efficax; hoc eſt, voluntatis phyſice determinativum. Vide Auguſtini integrum caput XII. libri de correptione & Gratia.

9. *Q.* Efficacia gratiæ poteſtne probari ex diſputatione Auguſtini cum Semipelagianis?

R. Poteſt, & quidem hoc argumento. Semipelagiani in Auguſtino impugnarunt gratiam per ſe efficacem: nec ipſe umquam conqueſtus eſt, quod ab illis hæreticis eo in capite ſibi quidquam imponeretur. Scilicet impugnarunt gratiam ex qua credebant ſequi libertatis excidium; correptionum & admonitionum inutilitatem; animarum torporem; fatum quoddam ineluctabile; Sed gratia ex qua putarunt tanta ſequi abſurda, erat gratia per ſe efficax; quomodo enim in eorum mentem venire potuiſſet ea abſurda ſequi ex gratia quæ non eſt efficax niſi dependenter a prævia voluntatis determinatione?

Obj. 1. Difficile eſt intellectu quomodo gratia per ſe efficax cum creata libertate cohæreat: ergo, &c.

Reſp. Conc. ant. nego conſeq. Tantum enim abeſt, ut id, quod objicitur, efficaciæ gratiæ noceat, quin e contra confirmet eam quam maxime. Nempe concordia libertatis cum gratia non eſt difficilis in ſyſtemate quo aſſeritur gratiam eſſe ſolum efficacem ex conſenſu voluntatis, aut ex illius attemperatione cum diſpoſitionibus naturalibus: e contra vero in ſyſtemate Auguſtini multum eſt difficilis: *Sed quia* (verba ſunt S. Doctoris in libro de gratia Chriſti cap. 47.) *ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficile, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

Obj. 2. Gratia efficax ab intrinseco revera perimit libertatem: nempe cum voluntatem physice determinet, tollit illius indifferentiam, ac proinde & ipsam libertatem, cum indifferentia sit de essentia libertatis.

R. Dist. ant. Tollit indifferentiam *suspensivam* quæ posita est in privatione cujuslibet actus voluntatis, conc. ant. tollit indifferentiam *activam* quæ consistit in positione actus cum potentia ad non ponendum eumdem actum, nego ant. Scil. gratia efficax non tollit judicii indifferentiam quæ est radix libertatis: hoc est, non impedit quin intellectus operantis apprehendat in omissione actus, quem voluntas agit ex determinatione gratiæ, rationem alicujus boni apparentis, utpote libidini faventis, propter quam voluntas ad non ponendum actum alliciatur: quod contra in beatis contingit, qui cum nullam in privatione amoris Dei speciem boni apprehendant, non sunt in Deo amando liberi.

Obj. 3. Potentia illa ad non agendum quæ dicitur remanere in voluntate quæ agit ex gratiæ efficacis determinatione, est omnino inutilis: neque enim ad actum aut alias reducta est umquam, aut aliquando reducetur: ergo, &c.

R. Nego ant. Licet enim potentia, quam vir sapiens habet, ut se præcipitem agat, numquam ad actum, quandiu sapiens erit, reducenda sit, non est tamen inutilis: nempe complet illum in ratione liberi: ergo nec potentia non agendi quæ remanet in voluntate quæ agit ex motu & determinatione gratiæ per se efficacis, est inutilis.

Obj. 4. Christus Matthæi 11. objurgat Judæos, quod conversi non essent, & eis opponit Tyrios & Sidonios, viros Idololatras qui egissent pœnitentiam, si Christus eadem coram ipsis miracula patrasset, quæ coram Judæis patraverat; at objurgatio illa perabsurda fuisset, si gratia sit per se efficax: dicere nimirum potuissent Judæi se pariter acturos fuisse pœnitentiam, si miraculis adjunxisset gratiam per se efficacem, quemadmodum collaturus eam fuisset Tyriis & Sidoniis, si coram eis patrasset miracula: ergo, &c.

R. Nego ant. Scilicet eadem gratia quæ fuisset per se efficax in Tyriis & Sidoniis, non futura fuisset efficax in Judæis propter majorem eorum cæcitatem & intensiorem obdurationem. Hincque sequitur efficaciam gratiæ esse correlativam ad dispositionem subjecti: ita ut ubi major est cupiditas quam sit gratia, effectu suo careat, ubi vero minor, effectum suum per se ipsam consequatur.

10. *Q.* Gratia fuitne per se efficax in sanctis Angelis, & in Adamo innocente?

R. Non fuit. Nempe non alia fuit gratia in Angelis, & Adamo innocente, quam ea quam S. Augustinus in libro de correptione & gratia vocat *Adjutorium* SINE QUO: atqui adjutorium illud non est per se efficax, ut patet ex alimentis & navi cum quibus ibidem comparatur ab Augustino: ergo, &c.

Obj. 1. Augustinus in libro 12. de Civit. Dei cap. 9. scribit, Angelos sanctos magis fuisse adjutos, quam Angeli qui ceciderunt: *Ulli* (inquit) *amplius adjuti*: ergo, &c.

R. Dist. ant. Fuerunt magis adjuti post perseverantiam, conc. ant. ante perseverantiam, aut in ipso actu quo persevevarunt, nego ant. Hoc est, Angeli sancti post perseverantiam, intuitiva Dei visione & uberiori caritate donati sunt in mercedem suæ perseverantiæ; sicque certi facti sunt se nusquam esse casuros: quæ quidem certitudo dum essent in via, deerat eorum statui: *Donec* (inquit Augustinus in libro de correptione & gratia c. 10. *istam summam beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut, magna per Spiritum sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent.*

Obj. 2. Necessitas gratiæ per se efficacis fundatur in subordinatione caussæ Secundæ ad Primam: at hæc ratio locum habuit in innocente creatura: ergo, &c.

R. Nego ant. Solum enim fundatur in infirmitate quam creatura per peccatum contraxit: unde Augustinus contra Semipelagianos pro necessitate gratiæ per se efficacis agens, nullam aliam rationem protulit, quam eam, quæ desumitur ex infirmitate naturæ per peccatum lapsæ: *Subventum est igitur* (inquit in libro de corrept. & gratia, cap. 11.) *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur.*

Obj. 3. Angeli qui perseverarunt, in se ipsis de sua perseverantia gloriari potuissent, si non magis adjuti fuerint, quam illi qui ceciderunt: se ipsos enim ab illis per suum consensum discrevissent: sed hoc est absurdum: ergo, &c.

R. Nego ant. Vires enim suas habuissent a Deo creatore & a Deo largitore gratiæ; unde in eum ultimo referre debuissent suam perseverantiam: e contra vero glorari posset homo lapsus, si non indigeret ad agendum gratia per se efficaci, quemadmodum ægrotus qui fractus esset viribus, gloriari posset, si solo adjutus baculo, quod potest homo sanus, credet posse se ambulare. Addendum est eam difficultatem non aliud continere quam quæstionem philosophicam, an nempe sine præmotione physica possit explicari dependentia caussæ secundæ a prima.

CAPUT IV.

De Gratia habituali.

Nota. De gratia habituali quæri potest 1. quid sit; 2. an detur: 3. quinam sint illius effectus?

§. I.

§. I. *De Natura & existentia Gratiæ habitualis.*

1. Q. Quid est gratia habitualis?

R. Est ea quæ, ut ceteri habitus, in creatura permanet, sive operetur, sive non operetur, sive vigilet, sive dormiat.

2. Q. In quo posita est natura physica gratiæ habitualis?

R. In eodem, in quo posita est natura caritatis habitualis: hoc est, in Dei amore dominante, qui permanenter in justorum anima remaneat, donec per creaturæ amorem dominantem, id est, per peccatum mortale expellatur. Scilicet caritas, sicut & gratia habitualis, homini tribuit esse divinum 1. Joannis 3. Per caritatem, sicut & per gratiam habitualem renascimur; ad Galatas 3. Caritas, sicut & gratia habitualis, est animæ vita: *Translati sumus de morte ad vitam* (1. Joannis 3.) *quia diligimus*. Tandem caritas, sicut & habitualis gratia, nos cum Deo conjungit: *Qui manet in caritate* (1. Joannis c. 4. v. 16.) *in Deo manet, & Deus in eo*.

3. Q. Daturne gratia habitualis?

R. Datur: quia existit forma per quam homo fit justus, hoc est, caritas quæ creaturam efficit formaliter justam, & gratam Deo.

4. Q. Quodnam est immediatum subjectum gratiæ habitualis.

R. Est anima ipsa prout est volitiva boni: quia caritas in anima sub eo respectu considerata recipitur: amare enim est ipsius animæ prout est volitiva boni.

§. II. *De effectibus Gratiæ habitualis.*

Nota. Duo sunt effectus præcipui gratiæ habitualis: Justificatio scilicet & Meritum: habitualis enim gratia (ut superius dictum fuit) reddit animam justam, hoc est sanctam; & præterea est principium meriti, seu efficit ut creatura mereri possit.

De Justificatione.

1. Q. Quid est justificatio?

R. Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 4. eam sic describit: Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum.

2. Q. Justificatio estne posita in sola remissione, aut non imputatione peccatorum?

R. Non est in eis posita: scilicet est forma inhærens animæ: est enim idem cum caritate quæ physice diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis: ex ea autem caritate sequitur remissio peccatorum, sicut effectus sequitur ex caussa ex qua pendet.

3. Q. Quot & quænam sunt justificationis caussæ.

R. Quatuor sunt: *Finalis* quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna: *Efficiens* vero, misericors Deus qui gratuito nos sanctificat: *Meritoria*, Jesus Christus Dominus noster, qui sua passione nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: *Instrumentalis*, Sacramenta baptismi & pœnitentiæ: *Formalis* tandem, est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem. Ita Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 7. definiit.

4. Q. Quænam sunt dispositiones quæ ad justificationem præparant?

R. Sunt fides, timor, spes, dilectionis initium, contritio, baptismi aut Sacramenti pœnitentiæ votum. Ita Concilium Tridentinum Sessione 6. capite 6.

5. Q. Quodnam est objectum fidei quæ præparat ad justificationem?

R. Sunt (ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 6.) ea omnia quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.

Obj. 1. Objectum fidei justificantis est specialis misericordia Dei; hoc est, est actus quo quis certo credit sibi peccata, quæ commisit, esse remissa, ita ut impius sic discurrat: Deus peccatorum remissionem promisit ei qui credit: ego credo; ac proinde remissa sunt mihi peccata: ergo, &c.

Resp. Antecedens est quidem principium quod apud Calvinistas palmarium est: sed reipsa est omnino falsum: neque enim Christus aliquando eam misericordiæ specialis fidem exegit ab eis, quibus remisisse peccatum in Evangelio legitur. Præterea nullibi in Symbolo (in quo sunt quæ creditu necessaria sunt ad salutem) eam de misericordia speciali fidem reperire est.

Obj. 2. Sola fides ad justificationem disponit: ei enim soli Christus justificationem adscribit in Evangelio, *Fides tua* (inquit Matthæi 9. pluribusque aliis) *te salvum fecit*: ergo, &c.

R. Ad 1. nego ant. Sic enim loquitur Jacobus in sua Epistola canonica, cap. 2. *Videtis quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum*. Ad 2. sic respondet Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 7. *Ideo dicit Apostolus justificari hominem ex fide, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus vivitur*.

6. Q. Justificatio estne certa respectu nostri?

R. Non

R. Non est certa: nempè nullus hominum (ut docet Concilium Tridentinum) scire potest certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se justificationis gratiam consequutum esse. Nec immerito: nemo enim ea fide scire potest se credere, sperare & diligere sicut oportet: unde Paulus primæ ad Corint. 4. sic loquitur: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*.

7. *Q*. Justificatio estne immutabilis?

R. Non est; quia qui justus est, potest impius fieri per peccata de quibus agit Apostolus in Epistola ad Rom. *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*.

Obj. 1. Primæ Joannis 3. hæc habentur: *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*: ergo, &c.

R. Dist. ant. Si agat prout ex Deo natus, conc. ant. neque enim arbor bona potest malos fructus facere: si agat ut natus ex Adam, nego ant. quia, ut dicit Evangelium, neque arbor mala bonos fructus facere potest.

R. 2. Dist. ant. in sensu composito, conc. ant. in sensu diviso, nego ant. Hoc est componi non potest peccatum lethale cum Dei filiatione, sed componi potest cum persona regenerata, ita ut peccando mortaliter, desinat Deum habere patrem. Joannis sententia, cujus objectio meminit, similis est isti: Optimus civis patriam non potest prodere; at istius sensus non est quod optimus civis absolute non possit prodere patriam, sed sensus est quod desinat esse civis optimus, ubi eam prodiderit.

8. *Q*. Justificatio estne in omnibus æqualis?

R. Non est: tum quia æquales non sunt in omnibus dispositiones quæ præparant ad justificationem; tum etiam quia justificatio per opera pietatis potest augeri, juxta illud quod Ecclesia precatur Dominica xv. post Pentecosten: *Da nobis, Fidei, Spei, & Caritatis Augmentum*.

De Merito.

1. *Q*. Justi possuntne quidpiam mereri per veræ pietatis exercitia?

R. Possunt: nempe Matthæi 11. æterna vita dicitur *merces* bonorum operum. Secundæ ad Timoth. 4. dicitur *Corona justitiæ*. Primæ ad Corinth. 9. appellatur *Bravium*: at merces, corona justitiæ, & bravium, correlativa sunt ad meritum proprie & stricte sumptum: ergo, &c.

Obj. 1. Omnia justorum opera sunt peccata: *Quasi pannus menstruatæ* (ait Isaias cap. 64.) *omnes justitiæ nostræ*.

R. Isaias loquitur in persona impiorum: vel nomine *justitiarum*, intelligit sacrificia legalia oblata a Judæis cum actuali & determinata voluntate peccandi; unde idem Propheta Deum sic postea loquentem inducit: *Incensum abominatio est mihi*.

Obj. 2. Ad meritum requiritur totius legis observatio: at id homini viatori possibile non est: scilicet (ut Jacobus ait cap. 3.) *in multis offendimus omnes*: ac præterea duo hæc Decalogi præcepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. *Non concupisces* servari non possunt ab homine viatore: ergo, &c.

Resp. Ad 1. Jacobi textus intelligitur de peccatis venialibus quæ non extinguunt caritatem, licet illius fervorem minuant.

Ad 2. Primum Decalogi mandatum tria præcipit: 1. ut Deum rebus omnibus anteponamus: 2. ut nihil nisi in ordine ad ipsum amemus: 3. ut ad perfectam Dei dilectionem conemur: sed hæc tria cum auxilio gratiæ maxime possibilia sunt.

Ad 3. Præceptum *Non concupisces*, prohibet ne titillanti concupiscentiæ præbeamus consensum; ne ejus motu voluntarie delectemur; ne eam in nobis excitemus: sed hæc cum gratia possumus, licet titillationem ipsam impedire non valeamus; unde ait Apostolus Rom. 7. *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ*.

2. *Q*. Quænam conditiones ad merendum requiruntur?

R. Requiruntur aliquæ ex parte actus per quem meremur: nonnullæ ex parte personæ quæ meretur; aliæ vero ex parte Dei.

3. *Q*. Quæ conditiones requiruntur ex parte actus per quem possumus mereri?

R. Duæ. 1. ut actus & a necessitate & a coactione sit liber; unde hæretica est hæc 3. Jansenii propositio: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit immunitas a coactione*. Requiritur 2. ut actus sit bonus tum ex officio, tum ex fine; ac præterea ut fiat ex motu gratiæ actualis, seu ut sit actus supernaturalis.

4. *Q*. Quæ conditiones requiruntur ex parte personæ merentis?

R. Duæ requiruntur. *Prima*, status vitæ; nemo enim nisi viator (sic ferente immutabili Dei lege) mereri potest: scilicet ubi ceciderit lignum, ibi manebit: *Altera*, status gratiæ: ea enim quæ justificationem præcedunt, non sunt, ex Concilio Tridentino proprie & stricte meritoria.

5. *Q*. Quæ conditiones ad meritum ex parte Dei requiruntur?

R. Unica tantum requiritur, promissio nimirum de rependendo bonis operibus præmio: unde Concilium Tridentinum, ubi meminit meriti, divinam promissionem recenset, nec immerito: licet enim creatura mercedem non expectaret, tamen opera sua variis aliis titulis Deo deberet.

6. *Q*. Quotuplex est meritum?

R. Du-

R. Duplex, de condigno nimirum & de congruo: Primum dicitur meritum strictè sumptum, & definitur, illud cui merces sine injustitia non potest non rependi: alterum, vocatur, meritum improprie sumptum; & est illud cui, absolute loquendo, merces potest non rependi sine injustitia. Unde se habet tantum per modum meræ dispositionis ad aliud: ut sunt, ex Concilio Tridentino, actus supernaturales Fidei, Spei & Caritatis, qui præparant impium ad justificationem.

De erroribus circa Gratiam.

1. *Q.* Quinam sunt errores præcipui, a quibus in materia de gratia cavendum est?

R. 1. Cavendum est a Pelagianorum erroribus. Pelagiani vero docebant 1. hominem minime nasci cum peccato originali, ac proinde nec ignorantiam, nec concupiscentiam, nec alias hujus vitæ miserias esse pœnas originalis peccati. Docebant 2. veram ac internam Christi gratiam ad nullum omnino pietatis actum esse necessariam. Docebant 3. veram Christi gratiam, ubi datur, ex hominis merito dari. 4. Eam ad summum requiri, ut præcepta facilius observentur, non autem simpliciter & absolute.

R. 2. Cavendum est a Semipelagianorum erroribus, inter quos præcipuum locum tenet is quo fertur prævenientem ac interiorem gratiam nec ad initium fidei, nec ad perseverantiam requiri.

R. 3. Cavendum est ab erroribus Lutheri & Calvini; & legenda integra Sessio sexta Concilii Tridentini, ubi post Catholicæ fidei traditam variis capitibus expositionem, errores, de quibus agitur, pluribus Canonibus proscribuntur & damnantur.

R. 4. Rejici debet tamquam hæreticus Janseniani libri sensus in quinque propositionibus damnatus, quem earumdem propositionum verba præ se ferunt: hisce terminis conceptæ sunt illæ propositiones.

Prima. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

Secunda. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.*

Tertia. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit immunitas a coactione.*

Quarta. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

Quinta. *Semipelagianum est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Eam autem propositionem tamquam falsam, temerariam & scandalosam damnarunt Romani Pontifices; *Intellectum vero eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit*, declararunt *impiam*, *blasphemam*, *contumeliosam*, *divinæ pietati derogantem*, & *hæreticam*. Vide in Institutionibus veram Doctrinam Ecclesiæ circa Gratiam.

PARS SEPTIMA.

De Deo Ultimo Fine.

Nota. HÆc nostri compendii pars septima complectetur 1. ea quæ pertinent ad finem ultimum in genere sumptum: 2. quæ spectant ad actus humanos in communi; nempe sunt media quibus aut accedimus ad ultimum finem, aut ab eo recedimus: 3. quæ pertinent ad actus humanos in specie, Virtutes nimirum & peccata.

CAPUT PRIMUM.

De Fine Ultimo in genere.

1. *Quæst.* QUid est finis in communi?

R. Est motivum propter quod aliquid fit: sic sanitas est finis potionis medicæ, quia sumitur potio, ut sanitas adquiratur.

2. *Q.* Quotuplex est finis?

R. Duplex; Medius nimirum qui tamquam via ad alium perducit; & Ultimus, qui ad alium non refertur, seu qui propter se amatur. Iste subdividitur in finem *ultimum secundum quid* hoc est in finem alicujus operis particularis; & in finem *absolute simpliciter ultimum*, id est in finem non unius tantum, aut alterius actionis, sed totius vitæ: unde cum ille dominetur alicui operi particulari, iste e contra omnino dominatur ipsimet operanti.

3. *Q.* Homo in omnibus suis operibus agitne semper propter finem simpliciter ultimum?

R. Non agit formaliter: non enim semper de fine simpliciter ultimo, beatitudine nimirum, cogitat, nec eam per actum expressum & explicitum sibi in omnibus operibus proponit & desiderat; sed semper agit propter eum tum interpretative, tum virtualiter: nempe in omnibus suis operibus beatitudinem quærit, & ex illius innata impressione, & desiderio naturaliter indito operatur.

4. *Q.* Creatura rationalis potestne simul agere propter duos fines absolute & simpliciter ultimos?

R. Non potest. Siquidem est de ratione finis absolute & simpliciter ultimi, ut nulli alteri subordinatus sit, & alios omnes sibi subordinatos habeat; debet enim omne omnino bonum continere, ut expleat appetitum creaturæ a qua possidetur.

5. *Q.* Fi-

5. *Q.* Finis abſolutè & ſimpliciter Ultimus, quotuplex eſt?

R. Duplex. Objectivus nimirum & Formalis. Ille eſt objectum, ſeu res in qua poſitus eſt finis ſimpliciter ultimus creaturæ rationalis; nempe, eſt objectum quod ita perfecte poteſt explere creaturæ rationalis appetitum, ut in illo perfecte quieſcat, nec alterius rei deſiderio teneatur: iſte e contra, ſeu finis ultimus formalis, eſt poſſeſſio finis ultimi objectivi, ſeu objecti quod perfecte poteſt explere creaturæ rationalis appetitum.

6. *Q.* Quinam eſt ultimus finis objectivus?

R. Eſt Deus ſolus. Ille enim, cum ſolus in ſe verum omne & bonum omne contineat, ſolus poteſt explere appetitum, quò rationalis creatura fertur in omne bonum & in omne verum; ſcilicet in nullo particulari bono, in nullo particulari vero quieſcere poteſt: Unde eſt illud Auguſtini in Confeſſionibus: *Feciſti nos ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.*

7. *Q.* In quo poſitus eſt finis ultimus Formalis, ſeu is, per quem actu creatura rationalis poſſidet Deum, in quo ſitus eſt finis ultimus objectivus?

R. Poſitus eſt in actu cognitionis & in actu amoris ſimul: hoc eſt, Deus poſſidetur cognitione & amore rationalis creaturæ. 1. Scriptura poſſeſſionem ultimi finis objectivi exprimit per operationem intellectus: *Videbimus eum* (1. Joannis 3.) *ſicuti eſt*. 2. Poſſeſſio Dei eſt illius fruitio: at fruitio eſt voluntatis actus, ſeu eſt amor objecti propter ipſum, dicente Auguſtino in lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 4. *Frui, eſt amore alicui rei inhærere propter ipſam.*

Obj. Per ſolam operationem intellectus, Deus perfecte, ſaltem eſſentialiter, poſſidetur: nempe fieri non poteſt, ut voluntas non amet objectum in quo intellectus videt omne bonum & omne verum, nihilque in eo apprehendit quòd mali minimam ſpeciem habere poſſit; ergo, &c.

Reſp. Ad 1. nego ant. Dicit enim Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ cap. 3. eum non eſſe beatum qui non amat quod habet, etiamſi optimum ſit. Ad 2. dicendum eſt cum Scotiſtis, quod licet intellectus qui clare Deum videret, nullam in eo ſpeciem mali abſolute ſumpti valeret apprehendere, poſſet tamen apprehendere ſpeciem mali reſpective ſumpti, ſicut apprehenderent dæmones, ſi Deus eis intuitive ſeipſum objiceret, ſubtraheretque auxilium ſupernaturale quo voluntas indiget, ut amet Deum: in ea enim ſuppoſitione Deum tamquam iratum ſibi (quod quidem tamquam malum apprehenderent) intuerentur.

CAPUT II.

De eſſentia actus humani.

1. *Quæſt.* Quæ eſt eſſentia actus humani: hoc eſt quomodo actus humanus definitur?

R. Definitur, *Actus qui a voluntate cum advertentia rationis procedit*, & in hoc differt ab actu quem vocant, *hominis;* ad iſtum enim ratio nec actu, nec virtualiter attendit; cum illius uſum omnino præveniat. Hincque patet actum, qui dicitur *humanus*, eſſe voluntarium; illum e contra, qui dicitur *hominis*, non eſſe voluntarium.

2. *Q.* Voluntarium quomodo definitur?

R. Definitur, *Actus qui eſt a principio intrinſeco & ex advertentia, ſaltem virtuali, rationis.*

3. *Q.* Quot modis actus, aut illius omiſſio poſſunt eſſe voluntaria?

R. Duobus modis: directe nimirum & indirecte. *Primum*, eſt illud quod eſt voluntarium in ſe; *Alterum* vero, quod eſt voluntarium in cauſſa ſive phyſica, ſive morali, ſeu ex qua, ſecundum prudentum æſtimationem, ſequitur ut effectus.

4. *Q.* Concupiſcentia augetne, aut minuit voluntarium?

R. Auget ex una parte, quia auget propenſionem voluntatis aut ad actum, aut ad illius omiſſionem: minuit contra ex altera parte, quia cum in malum eſt, excæcat intellectum: actus tamen qui fit ex concupiſcentia cum advertentia rationis, dicitur *voluntarius ſimpliciter*, quia propenſio voluntatis principem in voluntario locum tenet, & eſt involuntarius *ſecundum quid*, nempe ſecundum aliquem reſpectum; quia fit cum minore rationis advertentia.

Obj. Si concupiſcentia minueret voluntarium ex aliqua parte, minueret etiam peccatum: ſed hoc eſt abſurdum; qui enim moraliter peccant ex conſuetudine, ac proinde ex majore concupiſcentia, gravius peccant quam alii, ergo, &c.

Reſp. Nego maj. Ratio eſt quia peccati gravitas petitur ex intenſiori amore quo voluntas fertur in actum vetitum, aut ad illius omiſſionem: at in homine qui peccat ex conſuetudine, intenſior eſt amor quo voluntas fertur in actum lege prohibitum.

5. *Q.* Ut quis peccet, eſtne neceſſe ut actu attendat ad malitiam ſui operis, aut ut actu eam cognoſcat?

R. Non eſt neceſſe: alioquin enim nulla forent ignorantiæ peccata: unde Clerus Gallicanus ad Comitia generalia, anno 1700. coactus, merito hanc propoſitionem damnavit: *Si peccatores conſummatæ malitiæ, cum blaſphemant & flagitiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec mali quod agunt notitiam, propugno eos hiſce actionibus non peccare.*

6. *Q.*

6. Q. Quid ignorantia confert ad voluntarium?

R. Ignorantia triplex est; Antecedens, ea nimirum quæ non solum antecedit actum, sed cui præterea voluntas nullum dedit locum: Consequens, quam voluntas, non quidem in se, sed in caussa saltem virtualiter vult; Concomitans, quæ actum quidem comitatur, sed nullo modo in illum influit. His præmissis dicendum est 1. ignorantiam antecedentem tollere voluntarium, hoc est efficere ut actus qui ex ea fit, sit omnino involuntarius; efficit nimirum ut sit contra voluntatis inclinationem, non actualem tantum, & virtualem, sed etiam interpretativam, ut patet in filio, qui carissimum patrem occidit, existimans post adhibitam debitam diligentiam, objectum in quod catapultam explodit, esse feram: scilicet ea Patris occisio nec in se, nec in caussa, electa fuit a voluntate.

Dicendum est 2. ignorantiam consequentem minuere voluntarium; efficit enim ut actus sit contra voluntatis inclinationem, saltem inefficacem, ut patet in eo qui amicum interficit latitantem in vepribus, existimans (sed vincibiliter) esse cervum.

Dicendum est 3. ignorantiam mere concomitantem nec tollere, nec minuere voluntarium: scilicet nullo modo influit in actum, sed illius respectu impertinenter se habet; ita ut in casu in quo adfuisset cognitio, voluntas tamen actum electura fuisset. Sic ignorantia hominis qui vehementer exoptans inimici mortem, illum occidit, putans, sed sine ulla sui culpa, esse feram, nullo modo in occasionem illam influit; ac proinde hujusmodi ignorantia actum physicum, quo inimicus occisus est, nec voluntarium, nec involuntarium reddidit; quamvis tamen occisor postea ex eo capite peccet, quod advertens inimici cædem de ea per ignorantiam perpetrata lætetur.

7. Q. Quid metus confert in voluntarium?

R. Si sit metus cadens in constantem virum, ut est metus mortis aut diuturni carceris, aut gravis bonorum jacturæ, minuit voluntarium, eo quod minuat voluntatis inclinationem ad actum: siquidem quæ fiunt ex illo metu, fiunt repugnante, saltem inefficaciter, voluntate, ut patet in mercatore, qui sæviente procella pretiosas in pelagum merces projicit, ut exonerando navim vitæ suæ consulat. Verum licet ille metus minuat voluntarium, illud tamen omnino non tollit, cum nec cognitionem ex parte intellectus, nec electionem ex parte voluntatis penitus auferat.

Obj. Receptum est apud Patres axioma; ea quæ ex metu fiunt, esse involuntaria: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Involuntaria, *secundum quid*, quia sunt contra inefficacem voluntatis electionem, conc. ant. Involuntaria *simpliciter & absolute*, nego ant. Scilicet efficaciter eliguntur ab homine, ut vitetur malum, quo alioquin afficeretur; sic mercator sæviente tempestate, eligit efficaciter projectionem suarum mercium in mare, ut vitet naufragium, suæque vitæ consulat.

8. Q. Quot sunt voluntarii species? hoc est, quomodo Voluntarium dividitur?

R. Dividitur in voluntarium Necessarium, & in voluntarium Contingens. Illud, non potest non procedere a voluntate, ut amor Dei in beatis; Istud e contra, potest ab ea non procedere, ut amor Dei in homine viatore.

9. Q. Satisne est ad libertatem, ut actus sit immunis a coactione extrinseca, ut sunt indeliberati motus concupiscentiæ qui præveniunt usum rationis?

R. Non est satis: scilicet Concilium Tridentinum contra Calvinistas definiit, primos & indeliberatos concupiscentiæ motus qui rationis usum præveniunt, non esse peccata.

10. Q. Ut actus sit liber, satisne est ut sit immunis ab extrinseca coactione, & ab omni necessitate naturali, aut requiriturne præterea ut sit immunis a necessitate absoluta etiam deliberata, & amata, ut est Dei amor in beatis?

R. Non requiritur quidem ut sit immunis a necessitate *infallibilitatis*: quia actus qui fit ex gratia per se efficaci, aut congrua, non est immunis ab hujusmodi necessitate; nam gratia per se efficax, & gratia congrua semper suum effectum infallibiliter consequuntur. Sed requiritur ut sit immunis a quavis absoluta necessitate, etiam deliberata, etiam amata, ea etiam quæ non impedit reflexionem & advertentiam rationis. Hincque concluditur Dei amorem in Beatis, licet immunis sit a coactione, licet non impediat reflexionem & rationis advertentiam, licet voluntas illum vere ac sincere velit, licet sit plane voluntarius, non esse tamen liberum.

Ratio est, quia indifferentia activa, hoc est, positio actus cum potestate illum non ponendi, non solum pertinet ad statum libertatis in quo jam sumus, sed etiam ad illius essentiam: scilicet sine illa indifferentia non est electio: *In his* (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 13. art. 2.) *quæ sunt determinata ad unum, electio locum non habet*. Nec mirum: ubi enim non est electio, & ubi voluntas non habet plenum dominium in suos actus, ibi locum non habet stricte & proprie sumpta deliberatio: atqui voluntas non habet plenum dominium in actus necessarios, quantumcumque voluntarii supponantur, nec circa eos electio locum habet, ergo, &c.

Obj. S. Augustinus variis in locis docet Deum esse liberum respectu actus amoris, quo se ipsum prosequitur; at ille actus est omnino necessarius; nec enim Deus potest ab illo

illo actu temperare, hoc est, non potest non se ipsum amare; ergo, &c.

R. Dist. ant. Esse liberum libertate *voluntatis*, conc. ant. libertate *arbitrii*, nego ant. Illa reperitur in actu licet necessario: Ista vero, in actu tantum contingente; hoc est, qui potest esse, aut non esse, seu qui est indifferens indifferentia saltem activa: *In appetibilibus* (inquit S. Thomas quæst. 24. de veritate, art. 1.) *de fine ultimo non judicamus judicio discussionis vel examinationis, sed naturaliter approbamus, propter quod de eo non est electio, sed voluntas. Habemus ergo respectu ejus liberam voluntatem cum necessitate naturalis inclinationis libertati non repugnare secundum Augustinum 5. de Civitate Dei, non autem liberum judicium proprie loquendo, cum non cadat sub electione.*

1. *Q.* Quænam indifferentia requiritur ad libertatem? an contradictionis, an vero contrarietatis?

R. Requiritur 1. indifferentia contradictionis, quæ quidem in eo posita est, quod voluntas ita operetur, ut possit non operari; unde ob id dicitur indifferentia *Exercitii*.

Requiritur 2. quædam indifferentia contrarietatis quam & *specificationis* vocant: hoc est, requiritur ut ex pluribus mediis quæ ad ultimum finem conducunt, voluntas possit eligere quod maluerit: nempe libertas ex S. Thoma 1. p. q. 61. art. 8. definitur: *vis electiva mediorum, servato, & non prætermisso ordine finis.*

3. Sed ad libertatem non requiritur indifferentia contrarietatis non servato, & prætermisso ordine finis; quia tantum abest, ut hujusmodi indifferentia ad libertatis essentiam pertineat, quin e contra sit illius defectus: scilicet ea species indifferentiæ complectitur potestatem peccandi, hoc est eligendi media quæ avertunt ab ultimo fine; potestas vero peccandi non pertinet ad libertatem: alioquin enim (ut sæpe contra Pelagianos docuit Augustinus) libertas non fuisset in Christo.

11. *Q.* Quænam est radix libertatis, hoc est, quis est fons ex quo libertas oritur?

R. Ex Thomistis est indifferentia judicii circa aliquod objectum, aut circa aliquem actum, scilicet indifferentia judicii in eo posita, quod intellectus apprehendat in objecto aut in actu varias rationes propter quas voluntas possit illud objectum aut illum actum amare aut non amare, efficit ut ipsa voluntas sit ad objectum, aut ad actum eligendum aut non eligendum indifferens, hoc est, ut possit actum illum vel eligere aut non eligere. Hincque patet libertatem *arbitrii* ad amandum Deum non esse in Beatis, neque enim eorum intellectus, cum judicet de rebus ut sunt a parte rei, in Deo apprehendit aliquam speciem mali, ratione cujus voluntas Beatorum possit non amare Deum: Hinc iterum sequitur, stante indifferentia judicii fieri non posse, ut voluntas non remaneat libera. Vide Massouliæum, Gonetum, & alios Thomistas.

CAPUT III.

De Moralitate actuum humanorum.

1. *Qu.* Quid est moralitas actuum humanorum?

R. Est conformitas cum regulis morum, vel difformitas ab iisdem regulis.

2. *Q.* Unde petitur specifica moralitas actuum humanorum? hoc est, quid est id quod efficit, ut actus humani ad hanc aut illam morum speciem pertineant, seu ad hanc aut illam specie virtutem, ad hoc vel illud specie peccatum?

R. Petitur aut ab objecto, aut a fine operantis, seu ab intentione qua operans movetur. Ratio primæ partis est, quia propter diversitatem objectorum quæ specie differunt, virtutes Theologicæ a virtutibus Cardinalibus specie differunt. Ratio alterius partis eadem est: nempe finis præcipuus operantis est aliud veluti objectum ad quod fertur operantis voluntas: sic qui furatur, ut possit adulterium committere, actum operatur, qui simul & furtum est ex parte objecti, & adulrium ex parte operantis.

3. *Q.* Moralitas actuum humanorum petiturne ex circumstantiis?

R. Petitur: quia circumstantiæ subjacent regulis morum: unde si actus non fiat in iis circumstantiis in quibus regulæ morum fieri præscribunt, malus est; e contra vero bonus, si tum ex parte objecti, tum ex parte finis hominis operantis, tum ex parte circumstantiarum conformis sit regulis morum.

4. *Q.* Quotuplicis generis sunt circumstantiæ actuum humanorum?

R. Duplicis: nonnullæ nimirum mutant speciem actus; hoc est, efficiunt ut actus pertineat ad aliam speciem, quam ad speciem objecti ad quod proxime tendit. Sic furtum in loco sacro non tantum est furtum, sed præterea propter loci circumstantiam est sacrilegium. Aliæ vero non mutant speciem, sed tantum intra eamdem speciem aut augent bonitatem operis, aut illius malitiam aggravant: sic furari decem nummos, per se gravius est peccatum, quam furari quinque tantum: sed sive quis furetur decem, sive quinque, actus ille non alterius est speciei, quam furti.

5. *Q.* Quot sunt species Moralitatis actuum humanorum?

R. Tres sunt, indifferentia, Bonitas, & Malitia. *Prima* subjicitur Legi permittenti: *Altera*, Legi imperanti: *Tertia* tandem, Legi prohibenti.

6. *Q.* Danturne actus indifferentes?

R. Actus humani considerari possunt vel

in

in specie, vel in individuo. Priori modo sumpti definiuntur ii quorum objectum est indifferens, hoc est, per se nec bonum est, nec malum, v. g. levare festucam: altero modo sumpti, definiuntur ii qui complectuntur non solum objectum operis, sed etiam finem operantis.

His præmissis dicendum est 1. dari actus indifferentes in specie: quia dantur objecta, quæ secundum se, & abstrahendo a fine operantis, nec bona sunt, nec mala.

Dicendum est 2. non dari actus indifferentes in individuo: quia aut finis operantis est bonus, aut malus; non enim datur finis indifferens; nempe vel finis ille est utilis & honestus, vel jucundus. Si primum, est bonus; licitum est enim operari propter utilitatem quæ sit rationi conformis: non licet vero agere propter jucundum: quia agere propter jucundum convenit quidem homini prout est animal, non autem prout est ratione præditus: scilicet homo prout est ratione præditus, non alium finem potest sibi licite proponere, quam bonum honestum, hoc est finem qui rationi sit conformis.

Confirmatur argumentum ex eo quod creatura rationalis teneatur omnia sua opera deliberata ad Deum, tamquam ultimum finem referre, saltem virtualiter, juxta illud Apostoli 1. ad Corint. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: in quæ quidem verba & alia ejusdem Apostoli similia, sic loquitur Augustinus in lib. de correptione & gratia, c. 5. *Præcipit Apostolus dicens*: *Omnia vestra in caritate fiant*. Sic etiam loquitur S. Thomas in Epistolam ad Colossenses; *Quidam dicunt quod hoc est consilium, sed hoc non est verum.*

Obj. 1. In Concilio Constantiensi damnata fuit hæc Joannis Hus propositio: *Divisio immediata humanorum operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa*: ergo &c.

R. Illa propositio fuit damnata in sensu Joannis Hus, qui contendebat omnia quæ fiunt ab homine jacente in statu peccati mortalis, esse vitiosa; quæ vero ab homine justo, esse virtuosa: ille autem sensus apertam hæresim continet: cum fide Catholica certum sit, justum, non amissa justitia, peccare venialiter: impium vero in statu peccati mortalis remanentem, elicere actus informes fidei, spei, caritatis, & aliarum virtutum.

Obj. 2. Dantur actus indifferentes in specie, ergo & in individuo: non enim datur species sine individuo.

R. Conc. ant. nego conseq. Quia actus in specie, est actus consideratus secundum objectum tantum, quod quidem (ut dictam est) potest esse indifferens: e contra actus consideratus in individuo, præter objectum ad quod proxime tendit, includit finem operantis: at finis ille non est (ut fuit probatum indifferens: quia vel est conformis regulis morum, vel ab eis difformis est: ac proinde bonus est, vel malus.

7. *Q.* Actus exterior augetne malitiam actus interni, veri, sinceri, atque efficacis?

R. Non auget *per se*: quia actus exterior per se, hoc est, prout est exterior tantum, nec malitiam moralem habet, nec bonitatem. Auget tamen *per accidens*: quia nonnumquam actum internum reddit aut intensiorem, aut diuturniorem, efficitque ut oriatur scandalum, & proximo detrimentum inferat: unde in confessione Sacramentali reus tenetur dicere, an actus fuerit exterior, an vero internus tantum.

8. *Q.* In quo consistit Malitia moralis actuum humanorum?

R. In privatione rectitudinis quam morum regulæ præscribunt: unde merito scribit Augustinus, peccatum esse nihil: & homines facere nihil, cum peccant.

CAPUT IV.

De Conscientia.

Nota. DUæ sunt actuum humanorum regulæ: externa nimirum quæ non aliud est, quam Lex de qua jam egimus hujusce compendii parte quinta, ubi de Deo auctore legum disseruimus; Altera, interna; quæ quidem non aliud est, quam Conscientia.

§. I. *De definitione & divisione Conscientiæ.*

1. *Qu.* Conscientia quomodo definitur; seu quid est Conscientia?

R. Definitur. Actus quo intellectus judicat, hanc vel illam actionem esse hic & nunc agendam, aut omittendam.

Conscientia dicitur 1. *Actus*; quia mordet, arguit, testificatur. Dicitur 2. actus *intellectus*; quia ad eam animæ potentiam quæ dicitur intellectus, pertinet judicium, quod quidem (ut diximus) est conscientiæ officium. Dicitur 3. actus, quo intellectus judicat, *Hanc vel illam actionem esse hic & nunc agendam, aut omittendam*; quia differt a Synderesi, quæ versatur circa agenda, aut omittenda in genere. Synderesis v. g. dictat, bonum esse faciendum, & malum fugiendum; conscientia vero, ex eo quod Lex docet hunc actum esse bonum aut malum, concludit hunc actum esse hic & nunc agendum, aut omittendum, & ad id voluntatem movet & impellit.

2. Conscientia quomodo dividitur? seu quotuplex est conscientia?

R. Dividitur 1. in Certam & Dubiam: illa, est judicium firmum de bonitate aut malitia operis hic & nunc agendi: sic Jacob accedens ad Liam, quam prudenter judicabat esse suam uxo-

uxorem, habuit conscientiam certam de bonitate actus conjugalis cum Lia habendi. Ista, seu Dubia, est suspensio judicii circa bonitatem aut malitiam operis hic & nunc agendi. Sic qui aut caret rationibus quibus judicet contractum aliquem non esse usurarium, aut qui habet quidem, sed ex alia parte habet non minus graves, quibus judicet illum esse usurarium, dubiam de contractus hujusmodi bonitate conscientiam habet: suspendit nimirum judicium circa illius bonitatem aut malitiam.

Conscientia Dubia potest esse vel juris, vel facti. Illa versatur circa jus aliquod, an v. g. hæc actio sit per legem prohibita: ista e contra versatur circa factum aliquod, an objectum v. g. quod inter vepres latitat, sit homo, an fera?

Dividitur 2. in Veram & erroneam. Prima, est judicium de bonitate aut malitia operis hic & nunc agendi, & quidem conforme legi. Sic qui judicat proximo laboranti esse hic & nunc consulendum, habet conscientiam veram, quia illud judicium est conforme legi quæ in genere præcipit ut proximus in sua miseria sublevetur. Altera, seu Erronea, est judicium de bonitate, aut malitia actionis, quod non est conforme legi. Sic qui judicaret, urgente hic & nunc tentatione non esse orandum, conscientiam haberet erroneam.

Conscientia Erronea, sicut & Dubia, vel est circa jus, vel circa factum. Error autem ille dividitur in Vincibilem & in Invincibilem. Prior, est ille qui, quæcumque diligentia adhibeatur, superari non potest: alter vero, qui morali adhibita diligentia, seu, servatis servandis, superari potest.

Dividitur 3. in scrupulosam & latam. Scrupulosa, est judicium de malitia operis hic & nunc agendi, sed levibus rationibus nixum. Sic scrupulosa conscientia laborat Sacerdos, qui cum attente Canonem recitaverit, in Communione angitur, an recitaverit orationem Dominicam, quæ ante in Canone legitur. Lata conscientia, est judicium de bonitate operis ex levissimis, & quidem cupiditati faventibus argumentis. Sic latam habet conscientiam qui superflua non erogat pauperibus, timens sed sine fundamento, ne iis imposterum indigeat.

Dividitur 4. in conscientiam probabilem, & non probabilem. Probabilis definitur, judicium de bonitate, aut malitia operis, fultum quidem gravibus momentis, seu idoneis ad determinandos ad assensum viros pios & prudentes; sed tamen non sine formidine partis oppositæ: improbabilis e contra, est judicium de bonitate, aut malitia alicujus operis, sed nullis, aut levibus fultum rationibus.

§. II. *Utrum Conscientia sit Regula Morum?*

1. *Qu.* Conscientia Vera, estne Regula Morum?

R. Est; quia (ut superius dictum fuit) est judicium quod circa actum aliquem hic & nunc exercendum, est conforme legi quæ actum illum aut præcipit, aut prohibet, aut permittit.

2. *Q.* Conscientia Erronea, estne regula morum?

R. Non est 1. Quia non est debita circa actum aliquem applicatio legis. 2. Error non est in speculativis regula ratiocinationis: ergo nec in practicis est regula agendorum.

3. *Q.* Licitumne est agere contra conscientiam erroneam?

R. Licitum est, modo prius depositus sit error quo intellectus laborat: sed licitum non est, quamdiu eeror non est depositus: hinc Apostolus concludit Fidelem peccare, qui judicans non licere vesci idolothytis, iis tamen vescitur. *Omne* (ait) *quod non est ex fide* (hoc est, ex conscientia,) *peccatum est*. Rom. 14.

4. *Q.* Conscientia Scrupulosa estne regula morum?

R. Non est: quia regula morum includit prudentiam: at conscientia scrupulosa eam non includit, nempe nititur rationibus levissimis quæ prudentes homines movere non possunt.

5. *Q.* Estne licitum agere contra conscientiam scrupulosam?

R. Est licitum, immo & expediens: quia vani scrupuli nocent animæ, quam privant interno illo gaudio, interna illa pace quæ plurimum conferunt ad virtutis augmentum. Præterea inanes scrupuli nonnumquam exponunt periculo peccandi lethaliter; cum enim ex una parte jugum aggravent, & aliunde animæ vires sint infirmæ, periculum est ne homo omittat quæ judicantur præcepta.

6. *Q.* Conscientia Lata, estne regula morum?

R. Non est regula morum. Scilicet in detrimentum Legis, levibus ducta rationibus cupiditati favet. Hinc autem patet non tantum licere, sed & præceptum esse agere contra conscientiam latam.

7. *Q.* Conscientia Dubia estne regula morum?

R. Non est. Ratio est quia regula morum debet ad assensum determinare, seu efficere, ut quis judicet actum particularem, qui hic & nunc agendus est, esse conformem aut difformem legi: atqui id non præstat conscientia dubia: est enim (ut superius dictum est) suspensio judicii de bonitate aut malitia operis quod hic & nunc agendum est.

8. *Q.* Qua ratione debet se gerere is cui adest conscientia dubia?

R. 1. Debet abstinere ab actu de cujus bonitate aut malitia dubitat; si tamen aliqua agen-

agendi necessitate non urgeatur: Si autem urgeat agendi necessitas, debet partem eligere tutiorem: *In dubiis* (ajunt jura) *tutior pars est eligenda*: nec mirum: nam eligendo partem minus tutam, sese exponeret periculo infringendi legem, ac proinde peccandi, dicente Scriptura Eccl. c. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*. 3. Si nulla pars sit tutior, sed utraque sit periculosa, hoc est, si conscientia judicet æquale reperiri periculum in actu & in illius omissione, voluntas debet eligere actum qui proximi, qui est in possessione, juri favet, sic mulier quæ de sui matrimonii validitate dubitat, non potest quidem debitum petere, sed illud reddere tenetur viro cui persuasum est valere suum matrimonium.

9. *Q.* Conscientia probabilis, reduplicativè prout est probabilis, estne regula morum?

R. Non est. Siquidem quod est indifferens ad veritatem & falsitatem, seu quod potest esse verum aut falsum, non est regula morum: nempe sola veritas *per se* est morum regula; & *per accidens* id quod inculpate & firmiter, hoc est, sine formidine partis oppositæ, existimatur veritas: unde est illud Scripturæ, Ecclesiast. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile*. Atqui conscientia probabilis est indifferens ad veritatem & falsitatem: potest enim esse vera, potest esse falsa; seu potest esse recta applicatio legis, potest quoque esse falsa ejusdam legis applicatio: ergo conscientia probabilis, prout probabilis est, non est morum regula.

10. *Q.* Quamvis supponatur quod conscientia, seu opinio probabilis, reduplicative prout est probabilis, non sit morum regula, estne tamen aliquando licitum eam sequi?

R. Opinio probabilis in duplici statu potest considerari, nimirum vel in concursu alterius probabilioris, vel in concursu alterius æque probabilis: quid facto opus sit in eo duplici casu, nostra ad subsequentes quæstiones responsa aperient.

11. *Q.* Estne licitum sequi in praxi opinionem minus probabilem quæ favet legi, seu quæ dictat actum non esse licitum?

R. Licitum est: quia operans non se exponit in eo casu periculo legem infringendi: sic qui judicans ex opinione minus probabili contractum aliquem esse usurarium, ab eo temperat, non se exponit usuræ peccato.

12. *Q.* Estne licitum sequi in praxi opinionem minus probabilem quæ favet cupiditati (hoc est, quæ dicit actum esse licitum) in concursu probabilioris quæ stat pro præcepto, seu quæ dicit actum esse illicitum?

R. Non licet. Nam 1. tenemur sequi veritatem, aut saltem id quod probabilius judicamus magis ac propius ad veritatem accedere: sola enim veritas (ut jam observavimus) est per se morum regula, juxta illud Scripturæ Eccli. c. 37. *Ante omnia verbum verax præcedat te*. 2. Qui probabilius judicat actum aliquem esse illicitum, magis dubius est, quam si æque probabiliter judicaret esse illicitum: ergo, cum prupter illam rationem (ut infra dicetur) non liceat sequi opinionem æque probabilem quæ favet cupiditati, a fortiori non est licitum sequi opinionem minus probabilem. 3. Doctrina de qua agitur, tamquam nova, perniciosa & scandalosa damnata fuit a Clero Gallicano ut inferius dicetur. 4. Ea doctrina excusat eum qui totum Decalogum infringeret, ductus opinionibus minus probabilibus quas circa illum docuerunt Scriptores quidam. Nec obest quod illæ opiniones sint falsæ: siquidem falsitas non impedit probabilitatem; scilicet (ut observatum est) opinio probabilis est indifferens ad veritatem & falsitatem.

13. *Q.* Estne licitum sequi in praxi opinionem æque probabilem quæ favet cupiditati in concursu alterius æque probabilis quæ stat pro præcepto?

R. Non licet. Nam 1. quando opiniones sunt æque probabiles, intellectus dubitat, an actus sit licitus, aut illicitus: non enim magis determinatur ad unam quam ad aliud, scilicet non habet rationes, ut uni parti consentiat potius quam alteri: at in dubio non licet id agere quod favet cupiditati; immo tenemur id eligere quod favet præcepto, quia tutius est, juxta illud axioma Juris Canonici: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*.

2. Doctrinam de qua agitur, damnavit Augustinus: nempe consultus a viro Donatista suum in Ecclesiam Catholicam ingressum meditante, & dubitante, an liceret sibi in parte Donati baptismum recipere, quem certo sciebat licite recipi in Ecclesia Catholica, consultus (inquam) respondit, id ei non licere, hoc ductus principio, quod certa debeant incertis præferri: *Accipere itaque* (ait in lib. 11. de Baptismo contra Donatistas cap. 5.) *in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?*

3. Eadem doctrina adversatur regulæ de probabilium usu traditæ a Clero Gallicano ad comitia generalia anno 1700. coacto. Fert nimirum illa regula: *Ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit*. Ex qua quidem regula hanc idem Clerus Gallicanus conclusionem elicit: *Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis ac notis auctoribus postremo demum sæculo proditum, & ab iisdem pro morum regula positum repugnat huic effato a Patribus* (Vincentio Lirinensi, Common. 1. c. 3. & aliis) *celebrato: QUOD ubique, quod semper, quod ab omnibus: Nec habere potest Christiana regula securitatem.*

Obj. 1. Licet propter æqualia rationum pondera, is speculative dubitet qui æqualem hinc & inde probabilitatem habet, potest tamen non esse dubius practice, si suum dubium tollat per hunc actum reflexum. Dubium quidem est v. g. an contractus ille sit usurarius, sed cum dubium non sit, quod sequi liceat opinionem probabilem, dubium pariter non est, quod in praxi contractus ille licitus sit.

R. Ad 1. nego ant. Ad 2. nego tolli dubium per actum reflexum de quo agitur. Scilicet principium quo nititur actus ille reflexus: *Licitum est sequi in praxi opinionem vere probabilem*, non tantum est principium dubium, sed etiam omnino falsum, utpote Scripturis, Patribus, & sanctis, doctisque Theologis (ut observat Clerus Gallicanus,) penitus invisum & inauditum, immo & contrarium.

Obj. 2. Qui sequitur opinionem probabilem etiam in concursu contrariæ æque probabilis, immo & probabilioris, prudenter agit: agit nimirum ductus rationibus quæ viros pios & doctos possunt ad assensum movere: ergo, &c.

R. Ad 1. nego ant. Ad 1. dist. Si non adsint rationes contrariæ quæ viros pios & doctos æque, immo & magis possunt ad contrarium assensum movere, transeat ant. Si adsint, ut revera adsunt in concursu duarum opinionum aut æque probabilium, aut quarum una est probabilior altera, nego ant.

Obj. 3. Licitum est sequi in praxi opinionem minus tutam in concursu tutioris; ergo & minus probabilem in concursu probabilioris.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia opinio minus tuta est (ut supponitur) verior: e contra vero opinio probabilis non est verior altera quæ est pariter æque probabilis, immo est minus vera in concursu probabilioris, aut saltem minus vera judicatur. Præterea opinio tuta, etiam in concursu tutioris, nulli exponit periculo peccandi, cum tuta supponatur: e contra vero probabilis in concursu aut æque probabilis, aut probabilioris, exponit operantem periculo peccandi, infringendi nimirum legem.

Obj. 4. Vera sunt tria hæc Canonici Juris Axiomata. I. *In pari caussa melior est conditio possidentis*. II. *Favores sunt ampliandi, & odia restringenda*. III. *In pœnis benignior est interpretatio facienda*. Sed illa axiomata probant licitum esse sequi in praxi opinionem probabilem in quacumque circumstantia consideretur: ergo, &c.

R. Ad 1. Possessio non stat pro libertate creata, sed pro lege: lex enim lata fuit & vim habuit, antequam is, cui duæ opiniones observantur, suæ libertatis possessione frueretur. Dici potest præterea laudatum ex jure axioma vim habere tantum in exteriori foro: nempe litigans qui æquales cum adversa parte rationes habet, potior est in jure, si præterea rei propter quam lis intentatur, possessionem habeat.

R. Ad 2. Juris regula de qua agitur, locum non habet, cum agitur de licito, aut illicito, sed tantum cum est quæstio de pœnis a Judice infligendis; hoc est, cum dubium est, an perpetrato crimine, gravis, aut gravior infligenda sit.

R. Ad 3. Idem est sensus regulæ quæ tertio loco in objectione laudata fuit.

14. *Q.* Estne licitum sequi opinionem probabiliorem quæ favet libertati, in concursu minus probabilis quæ stat pro præcepto?

R. Licitum est, si probabilitas petatur ex Scriptura, Patribus & sanctis Doctoribus: eo nimirum in casu opinio probabilior est verior, cum traditioni, quæ morum est regula, sit conformior: unde merito Clerus Gallicanus ad Comitia generalia anno 1700. coactus hanc propositionem post Alexandrum Papam VIII. damnavit: *Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam*. E contra, si probabilitas sumatur solum ex corrupta per peccatum ratione, & ex Scriptoribus qui ad placita quædam nova, & veteribus inaudita, moralis Theologiæ difficultates solverent, non licet sequi opinionem quæ ea probabilitatis specie probabilior judicatur, quæque contra præceptum favet cupiditati: sic licet quis probabilius judicet licitam esse occisionem hominis ad evitandam alapam, id in praxi minime sequi potest. Idem plane dicendum est de novis aliis morum regulis, quas Alexander VII. Innocentius XI. & Clerus Gallicanus ad Comitia generalia anno 1700. coactus damnarunt.

CAPUT V.

De Virtutibus in genere.

1. *Quæst.* Virtus in genere quomodo definitur?

R. Definitur a Philosophis: *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur*. Nempe si quis ad pravum finem utatur virtute, desinet ipsa esse virtus, juxta illud Augustini in l. 4. contra Julianum c. 4. *Non officiis, sed finibus, a vitiis discernendæ sunt virtutes*: unde idem sanctus Doctor variis in locis virtutem sic definit: *Virtus est ordo amoris*, seu rei, quæ amanda est, amor ordinatus; hoc est, relatus ad finem ad quem recta ratio quodcumque officium referri præscribit.

2. *Q.* Quodnam est subjectum Virtutis?

R. Est illud solum ens quod ratione præditum est, quia soli hujusmodi enti convenit suum opus ad rectæ rationis regulas exigere, & officium ad debitum finem referre.

3. *Q.* Aliquæ virtutes consistuntne in mediocritate?

R. Consistunt; quia nonnullæ sunt contra quas peccari potest per excessum, aut per defectum: hujusmodi est liberalitas, contra quam prodigus peccat per excessum, & avarus per defectum.

4. *Q.* Suntne aliquæ virtutes quæ non consistunt in mediocritate?

R. Sunt: Theologicæ nimirum & Intellectuales: neque enim aliquis potest nimis Deo revelanti credere, nimis in eum sperare, nimis eum amare: sic etiam non potest quis nimis scire, nimium esse prudens.

5. *Q.* Quotuplex est Medium virtutis?

R. Duplex; nimirum Medium *Rei*, & Medium *Rationis*. Illud positum est (ut inferius de virtute justitiæ differentes, docebimus) in æqualitate quantitatis ad quantitatem in justitia commutativa, & in æqualitate proportionis meriti ad præmium in justitia distributiva. Istud vero, *ratione* definitur, ut patet in temperantia, quæ non consistit in eadem ciborum quantitate respectu omnium personarum. Hinc fit ut Medium *Rei* positum sit in indivisibili, non autem Medium quod *rationis* vocant.

6. *Q.* Virtutes consideratæ in statu perfecto, suntne omnes inter se connexæ, ita ut una in statu perfecto haberi non possit sine aliis omnibus?

R. Sunt inter se connexæ, quia virtus in statu perfecto considerata includit prudentiam perfectam: at prudentia non est perfecta, nisi appetitus sit quoad omnia objecta rectus: non potest vero, ut par est, quoad omnia & singula esse rectus, nisi per virtutes quæ circa singula objecta versantur.

Obj. Aliquis potest esse perfecte castus, quamvis virginitatem non habeat: ergo, &c.

R. Dist. ant. quamvis virginitatem quoad rem externam quam includit, integritatem nimirum corporis non habeat, conc. ant. quamvis virginitatem non habeat quoad illius essentiam si expediret; hoc est, internam animi dispositionem in qua virtutes præcipue sitæ sunt, nego ant.

7. *Q.* Virtutes in statu imperfecto consideratæ; suntne omnes inter se connexæ?

R. Non sunt: quia experientia compertum est, aliquem posse esse temperantem, licet liberalis non sit, idem de pluribus aliis virtutum speciebus affirmari potest.

8. *Q.* Quænam sunt species virtutis sumptæ generice? hoc est, quomodo virtus in genere sumpta dividitur?

R. Tres sunt species virtutis generice sumptæ: scilicet aliæ sunt Intellectuales, aliæ Morales, aliæ Theologicæ.

Intellectuales sunt eæ quæ perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem Veri, vulgoque subdividunt in Intelligentiam, Sapientiam, Scientiam, Prudentiam, & Artem.

Morales perficiunt voluntatem in ordine ad bonum honestum, cujuscumque sit generis & in quacumque materia consideretur. Quatuor sunt præcipuæ, quæ ob id *Cardinales* appellantur, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, & Justitia: nimirum ad quatuor illas virtutes, tamquam ad cardines reducuntur aliæ omnes virtutes Morales.

Theologicæ definiuntur, Virtutes quæ immediate circa Deum versantur: Fides nimirum, Spes & Caritas. De singulis illis virtutis speciebus breviter subsequentibus capitibus est agendum.

CAPUT VI.

De Virtutibus Theologicis.

§. I. *De Fide.*

1. *Quæst.* Quænam est prima ex Virtutibus Theologicis?

R. Fides, quia (ut ait Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 8.) est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.

2. *Q.* Quid est fides? seu quomodo fides definitur?

R. Definitur *Virtus divinitus infusa, per quam creatura rationalis firmiter assentitur iis, quæ a Deo revelata sunt.*

3. *Q.* Valetne tradita ab Apostolo fidei definitio? Hebr. 11. *Est autem* (inquit) *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

R. Valet quidem; verum non est essentialis, sed descriptiva tantum, hoc est, explicat, non quidem essentiam fidei, sed duplex illius attributum, firmitatem nimirum & obscuritatem.

4. *Q.* Fides prout est virtus Theologica, quomodo dividitur?

R. Dividitur in Actualem & Habitualem; in explicitam & Implicitam; in Adquisitam & infusam; in Informem & Formatam; in Vivam & Mortuam.

5. *Q.* Quid est Fides Actualis?

R. Est actus, per quem intellectus ex imperio voluntatis excitatæ per auxilium divinum, assentitur alicui veritati propter auctoritatem Dei revelantis.

6. *Q.* Quid est Fides Habitualis?

R. Est adhæsio revelantis *permanenter* inhærens animæ, hujusmodi vero est ea quæ in fidelibus dormientibus reperitur.

7. *Q.* Quid est Fides Explicita?

R. Est ea, per quam intellectus adhæret alicui articulo speciali & distincte cognito; v. gr. quod Deus sit trinus in personis, quod Verbum factum sit caro, & ita de ceteris.

8. *Q.* Quid est Fides Implicita?

R. Est ea, per quam intellectus adhæret aut iis omnibus in genere quæ Ecclesia credit, non cogitando de aliquo articulo singu-

lari, aut per quam adhæret alicui articulo singulari qui in alio continetur, licet de ipso speciatim minime cogitet: sic qui credit duas in Christo naturas, virtualiter & implicite credit in eo duas esse voluntates & duas operationes; quamvis duæ illæ voluntates, duæ illæ operationes non veniant in illius mentem.

9. *Q.* Quid est Fides Adquisita?

R. Est habitus Fidei qui nascitur ex multis actibus fidei pluries repetitis: sic qui sæpius elicuit actum fidei circa Verbi incarnationem, de illo articulo fidem habet adquisitam.

10. *Q.* Quid est Fides infusa?

R. Est ea, quam Deus infundit absque aliquo ex parte credentis actu, qui ad eam per modum caussæ efficientis concurrat. Id vero patet in parvulis, quibus absque prævio illorum actu, Deus (ut ait Concilium Tridentinum) Fidem, Spem & Caritatem per Baptismi sacramentum infundit.

11. *Q.* Quid est Fides Formata?

R. Est ea quæ reperitur in subjecto in quo est caritas justificans: e contra fides informis, est ea quæ reperitur in iis qui sunt in statu peccati mortalis.

12. *Q.* Quodnam est objectum materiale fidei?

R. Res omnes quæ a Deo revelatæ sunt. Eæ vero res ad quosdam præcipuos articulos restringuntur. Articuli autem definiuntur, *Propositiones* Catholicæ, quæ primario ad fidem spectantes, specialem præ aliis difficultatem ad credendum complectuntur.

13. *Q.* Articuli fidei creveruntne in Ecclesia successu temporis? hoc est, accessitne ad eos augmentum aliquod?

R. Non creverunt secundum substantiam accepti, nec eis aliquod augmentum accessit: quia non dantur novæ circa fidem aut mores revelationes in Ecclesia: nempe quæcumque credit Ecclesia & ad consummationem usque sæculorum creditura est, Apostolis revelata sunt, juxta illud Joannis c. 16. *Cum venerit ille* (Spiritus veritatis) *docebit vos* OMNEM *veritatem*. Revelationes vero quæ factæ sunt Apostolis, in Scriptura aut traditione continentur.

Verum licet articuli fidei non creverint, eis tamen accessit uberior explicatio: idque occasione hæreticorum qui impugnarunt articulos, qui quoad substantiam, in Scriptura aut traditione continebantur.

14. *Q.* Ubinam continentur præcipui articuli fidei?

R. Continentur in Symbolo, quod quidem definitur *Summa, quæ præcipuos & cardinales fidei articulos explicite complectitur.*

De Symbolo.

1. *Q.* Quotuplex est fidei Symbolum?

R. Quadruplex, Apostolorum, Nicænum, Constantinopolitanum & Athanasianum.

2. *Q.* Quid est Symbolum, quod vocant Apostolorum Symbolum?

R. Est illud quod in Ecclesia Romana a cunctis fidelibus in oratione quotidiana recitatur, incipitque: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ, &c.* Dicitur autem Apostolorum Symbolum, tum quod doctrinam ab Apostolis traditam contineat; tum quod (ut putatur) in eum ordinem in quo legitur, ab Apostolis digestum fuerit.

3. *Q.* Quodnam est Symbolum, quod *Nicænum* vocant?

R. Est illud quod in prima Nicæna Synodo editum est adversus Arium. Præcipuus illius articulus est Verbi divinitas & consubstantialitas cum Patre, quam Arius, contra quem habitum est illud Concilium, impugnaverat.

4. *Q.* Quodnam est Symbolum Constantinopolitanum?

R. Est illud quod editum fuit in primo Constantinopolitano Concilio, quodque incipit, *Credo in unum Deum.* A ceteris præcipue differt, quod ei Spiritus sancti divinitas contra Macedonium, inserta fuerit.

5. *Q.* Quodnam est Symbolum Athanasianum?

R. Est illud quod incipit, *Quicumque vult salvus esse.* Vocatur vero Athanasianum, quod Athanasio (sed falso) tribuatur: pluribus enim post illius mortem annis editum fuit.

6. *Q.* Symbolum Apostolorum quot continet partes?

R. Triplex est ejus pars. In priore, recensentur ea, quæ ad Patrem, primam Trinitatis personam, & Universi creationem pertinent. In altera, proponuntur ea quæ spectant ad secundam personam, & hominis per peccatum lapsi redemptionem. Tertia tandem pars continet ea, quæ Spiritui sancto sanctitatis nostræ fonti tribuuntur.

7. *Q.* Quis est sensus primi articuli: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ?*

R. Hæc ejus est sententia: Credo interius, ac exterius profiteor, Deum Patrem primam, ratione originis, personam esse omnipotentem, ac cælum & terram, & quæ illorum ambitu continentur, ex nihilo eduxisse: In eum quoque tamquam ad ultimum finem totis viribus contendo.

8. *Q.* Estne discrimen aliquod inter, Credere Deo, Credere Deum, & Credere in Deum?

R. Est. Nam credere Deo est assensum præbere Deo revelanti. Credere Deum, est credere Deum existere unum in natura, & trinum in personis. Credere in Deum, est spem in Deo tamquam ultimo fine collocare, ineumque per caritatem tendere.

9. *Q.* Quis est sensus alterius articuli: *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum?*

R. Iste: scilicet profitemur nos credere, existere in Divinis secundam personam, in

qua,

qua, sicut & in prima, spem nostram collocemus: Ea vero persona dicitur & est vere *Filius*, quia procedit a Patre per sacram generationem in similitudinem naturæ. Dicitur Filius *Unicus*, quia Filius est naturalis, hoc est, ejusdem omnino substantiæ cum Patre; non autem adoptivus, per gratiæ scilicet accidentalis, & donorum communicationem.

Ille Filius post suam cum humana natura unionem substantialem dicitur *Jesus*, eo quod sit non unius tantum gentis, sed omnium hominum Salvator. Dicitur quoque *Christus*, id est, *Unctus*, unctione scilicet spirituali *in Sacerdotem*, qui pro nobis, ut homo est, apud Patrem interpellet; *in Prophetam*, qui Dei legem nos doceat, *& in Regem*, qui præsit Ecclesiæ per totum orbem diffusæ.

Profitemur 2. credere nos, illum Jesum Christum, Filium Dei unicum, *nostrum esse Dominum*, tum jure redemptionis, tum etiam ratione personæ cui in illo natura humana substantialiter est unita; tum ratione potestatis quam Deus post resurrectionem humanitati cum Verbo conjunctæ contulit.

10. *Q.* Quis est sensus tertii articuli: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine?*

R. Profitemur credere nos 1. Christum non ex virili semine conceptum esse, sed virtute Spiritus sancti: 2. Mariam vere esse matrem Jesu Christi, & vere Deiparam; cum ex illius purissimo sanguine efformatum sit Jesu Christi corpus, cui eodem temporis momento infusa fuit anima rationalis, & utrique (corpori & animæ) unita hypostatice divinitas: 3. Mariam nullum virginitatis detrimentum aut ante partum, aut in partu, aut post partum passam fuisse.

11. *Q.* Quis est sensus quarti articuli: *Passus sub Pontio Pilato; crucifixus, mortuus & sepultus?*

R. Per hanc vocem *Passus*, declaramus nos credere 1. Christum vere passum esse, juxta illud Evangelii Matth. 46. *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

2. Per hanc aliam, *Crucifixus*, profitemur, Christum actum fuisse in crucem, supplicii genus, non apud Gentiles modo, sed etiam apud Judæos turpissimum, juxta illud Scripturæ Deuter. 21. *Maledictus qui pendet in ligno.*

3. Per hanc aliam vocem, *Mortuus*, declaramus credere nos, animam Christi ab illius corpore revera fuisse separatam; scilicet Evangelium fidem facit, ipsum, dum penderet in cruce, emisisse spiritum. Id tamen non impedit, quin Verbum cum utroque (anima nimirum & corpore) hypostatice conjunctum remanserit.

4. Per hanc vocem *Sepultus*, profitemur credere nos corpus Jesu mandatum fuisse sepulturæ; idque, ut veritas mortis, quam in cruce passus fuerat, comprobaretur.

12. *Q.* Quænam est sententia quinti articuli: *Descendit ad inferos?*

R. Testamur credere nos, Christum, non tantum secundum divinam virtutem, sed etiam substantialiter, non quidem secundum corpus quod jacebat in sepulcro, sed secundum animam Verbo hypostatice conjunctam, descendisse ad inferos, non ad tetrum illum carcerem, quo Dæmones conclusi tenentur, sed ad receptaculum illud in quo animæ Patriarcharum, aliorumque Sanctorum, qui obierant, expectabant Salvatoris mortem, per quam regni cælestis portæ illuc usque hominibus clausæ, reserarentur.

Altera ejusdem articuli quinti parte, *Tertia die resurrexit a mortuis*, profitemur credere nos Christi resurrectionem, seu confitemur, post elapsam Veneris diem, qua Christus obiit, elapsam quoque diem Sabbati, per quam integram corpus illius in sepulcro remansit, ineunte die, qui apud Romanos dies *Solis* dicebatur, apud Judæos *prima Sabbati*, seu hebdomadæ, apud Christianos *Dominica*, animam iterum unitam fuisse ejus corpori, vitamque qua prius fruebatur, illi impertitam fuisse, idque factum non aliena virtute, ut in Lazaro, sed vi propria, divinitate nimirum animæ & corpori Christi hypostatice conjuncta.

13. *Q.* Quis est sensus articuli sexti: *Ascendit ad cælos; Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis?*

R. Profitemur 1. Christum non tantum divina virtute, sed & beata, hoc est Beatis propria, qua scilicet animam corpus gloriosum transfert quocumque libuerit, e terris in cælum conscendisse; non quidem ut Deus est (sic enim a cælo abfuit numquam) sed prout homo, seu secundum corpus & animam: debebatur nimirum corpori glorioso cælestis ille locus: porro necesse erat ut eo Salvator ascenderet, tum ut probaret regnum suum non esse de hoc mundo, tum etiam ut caussam nostram coram Deo Patre tamquam Advocatus ageret, tum ut pararet nobis locum.

Profitemur 2. hac metaphorica loquendi ratione, *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, Christum, ut est persona, æqualem esse Deo Patri: nulli nimirum Angelorum (ut Paulus advertit) sed Christo soli, Deus Pater dixit aliquando: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, Ps. 109.

Profitemur 3. eadem loquendi ratione summam Christo, ut est homo, a Patre concessam fuisse potestatem: unde & ipse post resurrectionem sic Apostolos allocutus est Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Idem loquendi modus docet nos firmam & constantem semper fore gloriam qua Christus in cælo fruitur.

14. *Q.* Quæ est sententia articuli septimi: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos?*

R. Profitemur, Christum post consummationem sæculorum, post completum Prædestinatorum

rum numerum, e cælis, quo post resurrectionem ascendit, descensurum esse, ut de Angelis, & de toto humano genere judicet.

Christus ea judicaria potestate fruetur, ut est homo, cum (ut ipse ait in Evangelio Joan. 5.) Pater dederit ei judicium facere, *quia Filius hominis est*. Fruetur quoque, prout est Deus, cum prout Verbum, sit ipsamet Patris sapientia. Judicabunt pariter cum eo aliæ Trinitatis personæ, sed prout est homo, exterius proferet latam a se & ab aliis personis condemnationis, aut justificationis sententiam.

17. Quis est sensus octavi articuli: *Credo in Spiritum Sanctum?*

R. Profitemur 1. Tertiam esse in divinis Personam, quæ dicitur *Spiritus sanctus*, non quidem quod aliæ personæ non sint pariter Spiritus, sed quod illius a Patre & Filio emanationi per amorem nomen proprium tribuere non possimus: nulla nimirum est in creatis similis emanatio, unde ut personam illam designemus, uti cogimur communi nomine.

Profitemur 2. credere nos, illam tertiam Personam Deum esse: idque exprimitur per præpositionem IN. Credere nimirum in aliquem, est (ut jam superius observatum est) in eo spem ponere suam, ad eumque tanquam ad finem ultimum totis viribus contendere.

18. *Q.* Quænam est sententia articuli noni: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem?*

R. Credimus 1. extare congregationem fidelium sub uno invisibili Capite Christo, & visibili ejus Vicario, Romano Pontifice & Episcopis quos sub eodem Pontifice Romano Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo.

Credimus 2. eam fidelium congregationem esse *sanctam*, & quidem 1. in pluribus illius membris intrinseca sanctitate per caritatem quæ diffusa est in cordibus eorum, per Spiritum sanctum qui datus est eis: 2. sanctitate doctrinæ; non enim aliam profitetur, quam eam quam non intercepta traditione recepit ab Apostolis: 3. sanctitate cultus, pii nimirum sunt ritus quibus Deum colit; sancta Sacramenta quibus initiat, nutrit, & fovet credentes.

Credimus 3. eam esse *Catholicam*, hoc est, ubique, saltem moraliter, diffusam: pauci nimirum sunt terrarum anguli, in quibus Ecclesia non emineat. Vide quæ de iis, pluribusque aliis Ecclesiæ dotibus, hujusce Compendii prima parte, de hocce argumento tractantes, fuse diximus.

Credimus 4. hac altera articuli noni parte, *Sanctorum communionem*, varia ac multiplicia dona, quibus Ecclesia ornata est, singulis fidelibus esse quoad fructum communia; ita ut licet omnes gratiam sanctificantem non habeant, nec instructi sint donis gratuitis, quæ passim gratiæ gratis datæ nominantur; ea tamen dona ad cujusque Ecclesiæ membri salutem aliquo modo conferant, ita ut conversionis donum, quod Deus pluribus impiis existentibus in Ecclesiæ sinu largitur, effectus sit casti gemitus columbæ, seu justorum hominum, in quibus (ut ait Sanctus Paulus, Rom. 8.) *Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*.

19. *Q.* Quis est sensus articuli decimi: *Remissionem peccatorum?*

R. Articulus ille definit, vere dari in Ecclesia remissionem peccatorum, tum per Baptismum quo initiantur ii qui nomen dant Ecclesiæ; tum per Sacramentum Pœnitentiæ, in quo Ecclesia utitur potestate hisce verbis a Christo sibi tradita, Joan. c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*: tum denique in oratione quæ levia delicta dimittit; unde est illud Augustini: *Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ.*

20. *Q.* Quæ est sententia articuli undecimi: *Carnis resurrectionem?*

R. Testamur credere nos, animam, quæ per mortem a corpore separata fuerit, iterum illi conjungendam esse: idque ut referat unusquisque prout gessit in suo corpore sive bonum, sive malum: *Credimus etiam* (inquit Augustinus in Sermone de Symbolo, ad Catechumenos) *resurrectionem carnis, quæ præcessit in Christo, ut hoc etiam speret corpus, quod præcessit in Christo.*

21. *Q.* Quis est sensus articuli duodecimi: *Vitam æternam.*

R. Profitemur credere nos, homines, qui divina mandata servaverint, consecuturos esse beatitudinem, quæ divinæ essentiæ intuitivam (ut vocant) visionem, amorem, & consequentem ex actu illo duplici delectationem & quietem includit.

22. *Q.* Quot & quænam sunt fidei principia?

R. Quatuor sunt, divinæ nimirum gratiæ motus, intellectus, voluntas, & motiva credibilitatis.

23. *Q.* Quomodo Intellectus & Voluntas concurrunt ad fidem?

R. Intellectus concurrit per sui convictionem; Voluntas vero per consensum, approbationem & imperium: hincque patet discrimen quod reperitur inter hominum & diabolorum fidem; isti enim habent quidem convictionem, sed in eis nec consensus, nec approbatio revelatorum reperitur.

24. *Q.* Quomodo motiva credibilitatis ad fidem concurrunt?

R. Concurrunt per modum conditionis requisitæ: scilicet determinant Intellectum, ut prudenter judicet aliquem articulum esse a Deo revelatum.

25. R. Cujus generis debent esse credibilitatis motiva?

R. De-

R. Debent esse evidentia: quia debent Intellectum reddere certum de revelatione; hoc est, efficere debent, ut Intellectus certo judicet articulum qui credendus proponitur, esse a Deo revelatum: unde merito ab Innocentio Papa XI. & postea a Clero Gallicano ad Comitia generalia anno 1700. coacto damnata fuit hæc propositio: *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine qua quis formidet ne non sit locutus Deus.*

26. *Q.* Fides & Scientia possuntne in eodem homine circa idem objectum reperiri?

R. Non possunt: quia fides est essentialiter obscura, hoc est, de objecto quod obscure cognoscitur: e contra vero scientia est essentialiter evidens, seu de objecto quod cognoscitur evidenter: unde est illud Gregorii Magni: *Apparentia non habent fidem, sed agnitionem. Hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri.* Hausit Gregorius doctrinam illam ab Apostolo qui fidem sic definiit, Hebr. c. 11. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Obj. Qui demonstrationem habet de existentia Dei, debet illam credere: omnibus enim & singulis hominibus in Symbolo credenda proponitur: ergo, &c.

Resp. Ad 1. nego ant. Ad 2. dist. ant. Existentia Dei, ut Auctoris gratiæ, omnibus credenda proponit, conc. ant. ut Auctoris naturæ, nego ant. Hinc est illud Apostoli, Heb. c. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se* (ex auxilio gratiæ) *remunerator sit.*

27. *Q.* Actus fidei fuitne semper ad salutem necessarius necessitate medii?

R. Fuit adultis omnibus: quia (ut ait Apostolus, Hebr. c. 11.) *sine fide impossibile est placere Deo.*

28. *Q.* Quænam explicite credita necessaria sunt necessitate medii?

R. Credi debet 1. existentia Dei, ut Auctoris supernaturalis, & operum supernaturalium remuneratoris; *Credere enim oportet* (ait Apostolus ad Hebræos 11.) *accedentem ad Deum, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.*

Credi debet 2. Incarnationis & mortis Christi mysterium, juxta illud Concilii Tridentini sess. 6. cap. 6. *Credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt: atque illud in primis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Unde est illud Actorum 4. *Non est in alio alio salus: neque enim est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Credi debet 3. tertiam esse in divinis personam, quæ vocatur Spiritus sanctus: scilicet (ut habetur Actorum 19.) Spiritum sanctum Apostolus Ephesios non permisit ignorare: cum enim ab eis quæsiissent, an Spiritum sanctum accepissent, illique se, ne si Spiritus quidem esset, scire respondissent, statim interrogavit: *In quo ergo baptizati estis?* At (ut monet Catechismus Romanus) iis verbis distinctam de Spiritu sancto fidem absolute, seu necessitate medii, necessariam esse docuit.

Credi debet 4. mysterium sanctissimæ Trinitatis: unde est illud Christi mandatum in Evangelio Matt. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

29. *Q.* Fides in quid ultimo resolvitur?

R. Resolvitur 1. in revelationem divinam, tamquam in caussam assensus: quia divina revelatio est ultimum medium propter quod intellectus adhæret alicui propositioni.

Resolvitur 2. in auctoritatem Ecclesiæ tamquam in ultimam regulam per quam divina revelatio cognoscitur: ordinarie nimirum non est alia regula per quam certi simus aliquem articulum fuisse revelatum.

Resolvitur 3. in motiva credibilitatis tamquam in conditionem: scilicet sine ea conditione non habetur prudens certitudo de facta revelatione.

Sic igitur fides procedit. 1. Judicamus propter evidentia motiva credibilitatis, divinam esse Scripturarum auctoritatem. 2. In Scripturis reperiuntur & Ecclesiæ infallibilitas & auctoritas Traditionis. 3. Credimus ea omnia quæ Ecclesia tamquam revelata nobis proponit. 4. Ratio formalis propter quam credimus ea omnia, quæ nobis ab Ecclesia proponuntur, est auctoritas Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest.

§. II. *De Spe.*

1. *Quæst.* Spes prout est virtus Theologica, quomodo definitur.

R. Definitur: Virtus, per quam cum fiducia beatitudinem æternam Dei auxilio comparandam expectamus.

2. *Q.* Spes, virtus Theologica, quomodo dividitur?

R. Eodem modo quo fides: alia est enim actualis, alia habitualis: alia infusa, alia adquisita; alia explicita, alia implicita; alia informis, alia formata. Vide quæ de similibus fidei divisionibus paragrapho 1. dicta sunt.

3. *Q.* Quotuplex est objectum Spei?

R. Duplex: Materiale & Formale; Primum definitur res quæ speratur; alterum est motivum propter quod aliquid speratur.

4. *Q.* Quodnam est objectum materiale Spei?

R. Primarium objectum materiale Spei est Deus ipse: quia Deus primario & per se a Spei virtute expectatur. Secundarium vero sunt media, quibus Dei possessio comparari potest; virtus enim, quæ inclinat ad finem, movet & ad media quibus ille finis potest comparari.

5. *Q*. Quodnam est objectum formale *Quod* Spei?

R. Est Dei bonitas, sive in se ipsa consideretur, sive prout est objectum in quo sita est creaturæ rationalis beatitudo. Scilicet hic in terris expectamus, nos Deum sub utroque illo respectu possessuros esse in cælis. Unde est illud Augustini in Psalmum 134. Sic *amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas*.

Obj. Desiderare Deum aut tamquam mercedem, aut tamquam objectivam hominis beatitudinem, est Deum ad creaturas ultimo referre: quod non licet; ergo, &c.

R. Dist. ant. Si illa merces, si illa beatitudo sint aliquid aliud a Dei cognitione & amore, conc. ant. si non sint aliquid aliud, nego ant. Unde est illud Augustini in lib. 14. de civitate Dei cap. 4. *Bonum nostrum nullum est aliud quam illi* (Deo per perfectam cognitionem, & per perfectum amorem) *inhærere*.

6. *Q*. Quodnam est objectum formale *Quo* Spei?

R. Est promissio divina: ideo enim beatitudinem expectamus cum fiducia, quod Deus illam promiserit iis, qui ad finem usque perseveraturi sunt in justitia.

7. *Q*. Spes estne in Beatis respectu visionis beatificæ?

R. Non est: quia spes essentialiter tendit in bonum absens: & in hoc differt a caritate, quæ abstrahit an bonum sit absens, aut præsens: Unde est illud Apostoli ad Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est spes*.

8. *Q*. Spes estne in damnatis?

R. Non est: quia cum non apprehendant summum bonum tamquam comparatu possibile, illud cum fiducia expectare non possunt.

9. *Q*. Spes estne in hæreticis?

R. Non est: quia in eis non sunt vera merita, nec esse possunt, quamdiu adhærebunt hæresi.

10. *Q*. Spes potestne reperiri in impio fideli?

R. Potest: licet enim actus non habeat merita, quibus spes nititur, ab eo tamen expectari possunt cum Dei auxilio comparanda.

11. *Q*. Virtus & actus Spei, habentne locum in justis viatoribus, quacumque sint perfectione præditi?

R. Habent. Scilicet in eis est expectatio cum fiducia futuræ Dei possessionis. Præterea quo major est in viatoribus caritas, eo majus est possessione Dei desiderium cum magna fiducia conjunctum: Unde est illud Augustini in lib. 8. de Civ. Dei cap. 10. *quid est ergo amor, nisi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur*. Tandem omnibus viatoribus vita æterna (ut definit Concilium Tridentinum sess. 19. cap. 16.) tamquam merces, tamquam corona justitiæ, proponi debet.

Obj. Actus quo Deus expectatur tamquam objectiva beatitudo, includit *proprium interesse* creaturæ; sed proprium interesse repugnat statui perfectorum, qui sibi unice Dei voluntatem & gloriam proponere debent.

R. Dist. maj. includit *proprium interesse* quod ad Dei gloriam ultimo referatur, con. maj. scilicet illud interesse nihil aliud est, quam plena a servitute tum peccati, tum concupiscentiæ libertas, per quam anima perfecte Deo serviat per cognitionem & amorem. Includit *proprium interesse* quod ad Dei gloriam ultimo non referatur, nego maj.

Obj. 2. Amor quo Deus tamquam merces desideratur, est mercenarius: ergo repugnat statui perfectorum.

R. Nego ant. Scilicet ea merces non est aliquid a Deo distinctum, sed est Deus ipse intuitiva cognitione & perfecto amore possidendus: *Præmium Dei* (ait Augustinus in Psalmum 72.) *ipse Deus est*.

12. *Q*. Quænam sunt Spei proprietates?

R. Duæ sunt: Prima, est certitudo ex parte sperantis, si servet præcepta, sed præcipue divina promissione nixa: unde ad Hebræos 6. dicitur animæ anchora firmissima: Altera est necessitas, tum ad consequendam justificationem, tum ad implendum præceptum quo jubemur in Deo spem collocare nostram.

§. III. *De Caritate*.

1. *Quæst*. Quid est Caritas, prout est virtus Theologica?

R. Est virtus *qua Deus propter se diligitur, & qua creatura rationalis se ipsam, & proximum propter Deum diligit*.

2. *Q*. Caritas quomodo dividitur?

R. Dividitur in actualem & habitualem; in adquisitam & infusam; in perfectam, & imperfectam. Vide quæ de Fidei divisione superius dicta sunt.

3. *Q*. Quid est Caritas perfecta?

R. Est ea qua Deus multum intense, hoc est, cum magno fervore super omnia diligitur: de ea loquitur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. versu, *Docet præterea*.

4. *Q*. Quid est Caritas imperfecta?

R. Est ea quæ aut non est super omnia, aut si sit super omnia, est in gradu valde remisso, seu paucissimos habet gradus: hoc est, non est (ut ait Catechismus Romanus) acris, vehemens, & intensa: quæque ob id ab Augustino parva & invalida vocatur.

5. *Q*. Quodnam est objectum materiale Caritatis?

R. Triplex; Deus, nos ipsi, & Proximus; tria nimirum illa objecta jubemur diligere.

6. *Q*. Quodnam est objectum formale Caritatis?

R. Est divina bonitas, vel in se sumpta, vel

vel prout est nobis conveniens, *Ita tamen ut abstrahat ab illius possessione & privatione*, per quæ quidem ultima verba differt a Spe; cum hæc essentialiter supponat absentiam objecti quod per eam expectatur.

7. *Q.* Quodnam est subjectum Caritatis.

R. Sunt 1. justi omnes: nempe Caritas habitualis (ut superius dictum est) non differt a gratia sanctificante. 2. sunt impii, sed pœnitentes, hoc est, homines qui licet jaceant in statu peccati mortalis, nec adhuc absolutione sacramentali donati sint, liberi sunt tamen ab affectu peccati mortalis.

8. *Q.* Actus Caritatis estne necessarius?

R. Impio necessarius est necessitate medii, ut justificationem consequatur, sive in sacramento Baptismatis, si sit adultus (ut suo loco probabimus,) sive in sacramento pœnitentiæ. Omnibus vero sive justis, sive impiis, certis quibusdam temporibus necessarius est necessitate præcepti: non enim (ut advertit S. Thomas) habitus Caritatis, sed illius actus, præcipiuntur primo Decalogi mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

9. *Q.* Præceptum Caritatis in Deum estne speciale præceptum a ceteris omnibus distinctum?

R. Est speciale. Nam 1. ita definiit Innocentius XI. a quo, & postea a Clero Gallicano ad Comitia generalia anno 1700. coacto damnata fuit hæc propositio: *Præceptum amoris Dei & proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.* 2. Mandatum illud, a Christo dicitur Matthæi 22. *Proximum & maximum mandatum.* In Lege, Deuteronomii nimirum cap. 6. Caritatis præceptum seorsum ab aliis omnibus mandatis traditum est.

10. *Q.* Quæ sunt in specie vitæ tempora, quibus tenemur actus Caritatis in Deum elicere?

R. Satis non est actum Caritatis semel in vita elicere: idque colligitur ex falsitate hujus propositionis ab Innocentio Papa XI. damnatæ: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Satis quoque non est, ut eliciatur intra aliquos annos: hinc merito hanc aliam propositionem idem Innocentius Papa proscripsit: *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare præceptum Caritatis in Deum.* Tandem satis non est ut eliciatur in articulo mortis. Hinc rejicienda est hujusce propositionis ab Innocentio XI. proscriptæ doctrina: *Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.* Hinc concludendum est præceptum de quo agitur, sæpius in vita obligare. Nempe Deuteron. 6. Deus jubet ut semper & ubique præ oculis habeatur.

Dicendum est igitur obligare illud 1. cum quis ad usum rationis pervenit: ita docet S. Thomas 1. 2. qu. 89. art. 6. ad 3. Obligat 2. in mortali periculo vitæ: tunc enim tuto quisque suæ saluti consulere debet. Oblig. 3. ut homo per annum diu non sit ad æstimationem prudentum, quin per actum amoris super omnia ad Deum sese convertat.

11. *Q.* Quis & quotuplex est ordo Caritatis?

R. Est in Caritate aliquis ordo juxta illud Canticorum 2. *Ordinavit in me Caritatem.* Ille autem ordo duplex est, *Dilectionis nimirum & beneficii.* Primus positus est in actu quo objectum aliquod propter illius dignitatem & meritum præ altero diligitur. Secundus est actus per quem uni subvenitur præ alio. Petiturque is ordo, aut ex carnis, aut amicitiæ, aut societatis, aut alterius vinculi conjunctione cum persona amante, vel tandem ex objecti infirmitate, aut indigentia. Ita docet Augustinus in libro 1. de Doctrina Christiana cap. 27.

12. *Q.* Amor in Deum debetne esse summus?

R. Debet esse summus extensive, seu appretiative, quia Deus debet super omnia diligi: debet quoque esse major intensive amore quo nos aut proximum diligimus: quia intensio, aut fervor amoris debet, quantum hic patitur infirmitas nostra, respondere dignitati rei amatæ: nempe recta ratio præscribit ut objectum, quod ceteris appretiatione anteponimus, intensius, hoc est, majori cum fervore diligamus.

13. *Q.* Amor Deo debitus debetne esse universalis?

R. Debet: nihil enim aliud præter Deum, aut sine ordine ad ipsum, diligere debemus. Solo nimirum Deo frui possumus, & creaturis omnibus uti: hoc est, soli Deo amore debemus ultimo inhærere: unde is, quem creaturis debemus, est amor, non permanens in eis, sed ab ipsis ad Deum transiens. Ex eo vero principio concluditur teneri nos omnia opera nostra ad Dei gloriam ultimo saltem virtualiter referre, juxta illud Apostoli 1. Cor. c. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in honorem Dei facite:* necnon & hoc aliud 1. Cor. 16. *Omnia vestra in caritate fiant.* Quæ quidem loca S. Augustinus & S. Thomas de stricto & rigoroso præcepto interpretantur.

14. *Q.* Caritas Deo debita debetne ex præcepto divino esse perfecta in hac vita?

R. Non est necesse necessitate præcepti ut sit hic in terris *omni ex parte* perfecta: nimirum propter concupiscentiam fieri non potest ut hic perfecte Deum diligamus: hoc enim privilegium beatorum est, non viatorum.

Verum licet ex præcepto non teneamur Deum in hac vita perfecte diligere: tenemur tamen pro virili parte cum Dei auxilio ad amoris perfectionem conari: unde (ut advertit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 10.) Ecclesiæ amoris incrementum enixe in suis orationibus postulat: *Hoc vero* (inquit) *justi-*

justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, fidei, spei & caritatis augmentum.

15. *Q.* Quid ex parte nostra exigit amor proximo debitus?

R. Exigit 1. ut illum non externo tantum actu sed etiam interno diligamus: actum enim internum importat vox *Diliges*, qua jubemur eum diligere. Exigit 2. ut peccanti prudenter conferamus correptionis fraternæ remedium. Exigit 3. ut illi indigenti subveniamus per eleemosynam, & alia caritatis officia.

CAPUT VII.

De virtutibus Cardinalibus.

Nota. VIrtutes Cardinales sunt eæ quæ inter Morales præcipuum tenent locum: sunt autem quatuor; Prudentia, Justitia, Fortitudo & Temperantia.

§. I. *De Prudentia.*

1. *Q.* Quid est Prudentia?

R. Est virtus, *Per quam in quovis negotiorum genere cognoscitur quid hic & nunc tamquam honestum agendum sit, aut quid fugiendum tanquam turpe.*

2. *Q.* Quotuplex est Prudentia?

R. Duplex: Personalis, & Gubernatrix. Prior, solum bonum operantis; posterior, bonum communitatis attendit.

Gubernatricis species sunt, *Oeconomica*, qua quis recte familiam gerit; *Politica*, qua curatur, ut in republica leges observentur; *Legislatrix*, qua conduntur justæ leges: *Militaris*, qua recte administratur militia.

3. *Q.* Quodnam est objectum materiale Prudentiæ?

R. Sunt actus humani singulares, tota enim circa eos occupatur; ad eorum scilicet aut electionem, aut omissionem, liberum arbitrium movet & inclinat.

4. *Q.* Quodnam est objectum formale Prudentiæ?

R. Est verum singulare, non quidem speculativum, sed practicum, seu (quod idem est) conformitas actionis singularis cum veritate practica.

§. II. *De Justitia.*

1. *Q.* Justitia prout est virtus moralis, quomodo definitur?

R. Definitur, *Constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi ad æqualitatem.*

2. *Q.* Quomodo justitia dividitur?

R. Dividitur in Commutativam, Distributivam, & legalem.

3. *Q.* Quid est Justitia Commutativa?

R. Est ea per quam pars comparti quod suum est tribuit.

4. *Q.* Quid est Justitia Distributiva?

R. Est ea, quæ præmia, aut bona communia civibus distribuit.

5. *Q.* Quid est Justitia Legalis?

R. Est ea per quam unaquæque pars se gerit, prout expedit totius bono.

6. *Q.* Quænam est proportio ad quam justitia commutativa debet attendere?

R. Est proportio æqualitatis arithmeticæ: nimirum efficit ut tantum reddatur, quantum debetur, nulla habita ratione dignitatis, aut meriti personarum.

7. *Q.* Quænam est proportio, ad quam justitia Distributiva debet attendere?

R. Est proportio æqualitatis geometricæ: ita ut, qualis est proportio inter merita & dignitates eorum quibus fit distributio, talis etiam servetur in distributione bonorum.

8. *Q.* Quodnam est objectum Justitiæ?

R. Sunt actiones quibus jus suum cuique tribuitur: nempe justitia actiones illas dirigit, præscribitque ut cum æquitate fiant.

9. *Q.* Quodnam est Subjectum Justitiæ?

R. Sunt personæ inter quas Justitia potest habere locum.

10. *Q.* Quænam sunt in specie personæ, inter quas justitia potest habere locum?

R. Inter Deum & creaturam est imperfecta tantum justitia: unde Patres docuerunt eum, qui peccat, reum esse injustitiæ in Deum: Idem dicendum est de filio respectu patris, & de servo respectu domini: unde si iste, invito domino, fugiat, reus est in herum suum injustitiæ.

11. *Q.* Quot & quænam conditiones requiruntur ad rigorosam, & stricte dictam justitiam?

R. Tres requiruntur. Nam 1. debet esse ad alterum: 2. Debitum supponit: 3. Debet æqualitatem constituere.

12. *Q.* Quodnam est fundamentum justitiæ?

R. Est dominium: quod quidem definitur: *Facultas disponendi in proprium commodum de re aliqua tanquam sua ad omnem usum lege non prohibitum.*

13. *Q.* Quotuplex est dominium?

R. Multiplex. Aliud enim est dominium *proprietatis*, de quo mox dictum fuit; & aliud, dominium *jurisdictionis*, quod quidem definitur, *legitima potestas regendi subditos liberos.* Aliud est *Utile*, quod confert rei, non proprietatem, sed usum tantum; aliud *Directum*, quod quidem importat aut solam rei proprietatem, si sit imperfectum; aut rei proprietatem & usum simul, si sit perfectum.

14. *Q.* Dominium quo fruitur homo de quibus est rebus?

R. Jure creationis homo innocens dominium habuit in res omnes sublunares, juxta illud Scripturæ, Geneseos 1. *Replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris.* Illud vero dominium post peccatum remanman-

mansit quidem in humano genere, sed non in quolibet illius individuo.

15. *Q.* Religiones possuntne habere dominium rei alicujus?

R. Possunt, sed non privati religiosi: quidquid enim adquirit Monachus, adquirit monasterio.

16. *Q.* Clerici habentne dominium in reditus ecclesiasticos, ita ut non peccent *contra justitiam*, cum eos dilapidant?

R. Non habent. Nam Canones definiunt 1. Res Ecclesiasticas *Dei* esse, non Beneficiatorum: ita Can. 28. inter Apostolicos, quem sibi fecit proprium Tridentina Synodus. Definiunt 2. res Ecclesiasticas esse commendatas, non proprias: *Ut Episcopus* (ait Can. 13. Concilii IV. Carth.) *rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur*. Definiunt 3. Titulares esse earum Œconomos tantum & dispensatores. 4. Eas res (teste Juliano Pomerio lib. 2. de vita contemplativa capite 9.) non aliud esse quam patrimonia pauperum, vota fidelium, & pretia peccatorum. Definiunt 5. furti reos esse, qui reditus Ecclesiasticos, post acceptam honestam sustentationem, in alios usus, quam in usus pios impendunt: *Quidquid* (ait Bernardus in Epistola ad Fulconem) *præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

Nec obest Ecclesiasticorum redituum erectio in Beneficia, & in partes singulares. Nam pars sequitur naturam totius, illiusque oneribus subjacet.

17. *Q.* Clerici, quibus satis est patrimonii, possuntne licite vesci reditibus Ecclesiasticis?

R. Ex Hieronymo qui refertur a Gratiano in Canone *Clericos*; Juliano Pomerio in libro de vita contemplativa; Augustino in Epistola ad Bonifacium; Adriano Papa VI. in Commentarium in librum 4. Sententiarum; Alexandro de Hales; Dionysio Carthusiano, Thomassino nostro; Sambovio Sorbonico Doctore Casuum conscientiæ tom. 2. pag. 114. editionis Parisiensis; & tandem ex Genettio Episcopo Vasionensi, Clericis, de quibus agitur, licitum non est vesci ex reditibus Ecclesiasticis; ita ut si eis utantur, teneantur ad restitutionem. Quæ in contrarium objici solent argumenta, intelligi semper debent ex suppositione quod Clerici bonis Ecclesiasticis ad sui sustentationem honestam indigeant. Vide Concilium Aquisgranense, quod Juliani Pomerii non sensum tantum, sed & verba sibi propria fecit, redegitque in Canonem.

18. *Q.* Unde exorta est Dominiorum origo?

R. Statim post peccatum jure gentium cœpit dominiorum origo: ac deinde jure civili & politico facta est in variis regionibus bonorum divisio.

19. *Q.* Quibus modis transferri potest dominium?

R. Transferri potest 1. per legitimum contractum. 2. per præscriptionem. 3. per jus hereditarium.

20. *Q.* Dominium transferturne per contractum jure naturæ validum, sed cui desunt requisitæ a jure civili sollemnitates?

R. Non transfertur: illi nimirum contractus sunt irriti, etiam in foro conscientiæ: quia Potestatis est Civilis præscribere conditiones contractuum validitatem spectantes, & pro bono communi impedire, ne dominium, non servatis illis conditionibus, transferatur. Unde est illud Augustini (tractatu 6. in Joannem, circa finem) *Quisquis possidet quidquid possidet, nonne jure humano? Tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere; mea est illa villa?*

21. *Q.* Dominium transferturne per legitimam præscriptionem?

R. Transfertur. Ita enim post antiquos Canones definitum est in Concilio Lateranensi IV. cap. 41. Ita quoque docent S. Thomas quodlib. 12. art. 24. necnon Scotus in 4. Sent. dist. 15. quæst. 2.

22. *Q.* Quot & quænam conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem?

R. Quinque requiruntur: 1. Ut res sit præscriptibilis: 2. ut sit rei continuata possessio: 3. ut ex parte possidentis sit bona fides: 4. ut adsit præsumptus titulus, unde latro præscribere non potest: 5. ut sit tempus lege definitum.

23. *Q.* Quomodo Contractus definitur?

R. Definitur, *Plurium ad idem placitum conventio libere facta.*

24. *Q.* Quinam possunt contrahere?

R. Ii omnes quibus rerum & usus & proprietas conveniunt; servatis tamen servandis.

25. *Q.* Quænam est materia contractus?

R. Bona omnia, quorum contrahens habet & proprietatem & liberam administrationem.

26. *Q.* Contractus quomodo dividuntur?

R. In Innominatos, qui scilicet non habent speciale nomen, ut sunt *Do, ut des*: *Facio, ut facias*: & in Nominatos, quibus speciale nomen competit, ut sunt venditio & emptio.

Dividuntur iterum in Gratuitos, & Onerosos. Priores ii sunt in quibus res aliqua datur nullo recipienti imposito onere: hujusmodi sunt Donatio, Commodatum, Precarium. Posteriores vero, in quibus pro dato aliquod onus imponitur recipienti.

Dividuntur tandem in contractus stricti juris & in contractus bonæ fidei. Primi sunt ii in quibus judex ad verba contrahentium adstringitur: Alii vero, in quibus judex potest ex æquo & bono nonnihil arbitrari, quod licet a contrahentibus non fuerit expressum, subintellectum censetur.

27. *Q.* Dominium transferturne per ludum alearum?

R. S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 7. ad 7. docet transferri, in iis locis in quibus ludi de

de quibus agitur, non sunt legibus prohibiti: secus vero ubi vetiti sunt.

28. *Q.* Restitutio estne actus justitiæ?

R. Est: quia eo spectat ut cuique jus suum tribuatur.

29. *Q.* Unde oritur Restitutionis obligatio?

R. Oritur ex quadruplici capite: ex acceptione nimirum, ex cooperatione ad acceptionem, ex parte rei acceptæ, & tandem ex parte damni quod illatum est.

30. *Q.* Quot modis alienum accipi potest, cum obligatione restitutionis?

R. Tribus modis: 1. illicite nimirum, invito rei Domino; ut fit per furtum & per rapinam: 2. illicite quidem, sed Domino consentiente, ut fit in usurario contractu: 3. licite & juste, ut fit, cum accipitur vel sub falso titulo qui putabatur verus, vel ex suppositione alterius facti quod veritate minime nititur.

31. *Q.* Quinam ratione cooperationis tenentur ad restitutionem?

R. Ii omnes qui injuste & illicite acceptioni rei alienæ efficaciter cooperati sunt: modi vero quibus id fieri potest, sunt novem, hisce versibus contenti:

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

32. *Q.* Quænam restitui debent ex parte rei acceptæ?

R. 1. Res ipsa, si extet. 2. rei pretium, si non extet in specie. 3. accepta per contractum; qui licet valeat habita ratione solius juris naturalis, legibus tamen civilibus irriti sunt & invalidi.

33. *Q.* Restitutio estne ad salutem necessaria?

R. Est, juxta illud Augustini in Epist. 54. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, saltem in animi præparatione, si restitutio propter necessitatem ejus, qui reus est, sit impossibilis.

34. *Q.* Quænam sunt caussæ quæ eximunt a restitutione?

R. 1. Rei ex bona fide possessæ consumptio: 2. rei juste & licite acceptæ interitus qui sine habentis culpa accidit, ut in Commodato, & Deposito evidens est.

35. *Q.* Unde petitur ordo qui debet in restitutione servari?

R. Petitur aut ex parte debitorum, aut ex parte creditorum: uterque autem ille ordo aut jure naturali, aut positivis legibus definitus est.

§. III. *De virtutibus Justitiæ annexis.*

1. *Quæst.* Quænam sunt virtutes quæ Justitiæ annexæ sunt, quæque integrales Justitiæ partes appellantur?

R. Novem a S. Thoma recensentur: Religio nimirum, Pœnitentia, Pietas, Observantia, Gratitudo, Vindicta, Veritas, Amicitia & Liberalitas.

2. *Q.* Quid est Religio?

R. Est virtus quæ cultum Deo debitum præscribit: unde differt a Virtutibus Theologicis, quæ circa Deum immediate versantur.

3. *Q.* Quinam sunt actus Religionis?

R. Sunt Devotio, seu prompta Deo cum aliquo fervore serviendi voluntas, Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Juramentum, Sanctificatio Sabbati, Oratio, Votum.

De Oratione.

1. *Quæst.* Quomodo definitur Oratio?

R. A S. Thoma definitur, *Actus rationis practicæ, voluntatis desiderium explicantis, & ab alio aliquid postulantis.*

2. *Q.* Oratio estne singulis hominibus ratione utentibus necessaria?

R. Est: & quidem 1. jure naturali; quælibet enim creatura rationalis debet adorationem, & gratiarum actionem supremo rerum omnium Domino; 2. jure positivo divino: *Oportet* (inquit Christus Lucæ 18.) *semper orare & numquam deficere.*

3. *Q.* Oratio quomodo dividitur?

R. In publicam & privatam; in mentalem & vocalem. Plures utriusque species recenset Apostolus primæ ad Timoth. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri Obsecrationes, Orationes, Postulationes, Gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Nempe per *Obsecrationes* Augustinus intellexit *malorum* deprecationes; per *Orationes*, petitiones bonorum quæ nobis sunt necessaria. Theodoretus per *Postulationes* intelligit interpellationes, hoc est, adversariorum accusationes. Tandem per *Gratiarum actiones* intelligitur pia & grata accepti a Deo beneficii memoria.

4. *Q.* Oratio publica vocalis quomodo dividitur?

R. Dividitur in orationem quæ *Dominica* dicitur, & in orationem quæ vulgo dicitur *Breviarium*, seu horæ Canonicæ; hoc est, orationes, quæ certis quibusdam horis ex canonum præscripto recitandæ sunt.

5. *Q.* Ad quot capita reducuntur petitiones septem, quæ continentur in oratione Dominica, hoc est, ea oratione cujus formam Christus ipse tradidit Apostolis?

R. Ad capita duo: scilicet ad ea quæ ad Dei gloriam promovendam, & ad ea quæ ad nos ipsos spectant.

6. *Q.* Quid petitur prima orationis Dominicæ petitione: *Sanctificetur nomen tuum?*

R. Oramus ut Dei nomen omnibus hominibus innotescat; ut omnes Deum fide, spe & caritate colant; atque ita illud impleatur quod Malachias c. 1. aliquando futurum prædixit:

dixit; *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus.*

7. *Q.* Quid altera petitione: *Adveniat regnum tuum*, postulamus?

R. Consecrationem æternæ beatitudinis quæ in perfecta Dei cognitione, & perfecto illius amore consistit. Ubi enim eam fuerimus adepti, Deus perfecte regnabit in nobis, destructa nimirum cupiditate, & superatis omnibus hostibus nostris.

8. *Q.* Quis est sensus tertiæ petitionis: *Fiat voluntas tua?*

R. Deum rogamus ut jugiter nobis auxilia conferat, quæ efficiant ut ejus voluntatem, quam *Signi* vocant, hoc est, illius mandata, fideliter observemus, & quibus præparatam nobis ab æterno gloriam promereamur: *Hæc est enim* (ait Apostolus secundæ ad Thessalon. 4.) *voluntas Dei, sanctificatio vestra.*

9. *Q.* Quid oramus quarta petitione: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?*

R. Precamur ut Deus ea suppeditet quæ ad vitam tum corpoream, tum spiritualem sustentandam necessaria sunt: cibum scilicet & vestitum, concionum subsidia, utilem Sacramentorum, ac præsertim Eucharistiæ perceptionem; quæ quidem omnia panis *quotidianus* vocantur, quod iis quotidie indigeamus, ac præcipue Eucharistiæ fructu, quæ quotidianum est Christianæ Religionis sacrificium. Ita petitionem illam Cyprianus interpretatur.

10. *Q.* Quid oramus petitione quinta: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?*

R. Deum rogamus ut peccata quorum rei sumus condonet nobis: si quidem *Debitorum* nomine non aliud intelligi potest, quam peccata; cum Lucæ 11. eadem de qua agitur petitio his verbis exprimatur: *Et dimitte nobis peccata nostra.* Cui quidem petitioni hæc additur sententia: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, qua non significatur Deum solitum esse nos imitari, sed ea docemur, illatæ nobis a fratribus injuriæ condonationem viam esse qua reatuum nostrorum veniam a Deo impetremus.

11. *Q.* Quid sexta petitione, *Ne nos inducas in tentationem*, postulamus?

R. Precamur (ajunt Hieronymus & Augustinus) non quidem ut non tentemur (plerumque scilicet tentatio perutilis est) sed ne tentatione superemur. E contra (testibus Tertulliano & Chrysostomo) petimus ut tentatio ne quidem nos aggrediatur.

Duplicem illum sextæ petitionis sensum sic auctores nonnulli conciliant, ut velint, peccatum non committendum peti tamquam finem, immunitatem vero a tentatione tamquam medium: scilicet tentatio neminem urget, quin eum alicui periculo criminis exponat.

12. *Q.* Quis est sensus septimæ petitionis: *Libera nos a malo?*

R. Rogamus (secundum plures Patres Græcos) ne Diabolus inimicus noster nobis quidquam noceat, at secundum Latinos Patres, postulamus ut Deus nos liberet ab hujus vitæ calamitatibus, quibus post primi parentis peccatum sumus obnoxii.

13. *Q.* Estne præter allatos Orationis Dominicæ sensus, aliquis alius, quem Patres tradiderint?

R. Est: scilicet Augustinus singulas (excepta tamen quinta) Orationis Dominicæ petitiones interpretatur de dono perseverantiæ, quod justi a Deo petunt in illa orationis formula quam Christus Apostolis præscripsit: *Cum* (inquit in lib. de dono perseverantiæ c.2.) *ipsa Oratione, quæ Dominica nuncupatur, quia eadem Dominus docuit, quando oratur a Sanctis, nihil pene aliud, quam perseverantia posci intelligatur.* Ejusdem libri c. 5. hæc iterum habet idem sanctus Doctor: *Quinto orationis loco dicimus*: Dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: *In qua sola petitione non invenitur posci perseverantia.*

14. *Q.* Quid sunt Horæ Canonicæ?

R. Sunt preces vocales, ex præscripto Canonum, corporis Ecclesiæ nomine recitandæ a personis quibusdam, quibus id officii ac oneris impositum est.

15. *Q.* Quæ personæ tenentur ad horas Canonicas?

R. Tenentur 1. constituti in aliquo ex sacris ordinibus. 2. Clerici beneficiati; nec Canones (ut advertit S. Antoninus) inter pingue & tenue beneficium distinguunt. 3. Religiosi professi in quibusdam religionibus, quæ Breviarii recitationem alumnis suis præscribunt. Responsum illud probari potest tum ex S. Thoma, Opusculo 63. c. 1. tum ex Leonis X. Constitutione quæ incipit: *Supremæ dispositionis*; tum ex Pii Papæ V. Bulla quæ incipit, *Ex primo*: tum denique ex recepta ubique consuetudine, quæ vim legis habet.

16. *Q.* Suntne aliquæ caussæ quæ eximant a recitatione Breviarii?

R. Sunt. Et quidem 1. morbus, quem ex medici judicio augerent, aut attentio debita, aut ipsa vocum prolatio: 2. Oculorum privatio, saltem quoad partes quæ non sciuntur memoriter, quæque cum socio quem quis penes se habeat, recitari non possunt: 3. Officium caritatis, quod sine proximi detrimento differri non posset.

17. *Q.* Quænam requiruntur ad debitam Breviarii recitationem?

R. Requiritur 1. ut illud numero officium recitetur, quod pro illa die præcipitur ab Ecclesia.

Requiritur 2. ut ii qui nulli Societati cui peculiare sit Breviarium addicti sunt, recitent aut Romanum, aut Horas quæ recitantur

tur in Diœcesi ex qua oriundi sunt, aut in qua peregrinantes degunt: id enim innuit Augustinus Epist. 118. quæ est ad Januarium, ubi asserit laudem mereri, qui honestis, & piis locorum consuetudinibus sese in praxi conformem exhibere conatur.

Requiritur 3. ut statis & determinatis a jure horis, Breviarium persolvatur: sed hoc ita dictum velim 1. ut non peccet lethaliter, qui ante mediam noctem totum diei officium recitat: 2. ut ne quidem venialiter delinquat, qui propter honestam aliquam caussam aliquamdiu vel antevertit, vel protrahit Canonicum tempus: 3. ut quis peccet tantum cum (ut ait Bellarminus) multum a præscripto tempore per incuriam & negligentiam recedit.

Requiritur 4. pietas: quæ quidem duo dicit, Attentionem nimirum ex parte intellectus, & nonnullam in impio, ex parte cordis, contritionem. Necessitas attentionis colligitur ex ipsa orationis natura, quæ, ex Augustino, non aliud est, quam pius mentis affectus in Deum directus. Alicujus, seu saltem inchoatæ contritionis necessitas in impio Canonicas horas recitante colligitur ex Scriptura: *Non est*, (inquit Ecclesiast. cap. 15.) *speciosa laus in ore peccatoris*, ejus scilicet cui *nulla modo* peccatum displicet.

18. *Q.* Quid sacri Canones statuerunt de Canonicis aliisque Clericis, qui in choro tenentur horas Canonicas recitare?

R. Homines illi prohibiti sunt 1. ne secum invicem confabulentur: 2. ne litteras, aut alias scripturas legant: 3. ne cum in communi canuntur Horæ, privatim suum recitent officium: 4. ne exeant e choro ante finem horarum. Ita Concilium Basileense Sess. 4.

Jussi sunt præterea 1. ut cum ceteris in choro canant: 2. ut per se, & non per substitutos sua obeant officia; ex quo concluditur ordinarie peccare eos, qui Horarum minorum, Primæ nimirum, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii recitationem vicaria tantum opera in choro persolvunt, licet extra chorum privatim recitent: 3. ut distributiones restituant, cum absfuerunt a choro, aut quando cum ceteris confabulati sunt. Vide Conc. Trid. Sess. 24. de reform. c. 12.

De Voto.

1. *Quæst.* Votum quomodo definitur?

R. Definitur, *Promissio Deo facta de meliori bono*: hoc est de bono quod non est impeditivum majoris boni; hincque patet, votum non idem esse cum simplici proposito aliquid agendi aut omittendi.

2. *Q.* Quomodo votum dividitur?

R. Dividitur 1. in Absolutum & Conditionatum. Istud emittitur supposita aliqua conditione: illud vero independenter a quacumque conditione.

Dividitur 2. in Reale, Personale, & Mixtum. Prius est illud quo res voventis Deo promittuntur. Alterum, quo personæ, vel illius actio promittitur. Tertium, quo & persona, vel aliqua illius actio, & res illius promittuntur.

Dividitur 3. in Perpetuum, quod quidem fit absque ulla temporis limitatione, & in Temporale, quod emittitur tantum ad tempus.

Dividitur 4. in Sollemne, & Simplex. Illud actualem ad præscriptorum ab Ecclesia rituum & formarum normam personæ voventis traditionem includit. Istud vero, independens est a præscriptis ab Ecclesia ritibus. Prioris generis tria sunt tantum: emissa nimirum in approbata religione vota Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ, alterius vero generis, alia quæcumque.

3. *Q.* Quænam est materia voti?

R. Non est 1. res illicita: 2. nec indifferens ad pietatem; sed est bonum possibile ac liberum.

4. *Q.* Quænam est forma quæ essentialis est voto?

R. Non est voluntas adimplendi quod promittitur: scilicet promissio, & illius executio a se invicem distinguuntur: sed est promissio per quam de re aliqua facienda aut omittenda Deo se quis adstringit. Ita docet Sanctus Thomas 2. 2. qu. 88. art. 4.

5. *Q.* Quinam vovere possunt?

R. Omnes ii qui ratione fruuntur, & sui sunt juris quoad rem quam vovent & promittunt.

6. *Q.* Quinam sunt votorum effectus?

R. Votum 1. ligat emittentem, juxta illud Ecclesiast. 5. *Quodcumque voveris, redde*. 2. Efficit ut opus sit magis meritorium, quia efficit ut actus procedat non tantum ex speciali virtute cujus est actus, sed etiam ex virtute Religionis. 3. Si sit sollemne, irritum reddit subsequens matrimonium: non quidem (ut probabilior fert sententia) jure naturali, sed Ecclesiastico tantum.

7. *Q.* Vota quot modis mutari possunt?

R. Mutantur 1. per irritationem: 2. per commutationem: 3. per dispensationem, quæ quidem fieri debet ex gravi caussa. Dispensatio autem ad Prælatos tantum spectat, quia est effectus jurisdictionis. Tria sunt tantum in quibus (ex recepta ubique consuetudine) solus Pontifex Romanus dispensare potest: nempe votum perpetuæ castitatis: votum dandi nomen approbatæ religioni: votum peregrinationis aut ad Apostolorum limina, aut ad S. Jacobum Compostellensem, aut ad loca sancta, quæ jam in Palæstina a Turcis occupantur.

De Juramento.

1. *Quæst.* Juramentum quomodo definitur?

R. Juramentum definitur, *invocatio Divini* Na-

Nominis ad faciendam fidem. Unde S. Thom. 2. qu. 4. 89. docet quod *assumere Deum in testem dicitur jurare*. Hinc etiam sic loquitur Augustinus in Sermone de perjurio: *Quid est jurare, nisi testis est Deus?*

2. *Q.* Cur Juramentum dicitur *invocatio?*

R. Ut doceatur differre Juramentum a citatione sacræ Scripturæ, ut aliquid probetur.

3. *Q.* Ad Juramentum requiriturne ut *expresse* divinum Nomen invocetur?

R. Non requiritur, sed satis est ut in creaturis invocetur, ut patet tum ex capite 23. tum ex cap. 25. Matthæi.

4. *Q.* Juratne qui per idolum quod putat esse Deum verum, jurat?

R. Jurat. Ita Augustinus in Epist. 47. n. edit. ad Publicolam. Unde concludit quod Gentilis qui per Deos suos falsum jurat, sit perjurus.

5. *Q.* Ad Juramentum requiriturne ut proferantur quædam verba quibus exprimatur Divini Nominis invocatio?

R. Non requiritur, absolute loquendo; nempe juramentum se habet sicut votum; quod quidem sola promissione facta Deo continetur, quamvis promissionem illam nulla verba, aut signa exprimant.

6. *Q.* Juramentum estne per se malum?

R. Malum non est, si ipsum debitæ conditiones comitentur. Nempe Deus ipse juravit: *Per memetipsum* (inquit Geneseos c. 22.) *juravi, dicit Dominus*. Juravit & Apostolus: *Testis autem mihi est Deus* (ait ad Romanos cap. 1.) *quod sine intermissione memoriam vestri facio*. E contra malum est, si debitis conditionibus destituatur.

Obj. 1. Christus Matthæi 5. absolute prohibet Juramentum: *Ego autem dico vobis non jurare omnino*, ergo, &c.

R. *Intelligendum est* (verba sancti Augustini in libro de Mendacio, cap. 3.) *illud quod dictum est*, OMNINO, *ad hoc positum, ut, quantum in te est, non ames jusjurandum*.

Obj. 2. Christus vetat, ne ultra *Est, Est, Non, Non*, aliquid addatur: *Quod amplius est* (inquit) *a malo est*.

R. Dist. ant. A malo est hominis cui juratur, conc. ant. A malo est jurantis, nego ant. *A malo est* (inquit Augustinus in Sermone Christi in monte) *illius, cujus infirmitate jurare cogeris*: infirmitas enim est, quod promittenti non credat sine adhibito Juramento.

7. *Q.* Juramentum per creaturas, estne juramentum stricte & rigorose dictum?

R. Est. Quia creaturæ invocantur in testes, quod in eis eluceant nonnulla Dei attributa: Unde Christus Matthæi 5. vetat, ne, ubi desunt conditiones requisitæ, juretur per cælum, aut per terram, aut per caput alicujus.

8. *Q.* Quotuplex est Juramentum, seu quomodo Juramentum dividitur?

R. Dividitur 1. in Assertorium, quo nimirum res aliqua præsens aut præterita affirmatur, aut negatur; & in Promissorium, quo confirmatur res futura quæ promittitur.

Dividitur 2. in Contestatorium, Execratorium, & Comminatorium. In primo, simplex est invocatio divini Nominis; in altero inducitur creatura aliqua in quam divinum judicium exerceatur; in tertio, confirmatur comminatio mali quod jurans alicui minatur.

Dividitur 3. in Absolutum & Conditionatum. In primo nulla ne tacita quidem conditio reperitur: in altero vero aut exprimitur, aut subintelligitur a jure aliqua conditio, ut cum quis cum Juramento puellæ promisit matrimonium, subintelligitur enim juris conditio, si nempe illa puella in fornicationem non incidat.

9. *Q.* Quot conditiones requiruntur ut Juramentum sit licitum, seu ut non sit peccatum?

R. Tres requiruntur: *Jurabis, vivit Dominus* (Jeremiæ 4.) *in Veritate, in Judicio, & in Justitia*: ita vero necessariæ sunt illæ conditiones, ut si vel una desit, Juramentum sit illicitum: *Si ista defuerint* (ait Hieronymus in caput 4. Jeremiæ) *nequaquam erit Juramentum, sed perjurium*.

10. *Q.* Quid intelligitur per *Veritatem*, quæ prima est Juramenti liciti conditio?

R. 1. Intelligitur in Juramento Assertorio conformitas rei assertæ aut negatæ cum ipsa assertione aut negatione. Peccat vero contra veritatem illam tum is qui affirmat quod scit esset falsum; tum is qui dubitat, an sit falsum; tum etiam qui verum jurat, quod falsum putat ex errore: *Nisi tamen* (ait Catechismus Romanus) *quantum potuit, curam & diligentiam adhibuerit, ut totam rem compertam atque exploratam haberet*.

R. 2. Per veritatem intelligitur in Juramento Promissorio, 1. conformitas promissionis cum intentione id agendi quod promittitur. Intelligitur quoque 2. executio ipsius rei promissæ, cum tempus de quo conventum est, acciderit. Intelligitur 3. conformitas rei promissæ cum expectatione ejus cui juratur: unde S. Augustinus ait: *Perjuri non sunt qui verbis non servatis, illud quod ab eis cum jurarent expectatum est, impleverunt, & perjuri sunt, qui etiam servatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum est, decipiunt*. Vide propositiones hac in caussa damnatas a Clero Gallicano ad Comitia generalia coacto anno 1700.

11. *Q.* Quid intelligitur per *Judicium*, quod requiritur, ut Juramentum sit licitum?

R. Intelligitur discretio, ita ut temerario non juretur: ad eam autem discretionem requiritur 1. ut non juretur sine gravi necessitate: *Quantum ad me pertinet* (ait Augustinus, Serm. 40. de Verbis Apostoli) *juro, sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus*. Requiritur 2. ut accurata diligentia præcesserit in

in examine rei quæ promittitur: ita ut attenta fuerit tum interna mentis dispositio ad id faciendum quod promittitur, tum etiam potentia, seu facultas cum tempus conventum advenerit promissum exequendi.

12. *Q.* Quid debet intelligi nomine *Justitiæ* in Juramento requisitæ?

R. Intelligi debet æquitas, seu bonitas moralis, rei quæ per juramentum affirmatur, negatur, aut promittitur: *Porro* (ait Canon *Inter cetera*, cauf. 22. q. 4.) *Juramentum non ad hoc institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis.*

13. *Q.* Teneturne stare promissis qui rem licitam voluntarie cum Juramento promisit?

R. Tenetur: alioquin enim Deum redderet, quantum in se est, testem falsitatis & mendacii: unde est illud Scripturæ: Matth. cap. 5. *Reddes Domino Juramenta tua.*

14. *Q.* Ad quid obligant Juramenta Promissoria vi aut metu extorta?

R. Obligant ad sui executionem, si fuerint de se honesta & licita. Ita Alexander Papa III. capite, *Si vero*, Ext. *de jurejurando.*

15. *Q.* Estne licitum in certis casibus Juramentum ab alio exigere?

R. Licitum est: nempe certi sunt casus, in quibus id interest aut privatorum hominum, aut Reipublicæ. *Quamvis* (ait Augustinus in Epist. 47. n. edit. ad Publicolam) *dictum sit ne juremus, nusquam autem in Scripturis sanctis legi meminerim, ne ab alio jurationem accipiamus.*

16. *Q.* Estne licitum Juramentum exigere ab infideli qui per idola sua juraturus est?

R. Licitum est, ubi gravis urget necessitas: quia tunc non postulatur ut per sua idola juret, hoc enim ex se malum est, sed simpliciter ut juret; quod quidem potest, si velit, bene aut male facere. Ita post Augustinum S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 4. ad 4.

17. *Q.* Licetne Juramentum ab eo exigere qui pejeraturus prævidetur?

R. Non licet: nullum enim emolumentum ex eo Juramento refert is qui illud exigit: unde Augustinus de verbis Apostoli Serm. 28. Jurationis in eo casu postulationem damnat. Ab ea tamen lege excipitur judex qui ad postulationem litigantis, Juramentum exigit: *Quia* (ait S. Thomas) *non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit.* Conditiones tamen nonnullæ sunt, quas judex servare tenetur, ut licite possit ad partis instantiam, ab alia Juramentum exigere.

18. *Q.* Juramentum potestne aliquando irritum fieri?

Potest a superiore, in iis tamen rebus, ratione quarum jurans est illi inferior.

19. *Q.* Juramentum potestne remitti aut relaxari?

R. Potest: ab eo nimirum in cujus gratiam & favorem præstitum fuit. Ita S. Th. 2. 2. q. 89. art. 9.

20. *Q.* Ecclesia potestne remittere Juramentum quod in favorem tertii præstitum est?

R. Potest, si injuste exactum fuerit, ut videre est in Gregorianis Decretalibus, titulo *De his quæ vi metusve causa fiunt*, & titulo, *De jurejurando.* E contra, si juste fuerit exactum, non solet Ecclesia dispensare aut relaxare: æquum enim est ut concessæ ab Ecclesia relaxationes aut dispensationes non sint in detrimentum tertii.

21. *Q.* Ecclesia potestne in certis casibus dispensare ab observatione Juramenti?

R. Non potest permittere ut qui juravit, contra suum Juramentum agat. Sed potest efficere (teste S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9.) ut id quod sub Juramento cadebat, sub Juramento non cadat; quasi non existens amplius debita materia Juramenti.

22. *Q.* Quis inter Prælatos potest in Juramento dispensare?

R. Episcopi in iis omnibus dispensare possunt, quorum materia non est reservata Summo Pontifici; immo & in istis, si dubia sint.

De Sanctificatione Sabbati.

1. *Quæst.* Quam diem in hebdomadam Judæi quondam Sanctificare tenebantur?

R. Septimam, quæ quidem vocatur *Sabbatum*, eo quod ea die Deus requieverit ab omni opere quod patrarat: nimirum intra sex dies completa fuit Universi creatio.

2. *Q.* Quam hebdomadæ diem Christiani tenentur Sanctificare?

R. Primam, quæ quondam apud Gentiles dicebatur *Dies Solis*; nunc vero Dominica dies, eo quod ea ipsa die Christus a mortuis resurrexit. Mutationis Sabbati in diem Dominicam Apostoli tamquam Ecclesiæ Christianæ Pastores auctores fuerunt: unde ubique gentium illa mutatio servata fuit a Christianis.

3. *Q.* Suntne aliqui dies præter Dominicam, quos Christiani sanctificare teneantur?

R. Sunt, nimirum dies festi quos Ecclesia successu temporum instituit. Eadem enim hoc in capite potestate fruitur, qua usi sunt Apostoli, cum diei septimæ substituerunt primam.

4. *Q.* Quis est sensus præcepti de Sanctificatione Sabbati?

R. Nonnulla vetat jure naturali, alia jure divino, alia Ecclesiastico: nonnulla etiam præcipit tum interna, tum etiam externa, ut ex responsis ad subsequentia quæsita patebit.

5. *Q.* Quænam sunt *in genere*, quæ jure naturali vetita censentur per præceptum de Sanctificatione Sabbati?

R. Jure naturali prohibentur ea omnia quibus ita mens disponitur, ut de Deo cogitare non possit, & cor ita avertitur, ut debitum Deo cultum exhibere non valeat. Nempe

festi-

festivis diebus jubemur id implere quod Christus præcepit in Evangelio Joan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*: ac proinde ab iis abstinere quæ adorationem illam impedire possunt.

6. *Q.* Quænam sunt *in specie*, quæ die Sabbati prohibentur?

R. Prohibetur 1. peccatum: quia maxime avertit a Dei cultu qui Deo die Sabbati debetur: *Ideo* (ait S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.) *magis contrà hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit.*

Prohibentur 2. opera servilia: *Omne opus servile* (Levitici 23.) *non facietis in tempore illius diei*. Per opera autem servilia intelliguntur ea, *Quæ* (ait S. Thom.) *proprie pertinent ad servientes*; seu quæ domini a servis exigunt.

Prohibentur 3. opera omnia mechanica, seu earum artium quæ ab iis, quos vulgo artifices vocant, exerceri solent.

Prohibentur 4. venatio, clamosa præsertim, nundinarum celebratio, strepitus forensis, & nonnulla alia quæ legere est tum in Decreto Gratiani, tum in Decretalibus Gregorii IX.

7. *Q.* Quid *in genere* faciendum injungitur præcepto de Sanctificatione Sabbati?

R. Præcipitur *in genere*, ut debitus Deo cultus exhibeatur: est enim præceptum, de quo agitur, quædam determinatio legis naturalis, qua creatura rationalis debet in Spiritu & veritate adorare eum, qui sui est & auctor & finis ultimus.

8. *Q.* Quid *in specie* faciendum injungit præceptum de Sabbati Sanctificatione?

R. Injungit 1. ut dies Sabbati piis operibus tota, loquendo moraliter, impendatur: 2. inter ea opera necessarium locum tenet ipsa auditio Missæ; hoc est, totius liturgiæ ad cujus normam Eucharistiæ Sacrificium offertur. Vide S. Thomam & alios auctores qui argumentum illud fuse pertractarunt.

9. *Q.* Suntne aliquæ causæ quæ aliquando fideles eximant a præcepto de Sanctificatione Sabbati?

R. Sunt: urgens nimirum necessitas, & dispensatio quæ legitime & licite obtenta fuerit.

De Beneficiis.

Nota. Cum ingressus in Beneficia, executio onerum quæ Beneficiatis imponuntur, & administratio proventuum qui ex Beneficiis oriuntur, ad virtutem Religionis pertineant: non abs re erit sub titulo *de Religione* tractare de Beneficiis.

1. *Q.* Beneficium quomodo definitur?

R. Definitur jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, ab Episcopo ordinatum, & Clerico concessum propter sacrum & Ecclesiasticum ministerium: unde habet regula juris: *Beneficium datur propter officium.*

2. *Q.* Beneficia quomodo dividuntur?

R. Dividuntur 1. in Sæcularia, quæ non nisi Clericis sæcularibus dantur; & in Regularia ad quæ solis tantum Clericis regularibus aditus patet.

Dividuntur 2. in Simplicia quibus nimirum non est annexa aliqua administratio, vel Clerus, vel populus; & in Duplicia, quibus aliquid horum annexum est.

Dividuntur 3. in Dignitates, Personatus, & Officia. Dignitatibus affixa est Ecclesiastica administratio cum jurisdictione supra Clerum; hujusmodi sunt Episcopatus, Abbatiæ, Decanatus, Præpositura, Archidiaconatus. Personatui inhæret supra Clerum præeminentia, sed absque ulla jurisdictione, ut in Præceptore, Primicerio, & Sacrista primario. Officio demum annexa est administratio, sed absque Præeminentia & absque jurisdictione. Hujusmodi sunt, Canonicatus, Præbenda Theologalis & præbenda Præceptoria.

Dividuntur 4. in Titularia & Commendata: illa conferuntur ad vitam, & cum plenitudine juris; Ista vero conferuntur solius administrationis, aut custodiæ causa.

3. *Q.* Quænam hominem reddunt inhabilem ad obtinenda Beneficia.

R. Multa sunt. 1. Excommunicatio sive sit occulta, sive sit publica. cap. *Pastoralis Ext. De Clerico Excommunicato minist.* 2. Suspensio ab Ordine cujus functiones exigit Beneficium, cap. *Cum dilectus* Ext. *de Consuetudine* 3. Irregularitas: cap. *Henricus Ext. de Clericis pugnantibus in duello*. Si tamen sine peccato contracta fuerit inhabilitas, locum non habet, nisi respectu Beneficii, cujus officia irregularitas illa respicit. 4. Defectus Tonsuræ Clericalis: cap. *Ex Litteris*. Ext. *De Transactionibus*. 5. Defectus Cœlibatus in Ecclesia Latina: c. *sunt*. Immo & ipso jure per matrimonium vacant Beneficia ante possessa. 6. Defectus naturalium: unde extra legitimum matrimonium natus, si non dispensetur, inhabilis est ad quæcumque Beneficia. 6. Defectus ætatis: Ætas autem ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis requisita, in Galliis est ætas XIV. annorum qui jam sint completi; si tamen per Regaliam non obtinentur; tunc enim sufficit ætas VII. annorum. Ubi servatur dispositio Concilii Tridentini, XIV. anni qui cœperint, ad quodcumque Beneficium requiruntur: sed in Galliis sufficiunt ad Beneficium simplex VIII. anni incœpti, & ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ, decennium completum. 8. Defectus Ordinis ad Beneficium requisiti: satis est tamen ut intra annum Clericus ad illum promoveri possit: annus autem ille in Galliis, numeratur a pacifica ejusdem Beneficii possessione. 9. Defectus qui oritur ex eo quod Clericus non sit Regnicola: in Galliis enim inhabiles sunt ad quæcumque Beneficia qui vulgo dicuntur, *Aubains*, id est, extra regnum nati.

4. *Q.* Quænam sunt dotes requisitæ, ut quis licite Beneficium obtinere possit?

R. Quatuor sunt. 1. Morum integritas, ita ut de Clerico dici possit, quod (ait S. Thomas) Quodlib. 8. art. 6. *Sit bonus simpliciter*. 2. Scientia quæ ad obeunda Beneficii munera requiritur. Quænam vero scientia pro variis Beneficiis requiratur, docet Tridentina Synodus. 3. voluntas non dimittendi Beneficium quod adquiritur. 4. Divina vocatio, quæ tum morum probitate, tum intentione Deo in Beneficio ut par est, deserviendi, tum idoneitate se prodit.

5. *Q.* Quibus modis adquiruntur Beneficia?

R. Adquiruntur Electione, Præsentatione, Collatione, Gradibus, Devoluto, Indulto, Resignatione, vel Permutatione.

6. *Q.* Quænam requiruntur ad Canonicam Electionem?

R. Requiritur 1. ut omnes vocandi, secundum usum receptum vocati fuerint. Requiritur 2. ut electio fiat per vota secreta: ita enim declarat Concilium Trident. Sess. 25. *de Reg.* cap. 6. Requiritur 3. ut electio sit omnino libera: ita ut nullus ex iis qui jus habent suffragii passivi, excludatur.

7. *Q.* Jus Patronatus, seu jus præsentandi ad Beneficia, quotuplex est.

R. Duplex: Ecclesiasticum nimirum & Laicum. Differunt autem 1. quod sex menses Patrono Ecclesiastico ad præsentandum concessi sint; e contra quatuor tantum Patrono laico: 2. Laicus variare potest, non vero Ecclesiasticus: 3. quod Papa Ecclesiasticum, non autem laicum, saltem in Galliis, prævenire possit.

8. *Q.* Quis potest Beneficia conferre?

Q. Summus Pontifex. Et quidem 1. jure præventionis nullum est quod conferre non possit: 2. ipse solus confert ea quæ vacant in Curia Romana, ubicumque sita sint: cap. *Licet*, Ext. *de Præbendis*: 3. jure ordinario potest quoque Episcopus ea omnia conferre, quæ in sua Diœcesi vacaverint.

9. *Q.* Quid per jus Devoluti intelligitur?

R. Jus conferendi Beneficium, cui inter debitum tempus, quod est sex mensium, ordinarius collator non providit.

10. *Q.* Quid per Indultum intelligitur?

R. Est jus quo ex concessione Romanæ Sedis, Rex collatoribus præcipit, ut certa quædam Beneficia proxime in sua Diœcesi vacatura Indultario conferant.

11. *Q.* Quid est Beneficii Resignatio?

R. Est dimissio Beneficii, quod possidetur. Ea autem dimissio vel est *Simplex*, vel est *in favorem* tertii. *Prima* est ea per quam Clericus cedit Beneficio, nec aliquem Episcopus nominat, cui conferatur. *Altera* est dimissio Beneficii ea lege, ut tertio conferatur: hanc solus Pontifex Romanus potest admittere, illam vero admittit & Episcopus.

12. *Q.* Quid intelligitur per Beneficiorum Permutationem?

R. Intelligitur permutatio unius Beneficii in aliud. Eam Episcopus, consentiente patrono laico, immo & Vicarius generalis qui speciale mandatum habet conferendi Beneficia, potest admittere. *Si* compermutanda Beneficia in diversis diœcesibus sita sint, utriusque Episcopi auctoritas interveniat necesse est.

13. *Q.* Electores, Patroni, & alii quibus jus competit præsentandi ad Beneficia, tenenturne præsentare, aut eligere non solum *Dignos*, sed etiam *Digniores*?

R. 1. Si quæstio sit de Beneficiis, quibus incumbit animarum cura, certum est Patronos & alios teneri eligere & præsentare digniores: *Eosque* (ait Concil. Trid. sess. 24. de reform. c. 1.) *alienis peccatis communicantes*, MORTALITER *peccare*, *nisi quos* DIGNIORES, *& Ecclesiæ magis utiles*, *judicaverint*, *&c.* 2. Si quæstio sit de Beneficiis quibus non incumbit animarum cura, idem plane dicendum est; tum quia id exposcit iustitia distributiva; tum quia alioquin Ecclesia detrimentum pateretur, tum denique ubi digni dignioribus præferuntur, locum habet vitium turpe acceptionis personarum.

15. *Q.* Estne licitum plura simul Beneficia possidere.

R. Non est licitum 1. si illa Beneficia sint incompatibilia. 2. Id quoque non licet, quamvis non sint incompatibilia, cum unum ad honestam ejus cui confertur, sustentationem sufficit: *Sancta Synodus* (ait Conc. Trid. Sess. 24. de reformat. cap. 17.) *debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens*, *præsenti Decreto*, *quod in quibuscumque personis*, *quocumque titulo*, *etiamsi Cardinalatus honore fulgeant*, *mandat observari*, *Ut in posterum* UNUM TANTUM *Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur*.

§. III. *De Fortitudine*.

1. *Qu.* Quomodo Fortitudo definitur?

R. Definitur, *Virtus coercitiva timoris, & audaciæ moderativa instantibus gravibus periculis*.

2. *Q.* Quodnam est objectum Fortitudinis?

R. Objectum materiale sunt labores & pericula; formale vero est difficultas superandi pericula, & tolerandi labores.

3. *Q.* Quodnam est immediatum subjectum Fortitudinis?

R. Est voluntas prout est appetitus sensitivus irascibilis: hoc est, prout tendit ad bonum arduum.

4. *Q.* Quinam sunt actus præcipui Fortitudinis?

R. Duo sunt Perpessio, & Aggressio: nonnumquam enim necesse est ut vir fortis adeat pericula, & incommoda sustineat quæ ex re ardua nascuntur.

5. *Q.*

5. *Q.* Elucetne major Fortitudo in Perpessione, quam in Aggressione?

R. Ex S. Thoma, elucet. Quia (ut ait idem S. Doctor) difficilius est stare immotus in periculis, quam ipsamet adire pericula. Malum enim præsens magis movet, quam futurum.

6. *Q.* Quot sunt virtutes annexæ Fortitudini?

R. Quatuor sunt: Magnanimitas nimirum, Magnificentia, Patientia, Perseverantia.

§. IV. *De Temperantia.*

1. *Qu.* Temperantia quomodo definitur?

R. Definitur: *Virtus quæ moderatur usum rerum, quæ sensus ad oblectationem movent.*

2. *Q.* Quodnam est objectum Temperantiæ?

R. Objectum materiale sunt omnes delectationes corporeæ, sed præsertim eæ quæ ex cibo, potu, & actibus venereis, in matrimonii usu percipiuntur. Objectum vero formale est earumdem delectationum usus honestus, seu rationi conveniens.

3. *Q.* Quænam sunt species Temperantiæ?

R. Quatuor sunt. Castitas, Pudicitia, Abstinentia, & Sobrietas. Nempe quatuor sunt objecta specie diversa, circa quæ Temperantia occupatur. Nam 1. moderatur actum conjugalem, & sic indiget Castitate: 2. Moderatur actiones quæ ad actum conjugalem ordinantur, ut sunt tactus & oscula: ad hoc autem indiget Pudicitia: 3. Moderatur quoque delectationes quæ ex cibo percipiuntur; ei autem usui subservit Abstinentia: 4. Moderatur delectationes quæ nascuntur ex potu: illi vero usui inservit Sobrietas.

3. *Q.* Quot sunt virtutes quæ annexæ sunt Temperantiæ.

R. Tres sunt tantum, Mansuetudo nimirum, Clementia, & Modestia: nempe tres illæ virtutes modum imitantur, quem Temperantia circa propriam materiam servat, sicut enim Temperantia comprimit passiones quæ sunt circa delectabilia; ita Mansuetudo, Clementia, & Modestia iis modum præscribunt, quæ sunt circa actiones externas.

5. *Q.* Quomodo virtutes quæ annexæ sunt Temperantiæ, præscribunt modum iis quæ sunt circa actiones externas?

R. Mansuetudo sic iram coercet, ut non sinat eam exurgere, nisi cum oportet, & sicut oportet, seu ea mensura & eo ordine quibus necesse fuerit ad finem aliquem honestum.

Clementia vindictam refrænat, ne scilicet exiliat extra fines debitos: nonnihilque præterea minuit ex pœna quæ reo alioquin deberetur.

Modestia modum statuit, quem quis servare debeat in humanis affectibus, & actibus externis: ejusmodi sunt corporis gestus, cultus, vestitus.

CAPUT VIII.

De Peccatis in Genere.

§. I. *De essentia, Objectis, & Caussis peccati.*

1. *Q.* PEccatum quomodo definitur?

R. Definitur ab Augustino in lib. 22. contra Faustum c. 27. *Factum, dictum vel concupitum contra æternam Dei legem.*

Obj. 1. Peccatum originale nec est factum, nec dictum, nec concupitum: ergo, &c.

R. Dist. ant. Per propriam voluntatem, conc. ant. per alienam, Adami nimirum voluntatem, nego ant. Ita Augustinus in lib. 1. Retract. cap. 13.

Obj. 2. Peccatum Omissionis nec est factum, nec dictum, nec concupitum: ergo, &c.

R. Dist. ant. Et ad illa reducitur, conc. ant. Scilicet, ex logicis, privationes reducuntur ad eorum genus, quorum sunt privationes: Et ad illa non reducitur, nego ant.

Obj. 3. Actus quidam, ut odium Dei, forent peccata, quamvis non esset lex æterna per quam prohiberentur: ergo essentiale non est peccato ut sit contra legem.

R. Nego ant. Quia in ea suppositione, quæ est impossibilis, odium Dei non esset contra regulam: sicut enim non potest esse linea curva, ex suppositione quod non detur rectitudo a qua declinare possit: ita nec esset peccatum, si nulla esset lex, nullaque regula a qua deflecteret.

2. *Q.* Quodnam est objectum Peccati?

R. Materiale, est actus humanus in se sumptus: quia peccatum physice sumptum non aliud est, quam aliquis actus humanus & liber. Formale vero, est privatio rectitudinis debitæ; scilicet opponitur virtuti, quæ non in alio posita est, quam in rectitudine quæ humano debetur actui.

3. *Q.* Quotuplicis sunt generis caussæ peccati?

R. Duplicis: Nonnullæ enim sunt internæ, intellectus, voluntas, ignorantia, & concupiscentia; aliæ vero sunt externæ, Diabolus nimirum & Mundus.

4. *Q.* Quomodo ignorantia est caussa peccati?

R. Per modum removentis prohibens: removet enim cognitionem, quæ si adesset, non fieret, ut supponitur, peccatum, juxta illud Apostoli 1. Cor. 2. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

5. *Q.* Quomodo concupiscentia est caussa peccati?

R. Per modum moventis & excitantis ad amorem objecti illiciti. Juxta illud Jacobi, cap. 1. *Unusquisque tentatur, a concupiscentia sua abstractus & illectus.*

6. *Q.* Quomodo Mundus est caussa peccati?

R. Moraliter: prava nimirum doctrina, iniquis exemplis, potestatis ac auctoritatis abu-

su. Ita Augustinus in lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 10.

7. *Q.* Qua ratione Diabolus est caussa peccati?

R. Moraliter. Nam 1. nonnumquam transfigurat sese in Angelum lucis, ut homines decipiat: 2. Illudit imaginationi, imprimendo species quibus exhibentur objecta quæ concupiscentiæ placent.

8. *Q.* Deus estne caussa Peccati?

R. Non est: tum quia non influit in peccati malitiam: cum non in alio posita sit, quam in privatione debitæ rectitudinis: tum quia defectus operis non cadit in caussam indefectibilem, ut est Deus, sed tantum in deficientem, ut patet in tibia curva.

Obj. 1. Deus non impedit peccatum, licet illud impedire possit: ergo est illius caussa, saltem moralis.

R. Conc. ant. nego conseq. Quia ut quis sit caussa moralis alicujus actus, satis non est ut illum non impediat, cum possit impedire: sed præterea requiritur ut illud impedire teneatur: at Deus non tenetur, quia exigit illius providentia, ut creatura rationalis quæ naturaliter est sui juris, sibi ipsi permittatur ad bonum, & malum.

Obj. 2. Deus concurrit ad quosdam actus physicos, odium Dei v. g. qui sunt essentialiter mali: ergo, &c.

R. Dist. ant. Qui sunt essentialiter mali sub aliquo respectu sub quo Deus ad illos non concurrit, concedo ant. sub quo concurrit, nego ant. Deus concurrit ad odium sui prout generice sumitur, seu, prout est actus humanus, non autem ad odium sui, prout specifice sumitur, hoc est, reduplicative prout est odium *Dei*.

Obj. 3. Deus in Scripturis nonnumquam dicitur præcepisse actus malos, ut cum injunxit Semei ut Davidi malediceret. 2. Reg. c. 16. ergo, &c.

R. Dist. ant. Præcepto improprie sumpto, hoc est sumendo præceptum pro mera permissione, conc. ant. Præcepto proprie sumpto, hoc est sumendo præceptum pro imperio, nego ant.

§. II. *De Proprietatibus & Effectibus Peccatorum.*

1. *Q.* Unde sumitur distinctio peccatorum?

R. Distinctio numerica, sumitur aut ex objecto materiali, circa quod peccatum versatur: aut ex morali interruptione quæ in pluribus ejusdem specie actibus repetitur. E contra specifica peccatorum distinctio petitur ex objectis specie diversis, circa quæ versantur: sic homicidium & furtum specie differunt. Sumitur etiam aliquando ex fine operantis: unde qui furatur, ut adulterium committat, fur est simul & adulter: sumitur tandem nonnumquam ex circumstantia quæ comitatur actum malum, ut patet in furto quod in loco sacro committitur: tunc enim qui furatur, & furti & sacrilegii reus est.

2. *Q.* Peccata suntne inter se connexa.

R. Non sunt: quia nonnumquam & specie & numero diversa sunt: immo & aliquando contraria, ut prodigalitas & liberalitas.

Obj. 1. Virtutes sunt inter se connexæ: ergo & peccata.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia virtutes omnes (ex S. Thoma, in uno tertio, caritate nimirum, uniuntur: e contra vero peccata, in aliquo tertio non uniuntur: nempe inordinatus creaturarum amor, in quo positum est peccatum, mentem ad diversa, & nonnumquam opposita distrahit.

Obj. 2. Jacobus in Epistola Canonica c. 2. scribit, eum qui peccat in uno, fieri reum omnium, ergo, &c.

R. Dist. ant. Quantum ad maledictionem quam lex minatur, conc. ant. Quantum ad reatum, nego ant. Ne quis incurrat in legis maledictionem, satis non est ut illius præcepta servet, sed requiritur ut observet omnia, juxta illud Apostoli ad Galatas c. 3. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Vide aliam expositionem apud Augustinum in Epist. ad Hieronymum, veteris Ed. 29. novæ 167.

3. *Q.* Peccata suntne inter se æqualia?

R. Non sunt. Nam 1. id expresse Scriptura testatur: *Qui me tradidit,* (ait Christus ipse, Joan. c. 19.) *majus peccatum habet*. 2. Major est in quibusdam peccatis recessus a morum regula, quam in aliis: quia in nonnullis major est vel minor, seu intensior aut remissior inordinatus creaturarum amor, in quo malitia peccati consistit.

4. *Q.* Unde petitur inæqualitas peccatorum.

R. Inæqualitas essentialis sumitur ab objectis quæ specie differunt. Unde graviora sunt gravitate essentiali, quæ opponuntur virtutibus præstantioribus. Inæqualitas vero accidentalis petitur ex circumstantiis quæ intra eamdem speciem aut aggravant, aut minuunt operis malitiam. Sic furtum decem aureorum gravius est, quam furtum quinque tantum.

5. *Q.* Quinam sunt peccatorum effectus.

R. Duo sunt, reatus culpæ, & reatus pœnæ. Prior, nihil est aliud, quam macula qua anima peccans inficitur. Alter vero, est debitum seu obligatio ad pœnam.

6. *Q.* Pœna quæ debetur peccato, estne æterna?

R. Pœna quæ peccato mortali in altera vita debetur, est æterna: quia malitia illius est infinita; quippe quod sit offensa infinitæ personæ: Quæ vero debetur veniali, est finita, quia licet veniale sit contra Deum, non est

est tamen ex effectu qui animæ dominetur: per *accidens tamen* peccatum veniale in hac vita non dimissum homini reprobo, æterna pœna in inferis punietur, quia in æternum stabit illius culpa.

§. III. *De Divisione Peccati.*

1. *Q.* Quomodo peccatum dividitur?

R. Dividitur 1. in Originale & Personale: 2. Personale subdividitur in Actuale & habituale: 3. Actuale aliud est mortale, quod uno actu perimit animam, eo quod caritatem dominantem expellat: aliud vero veniale, quod animam quidem vulnerat, eo quod minuat caritatis fervorem, sed non perimit; quia caritatem dominantem, seu amorem Dei super omnia non expellit: 4. Peccata iterum dividuntur in peccata ignorantiæ, infirmitatis & malitiæ.

2. *Q.* Existitne peccatum Originale?

R. Existit. Nam 1. id asseritur in veteri Testamento Job. 14. *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Idem asseritur quoque in Novo Testamento: *Sicut* (ait Apostolus ad Rom. 5.) *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* 3. Id Ecclesia definiit contra Pelagianos. 4. Idem demonstrant pœnæ quibus in hac vita cruciamur, ignorantia nimirum, concupiscentia, mors, aliæque calamitates quas inviti patimur: scilicet homo ad intuitivam Dei visionem creatus, non potest sub Deo justo esse miser, nisi mereatur.

3. *Q.* In quo posita est essentia peccati originalis?

R. Posita est in concupiscentiæ reatu. Ita enim docet S. Augustinus in lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 19. & 26. S. Thomas 1. 2. q. 82. art. 3. Ille autem reatus, est privatio justitiæ originalis: nec mirum, ex eo enim quod infantis anima propter finem supernaturalem, ut supponitur, creata careat originali justitia; sequitur ipsam esse immundam & iniquam, concupiscentiæ, hoc est, amori creaturarum servam & mancipium, eam esse extra ordinem illum quem lex æterna conservari jubet, perturbari vetat; hoc est, non esse eam per amorem immediate sub Deo, & supra creaturas omnes.

4. *Q.* Quomodo peccatum originale per baptismi Sacramentum tollitur?

R. Non tollitur quidem materiale peccati Originalis, hoc est, concupiscentia, sed tollitur formale, seu illius reatus: *Manet actu* (inquit Augustinus) *transit reatu*, scilicet per baptismum caritas infunditur animæ, ac proinde tollitur imperium & dominium concupiscentiæ.

5. *Q.* Per quid in homine transfunditur peccatum Originale?

R. Transfunditur per generationis libidinem: *Quod autem attinet ad peccati Originalis in omnes transitum* (inquit Augustinus in lib. 5. contra Julianum c. 13.) *quoniam per carnis concupiscentiam transit, transire in eam carnem non potuit, quam, non per illam, Virgo concepit.*

6. *Q.* Quinam ex hominibus contrahunt peccatum Originale?

R. Ex Apostolo ad Rom. 5. in omnes (uno excepto Christo) pertransit; quia omnes (uno eodem excepto Christo) per libidinem generantur. Debuisset B. Virgo, propter eam rationem illud quoque contrahere, sed singulari Dei privilegio præservatam fuisse, ne actu contraheret, pie quidem, sed non catholica fide creditur. Vide Conc. Trident. sess. 5.

7. *Q.* Quæ sunt pœnæ quibus peccatum Originale punitur in altera vita?

R. Castigatur 1. exclusione a regno cælorum: 2. interiori dolore de amissa beatitudine: 3. Juxta S. Augustinum & plures de Schola Theologos, pœna sensus, seu æterno ignis cruciatu. Scilicet infantes sine baptismo mortui, erunt in extremo judicio, non a dextris, sed a sinistris Christi judicis; ac proinde ignis pæna damnabuntur: *Tunc* (ait Evangelium Matthæi 25.) *dicet & iis qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.... Et ibunt hi in supplicium æternum.* Hincque patet quam falso nonnulli recentiores putaverint infantes sine baptismo mortuos, fruituros esse in altera vita, beatitudine quadam naturali, quæ posita sit in immunitate a doloribus, & miseriis, & in quadam abstractiva, hoc est, per creaturas, Dei contemplatione.

8. *Q.* Peccatum mortale & veniale quomodo inter se differunt.

R. Mortale ex natura sua differt a veniali: quia peccatum mortale per se & ex natura sua pellit caritatem ex anima, cum importet dominantem creaturarum amorem: e contra peccatum veniale non depellit ex anima caritatem, quia licet sit amor inhærens creaturæ, non est tamen amor dominans, seu qui animæ affectibus dominetur.

Confirmatur ex Apostolo, qui primæ ad Corinthios 3. peccata venialia comparat cum stipula & feno, quæ ædificii fundamento superimponuntur: ergo quemadmodum stipula & fenum non destruunt fundamentum ædificii materialis: ita nec peccata venialia destruunt ædificii spiritualis fundamentum: quod quidem non aliud est, quam caritas.

9. *Q.* Peccatum quod ex natura sua est mortale, potestne per accidens fieri veniale?

R. Potest: defectu nimirum requisitæ deliberationis, aut ratione levitatis materiæ.

10. *Q.* Peccatum veniale potestne aliquando fieri mortale?

R. Potest per accidens. Et quidem ratione con-

conſcientiæ erroneæ; ratione gravis ſcandali quod parit; ratione contemptus formalis in legislatorem; ratione ordinationis ſeu relationis ad finem mortalem; & tandem ratione periculi, cum nimirum operantem exponit proximo periculo peccati mortalis, quod ipſe operans prævidens, vitare noluerit: qui enim vult efficaciter proximam cauſſam, velle cenſetur & effectum qui ex ea ſequitur.

11. *Q.* Solum peccatum Veniale poteſtne eſſe in aliquo ſubjecto cum ſolo Originali?

R. Poteſt. Scilicet adultus cui per baptiſmum peccatum Originale nondum remiſſum eſt, poteſt in primo ſuæ rationis inſtanti actum ex ſe malum elicere ſine ſufficiente ad peccatum mortale rationis advertentia; poteſt quoque in aliqua levi materia delinquere.

Obj. 1. Quilibet adultus ex S. Thoma in primo rationis inſtanti tenetur ſub pœna peccati lethalis, elicere actum amoris Dei ſuper omnia: ergo, &c.

R. Diſt. ant. In primo morali rationis inſtanti, conc. ant. Phyſico, nego ant. Inſtans morale aliquam habet latitudinem; ac proinde adultus intra eam latitudinem poteſt leviter mentiri; & conſequenter venialiter tantum peccare.

Obj. 2. Quilibet adultus in primo phyſico inſtanti ſuæ rationis, debet finem aliquem ultimum ſibi conſtituere: ac proinde ſi peccet, peccabit lethaliter.

R. Diſt. ant. Debet finem *ultimum ſecundum quid* ſibi conſtituere, conc. ant. Finem *ſimpliciter ultimum*, nego ant. Hoc eſt, adultus in eo inſtanti neceſſario quidem ſibi conſtituit finem operis quod agit, non autem finem totius vitæ, ac proinde nec finem qui illius voluntati prædominetur.

12. *Q.* Danturne ignorantiæ peccata?

R. Fide certum eſt dari: juxta illud Prophetæ Regii, Pſ. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*: unde Levitici 5. præſcribitur ritus ſacrificii pro peccatis ignorantiæ Deo offerendi.

Obj. Nihil eſt actu volitum, niſi ſit cognitum: ergo &c.

R. Diſt. ant. Nihil eſt volitum, niſi ſit cognitum, aut cognoſci potuerit, conc. ant. niſi ſit actu cognitum, nego ant. Hincque ſequitur peccantem ex ignorantia velle conſequenter & indirecte malitiam quæ reſultat ex facto quod operatur: ſequitur iterum peccata ignorantiæ eſſe voluntaria voluntate *facti*, licet non ſint voluntaria, ſaltem directe, voluntate *peccati*.

13. *Q.* Ignorantia ſimpliciter invincibilis excuſatne a peccato?

R. Excuſat: quia actus qui ſequitur ex ignorantia ſimpliciter invincibili, ſe habet ſicut motus concupiſcentiæ, qui quidem ſi ſimpliciter & abſolute ſuperari non poſſent, non forent peccata: unde merito ab Alexandro Papa VIII. damnata eſt hæc propoſitio: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ, operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.*

14. *Q.* Danturne peccata infirmitatis?

R. Dantur: quia peccare poſſumus aut ex paſſione quam non excitaverimus, aut ex negligentia quam ſtatim, propter humanæ naturæ vires infirmas, non depulerimus.

15. *Q.* Danturne quædam malitiæ peccata?

R. Dantur; quia dantur peccata quæ de induſtria fiunt, quæque oriuntur ex eo quod corrupta voluntas paſſionem de induſtria ad peccandum excitaverit.

16. *Q.* Peccata malitiæ ſuntne irremiſſibilia?

R. Simpliciter & abſolute non ſunt; quia nullum eſt peccatum cujus hominem adjutum Dei gratia pœnitere non poſſit.

Obj. Peccata quæ dicuntur peccata in Spiritum ſanctum, nec in hoc ſæculo (ut habetur Luc. 12.) nec in futuro remittentur. Præterea primæ Joannis 5. eſt peccatum ad mortem, pro cujus remiſſione vetamur orare: atqui peccata in Spiritum ſanctum, & peccatum ad mortem, non alia ſunt quam quæ vulgo malitiæ peccata vocantur: ergo, &c.

R. Peccata in Spiritum ſanctum ſunt ea per quæ quis Diabolo tribuit opera quæ manifeſte Dei ſunt ſolius; dicuntur vero irremiſſibilia, moraliter loquendo, eo quod eorum hominem perraro & fere numquam pœniteat; cum enim apertam inferant Spiritui ſancto contumeliam, excludunt medium ſeu Dei auxilium per quod remiſſio impetrari valeat. Peccatum ad mortem eſt, ex Auguſtino, impœnitentia finalis: unde mirum non eſt quod pro illius dimiſſione orare non liceat.

16. *Q.* Quid ſunt peccatum Commiſſionis, & Omiſſionis?

R. Peccatum Commiſſionis eſt actus quo præceptum negativum infringitur: Omiſſionis vero, eſt privatio actus qui Præcepto affirmativo præſcribitur.

17. *Q.* Quid eſt peccatum Philoſophicum, & quid Theologicum?

R. Theologi qui duplicem illam peccati ſpeciem commenti ſunt, docent, peccatum Philoſophicum eſſe illud quod eſt contra ſolam rationem; Theologicum vero quod eſt contra Dei legem. Volunt, iſtud diſſolvere quidem Dei cum creatura amicitiam, non autem illud, hincque concludunt, illud non eſſe æterna pœna dignum, ſed tantum iſtud.

18. *Q.* Daturne peccatum Philoſophicum quod ſimul non ſit Theologicum?

R. Non datur: ſcilicet omne peccatum, cum ſit contra rectam rationem, eſt etiam contra æternam Dei legem: ratio enim eſt æternæ legis participatio per inſpirationem luminis & amoris. Præterea converſionem inordinatam ad creaturam neceſſario conſequitur aver-

aversio a Deo, in qua posita est formalis malitia cujuslibet peccati.

CAPUT IX.

De Peccatis in specie.

Nota. NOn hic dicemus de singulis peccatorum speciebus, sed tantum de Capitalibus, & postea de Simonia & Usura.

§. I. *De Peccatis Capitalibus*.

1. *Q*. Suntne quædam peccata Capitalia?

R. Sunt: quia sunt quædam quæ ceterorum sunt veluti fontes & principia.

2. *Q*. Quot sunt peccata Capitalia?

R. Vulgo septem recensentur: Superbia scilicet, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

3. *Q*. Quid est superbia?

R. Est amor inordinatus propriæ excellentiæ: sicque, hoc est ratione objecti (propriæ nimirum excellentiæ cujus est appetitus inordinatus) est speciale peccatum a ceteris distinctum.

4. *Q*. Quot sunt Superbiæ species?

R. Quatuor. *Prima*, cum aliquis de bonis, cujuscumque sint generis gloriatur, ac si ea non a Deo, sed a se ipso haberet. *Altera*, cum aliquis putat, bona quibus donatus est, fuisse propriis suis meritis debita, vel ita se gerit, ac si revera crederet meritis fuisse repensa. *Tertia*, cum aliquis bona quæ vere non habet, arrogat sibi, sive in sua, sive in aliorum opinione. *Quarta*, cum aliquis, despectis aliis hominibus, videri vult ceteris in aliquo singulariter præeminere.

5. *Q*. Quid est Avaritia?

R. Est immoderatus amor divitiarum. Ille autem amor licet non sit contra justitiam, est ex genere suo peccatum mortale, si multum excedat.

6, *Q*. Quid est Luxuria?

R. Est peccatum quo venereæ voluptas supra modum & contra legem naturalem & divinam percipitur, aut appetitur. Hujus vero peccati septem sunt species: scilicet fornicatio simplex, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, raptus, & vitium contra naturam.

7. *Q*. Quid est Invidia?

R. Vulgo definitur, Tristitia de bonis alterius, quatenus illis propriam nostram gloriam, aut excellentiam imminui conspicimus.

9. *Q*. Ira quomodo definitur?

R. Definitur Ultionis libido, sive, Immoderatus animi motus quo quis injustam, & indebitam ultionem sumit, vel expetit ab eo, a quo vel reipsa læsus est, vel se læsum putat.

9. *Q*. Quid est Acedia?

R. Est tristitia de bono spirituali; in quantum est bonum divinum; non quocumque quidem, sed de eo quod nobis a Deo præcipitur: ita ut aut fugiamus illud bonum, aut ægre feramus quod nobis a Deo sit imperatum: *Quando* (inquit S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 3.) *tristatur* (inquit) *in his quæ ei imminent facienda propter Deum*.

§. II. *De Simonia*.

1. *Q*. Quid est Simonia.

R. Definitur a S. Thoma: *Studiosa voluntas emendi, aut vendendi spiritualia, aut spiritualibus annexa*.

2. *Q*. Simonia quomodo dividitur?

R. Dividitur in Mentalem, Conventionalem, & Realem. *Prima*, vel ad rei pretio æstimabilis elargitionem non procedit; vel procedit, quidem, sed sine pacto expresso quod præcesserit. *Altera* ea est, in qua pactum exterius quidem expressum est, sed vel nihil reale datum fuit, vel datum est ab una tantum parte, sicut beneficium cujus promissum pretium non fuit persolutum. *Tertia* denique est ea, in qua hæc tria concurrunt, Pactio, Solutio pretii, & Receptio rei quæ objectum sit Simoniæ.

3. *Q*. Quotuplex est Simoniæ pretium?

R. Triplex: scilicet munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio.

4. *Q*. Quodnam est objectum Simoniæ?

R. Sunt res omnes spirituales, aut spiritualibus annexæ.

5. *Q*. Quænam sunt Simoniacorum pœnæ?

R. Tres sunt: 1. Privatio rei spiritualis per Simoniam adquisitæ: 2. Restitutio pretii quod acceptum est: 3. Censuræ: & quidem excommunicatio latæ sententiæ, si Simoniacus sit homo laicus; suspensio vero ab ordinum exercitio, si sit Clericus: at duplex hæc ultima pœna locum habet tantum in Simonia ex utraque parte reali; hoc est, cum tradita fuit res spiritualis, & persolutum fuit conventum illius pretium.

6. *Q*. Quid est Simonia Confidentialis?

R. Est conventio, sive tacita, sive verbis apertis expressa, ut qui Beneficium recipit, illud ipsum in aliam certam personam conferat, aut beneficii fructus ab alio percipi sinat. Qui hujus speciei Simoniæ fit reus, incidit, ex Bulla Pii Papæ V. quæ incipit *Intollerabili*, in excommunicationem latæ sententiæ: ac præterea jus amittit ad Beneficia quæ etiam ante Confidentiam habuerat; sitque inhabilis ad alia in posterum obtinenda, nisi cum ipso specialiter fuerit dispensatum.

§. III. *De Usura*.

1. *Q*. Quid est Usura?

R. *Est lucrum ex Mutuo speratum, aut exactum*.

2. *Q*. Quid intelligitur *Lucri* nomine quod in Usuræ definitione reperitur?

R. Intelligitur id omne, quod est pretio æstimabile; hoc est, munus a manu, a lingua, ab obsequio.

3. *Q*. Cur in Usuræ definitione fit mentio Mutui?

R. Ideo fit illius mentio, quod Usura non in alio contractu reperiatur, quam in mutuo: nimirum si quæ fit in venditione & emptione, id contingit quod in illis contractibus tacitum & implicitum mutuum contineatur. Mutuum vero definitur, Contractus quo rei alicujus quæ usu consumitur, dominium transfertur ea lege, ut non eadem numero, sed eadem specie reddatur.

4. *Q*. Cur Usura dicitur lucrum ex mutuo acceptum, *aut speratum*?

R. Quod usura non re tantum committatur, sed etiam sola mente, cum nempe lucrum, etiam absque pacto, præcipue intenditur a mutuante.

5. *Q*. Quomodo Usura dividitur?

R. Dividitur in Mentalem & Realem. Prior fit sine extrinseco pacto, sed sola mente. Altera fit cum pacto externo de aliquo ultra sortem lucro?

6. *Q*. Usura quo jure prohibetur?

R. Naturali, Divino, & Humano. Et quidem 1. Naturali: quia naturalis ratio vetat ne quis bis rem eamdem repetat, ut repetitur in Usura: scilicet res ipsa quæ mutuo data fuit, repetitur a mutuante, & praterea aliquid propter illius usum: qui quidem in rebus quæ sunt materia mutui non aliud est, quam ipsa earum substantia, ut patet in pecunia, oleo, frumento, aliisque rebus usu consumptibilibus. 2. Jure divino: hæc enim habentur Ezechielis cap. 18. *Vir, si fuerit justus, & fecerit judicium & justitiam... ad Usuram non commendaverit, & amplius non acceperit*. Si quæ autem usuræ Judæis permissæ sunt in alienos, id toleratum fuit ad duritiam cordis Judæorum, qui alioquin fratres usuris oppressissent 3. Jure Humano; ut videre est tum in Decreto Gratiani, tum in Decretalibus Gregorii IX. tum in politicis legibus, Francicis præsertim, aliisque quam pluribus.

6. *Q*. Suntne aliqui tituli quorum vi mutuans possit aliquid ultra sortem exigere?

R. Sunt duo tantum, scilicet damnum emergens, & lucrum cessans.

7. *Q*. Quid est damnum emergens?

R. Est damnum reale quod quis patitur ex eo præcise, quod pecuniam, aut res alias proximo mutuaverit.

8. *Q*. Quid est lucrum cessans?

R. Est omissio lucri quod quis ex pecunia quam mutuavit, patitur: sicut mercator qui cum non habeat alias pecunias, mutuat eam quam vere ac sincere statuerat impendere ad emendas merces ex quibus lucrum comparasset.

9. *Q*. Licetne pecuniam aut res alias recipere sub Usuræ onere?

R. Licet ei qui est in necessitate gravi constitutus: tunc enim usuram promittens, redimit iniquam ex parte mutuantis vexationem. Non licet vero extra gravis necessitatis casum: quia tunc mutuanti daret peccandi occasionem, quam lex naturalis, ratione caritatis quæ proximo debetur, prohibet dari.

10. *Q*. Usuræ suntne restituendæ?

R. Restituendæ sunt 1. cum quis iis factus est ditior: 2. cum quis (ut ait S. Thomas), eas bona fide non consumpsit.

11. *Q*. Quibus hominibus Usuræ restitui debent?

R. Iis ipsis, a quibus acceptæ sunt, aut eorum heredibus si reperiri possint: si vero non possint reperiri, erogandæ sunt aut pauperibus, aut Ecclesiæ, aut dispensari debent in pium aliquem usum, qui coram Deo prosit iis a quibus solutæ fuerunt.

PARS OCTAVA.

De Deo Auctore Sacramentorum.

Nota. Hujus partis Compendii nostri octo erunt Capita, in quibus dicemus tum de Sacramentis in genere, tum de singulis in specie, quibus & adjungemus nonnulla de censuris & irregularitatibus.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in genere.

Nota. Hujusce Capitis plures erunt paragraphi, quibus continebuntur omnia, quæ ad Sacramenti Nomen, Essentiam, Partes, Auctorem, Ministrum, Subjectum, Effectus & Proprietates pertinent.

§. I. *De Nomine, Essentia & Existentia Sacramenti*.

1. *Q*. Quid apud Auctores prophanos significat Sacramenti nomen?

R. Significat 1. id omne quod habet aliquam cum re sacra relationem; sic litigantium pignus dicitur sacramentum, eo quod donec jus diceretur litigantibus, in loco sacro deponeretur. Significat 2. juramentum, quod per rem sacram, supremi nimirum entis, aut ejus quod putabatur supremum ens, fieret.

2. *Q*. Quid in Scripturis significat sacramenti nomen?

R. Sumitur 1. pro signo rei arcanæ, licet impia sit ac nefaria: *Sacramentum mulieris*, Apocal. 17. &c. Sumitur 2. pro signo rei arcanæ, sed quæ sacra sit, ac sublimis: *Magnum est* (ait Apostolus 1. ad Timoth. 3. de Incarnatione loquens) *pietatis Sacramentum*. Sumitur 3. pro figura rei alicujus quæ magnum

est

est mysterium. *Sacramentum hoc* (ait Apostolus ad Ephesios 5. de Matrimonio loquens) *magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

3. *Q.* Sacramenti nomen quid apud Patres & Theologos significat?

R. Dicit signum rei sacræ, non cujuscumque, sed quæ homines sanctificet: *Signa* (ait Augustinus Epist. 5. ad Marcellinum) *cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur.*

4. *Q.* Quid est sacramentum in genere sumptum, hoc est, prout commune est sacramentis Novæ & Antiquæ legis?

R. *Est signum rei sacræ homines sanctificantis*, exterius quidem in Lege Mosaica, & interius in Evangelica. In ea definitione, *Signum* tenet locum generis, & voces istæ *rei sacræ homines sanctificantis*, differentiæ locum tenent: per eas nimirum Sacramentum differt a plerisque figuris, quæ licet in Scripturis contineantur, non sunt tamen institutæ ad conferendam hominibus aut legalem, aut internam sanctitatem.

5. *Q.* Quomodo definitur Sacramentum in specie sumptum, hoc est, prout est Sacramentum novæ legis?

R. Definitur, *Ritus externus qui ex Christi institutione est signum, & caussa gratiæ sanctificantis.* Et in hoc sacramenta nostra differunt a sacramentis veteris legis: erant enim signa tantum, non autem caussa gratiæ per quam homines sanctificantur: unde cum illa essent egena & vacua elementa, ista e contra sunt efficacia, hoc est productiva ejus quod significant.

6. *Q.* Extiteruntne quædam Sacramenta in statu naturæ innocentis?

R. Non extiterunt. 1. Nec Scriptura, nec Traditio aliquorum meminerunt. 2. Par non fuit ut homo innocens rebus sensibilibus subjiceretur, ut aut veritatem disceret, aut sanctitatem consequeretur.

Obj. Adamus ante lapsum cognovit suo cum Eva matrimonio significari unionem Verbi cum humana natura: ergo matrimonium etiam in statu naturæ innocentis fuit Sacramentum.

R. Nego ant. Ratio est, quia Adamus innocens non cognovit se peccaturum esse, ac proinde nec futuram Verbi incarnationem: si enim (ut suo loco probavimus) Adamus non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum.

7. *Q.* Extiteruntne Sacramenta in Mosaica lege?

R. Extiterunt plura, ut patet in variis purificationibus quas lex Judæis præscripsit, in esu Agni Paschalis, aliisque permultis ritibus, qui significabant internam sanctitatem per Novæ legis Sacramenta comparandam.

8. *Q.* Existuntne Sacramenta in Evangelica lege?

R. Existunt: scilicet in Nova lege plura sunt signa, non speculativa tantum, sed & practica rei sacræ homines sanctificantis; hoc est (ut suo loco dicetur) veræ sanctitatis operativa.

9. *Q.* Quot sunt Novæ legis Sacramenta?

R. Nec plura nec pauciora quam septem, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium. Nempe eos tantum septem ritus Christus instituit ad conferendam hominibus internam sanctitatem.

Obj. 1. Ablutio pedum est verum Novæ legis Sacramentum: habet enim omnia quæ ad sacramentum requiruntur: nimirum 1. est signum sensibile: 2. præcepta est & instituta a Christo: *Vos debetis*, (ait Joannis capite 15.) *alter alterius lavare pedes*: 3. est productiva gratiæ: *Si non lavero te* (ait Christus, Petrum alloquens) *non habebis partem mecum.*

Resp. Nego 1. externam ablutionem pedum a Christo fuisse præceptam: unde illius usus perpetuo in Ecclesiis non obtinuit, sed præceptum fuit quod eo ritu Christus nos docere voluit, caritas nimirum & humilitas. 2. Nego his verbis, *si non lavero te*, contineri gratiæ promissionem; continent solum minas privationis gratiæ in pœnam inobedientiæ, cujus Petrus se reum constituisset, nisi paruisset Domino pedes illius abluere volenti.

Obj. 2. Bernardus in Serm. 1. de Cœna Domini, ablutionem pedum vocat *Sacramentum remissionis quotidianorum peccatorum*: ergo, &c.

R. Dist. ant. Sacramentum late sumptum, hoc est, acceptum pro quolibet ritu, sive producat gratiam, sive eam non producat, conc. ant. Sacramentum stricte sumptum, hoc est, quod gratiam significet & conferat, nego ant.

Obj. 3. In Ordine sunt septem Sacramenta; singuli nimirum ordines sunt, ex pluribus saltem Theologis, vera & proprie dicta Sacramenta, quæ a se invicem realiter distinguuntur: ergo in Nova lege sunt plusquam septem Sacramenta.

R. Dato antecedente, dist. conseq. Ergo in Nova lege sunt plusquam septem Sacramenta, incomplete sumpta, conc. conseq. complete sumpta, nego conseq. Nempe septem ordines sunt partes Sacramenti Ordinis, quod quidem est veluti quoddam totum ex septem partibus coalescens: *Tota* (ait Sanctus Thomas 3. p. q. 37. art. 1. ad 2.) *plenitudo Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quædam participatio Ordinis; & ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum.*

10. *Q.* Cur Christus septem tantum in Nova lege Sacramenta instituit?

R. Quod septem sufficiant, ut spirituali perfectioni consulatur. Scilicet homo per Ba-

Baptismum nascitur; per Confirmationem crescit; nutritur per Eucharistiam; lethales illius morbi per Pœnitentiam depelluntur; Extrema-Unctio morbi reliquias curat & sanat; per Ordinem habet ministros a quibus pascatur & gubernetur; per Matrimonium tandem vir & mulier legitime conjuncti, carnales filios generant, qui aliquando in Ecclesia regenerandi sunt.

§. II. *De partibus ex quibus constant Sacramenta Novæ Legis.*

1. *Q.* Quot partibus constant Sacramenta Novæ legis?

R. Duabus constant, quarum una dicitur *Materia*; altera vero dicitur *Forma*. Prior, est res ipsa sensibilis ex qua constat Sacramentum, ut aqua in Baptismo: dicitur autem *Materia*, quod per se sit indifferens ad producendum effectum Sacramenti: altera, nihil aliud est, quam verbum a ministro prolatum; quod quidem ideo dicitur *Forma*, quod materiam, seu rem sensibilem determinet ad producendam gratiam in homine qui recipit Sacramentum.

2. *Q.* Reperiunturne materia & forma in singulis Sacramentis Novæ legis?

R. Reperiuntur. Nempe unumquodque Sacramentum constat rebus & verbis: *Sacramenta* (inquit Eugenius Papa IV. in Decreto pro instructione Armentorum) *tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia: verbis tamquam forma, &c.* Hinc est illud Augustini Tractatu 80. in Joannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Obj. 1. Nulla res sive in Sacramento Pœnitentiæ, sive in Sacramento Matrimonii est res sensibilis: ergo in eis nulla quoque est materia.

R. Nego ant. In pœnitentia nimirum reperitur contritio signo aliquo demonstrata, & in Matrimonio consensus nutu, vel verbis expressus.

Obj. 2. Nulla reddi potest ratio cur Christus voluerit Sacramenta Novæ legis constare materia & forma: ergo, &c.

R. Nego ant. Scilicet conveniens fuit 1. ut homo qui ex corpore constat & anima, per res sensibiles ad spiritualium cognitionem deduceretur. 2. Par fuit ut is qui sperabat se Deo in cognitione boni & mali fore æqualem: *Eritis sicut dii scientes bonum & malum.* Genes. c. 3. rebus maxime vilibus, ut sunt externæ Sacramentorum partes, ad recipiendam gratiam subjiceretur.

3. *Q.* Christus determinavitne materiam & formam Sacramentorum Novæ legis?

R. Christus determinavit 1. *In specie* materiam & formam aliquorum Sacramentorum: scilicet aquam, non autem materiam aliam adhiberi voluit ad conferendum Baptisma; panem & vinum determinate assignavit pro materia, ex qua Eucharistiæ Sacramentum conficiatur.

Christus determinavit 2. *saltem in genere*, materiam & formam singulorum Sacramentorum Novæ legis. Nempe Sacramenta non potuit instituere, quin simul eorum partes essentiales, *in genere saltem*, institueret; hoc est, quin præciperet adhiberi debere res aliquas sensibiles ad ea Sacramenta conferenda. Verum utrum *etiam in specie* determinaverit *singulorum* materiam & formam, non una est Theologorum sententia; quidam enim affirmant, quidam vero negant.

4. *Q.* Quinam probabilius sentiunt, an qui affirmant Christum determinavisse *in specie* materiam & formam omnium Sacramentorum Novæ legis, an vero qui negant?

R. Qui affirmant. Nempe ubi Concilium Tridentinum sess. 21. declaravit Ecclesiam posse mutare Sacramentorum ritus, addidit non posse tamen eorum substantiam mutare: *Salva* (inquit) *eorum substantia*: at Concilii restrictio foret vana, si Christus non determinasset in specie singulorum Sacramentorum materiam & formam: siquidem materia & forma ipsammet Sacramentorum substantiam constituunt.

Obj. 1. Non legitur in Scripturis aut in Traditione Patrum, quod Christus, dum instituit Confirmationem, determinate assignaverit chrismationem pro materia Confirmationis; nec quod assignaverit impositionem manuum, aut porrectionem instrumentorum pro materia Ordinis: ergo, &c.

R. Dist. ant. Non legitur explicite, conc. ant. non legitur implicite, nego ant. Scilicet constat ex scriptura, Apostolos eorumque in Episcopatu successores, in collatione Confirmationis & sacræ Ordinationis semper usos fuisse manuum impositione; & ex traditione eos per illum ritum, & per chrismationem, Spiritum sanctum fidelibus contulisse. Inde vero concluditur eos ab ipsomet Christo jussos fuisse, ut recipientibus eo signo gratiam & characterem conferrent: neque enim ipsi poterant auctoritate propria effectum omnino spiritualem cum signis sensibilibus conjungere.

Obj. 2. Apostoli contulerunt Confirmationem & Ordinem per impositionem manuum: jam vero Confirmatio per chrismationem in fronte, & Ordo per instrumentorum porrectionem conferuntur: ergo Christus non determinavit *in specie* amborum illorum Sacramentorum materiam: alioquin enim Ecclesia nec impositioni manuum quæ fit in Confirmatione, nec impositioni manuum quæ adhibetur in Ordine, substituere potuisset chrismationem & instrumentorum porrectionem.

R. Ad 1. Apostoli in conferenda Confirmatione non usi sunt sola impositione manuum, sed etiam chrismatione, ut hujusce par-

partis cap. 3. docebitur. Ad 2. dicendum est porrectionem instrumentorum non esse his etiam temporibus essentialem Ordinis materiam, sed accidentalem tantum & integralem, ut agentes de Ordinis Sacramento inferius ostendemus.

5. *Q.* Mutatio quæ a ministro Sacramentum conficiente fieret aut in materia, aut in forma, tolleretne veritatem Sacramenti?

R. Tolleret, si substantialis esset; hoc est, si aut tolleret materiæ substantiam, aquam v. g. substituendo loco vini, quod est altera materia Eucharistiæ: aut si tolleret sensum verborum ex quibus forma constat. E contra mutatio de qua agitur, non tolleret Sacramenti veritatem, si foret accidentalis tantum, & non substantialis.

6. *Q.* Error Ministri qui Sacramentum conficit, tollitne Sacramenti veritatem?

R. Non tollit, 1. si in forma non sit expressus: quia in eo casu non tollit obvium, seu naturalem sensum verborum ex quibus constat forma sacramenti: 2. immo nec expressus in forma, si sensum verborum non tollat. Vide Augustinum lib. 6. contra Donatistas cap. 25.

7. *Q.* Mutatio accidentalis quæ a Ministro fieret in materia, aut forma sacramenti, essetne illicita?

R. Esset illicita, scilicet esset contra Dei præceptum, quo injungitur ut materia & forma pure adhibeantur. Foret quoque contra Ecclesiæ mandatum, quo Ministri prohibentur ne quid mutare audeant nedum in substantia, sed nec in ritibus sacramentorum. Vide Conc. Trid. sess. 7. can. 13.

8. *Q.* Quotuplex est materia sacramentorum?

R. Alia est remota, alia vero proxima. *Prior*, est res sensibilis ex qua sacramentum conficitur, ut aqua in Baptismate, & oleum in Extrema Unctione; *Altera* vero, est actus per quem Minister materiam remotam applicat subjecto cui vult sacramentum conferre, ut ablutio in Baptismate, & unctio in Extrema Unctione. Alia iterum est certa, alia vero dubia. *Prima*, est res sensibilis quam constat a Christo fuisse præscriptam, & ab Ecclesia Catholica ad sacramenti confectionem adhiberi: *Secunda* e contra est ea de qua dubium est, an revera sit res illa sensibilis quam Christus præcepit, & quam adhibet Ecclesia.

9. *Q.* Estne licitum in sacramentorum confectione, aut collatione, uti materia dubia, seu probabili tantum?

R. Non est licitum, 1. cum potest haberi materia certa: quia sacramentum sine caussa exponeretur nullitatis periculo.

2. Id quoque non licet etiam in casu in quo maxime probabile foret illam materiam esse materiam a Christo institutam: quia probabilitas non tollit periculum nullitatis sacramenti. Inde vero recte concluditur, merito tum ab Innocentio Papa XI. tum a Clero Gallicano ad Comitia generalia coacto anno 1700. proscriptam fuisse hanc propositionem: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.*

3. Licitum tamen est in casu extremæ necessitatis uti materia dubia; sed in collatione eorum tantum sacramentorum quæ (ut Baptismus & Pœnitentia) sunt ad justificationem impii necessaria necessitate medii: quia tunc potius consulendum est homini, de æterna sua salute alioquin periclitanti, quam reverentiæ quæ vetat ne sacramentum exponatur periculo nullitatis: Unde Augustinus in lib. 2. *de Adulterinis Conjugali* c. 28. docet absolutionem impendi debere homini jam jam morituro & sensibus destituto, quamvis maxime dubium sit, an habeat contritionem, quæ est (ut suo loco dicetur) essentialis & necessaria materia sacramenti.

10. *Q.* Quotuplex est sacramentorum forma?

R. Duplex: absoluta nimirum, quæ sine ulla conditione exprimitur; & conditionalis quæ exprimitur cum aliqua conditione, ut cum dicitur: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

11. *Q.* Estne licitum uti in aliquibus casibus forma conditionali?

R. Licitum est, cum prudenter dubitatur in casu extremæ necessitatis, an subjectum sit capax sacramenti, vel an sacramentum aliquod valide confectum fuerit. Ita nimirum in caussa Baptismi definiit Alexander Papa III. Ext. *de Baptismo*, c. 3.

§. III. *De Auctore Sacramentorum.*

1. *Q.* Christus estne Auctor omnium & singulorum sacramentorum Novæ legis?

R. Est. Ita enim expresse definiit Conc. Trid. sess. 7. can. 1. ubi anathema dicit iis qui id negaverint.

2. *Q.* Christus instituitne *immediate* omnia & singula sacramenta Novæ legis?

R. Instituit immediate. Siquidem nullo Scripturæ, aut Traditionis testimonio probari potest Christum dedisse potestatem Apostolis instituendi aliqua sacramenta. Unde Paulus 1. ad Corinth. 4. seipsum cum collegis, non auctorem, sed dispensatorem tantum mysteriorum Dei appellat.

3. *Q.* Christus instituitne sacramenta prout est Deus, an vero prout est homo?

R. Prout est Deus: quia sub ea tantum ratione potuit gratiæ sanctificantis productionem cum signis sensibilibus conjungere: quod tamen requisitum fuit ad sacramentorum Novæ legis institutionem.

4. *Q.* Quam præ ceteris hominibus Christus, *prout est homo*, potestatem habet in sacramenta Novæ legis?

R. Ha-

R. Habet peculiarem, qam S. Th. vocat potestatem *Excellentiæ*, in eo positam 1. quod sacramenta nonnisi ex illius meritis operentur: 2. quod illius tantum nomine, hoc est, potestate ab ipso recepta confici, aut dispensari possint: 3. quod solo humanæ voluntatis desiderio impetrare possit a Patre, ut absque ullis sensibilibus signis gratiam sanctificantem conferat; quam tamen, posito præsente rerum statu, non confert impio, nisi aut Baptismi, si sit infidelis, aut Pœnitentiæ, si sit Christianus, votum habuerit: scilicet ambo illa sacramenta sunt ad salutem necessaria necessitate medii.

5. *Q*. Quo tempore instituta fuerunt a Christo singula Novæ legis sacramenta?

R. Pertinet illa quæstio ad ea loca in quibus dicetur inferius de Auctore cujusvis in specie sacramenti.

§. IV. *De Ministris Sacramentorum*.

1. *Q*. Quotuplicis generis distingui possunt Sacramentorum Ministri?

R. Duplicis. Alii nimirum sunt ministri *Ordinarii*, alii vero *Extraordinarii*. Primi sunt illi, qui ad conficienda & dispensanda sacramenta a Christo missi sunt per Episcopalem manuum impositionem: hoc est, per veram, realem & legitimam Ordinationem. Alii sunt ii, qui præter viam illam ad confectionem, aut dispensationem sacramentorum mitti possunt.

2. *Q*. Quinam sunt *Ordinarii* sacramentorum ministri?

R. Sunt homines viatores: nempe Christus homines viatores alloquebatur, cum in Evangelio sacramentorum confectionem & dispensationem præcepit; id tamen juris non habent omnes homines, licet viatores sint & Christiani: alioquin enim ex institutione divina non esset in Ecclesia illa graduum & officiorum diversitas, cujus meminit Apostolus 1. ad Corinth. 9.

3. *Q*. Quinam sunt *Extraordinarii* sacramentorum ministri?

R. Ii omnes qui non ex officio, non ex vi sui characteris, sacramenti alicujus, Baptismatis v. g. dispensationem tentare possint: quinam vero sint in specie, & quæ sacramenta ab aliis quam ab Episcopis & Sacerdotibus dispensari possint, dicetur iis locis ubi agemus de sacramentis in particulari.

4. *Q*. Quænam requiruntur in ministro, ut sacramenta conficiat?

R. Duo requiruntur, ut *licite* id agat, intentio nimirum, & sanctitas: unum vero tantum, ut *valide* id operetur, intentio nimirum faciendi quod facit Ecclesia, seu debita applicatio formæ ad materiam, & utriusque debita applicatio ad subjectum: sic in baptizante ministro requiritur 1. ut habeat (ut dictum est) intentionem faciendi quod facit Ecclesia: 2. ut debite proferat Baptismi formam: 3. ut aquam, quæ est sacramenti materia, debite applicet ad subjectum, seu ad hominem baptizandum.

De Intentione Ministri.

1. *Q*. Quid & quotuplex est intentio?

R. Intentio definitur actus liber quo quis vult rem aliquam. Dividitur vero in Actualem, Virtualem, Habitualem & Interpretativam. *Actualis* est præsens rei volitio cum mentis attentione; Ea autem attentio aut est ad rem volitam, aut ad actum quo voluntas vult rem ipsam. Si primum, actualis intentio dicitur *Directa*; si secundum, *Reflexa* dicitur. *Virtualis*, est præsens rei volitio, sed absque mentis attentione, orta ex actuali quæ præcessit, quæque moraliter perdurare censetur. *Habitualis*, est intentio mere præterita; hoc est, quæ licet actu contrario revocata non fuerit, multo tamen tempore fuit intercepta. Tandem *Interpretativa*, est ea per quam res ad finem per se refertur; sed non ex voluntate agentis, qui forte de ea nusquam cogitavit.

2. *Q*. Ad conficiendum valide sacramentum requiriturne aliqua ex parte ministri illud conficientis intentio?

R. Requiritur. Nam 1. id declaravit Eugenius Papa IV. in Decreto pro instructione Armenorum. 2. Sine aliqua ex parte ministri intentione, sacramenti confectio non est actus humanus, seu voluntarius: at ad validitatem sacramenti necesse est ut illius confectio sit actus humanus: nempe propter eam rationem majores nostri iterabant datum ab energumenis baptisma.

3. *Q*. Quænam intentio ex parte ministri sacramentum conficientis requiritur, ut ipsum sacramentum valeat?

R. 1. Habitualis non sufficit, quia actum non reddit humanum, seu voluntarium; potest enim in dormiente reperiri. 2. *Interpretativa* satis quoque non est, quia non se tenet ex parte operantis, sed tantum ex parte rei quæ agitur. 3. *Actualis* absolute non requiritur: nempe ut plurimum non est in hominis potestate, ut diu attendat ad opus quod agit. 4. Dicendum est igitur quod *Virtualis* satis sit, eo quod sufficienter reddat liberam & voluntariam actionem per quam sacramentum conficitur, aut dispensatur. Sed addendum est, quemque ministrum propter reverentiam quam debet sacramento, conari debere ut intentionem actualem conservet, quandiu actioni sacramentariæ dat operam.

4. *Q*. Quodnam debet esse objectum intentionis quæ requiritur ut *licita* sit sacramenti confectio aut dispensatio?

R. Debent esse ea omnia quæ vult Ecclesia;

sia; Ecclesia autem vult 1. confectionem ritus externi, quem Christus præcepit, seu applicationem formæ ad debitam materiam: vult 2. ut ex illo ritu debite peracto resultet id quod sacramentum dicitur: vult 3. ut ritus ille debite applicatus, subjecto rite disposito gratiam sanctificantem conferat.

5. *Q.* Quodnam debet esse objectum intentionis ministri, ut sacramentum valeat?

R. Minister debet velle *facere* quod facit Ecclesia. *Si quis dixerit* (inquit Conc. Trid. sess. 7. *de Sacramentis in communi*, Can. 11.) *in ministris, dum sacramentum conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem* FACIENDI *quod facit Ecclesia, anathema sit*. Ecclesia vero nihil aliud facit, quam externum ritum a Christo sacramentorum institutore præscriptum: ille autem ritus in debita formæ supra materiam applicatione positus est: cum v. g. Ecclesia catechumeno Baptismum confert, illum exterius suorum ministrorum manibus abluit, ac per eorum os hæc profert verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

6. *Q.* Numquid, ut sacramentum valeat, requiritur ut minister velit quod ex seria & debita applicatione supra materiam resultet sacramentum?

R. Non requiritur: nempe sacramentum, hoc est ritus sacer a Christo institutus, resultat necessario ex conjunctione formæ cum materia, facta a ministro qui serio se gerit tamquam Ecclesiæ ministrum; velit nolitve, tunc sacramentum propter Christi institutionem & promissionem resultat, quemadmodum imago regis resultat ex certa materiæ dispositione, quamvis statuarius nolit ut ex ea resultet. Nec obest quod minister interius in semetipso dicat: *Nolo me gerere tamquam Ecclesiæ ministrum*. Scilicet voluntas non faciendi quod facit Ecclesia, est mera velleitas in illo qui serio se gerens exterius tamquam Ecclesiæ ministrum, efficaciter actu & de facto Ecclesiæ nomine totum ritum a Christo præscriptum operatur.

7. *Q.* Numquid ut valeat sacramentum, requiritur ut minister velit ut effectus sacramenti producatur in recipiente?

R. Non requiritur: scilicet effectus sacramenti in subjecto minime ficto, hoc est rite disposito, necessario sequitur ex ritu externo quem Christus præcepit, quemque minister non mimice, sed serio fuerit operatus, quemadmodum ex facis ardentis ad domum aliquam admotione sequitur domus hujusmodi combustio, velit nolitve is qui facem admovit.

Confirmatur responsum illud ex Ecclesiæ praxi, quæ admittit datum a Calvinistis Baptisma, quamvis per illud non velint gratiam sanctificantem catechumeno conferre. Nempe censent Novæ legis sacramenta non habere vim producendi gratiam, & ea esse signa seu sigilla receptæ justificationis per fidem qua quis certo credit sibi per Christum remissa esse peccata. Vide in Institutionibus Animadversiones in opinionem asserentem non esse necessariam internam Ministri intentionem ad Sacramenti validitatem.

De Sanctitate Ministri.

1. *Qu.* Valentne sacramenta ab impiis ministris confecta, aut collata?

R. Valent: modo (ut dictum est, habeant intentionem faciendi quod facit Ecclesia). Ratio est, 1. quia potestas conficiendi, aut conferendi sacramenta non ex iis est donis quæ subjectum Deo gratum faciunt, sed ex iis quæ ad aliorum salutem ordinantur, quæque Theologi vocant gratias gratis datas. 2. Impietas, seu status peccati mortalis non efficit ut minister sua excidat potestate & jurisdictione; unde Augustinus contra Donatistas agens advertit non baptizatum esse post Judam: *Dedit* (inquit) *Baptismum Judas, & non baptizatum est post Judam, quia datus a Juda Baptismus Christi est*.

Obj. 1. Impii non habent gratiam sanctificantem: ergo eam conferre non possunt: nemo enim dat quod non habet.

R. Dist. ant. Non habent gratiam sanctificantem in seipsis, conc. ant. in sacramentis quæ conferunt, nego ant.

Obj. 2. Impii non sunt conjuncti cum Ecclesia, quæ tamquam Christi castissima sponsa sacramenta per suos ministros dispensat & conficit: ergo, &c.

R. Dist. Dist. ant. Non sunt conjuncti per sanctitatem propriam, conc. ant. per fidem, aut per intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, nego antecedens.

2. *Q.* Peccatne impius, seu qui jacens in statu peccati mortalis, sacramenta conficit, aut dispensat?

R. Peccat; & quidem lethaliter, si conficiat, aut dispenset tamquam ordinarius minister. Nempe 1. gravem Christo injuriam infert, cujus exhibet personam. 2. Sacrilegii reus est, quod sancta sancte non pertractet: *Obsunt* (ait Augustinus contra Donatistas agens) *indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus*.

Obj. Ex S. Thoma 3. p. q. 64. art. 6. ad 3. Non peccat impius Sacerdos, cum baptizat in casu necessitatis, in quo etiam laicus baptizare posset: ergo, &c.

R. Nego cons. Ratio est, quia Sacerdos ille non agit ex vi receptæ in sua ordinatione consecrationis, sed tantum ex caritate, quæ jubet ut proximo in extremis constituto subveniatur.

3. *Q.* Estne licitum sacramenta ab impiis ministris recipere?

R. Extra Extra casum necessitatis non licet recipere ab iis qui ex officio ea minime dispensat: quia vetat caritas, ne quis proxi-

mum

mum inducat ad actum, quem scit in illo futurum esse grave peccatum. Sed licitum est, si alius non adsit minister, ea recipere & petere a ministro, Parocho v.g. qui ex officio dispensat: tunc enim fidelis utitur jure suo in re bona ac utili, qua vel simpliciter indiget, vel ad melius esse.

Obj. Fidelis de quo agitur esset scandalo Pastori suo: sed vetat caritas, ne simus alicui homini scandalo: ergo, &c.

R. Illud scandalum fore passivum tantum, non autem activum; hoc est, acceptum non vero datum.

4. *Q.* Estne licitum recipere sacramenta a ministris suspensis, immo & excommunicatis?

R. Si non adsint alii a quibus commode recipi possint, licitum est, modo illi ministri non sint denuntiati. Nimirum id docet Martinus Papa V. in Extravag. *Ad evitanda scandala*. Immo qui in casu *extremæ necessitatis* Baptismum, aut Pœnitentiam recipit ab excommunicato minime tolerato, & nominatim denuntiato, non peccat, sed prudenter sibi consulit. Vide Augustinum in lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 2. Vide etiam Concilium Tridentinum sess. 4. cap. 7.

§. V. *De Subjecto Sacramentorum.*

1. *Qu.* Quid intelligitur per Sacramentorum subjectum?

R. Intelliguntur ii, quibus sacramenta valide, aut licite conferri possunt. Ii vero sunt soli homines. Angelis enim utpote corporis expertibus, signa sensibilia, ac proinde nec sacramenta applicari possunt. Ii autem homines sunt soli viatores: nec enim patitur Beatorum status, ut in eis augeatur gratia, aut aliqua damnatis conferatur.

2. *Q.* Ut sacramentum *valide* recipiatur, requiriturne in adultis hominibus aliqua intentio, seu voluntas illud recipiendi?

R. Requiritur. Nam 1. jubent Canones ut adultorum voluntas exploretur, antequam initientur Baptismate. 2. Alioquin Ethnicis qui nihil unquam audiissent de Evangelio, deberet in extremis Baptisma conferri: quod est falsum.

Obj. 1. Innocent. Papa III. capite *Majores*, asserit sacramentalem actionem tunc characterem imprimere, *quando obicem contrariæ voluntatis non invenerit*: ergo non requiritur, etiam in adultis, positiva intentio recipiendi sacramentum, sed sufficit indifferentia, seu ut illius receptioni non contradicatur.

R. Dist. ant. Et Innocentius supponit, in illis de quibus agit, prius adfuisse positivam intentionem recipiendi sacramentum, conc. ant. loquitur enim de iis *qui prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum Baptismatis*: Et non supponit adfuisse prius positivam intentionem, nego ant.

Obj. 2. Nonnulli, vel inviti, vel saltem inscii, receperunt Ordinis sacramentum, ut referunt Theodoretus de Macedonio Solitario, & Epiphanius de Pauliniano sancti Hieronymi fratre: ergo nullam habuerant intentionem recipiendi sacramentum.

R. Conc. ant. dist. conseq. Nullam habuerunt explicitam & formalem, conc. conseq. implicitam & virtualem, nego conseq. Scilicet cum viri essent eximiæ pietatis, animo erant in omnibus Ecclesiæ obediente & submisso: ac proinde implicite consentiebant ordinationi, ejus nomine & auctoritate collatæ.

Obj. 3. Licite & valide confertur Extrema Unctio fideli, qui præ subito morbo amisit rationis usum: ergo supponitur ad illud saltem sacramentum nullam ex parte subjecti intentionem requiri.

R. Nego conseq. Eo enim in casu Ecclesia præsumit adesse intentionem de qua agitur: qui enim dum sua ratione frueretur, Christianismum ad mortem usque in Ecclesia Catholica profiteri voluit, censetur voluisse ut sibi postea ratione destituto sacramenta conferrentur, & ea præsertim, quæ de vita periclitantibus ex Christi mandato necessaria esse cognoscit.

3. *Q.* Quænam debet esse intentio ex parte subjecti requisita, ut sacramentum valeat?

R. Nec actualis, nec virtualis absolute requiruntur. Scilicet valent sacramenta dormientibus, amentibus, & præ subita infirmitate obmutescentibus collata, modo tamen prius ea vel verbo, vel signo aliquo petierint: atqui in iis hominibus nec actualis, nec virtualis intentio reperiuntur: ac proinde dicendum est ad validam sacramenti receptionem satis esse intentionem habitualem.

4. *Q.* Fides estne ex parte subjecti necessaria, ut sacramentum valeat?

R. Non est necessaria. Nempe 1. valet Baptisma Atheo datum, qui habet intentionem recipiendi ritum illum, qui tanquam sacer habetur in Ecclesia quæ Christiana dicitur. 2. Augustinus in lib. 3. de Baptismo cap. 14. hæc ait: *Non interest cum de sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille qui accipit sacramentum.*

3. *Q.* Quænam ex parte subjecti requiruntur, ut illius respectu *licita* sit sacramenti receptio?

R. Requiritur 1. intentio saltem virtualis, in homine adulto qui sua ratione fruitur. Id enim exigit singularis reverentia quæ sacramento debetur. Requiritur 2. status gratiæ sanctificantis, cum agitur de receptione sacramentorum, quæ a Theologis vocantur *Sacramenta vivorum*. Requiritur 3. ut voluntas plene sit libera ab affectu ad peccatum mortale, ac præterea necessarius est *inchoatus* Dei amor super omnia, etiam cum agitur de receptione

ne, sacramentorum quæ sunt & vocantur *Sacramenta mortuorum*: hoc est hominum qui jacent in *statu* peccati mortalis, ut sunt Baptismus & Pœnitentia.

§. VI. *De effectibus Sacramentorum.*

Nota. Duo sunt sacramentorum effectus: nempe gratia ab omnibus producitur, & character ab aliquibus tantum, Baptismo nimirum, Confirmatione & Ordine.

De Gratia quam Sacramenta producunt.

Nota. De gratia quam Novæ legis sacramenta producunt, quæri potest 1. utrum reipsa ab omnibus producatur? 2. Quænam sit illa gratia? 3. Utrum producatur ex *opere operato*? 4. Utrum physice, an moraliter tantum?

1. *Q.* Sacramenta Novæ legis producuntne gratiam?

R. Producunt. Nam 1. de Baptismo hæc habentur Actorum 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Hæc iterum ad Ephesios 5. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*. 2. De Confirmatione hæc habentur Actorum 8. *Imponebant* (Apostoli) *manus super illos* (Neophytos) *& accipiebant Spiritum sanctum*. 3. De Eucharistia hæc leguntur Joannis 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. 4. De Pœnitentia sic Christus Joannis 20. loquitur: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. 5. De Extrema-Unctione: *Si in peccatis sit* (Jacobi 5.) *remittentur ei*, 6. De Ordine 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum mearum*. 7. De Matrimonio: *Sacramentum hoc magnum est* (ait Paulus ad Ephes. 5.) *ego autem dico in Christo & in Ecclesia*.

Ex iis vero locis sic arguitur. Ritus quibus confertur remissio peccatorum, quibus datur Spiritus sanctus; quibus datur jus ad vitam æternam, producunt gratiam: atqui (ut ex relatis textibus patet) sacramenta Novæ legis remittunt peccata, conferunt Spiritum sanctum, dant jus ad vitam æternam: ergo producunt gratiam. Hinc patet debito anathemate damnatos fuisse qui contrarium asseruerint: *Si quis dixerit* (ait Concil. Trid. sess. 7. can. 6.) *sacramenta Novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre.... anathema sit*.

Obj. Si sacramenta producerent gratiam, inutilis esset Christi Passio: quod tamen dictu impium est: ergo, &c.

R. Dist. ant. Si producerent per modum causæ principalis, conc. ant. si tantum per modum causæ instrumentalis, nego ant. Hoc autem, non autem illo modo sacramenta Novæ legis gratiam producunt: totam enim suam virtutem hauriunt ex Christi Passione, cujus sunt fructus & applicatio.

2. *Q.* Quænam est gratia quæ producitur per sacramenta Novæ legis?

R. Non est gratia actualis: neque enim sacramenta movent & excitant animam ad pietatis opera, ut patet in infantibus, quibus Baptisma confertur. Dicendum est igitur, quod Sacramenta producant gratiam habitualem seu gratiam quæ permanenter inhæret animæ, eamque reddit Deo gratam, donec ipsa per peccatum mortale deleatur.

3. *Q.* Gratia quæ per sacramenta producitur, estne prima, an secunda tantum?

R. Quædam sacramenta, ea nimirum quæ dicuntur *Sacramenta mortuorum*, ut sunt Baptismus & Pœnitentia, conferunt primam gratiam: nempe gratia habitualis, quam producunt, non supponit in subjecto aliam gratiam habitualem sanctificantem. Alia vero sacramenta, quæ dicuntur *Sacramenta vivorum*, non conferunt primam gratiam, seu quæ subjectum primo justificet; sed secundam tantum, quæ quidem posita est in augmento gratiæ sanctificantis.

4. *Q.* Quodlibet Novæ legis sacramentum habetne peculiarem gratiam sibi annexam, quam præter habitualem & sanctificantem conferat recipientibus.

R. Habet: scilicet ex sancto Thoma 3. p. q. 62. art. 2. addit divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem: sic Baptismus dat veluti quoddam jus ad auxilia, quibus Neophytus hominis Christiani officia exequi possit: sic etiam Extrema-Unctio dat quoddam jus ad auxilia actualia, ut ægrotus morbi incommoda ferat patienter.

5. *Q.* Sacramenta Novæ legis producuntne gratiam *ex opere operato*, an vero tantum *ex opere operantis*?

R. Producunt *ex opere operato*; quia producunt eam vi operis quod exterius exercetur a ministro, seu vi applicationis formæ ad materiam, & utriusque ad subjectum a quo sacramentum recipitur. Non producunt vero *ex opere operantis*, quia non producunt dependenter a sanctitate ministri aut solum ex virtute dispositionum quæ sunt in subjecto qui accedit ad sacramenta. Ita quondam Ecclesia definiit contra Donatistas, & postea Concil. Trident. sess. 7. can 8. *Si quis dixerit* (ait) *per illa Novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anathema sit*.

Obj. 1. Sacramenta, ut gratiam producant, nonnullas ex parte recipientis dispositiones præsupponunt: ergo non agunt ex opere operato.

R. Conc. ant. nego conseq. Licet enim ignis & aliæ causæ naturales agant ex opere operato, id tamen non impedit quin requirantur

aliquæ

aliquæ dispositiones ex parte subjecti in quod agunt & operantur: sed illæ dispositiones non se habent per modum caussæ efficientis quæ influat in effectum, sed tantum per modum caussæ materialis; unde non impediunt ne agens suum effectum producat *ex opere operato*.

Obj. 2. Voces istæ, *Ex opere operato*, quibus Concilium Tridentinum utitur, novæ sunt: ergo sunt rejiciendæ.

R. Disting. ant. Novæ sunt quoad syllabas ex quibus constant, conc. ant. quoad sensum quem continent, nego ant. Vide Commentarium nostrum Historicum & Dogmaticum de Sacramentis in genere, ubi præcise notavimus quo tempore voces de quibus agitur, adhiberi cœperint ad explicandum sacramentorum virtutem & operandi modum.

6. *Q.* Quomodo Sacramenta novæ legis producunt gratiam? an physice, an vero moraliter tantum?

R. Duplex est ea de re Scholasticorum opinio, Thomistæ passim docent, sacramenta novæ legis producere gratiam physice, sicut sol lucem & calorem: e contra Scotistæ contendunt non producere, nisi moraliter, ita ut eorum applicatio moveat Deum, ut ipsemet, prout pollicitus est, in recipientibus producat gratiam, quam se collaturum promisit, quoties signa extrinseca a Christo instituta & præcepta, subjectis, ut par est dispositis, applicarentur.

His præmissis dicendum est probabiliorem videri sententiam quæ docet sacramenta gratiam, non physice, sed moraliter tantum producere. Ratio est 1. quia eo momento quo gratia producitur, non existit tota physica sacramenti substantia: non enim producitur, nisi post prolationem ultimæ ex vocibus quibus constat sacramenti forma; at tunc priores voces, seu quæ ante prolatæ sunt, non existunt physice, sed tantum moraliter. 2. Patres videntur asseruisse sacramentis non physicam, sed moralem tantum virtutem operandi: nempe docuerunt, Deum ipsum ad illorum applicationem conferre gratiam, dare Spiritum sanctum: *Neque enim* (ait Augustinus in libro 13. de Civitate Dei, c. 26.) *aliquis discipulorum Christi dedit* (physice scilicet) *Spiritum sanctum: orabant ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant*.

Obj. 1. Scriptura dicit, gratiam *per* sacramenta produci, *Salvos nos fecit* (ait Apostolus Epist. ad Tit. c. 3.) PER *lavacrum regenerationis*. Concilium Tridentinum asserit, sacramenta *continere* gratiam quam producunt: Sed ii loquendi modi denotant physicum operandi modum: ergo, &c.

R. Nego min. Scilicet præpositio *per*, est ex se indifferens ad significandum influxum physicum, aut moralem: unde Rex potest dicere, totum exercitum moveo *per* brevissimam Epistolam. Indifferens est quoque ad significandam actionem physicam, aut moralem terminus, *continere*, quo Concilium Tridentinum utitur: nempe de schedula ad cujus exhibitionem mercator, ex pacto quod iniit cum alio mercatore, præsentem pecuniam numerat offerenti, dici potest quod pecuniam contineat, quamvis non physice, sed moraliter tantum ea contineatur.

Obj. 2. Si hoc esset, Sacramenta Novæ legis non differrent a sacramentis Mosaicæ legis: hæc enim gratiam moraliter producebant; scilicet Deum movebant, ut ipse eam hominibus recte dispositis conferret: ergo, &c.

R. Ad 1. nego ant. ad 2. nego quod sacramenta Legis Mosaicæ, per se & ex sua institutione Deum (ut sacramenta Novæ legis) moverent ad conferendam gratiam: neque enim Deus pollicitus fuerat (ut promisit tamen in Nova lege) se daturum esse gratiam iis hominibus quibus Mosaici ritus applicarentur. Nec id mirum est: erant quippe nuda & mera signa, vacua & egena elementa, quibus Judæi suam in Deum fidem profitebantur; nec alia virtus eis inerat, quam fidei quæ per ea signa manifestabatur exterius.

Obj. 3. Cum sola operatione morali stare non videtur modus agendi *ex opere operato*, quem Concilium Tridentinum Legis novæ sacramentis adscribit; ergo, &c.

R. Nego ant. Nempe agere *ex opere operato*, est (ut dictum fuit superius) agere ex vi operis quod exterius exercetur: sed cum illo operandi modo recte stat actio moralis, qua fit ut quoties opus exercetur, Deus moveatur efficaciter, ut, stando suis promissis, subjecto debite disposito gratiam sanctificantem conferat.

De Charactere quem Sacramenta producunt.

1. *Qu.* Quid est character, seu quomodo character definitur?

R. Definitur, Signum quoddam indelebile, animæ per quædam Sacramenta impressum. Dicitur 1. *signum*, quia est veluti tessera quæ distinguit homines, quibus impressus est, ab aliis qui eo non sunt insigniti. Dicitur 2. signum *indelebile*, & in hoc differt a gratia sanctificante quæ per peccatum mortale expellitur ab anima.

Dicitur: 3. signum animæ per *quædam* sacramenta impressum: ut significetur non omnia Novæ legis sacramenta, sed tantum nonnulla, characterem imprimere.

2. *Q.* Quot sunt legis Novæ sacramenta, quæ characterem producunt?

R. Tria tantum, Baptismus nimirum, Confirmatio, & Ordo. Unde dantur per modum consecrationis subjecti ad cetera quædam officia. Hinc etiam fit quod illa tria sacramenta, si semel valide data fuerint, iterari minime possint, nec unquam in Ecclesia Catholica

lica iterata fuerint. Vide Concilium Tridentinum sess. 7. can. 9.

3. *Q.* Quot & quæ sunt characteris proprietates?

R. Tres sunt. Nam 1. est (ut jam fuit observatum) omnino indelebilis. 2. Subjecto cui imprimitur, confert quamdam ad externum Dei cultum idoneitatem: hoc est, ipsum reddit aptum ad alia sacramenta aut recipienda, aut conferenda: sic baptismi character reddit subjectum idoneum ad alia sacramenta recipienda, ita ut si illo careat, nullum aliud sacramentum recipere possit; sic etiam character Sacerdotalis hominem reddit aptum ad conficiendam Eucharistiam, & ad extremam unctionem conferendam. 3. Sola creatura est capax characteris, quia character est imperfecta potestatis participatio: unde in Christo character esse non potuit; scilicet non participatam, sed completam habuit sacerdotalem potestatem per hypostaticam humanæ naturæ cum Verbo unionem.

Obj. Nec Scriptura nec Patres aliquando meminerunt characteris qui per sacramenta Novæ legis producatur: ergó revera per Sacramenta non producitur.

R. Nego ant. Nam 1. secundæ ad Corint. 1. dicitur quod Deus nos unxerit, & *signaverit*. 2. Basilius hom. 13. quæ est exhortatio ad baptismum, comparat Deum cum Duce exercitus, aitque, quod quemadmodum Dux exercitus suis militibus dat tesseram, ut ab hostibus discernantur; ita Deus iis qui per baptismum fiunt Christi milites, characterem imprimit, per quem discernantur ab iis qui per baptismum nondum facti sunt milites Christi: *Nisi* (inquit) *characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit*: 3. August. Epist. 23. quæ est ad Bonifacium Episcopum, scribit baptismum in Ecclesia ab impiis datum valere, quod characterem imprimat: *Habentem* (inquit) *Dominicum* CHARACTEREM, *corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum consecrandum*. Vide ejusdem S. Doctoris Epistolam 3. quæ est ad Comitem Bonifacium, necnon caput 15. libri 2. contra Epistolam Parmeniani.

§. VII. *De Proprietatibus Sacramentorum.*

Nota. Duæ sunt Sacramentorum in genere proprietates, dignitas nimirum & necessitas: unde necesse est ut hic de utraque nonnulla dicantur, necnon de ceremoniis, seu ritibus quæ Sacramentorum administrationem comitantur.

1. *Q.* Omnia sacramenta suntne dignitate omnino paria?

R. Paria non sunt; Eucharistia enim præ ceteris omnibus eminet: nempe non gratiam tantum accidentalem, sed & ipsum gratiæ fontem continet; unde Concilium Tridentinum sess. 7. can. 8. debito anathemate damnat eos qui vellent omnia Novæ legis sacramenta esse inter se paria, ita ut nullum sit alio dignius.

2. *Q.* Sacramenta Novæ legis suntne paria quoad effectum quem producunt?

R. Non sunt paria. Nam 1. baptismus non tantum peccati culpam, ut alia, sed etiam totam delet pœnam ipsi debitam. 2. Confirmatio dat (quod non efficiunt alia sacramenta) jus ad auxilia quæ necessaria sunt ad confitendam coram tyrannis fidem. Eucharistia aliis præeminet quantum ad nutriendam spiritualiter animam, & ad æstum concupiscentiæ minuendum. 4. Pœnitentia præstat aliis quantum ad vim delendi peccata lethalia quæ post baptismum commissa sunt. 5. Extrema unctio vim peculiarem habet quantum ad delendas peccatorum reliquias. 6. Ordo ratione Ministri a quo confertur, præstantior est aliis sacramentis; a solo enim Episcopo conferri potest. 7. Matrimonium eminet quantum ad id quod significat: scilicet exhibet unionem Christi cum Ecclesia, dicente Apostolo, Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

3. *Q.* Sacramenta suntne in Nova lege hominibus necessaria?

R. Duo sunt hominibus impiis, hoc est, jacentibus in statu peccati mortalis, necessaria necessitate medii; Baptismus nimirum hominibus infidelibus, & Pœnitentia lapsis post baptismum, ita ut sine eis aut actu, aut in voto receptis, justificationem consequi non possint. Duo quoque absolute necessaria sunt Ecclesiæ corpori, Ordo nimirum & Matrimonium: nempe sine eis Ecclesia deficeret. Reliqua vero, pro loco & tempore, singulis fidelibus necessaria sunt necessitate præcepti divini, sed hæc suo loco fusius exponentur.

4. *Q.* Ceremoniæ quædam adhibitæ ne fuerunt semper in sollemni sacramentorum administratione?

R. Nonnullæ, sed non eædem ubique, semper adhibitæ fuerunt. Id patet, ex libro Tertulliani *De corona militis*, qui quidem totus est in referendis ritibus, qui sua ætate in Baptismi & Eucharistiæ dispensatione adhibebantur. 2. Nonnullarum meminit Cyprianus Epist. 76. ad Magnum. 3. Cyrillus Hierosolymitanus in suis Catechesibus mystagogicis describit quo externo ritu Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia suo tempore dispensabantur in Oriente; sicut & Gregorius in suo Sacramentario eos refert qui in Occidente ævo suo in illorum sacramentorum confectione & dispensatione servabantur.

5. *Q.* Qui in sollemni sacramentorum administratione adhibetur ceremoniarum usus, estne utilis?

R. Utilis est. Nam 1. juvat intellectum, ut sa-

ut facilius sacramenti vim & effectum cognoscat. 2. Ritus populos nonnumquam confirmant in fide quam de sacramentis habere debent. 3. Fidelium veluti ponunt ob oculos mysteria quæ sacramentis reconduntur. 4. Conferunt ad reverentiam quæ sacramentis tum a ministris, tum a recipientibus debetur.

6. *Q.* Ecclesia potuitne ceremoniarum in sollemni sacramentorum administratione usum præscribere?

R. Potuit. Nempe 1. potest leges quæ ad disciplinam, & externum Dei cultum pertineant, condere 2. Eo jure usa est quovis sæculo, ut videre est innumeris Conciliorum Canonibus, quibus præscribuntur ritus de quibus est quæstio.

7. *Q.* Peccantne ministri qui in sollemni sacramentorum administratione omittunt voluntarie præscriptos ab Ecclesia ritus?

R. Qui, etiam citra scandalum, & citra contemptum, ritus de quibus agitur omittunt, peccant vel lethaliter, vel venialiter, pro levitate aut gravitate materiæ: scilicet infringunt Ecclesiæ præceptum, quo ministri ligantur: unde Canones certis quibusdam pœnis in eos animadvertunt.

8. *Q.* Quinam sunt in specie ritus quos ministri servare debent in sollemni Sacramentorum administratione?

R. Debent eos in specie servare, qui præscribuntur ritualibus libris diœcesis in qua sacramenta conficiunt, aut dispensant: nempe locorum in quibus degunt, legibus tenentur: *Nec disciplina ulla* (ait Augustinus Epist. 118.) *est in eis melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque forte devenerit.* Ab ea tamen regula excipi debet casus, cujus in Græcorum gratiam meminit Concilium Florentinum in Decreto unionis.

CAPUT II.

De Baptismo.

§. I. *De essentia & Materia Baptismi.*

1. *Qu.* BAptismus quomodo definitur?

R. Definitur, *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

Dicitur 1. sacramentum, quia est signum sensibile ad hominum sanctificationem (ut infra dicetur) divinitus institutum.

Dicitur 2. sacramentum *Regenerationis*, quia dat vitam spiritualem per modum generationis, cum e contra sacramentum Pœnitentiæ dat eam per modum suscitationis e mortuis.

Dicitur 3. sacramentum regenerationis, *Per aquam in verbo*, eo quod aqua & verbum sint duæ res sensibiles, per quas Deus hominem in baptismate regenerat, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ.*

2. *Q.* Quotuplex est Baptismi materia?

R. Duplex, Remota nimirum & Proxima. *Prima*, est elementum seu aqua ex qua baptismus constat: *Altera* est ejusdem aquæ ad catechumeni corpus applicatio; seu est catechumeni ablutio.

3. *Q.* Quæ est in specie Baptismi materia Remota?

R. Est sola aqua naturalis, seu est ea omnis aqua, quæ opponitur aquæ artificiali. Nam 1. aquæ naturalis usum ad conferendum baptisma Christus ipse præcepit Joannis 3. *Nisi quis* (ait) *renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* 2. Ecclesia quovis sæculo non per aliam quam per naturalem aquam baptismum contulit. Hinc merito contra Calvinistas & Lutheranos Concilium Tridentinum hunc edidit Canonem: *Si quis* (ait sess. 7. can. 1. de Baptismo) *dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi, anathema sit.*

Obj. 1. Matthæi 5. Joannis baptismus in eo opponitur baptismo Christi, quod, cum ille datus sit in aqua, iste e contra dandus esset in igne: *Ille* (Christus) *vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*: ergo, &c.

R. Dist. ant. baptizabit *spiritualiter* in Spiritu sancto & igni, die nimirum sacra Pentecostes, conc. ant. Baptizabit *materialiter*, & baptismo a se instituto, nego ant.

Obj. 2. Stephanus Papa II. in responsis ad Monachos monasterii Britannici admisit baptismum in casu necessitatis vino collatum: ergo, &c.

Resp. Disting. ant. Admisit tamquam licitum ex parte ministri, qui bona fide illud vino, urgente extrema necessitate, aquæ defectu contulerat, conc. ant. tamquam validum, nego ant. Unde ait, *Nulla ei adscribitur culpa, si infantes sic permaneant.*

4. *Q.* Cur Christus baptismum aqua naturali constare voluit?

R. Id voluit 1. quod aqua maxime sit apta ad significandum baptismi effectum; animæ nimirum interiorem ablutionem: 3. quod aqua naturalis ubique reperiatur, ac proinde sacramentum quod necessarium est necessitate medii, ubique gentium conferri potest. Vide Augustinum libro 12. contra Faustum.

4. *Q.* Quænam aqua debet censeri naturalis?

R. Ea omnis quæ opponitur artificiali. Hincque colligitur 1. valere baptismum datum aqua maris, fluminis, pluviæ, resoluta ex nive, glacie, grandine, aut pruina; transfusa per cineres, per balnea sulphurea, aut per alia loca mineralia; adhibita ad carnes, pisces aliaque alimenta decoquenda; nisi tamen aqua ista tantam spirituum copiam contraxerit, ut mutarit speciem.

Colligitur 2. e contra, irritum esse baptisma datum aqua, quæ ex rosis, herbis, aut vite fuerit expressa. Unde nullo in casu ejusmodi

modi aquis artificialibus licitum est baptismi collationem tentare, etiam adhibendo conditionalem formam.

Colligitur 3. si dubium sit, an aliquis liquor sit aqua naturalis, licitum esse in casu extremæ necessitatis eo uti cum hac forma conditionali: *Si materia hac idonea est ad baptizandum, ego te baptizo, &c.* Ubi autem postea occurrerit liquor quem constiterit esse aquam naturalem, eo baptizandus est is qui in casu necessitatis baptizatus fuit cum materia dubia; sed cum hac conditione: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine, &c.*

6. *Q.* Quænam est proxima baptismatis materia?

R. Est ablutio: quia per ablutionem aqua, quæ est materia remota, catechumeno per ministrum applicatur.

7. *Q.* Quot modis fieri potest ablutio?

R. Tribus modis; aspersione nimirum, infusione, immersione.

8. *Q.* Quinam ex tribus abluendi modis, quorum meminit responsio ad præcedens quæsitum, necessarius est, ut baptisma valeat?

R. Valet, quocumque modo fiat ablutio. Nempe 1. per quemcumque illum ablutionis modum fit satis Christi præcepto: *Baptizantes eos &c.* per quemcumque enim catechumeni corpus (quod Christus imperavit) vere abluitur. 2. Ecclesia probavit semper baptisma per infusionem, aut aspersionem datum Clinicis, hoc est, decumbentibus in lectulo mortis. Probavit quoque collatum per immersionem, ut in Ecclesia Latina factum est ordinarie per duodecim priora sæcula; & nunc etiam fit in tota Ecclesia Græca.

9. *Q.* Quomodo, ut baptismi collatio sit licita fieri debet ablutio?

R. Infusione apud Latinos, & immersione, saltem ordinarie, apud Græcos. Nempe quilibet minister tenetur in sollemni sacramentorum administratione servare ritus præscriptos ab Ecclesia cui adscriptus est.

10. *Q.* Quænam ablutio debet censeri sufficiens?

R. Insufficiens est 1. quæ fit per unam & alteram tantum aquæ guttulam, quia per eam catechumenus non censetur ablutus: 2. quæ non carnes, sed tantum crinem aut vestem attingit: 3. quæ fit tantum in manu aut pede catechumeni; quia licet homo per eam ablutionem dicatur ablutus *secundum quid*, non dicitur tamen ablutus *simpliciter & absolute*. Itaque dicendum est, ablui debere caput, quod præcipua est hominis pars, aut saltem major totius corporis pars. Vide sanctum Thomam 3. p. q. 68. art. 12. ad 4.

CAPUT II.

De Forma Baptismi.

1. *Quæst.* Quæ est forma Baptismatis apud Græcos?

R. Sunt hæc verba: *Baptizatur servus, vel serva Dei N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: Ita nimirum fert Euchologium quo Græci a mille annis & amplius in administratione sacramentorum utuntur. Eam vero formam probavit Eugenius Papa IV. in Decreto pro instructione Armenorum.

2. *Q.* Quænam est apud Latinos forma baptismatis?

R. Sunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ita eam referunt Gregorius Magnus in suo Sacramentario, Eugenius IV. in Decr. pro instructione Armenorum, & Rituale, Pauli Papæ V. jussu editum. Cum autem Gregorius eam tamquam usum ubique apud Occidentales suo tempore receptum referat, invicte colligitur eam esse Gregorii sæculo antiquiorem.

3. *Q.* Verba quibus exprimitur actio ministri baptizantis, *Ego te baptizo*, vel (ut fert Græcorum usus) *Baptizatur servus, &c.* fuerunt ne semper in usu?

R. Fuerunt: nec enim alicubi primam eorum institutionem reperire est: hincque concluditur illorum usum auctoritate Apostolica traditum esse.

4. *Q.* Verba quæ exprimunt ministri baptizantis actum: *Ego baptizo*, vel *baptizatur*; requiruntur ne ut sacramentum valeat?

R. Requiruntur. Ita nimirum definiit Alexander Papa III. c. *Si quis* Ext. *de Baptismo & ejus effectu.* Ita etiam declaravit Alexander Papa VIII. a quo, die 7. Decemb. anno 1690. proscripta fuit hæc propositio: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: in nomine Patris, &c. prætermissis illis: Ego te baptizo.*

5. *Q.* Expressio pronominis *Te*, quod in forma baptismatis legitur, requiriturne ut valeat Baptismus?

R. Requiritur. Nempe non minus ipsam requirere videtur Alexander III. quam expressionem ablutionis externæ: *Et non dixerit* (ait) *ego* Te *baptizo, puer non est baptizatus.*

6. *Q.* A quo proferri debent hæc verba: *Ego te baptizo, &c.*

R. Ab eo qui catechumenum abluit: si enim alius ea proferret, mentiretur; nempe, licet reipsa non lavaret, affirmaverit tamen per verbum *Baptizo*, se reipsa catechumenum lavare.

7. *Q.* Ut baptismus valeat, requiriturne expressa & distincta invocatio trium Personarum sanctissimæ Trinitatis? hoc est, requiriturne ut hæc formæ verba proferantur; *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

 R. Ne-

R. Necessario requiritur. Nam 1. Christus distinctam, de qua agitur, invocationem injunxit cuilibet baptismatis ministro: *Euntes* (ait Matthæi 28. Apostolos alloquens) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* 2. Patres dixerunt irritum esse baptisma quod quis absque verbis de quibus est quæstio, conferre tentaret: *Quis dubitat* (ait August. lib. 6. *de Baptismo* contra Donatistas c. 25.) *non esse baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus Symbolum constat, illi defuerint.* 3. Iidem SS. Patres docuerunt ideo valere datum ab hæreticis baptisma, quod verbis Evangelicis utantur: *Si* (ait August. lib. 3. *de Baptismo* cap. 15.) *Evangelicis verbis*, id est, *In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum.*

Obj. 1. Apostoli baptisma contulerunt per solam invocationem nominis Christi. Nempe Petrus Actorum 2. hæc ait: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* Cap. 8. hæc habentur. *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.* Cap. 19. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu*: ergo, &c.

R. Dist. ant. In nomine Jesu Christi, hoc est, baptismate quod Christus instituit, conc. ant. invocato solo Christi nomine, nego ant. Ita respondet Augustinus lib. 2. contra Maximinum, cap. 27.

Obj. 2. Nicolaus Papa I. capite *A quodam* de consecrat. distinct. 4. Bulgaris respondet rebaptizari non debere, qui a Judæo baptizati fuerant *in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi*: Ergo, &c.

Respondet Estius dist. ant. Nicolaus Papa Bulgaris respondet *obiter* rebaptizari non debere qui tantum in nomine Christi baptizati fuerant, conc. ant. Respondet *ex professo & expresse*, nego ant. Scilicet consultus fuerat circa ministrum baptismatis, seu an valeret baptismus a Judæo datus; non autem circa sacramenti formam, quam (ut dictum est) *obiter* tantum attigit.

Obj. 3. Ambros. lib. de Spiritu sancto, cap. 3. scribit, eum qui unam tantum SS. Trinitatis personam appellat, censeri omnes simul appellare: ergo censuit valere baptismum in quo una tantum persona invocata fuerit: *Qui unum dixerit* (ait) *Trinitatem significavit.*

Resp. Dist. ant. Trinitatem significavit, quantum ad effectum baptismi, conc. ant. quantum ad illius formam, nego ant. Scilicet eo loci sanctus Ambrosius intendit probare, quod quando operatio ad extra, in Scripturis uni personæ tribuitur, aliæ personæ non excludantur, sed e contra subintelligi debeant.

Obj. 4. S. Bernardus Epist. 390. ratum habet baptisma datum *In nomine Dei, & sanctæ veræ Crucis*: ergo, &c.

R. Dist. ant. Et in hoc Bernardus privatam suam opinionem proposuit cum formidine partis oppositæ, conc. ant. *sine præjudicio tamen* (inquit) *sanius sentientis*: Proposuit Ecclesiæ traditionem, nego ant.

8. *Q.* Valeretne baptismus datus *in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti?*

R. Non valeret, quia voces istæ *in nominibus*, exprimunt errorem, naturarum scilicet in divinis diversitatem; ac proinde formæ sensum tollunt.

§. III. *De Auctore Baptismi.*

1. *Quæst.* Quis baptismum instituit?

R. Christus ipse: nempe Matthæi cap. 28. Apostolis injunxit, ut baptizarent: *Docete omnes gentes: baptizantes, &c.*

2. *Q.* Quandonam baptisma institutum est a Christo?

R. Nonnulli contendunt institutum fuisse tantum post Christi resurrectionem: Sed immerito: scilicet ante illius mortem discipuli baptizarunt: *Quamquam* (Joan. 4.) *Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*: Illud autem baptisma a discipulis datum ante Christi mortem, non erat institutum a Joanne Baptista: *Nam* (ut Augustin. docet Tract. 5. in Joan.) *ii quos baptizavit Judas, non sunt iterum baptizati; quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit; quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit.*

Aliqui alii volunt institutum fuisse baptisma, cum Christus a Joanne baptizatus est: Sed id non videtur verum. Nam 1. baptisma Joannis quod tunc Christus recepit, nihil habet commune cum Christi baptismate; 2. tunc præscripta non fuit baptismi forma; invocatio scilicet distincta trium personarum SS. Trinitatis.

Aliis placet institutum fuisse, cum a Christo dictum est Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Verum non aliud infertur ex eo textu, quam quod tunc prædicta & designata fuerit baptismi suo tempore instituendi necessitas, sicut hæc verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, non denotant tunc institutum fuisse Eucharistiæ sacramentum, sed solum illud suo tempore sumendi necessitatem adstruunt.

Dicendum est igitur baptisma institutum a Christo fuisse, cum Matthæi 10. Marci 3. Lucæ 9. Christus Apostolos misit, ut Judæos adventum Messiæ docerent: *Euntes autem prædicate, dicentes: quia appropinquavit regnum cælorum.* Scilicet ea missione jussi sunt baptizare: unde Joan. c. 3. legitur quod reipsa baptizaverint: *Quamquam ipse non baptizaret, sed discipuli ejus.*

§. IV.

§. IV. *De Baptismi Ministro*.

1. *Quæst.* Quinam sunt *Ordinarii* ministri baptismatis?

R. Soli Sacerdotes, primi & secundi ordinis, hoc est, soli Episcopi & Presbyteri. Scilicet eos tantum in persona Apostolorum, qui jam constituti fuerant Episcopi & Sacerdotes, Christus alloquebatur, cum Matthæi 28. contulit baptizandi potestatem: *Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Sacerdotum vero nomine hic significantur Parochi, aut designati ab iis Vicarii: Parochis nimirum Ecclesiæ regimen sub Episcoporum auctoritate commissum est.

Obj. 1. Diaconis, cum ordinantur, hæc dicuntur ab Episcopo: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare*: ergo sunt, &c.

R. Dist. ant. Diaconum oportet baptizare, tamquam ministrum *extraordinarium*, conc. ant. tamquam ministrum *ordinarium*, nego ant. *Diaconi* (inquit cap. *Diaconos*, dist. XCIII.) *absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat*.

Obj. 2. Si Diaconi essent tantum *extraordinarii* baptismatis ministri, non plus juris haberent in baptismum quam laici: sed hoc est absurdum: ergo, &c.

R. Nego maj. Scilicet Diaconi, non vero laici, ab Episcopo aut Parocho committi possunt, ut sollemne baptisma conferant; idque, licet baptizandus de vita non periclitetur.

2. *Q.* Quinam sunt *extraordinarii* ministri baptismatis?

R. Omnes & singuli homines qui sua ratione fruuntur, & habent intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia.

Et quidem 1. valere datum a Pagano, aut Judæo baptismum, declarat Nicolaus Papa I. cap. *A quodam*, ubi respondet ad Consulta Bulgarorum. Idem quoque declaravit Eugen. Papa IV. in Decr. pro instructione Armenorum: *in casu necessitatis* (inquit *etiam Paganus baptizare potest*.

Obj. Gregor. Papa III. Epist. 1. ad Bonifacium Episcopum jubet ut a Paganis baptizati, iterum baptizentur: ergo, &c.

R. Dist. ant. Supponens Paganos legitima forma usos non fuisse, conc. ant. non supponens, nego ant. Unde ait: *Ut denuo baptizes in nomine Trinitatis mandamus*.

2. Valet quoque datum ab hæreticis baptisma. Nam 1. si datum a Pagano valeat, a fortiori valet quoque datum ab hæretico. 2. Ita definit contra S. Cyprianum Stephanus Papa I. Ita etiam docuit August. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas c. 17. ubi de industria solvit argumenta omnia quæ S. Cyprianus Stephano Papæ objecerat. Ita tandem sub anathematis pœna credendum esse definiit Conc. Trid. sess. 7. can. 4.

Obj. 1. Baptisma non est hæreticorum, sed est Ecclesiæ tantum: ergo sola Ecclesia potest illud conferre. 2. Plures Patres contenderunt olim irritum fuisse baptisma de quo agitur: ergo, &c.

R. Ad 1. conc. ant. dist. conseq. Ergo sola Ecclesia potest *licite* illud conferre, conc. conseq. valide, nego conseq. Nempe quamvis hæretici fiant rei, jus alienum hac in re usurpando, valide tamen rem illam dispensant.

R. Ad 2. dist. ant. Antequam quæstio illa definita fuisset in plenario totius orbis Concilio, quod quidem est aut Arelatense aut Nicænum I. conc. ant. postquam definita fuit, nego ant.

3. Valere quoque baptismum datum a laicis Catholicis, colligitur 1. ex validitate baptismatis dati ab infidelibus, aut hæreticis. 2. ex Tertulliano qui in lib. *de Baptismo* c. 7. hæc ait: *Dandi quidem* (baptismi) *etiam laicis jus est*.

Obj. Canones arcent homines laicos, & præsertim mulieres a ministerio baptismatis: *Mulier* (inquit Conc. Carthag. IV.) *baptizare non præsumat*: ergo &c.

R. Dist. ant. A ministerio *licito* extra casum extremæ necessitatis, conc. ant. A ministerio *valido*, etiamsi non urgeat extrema necessitas, nego ant.

3. *Q.* In casu necessitatis, ubi plures sunt qui baptizare possunt, suntne quidam alii præferendi?

R. Sunt: *Illud cavendum est* (ait S. Carolus in instructionibus de Baptismo) *ut ne femina viro præsente, neque Clericus præsente Subdiacono, hicque itidem coram Diacono, nemoque præterea eorum coram Sacerdote baptizare audeat: ipse autem norit sibi licere baptizare etiam præsente suo Episcopo*. Id vero non consilii sed præcepti esse probant hæc quæ addit sanctus Præsul: *Et quoniam si vel a muliere, vel a laico secus fit, grave peccatum admittitur*.

4. *Q.* Suntne aliqui casus, in quibus non est habenda ratio ordinis illius de quo agitur in responsione ad 3. quæsitum?

R. Tres sunt. Nempe femina, viro præsente baptizare potest 1. cum vir ratione artis quam profitetur, infamis est, ut sunt Comædi, aliique peccatores publici, seu quos judicis sententia tales declaravit: 2. cum femina v. g. obstetrix viro peritior est, & aptior ad conferendum baptisma: 3. cum, nisi mulier baptizet, pudori parturientis satis consultum non est. Ita S. Carolus.

§. V. *De Subjecto Baptismi.*

1. *Q.* Infantes suntne capaces baptismatis?

R. Sunt. Nam 1. infantes capaces sunt regni cælestis, juxta illud Christi in Evangelio: *Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cælorum*: ergo & baptismatis; quod quidem ad regnum cæleste consequendum, necessarium est necessitate medii. 2. Viget in Ecclesia consuetudo conferendi baptismum infantibus: eam autem consuetudinem ex Apostolica esse traditione docet Augustinus lib. 1. de Genesi c. 2. *Nec* (inquit) *omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.*

Obj. Infantes credere non possunt, fides tamen baptismo præsupponitur, juxta illud Christi Matt. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

R. Dist ant. Fides in adultis baptismo præsupponitur, conc. ant. in infantibus, nego ant. Nempe doctrinæ, cujus meminerunt Evangelica verba: *Docete omnes gentes*, capaces non sunt. Unde August. serm. 14. *De verbis Apostoli*, cap. 7. sic loquitur: *Decet ut ad aliena verba sanentur, qui ad factum alienum vulnerantur.*

2. *Q.* Infantes possuntne baptizari in utero matris?

R. Non possunt: tum quod quamdiu sunt in utero matris, ablui non possint; tum etiam quia (ut ait Augustinus ad Dardanum scribens) *Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit.*

3. *Q.* Peccatne graviter qui multo tempore suorum infantum baptisma protrahunt?

R. Peccant graviter: scilicet cum plurimum sit inconstans infantium valetudo, diu baptisma differri non potest, quin infantes exponantur, defectu baptismatis, æternæ damnationis periculo.

4. *Q.* Ubinam infantes baptizari debent?

R. Ex Canonibus in templo baptizari debent nisi aliud necessitas exposcat: nec extra necessitatis casum, cuiquam eos licet domi abluere, cum vetent iidem Canones ne ipsa baptismi collocatio a sollemnibus ceremoniis sejungatur.

5. *Q.* Infantes Infidelium possuntne baptizari invitis parentibus?

R. Non possunt *ordinarie*. Nam 1. subtrahi non possunt a potestate parentum, potestas nimirum parentum in filios est (ait sanctus Thomas) de jure naturali. 2. Morale periculum esset ne sub potestate parentum remanentes, Sacramento sic recepto summam injuriam inferrent.

6. *Q.* Suntne aliqui casus, in quibus filii parentum Infidelium, iis invitis baptizari possint?

R. Sunt. Et quidem 1. si illis immineat vitæ periculum: 2. si alter ex parentibus consentiat, quamvis alter renuat, ut Conc. Tolet. III. asserit: 3. si parentes sunt servi, seu mancipia Christianorum: quia tunc infantes, sicut & eorum parentes, subjacent dominorum potestati: 4. Baptizari tamen possunt, ubi primum rationis usum adepti sunt, si baptismo consentiant; quia tunc in iis quæ pertinent ad salutem, sunt sui, non parentum juris.

7. *Q.* Amentes aut furiosi possuntne baptizari?

R. 1. Si semper amentes aut furiosi fuerint, baptizari possunt & debent; nempe nunc iis consulendum est, sicut infantibus consulitur. 2. Si dum sua ratione fruebantur, se baptismum desiderare signo aliquo prodiderint, baptizari debent etiam in amentia & phrenesi: secus vero, si nullo unquam signo illum petierint. Ita Innoc. III. declarat, Ext. *de Baptismo*, cap. *Majores*.

8. *Q.* Ex parte subjecti quod sua ratione fruitur, requiriturne aliqua intentio, ut baptisma valeat?

R. Requiritur intentio vera & sincera recipiendi baptismum. Scilicet 1. adulto non datur, nisi ubi interrogatus *an velit baptizari*, responderit, *volo*. 2. Ita definitum est in capite *Majores* Ext. *de Baptismo*.

Obj. 1. Valet baptisma datum homini qui interius illi contradicens, serio exterius rogat sibi baptismum conferri: ergo in subjecto baptismatis non requiritur intentio, ut sacramentum valeat.

R. Conc. ant. nego conseq. Ille enim qui serio rogat sibi baptismum conferri, & serio patitur ut ritus ex quo baptisma constat, sibi applicetur, vere ac sincere vult baptismum recipere. Nec obest, quod interius contradicat: nempe interior illa contradictio, est voluntas inefficax quæ non destruit voluntatem efficacem recipiendi baptismum eo tempore quo libens & volens sese illius ritui serio subjicit. Confirmari potest responsum illud ex cap. *Majores*, cujus textus inferius referetur.

Obj. 2. Valet baptisma datum homini dormienti qui vigilans illud desideraverat: at in illo homine nulla est intentio; tunc enim sua ratione non fruitur: ergo, &c.

R. Nego min. Scilicet in homine de quo agitur, est intentio *habitualis*, seu quæ sequitur ex actuali minime revocata: licet autem ea intentionis species satis non sit in ministro sacramenti, cum ministri respectu Christi sint instrumenta animata, satis est tamen in subjecto, quod quidem non est principium activum, ut est minister, sed passivum tantum.

9. *Q.* Requiriturne consensus ex parte subjecti, ut sacramentum valeat?

R. Requiritur: ita definiit Innoc. III. c. *Majores*, Ext. *de Baptismo & ejus effectu*, ubi

hæc

hæc habentur: *Ille vero qui numquam consensit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti.*

Obj. Innocentius III. capite *Majores*, admittit tamquam validum baptisma quod nonnulli tum in Saxonia, tum in Hispania terroribus atque suppliciis violenter attracti susceperant: atque in iis hominibus nullus erat consensus in baptismum: ergo, &c.

R. Conc. maj. dist. min. Nullus erat consensus *absolutus*, conc. min. *conditionatus*, nego min. Nempe homines illi noluissent quidem, absolute loquendo, baptizari; sed tamen voluerunt conditionate, ut nimirum vitarent quæ illis alioquin impendebant supplicia.

10. *Q.* Requiriturne in subjecto baptismi aliqua de illo fides, ut sacramentum valide recipiatur?

R. Non requiritur. Ita docet August. in lib. 3. *de Baptismo*, cap. 14. Nec immerito: si enim (quod superius probatum est) fides in sacramenti ministro non requiratur, a fortiori necessaria non est in subjecto, ut sacramentum valide recipiatur: unde sicut Ecclesia admittit datum ab hæreticis baptisma, ita etiam & acceptum ab iis qui actualem habent ad suam hæresim affectum.

Obj. Augustinus in lib. 7. *de Baptismo* capite 52. docet valere baptismum, sed cum aliqua fide receptum, ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Cum fide *improprie* sumpta receptum; hoc est, cum persuasione quod baptismi ritus habeatur pro sacro ritu in societate quæ a nonnullis hominibus vera Ecclesia existimatur, conc. ant. cum fide *proprie* sumpta, hoc est pro certitudine quæ ex revelatione petitur, nego ant.

11. *Q.* Quænam ex parte subjecti adulti dispositiones requiruntur, ut Baptismi sacramentum licite & cum fructu recipiat?

R. Requiruntur fides, spes, inchoatus Dei amor super omnia, & contritio: scilicet dispositiones illas prærequirit Tridentina Synodus sessione 6. capite 6.

12. *Q.* Qua ratione probari debent Catechumeni, antequam ad Baptismum admittantur?

R. Doctrina, pietatis operibus, discessu a proximis peccati mortalis occasionibus, æris alieni, si eo teneantur, restitutione, dimissione actuali uxorum cum quibus, vivente prima, contraxerunt; & sic de aliis capitibus.

§. VI. *De Baptismi effectibus.*

1. *Qu.* Quotuplex est Baptismi effectus?

R. Duplex: Gratia nimirum, & Character. Illa, hominem ex impio reddit justum; Iste, cum sit signum animæ impressum, baptizatum distinguit a non baptizato: Illa, hoc est gratia, per peccatum mortale amittitur: Iste vero, cum sit signum indelebile, per nullum peccatum, ne per apostasiam quidem, deleri potest.

2. *Q.* Gratia quæ per baptismum producitur, remittitne peccata omnia quorum catechumenus reus est?

R. Remittit omnia 1. quoad culpam, seu reatum, nempe justificat impium: at impius justificari non potest, quin ipsius peccata remittantur: idque in Symbolo aperte profitemur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* 2. Non remittit peccata solum *quoad culpam*, sed etiam quantum ad totam pœnam temporalem illis jam quoad culpam remissis alioquin in altero sæculo debitam. Nempe id semper Ecclesia credidit: unde cum catechumenos abluit, nullam eis satisfactoriam Pœnam injungit, qua redimant in altero sæculo persolvendam.

Obj. 1. Sacramentum Pœnitentiæ non delet penam temporalem quæ pro peccato jam remisso debetur in altera vita: ergo neque baptismus eam remittit.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia peccata post baptismum commissa, per se graviora sunt iis quæ ante commissa sunt: par igitur non fuit ut tantus esset in catechumenos qui baptizantur, divinæ justitiæ effectus, quantus est in eos qui post baptismum receptum lapsi sunt in peccatum mortale.

Obj. 2. Baptismus non aufert concupiscentiam, corporis miserias, moriendi debitum, ergo non tollit pœnas omnes temporales peccato jam quoad culpam remisso debitas.

R. Conc. ant. disting. conseq. Non tollit pœnas hujus vitæ, quæ pœnalitates dicuntur, conc. conseq. pœnas temporales in altero sæculo debitas, nego conseq. *Ut* (inquit Augustinus Enchiridii cap. 66.) *intelligamus totum quod salutaribus agitur sacramentis, magis ad fidem venturorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem præsentium pertinere.*

3. *Q.* Votum baptismatis quod defectu aut materiæ, aut ministri recipi non potest, suppletne illius effectum?

R. Non supplet 1. characterem: non enim producitur, nisi per sacramentum actu collatum & receptum. 2. Non supplet remissionem pœnæ temporalis quæ peccato jam quoad culpam remisso debetur in altera vita: Scilicet id plane persuasum fuit Majoribus nostris qui pro catechumeno sine baptismate mortuo preces ad remissionem pœnæ temporalis in altero sæculo debitæ, sollemnes preces fuderunt. 3. Dicendum est igitur baptismatis voto, in casu necessitatis remitti peccatum quoad culpam catechumeno, qui dispositionibus ad sacramentum prærequisitis instructus sit. Idque demonstrat Ecclesiæ praxis, quæ orat pro catechumenis sine baptismo mortuis; non oraret vero, nisi crederet

illis ante mortem dimissum fuisse peccatum quoad culpam: neque enim orare potest, nisi pro iis quos pie censet in statu gratiæ sanctificantis extremam clausisse diem.

4. *Q.* Martyrium quod catechumenus pro Christo in Ecclesia passus est, suppletne omnino & integre totum baptismatis effectum?

R. Supplet totum gratiæ sanctificantis effectum; hoc est, remittit sicut baptismus peccatum tum quoad culpam, tum quoad pœnam temporalem illi jam dimisso in altera vita alioquin deditam. Scilicet Martyrium eximiam caritatem, seu tum intensive tum extensive perfectam probat: at par est ut caritatis, utroque illo modo perfectæ, idem privilegium sit quod baptismatis: unde Majores nostri nusquam fuderunt preces, ut pœna aliqua martyribus in altera vita dimitteretur: *Injuriam* (ait Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli) *facit Martyrii qui orat pro Martyre.*

5. *Q.* Baptisma a Joanne institutum & Judæis collatum, fuitne productivum gratiæ sanctificantis?

R. Non fuit productivum. Siquidem ipse Joannes ex eo probat se non esse Messiam lege promissum, quod instituendus a Messia baptismus Spiritum sanctum collaturus esset, non autem is quem instituerat ipse: *Ego* (inquit Marci cap. 3.) *baptizo vos in aqua; ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto.*

6. *Q.* Circumcisio in antiqua Lege producebatne in parvulis gratiam sanctificantem?

R. Producebat quidem gratiam sanctificantem (inquit S. Thomas) sed non per se, & ex opere operato, seu vi actionis extrinsecæ in qua posita erat, sed tantum ex fide parentum, qui illo signo suam de Christo futuro fidem profitebantur, significabantque se suos infantes Deo, futuroque Messiæ consecrare. Scotus aliud censuit: nempe docuit Circumcisionem etiam *ex opere operato*, gratiam contulisse. Cum vero objicitur Concilium Florentinum in quo asseritur sacramenta Veteris legis non produxisse gratiam ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, respondet textum illum intelligi tantum debere de sacramentis quæ Dei jussu Moyses instituerat; Addit vero Circumcisionem ex eorum numero non fuisse, juxta illud Evangelii, Joan. c. 7. *Circumcisio non est ex Moyse, sed ex patribus.*

§. VII. *De Baptismi Proprietatibus.*

1. *Qu.* Quot sunt Baptismi proprietates?

R. Duæ sunt præcipue, Unitas nimirum & Necessitas. Unitatem profitemur in Symbolo, *Confiteor* UNUM *baptisma in remissionem peccatorum.* Necessitatem vero adstruunt hæc Christi verba, Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, NON POTEST *introire in regnum Dei.*

2. *Q.* Quid intelligitur per Unitatem baptismatis?

R. Posita est in eo quod semel valide datum sive in Ecclesia Catholica, sive in Paganismo, iterari minime possit. Nempe ubicumque verbis Evangelicis cum intentione saltem faciendi quod facit Ecclesia, collatum fuerit, characterem indelebilem imprimit recipienti. Vide Augustinum in libris *de Baptismo* contra Donatistas; vide etiam quæ superius a nobis de hujusce Sacramenti charactere dicta sunt.

3. *Q.* Baptismus estne necessarius necessitate *præcepti divini?*

R. Est. Nempe Christus injunxit Apostolis ut omnes & singulos homines Evangelium docerent, & baptismate initiarent: *Docete* (ait Matt. 28.) *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: ergo præcepit quoque singulis hominibus, ut baptismum reciperent: præceptum enim ministris impositum, conferendi baptismum, est correlativum cum præcepto illum recipiendi.

Si vero quis roget quo præcise tempore homines adulti teneantur adimplere divinum de recipiendo baptismate præceptum, dicendum erit teneri eos, cum sufficienter, propositis motivis credibilitatis, annuntiatum est eis Evangelium: unde peccant lethaliter, si tunc ad illius receptionem sese non disponat, etsi non dent catechumenatui nomen.

4. *Q.* Baptismus estne necessarius ad salutem *necessitate medii?*

R. Est omnibus omnino hominibus, sive infantibus, sive adultis, necessarius ad salutem necessitate *medii*. Scilicet eo non recepto vel in re, vel in voto, ab iis etiam qui legis Evangelicæ ignorantia invincibili laborant, salus æterna comparari minime potest. Eam nimirum absolutam necessitatem aperte adstruunt hæc Christi verba, Joannis cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Nec dici potest cum Calvino, textum illum intelligi debere metaphorice, ita ut aqua & Spiritus unum & idem significent, renascentiam scilicet internam quam Deus per gratiam in nobis operetur. Nam 1. aqua & Spiritus aperte in eo textu distinguuntur: *Ex aqua & Spiritu sancto.* 2. In aliis Scripturæ locis, ubi agitur de baptismo, aqua quoque deberet sumi metaphorice; quod est falsum: alioquin enim probari non posset, quod sit necessaria baptismatis materia. 3. Quotquot extiterunt ad Calvinum usque Patres textum illum proprie, & non metaphorice de baptismate materiali & externo intellexerunt; ut videre est apud Tertullianum in libro *de Baptismo*; apud Cyprianum in Epistola ad Fidum; apud Augustinum in libris *de Baptismo*

ptisme contra Donatistas. Hincque patet, quam debito anathemate Lutheranos & Calvinistas ferierit Concilium Tridentinum sess. 7. Canone 2. *de Baptismo*.

Obj. 1. Ex Apostolo 1. ad Corint. 7. Filii fidelium sancti sunt: ergo non recepto, sive in re, sive in voto baptismate, possunt æternam consequi salutem: ac proinde baptisma non est necessarium necessitate medii.

R. Dist. ant. Sancti sunt sanctitate *futura*, quia præsumitur alterum ex conjugatis, fidelem nimirum, daturum operam, ut ex suo conjugio nati baptismum aliquando recipiant: quo sensu etiam dicitur 1. Cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*; conc. ant. Sancti sunt sanctitate *præsenti* seu præcise quod nati sint ex parentibus fidelibus, nego ant. Alioquin enim dicendum esset propinquitatem carnis cum sanctis hominibus ad justitiam conferre: quod tamen Christus negat in Evangelio.

Obj. 2. Qui nati sunt ex parentibus fidelibus, pertinent ad pactum quod Deus iniit cum Abrahamo, Genesis 17. *Ero Deus tuus, & seminis tui*. Sed iis qui pertinent ad illud pactum, baptisma non est necessarium: ergo, &c.

R. Dist. maj. Et illud pactum incipit mandari executioni per baptismi receptionem, conc. maj. & incipit mandari executioni sine baptismo, nego maj. Scilicet pactum illud incipit executioni mandari, cum is qui ad ipsum pertinet, incipit credere; juxta illud Apostoli Galat. 3. *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ, & benedicentur cum fideli Abraham*. Infantes vero tunc tantum credunt tum fide infusa, tum aliena, susceptorum scilicet, cum actu baptizantur: *Quis enim nesciat* (inquit Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 27.) *credere, esse infantibus baptizari; non credere autem non baptizari?*

5. *Q.* Quo præcise tempore post Christi mortem Baptisma omnibus omnino hominibus cœpit esse necessarium?

R. Post sollemnem Evangelii promulgationem quæ facta est die sacra Pentecostes quæ proxime subsecuta est Christi passionem. Tunc qui apud Judæos erant justi, obligati fuerunt sub pœna amittendæ justitiæ, recipere baptismum: qui vero impii sive apud Judæos, aut alibi, non potuerunt alio medio, quam per baptismum justitiam consequi; ac proinde nec vitam æternam comparare.

CAPUT III.

De Confirmatione.

§. I. De essentia, Materia, & Forma Confirmationis.

1. *Qu.* IN quo posita est Essentia Confirmationis?

R. Posita est in illius definitione, quæ quidem est hujusmodi 1. *Confirmatio est sacramentum Novæ legis quo propter gratiam sanctificantem, datur jus ad auxilia spetialia, quæ necessaria sunt, ut fidem quis intrepide coram infidelibus, & hæreticis profiteri possit.* Primo, est sacramentum, quia constat visibili signo, impositione nimirum manuum & unctione. 2. Ex institutione divina produci gratiam sanctificantem: *Imponebant* (Actorum 8.) *manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. 3. Dat jus ad auxilia quæ necessaria sunt, ut quis fidem profiteri valeat: nempe ad illum præsertim finem a Christo fuit instituta: & in hoc hujus sacramenti effectus *per se* distinguitur ab effectu aliorum sacramentorum.

2. *Q.* Quæ est materia sacramenti Confirmationis?

R. Conveniunt omnes Theologi esse vel solam manuum impositionem, vel solam unctionem chrismatis, vel utrumque ritum simul. Quænam ex iis Theologorum sententiis nobis videatur probabilior, aperient nostræ ad subsequentia quæsita responsiones.

3. *Q.* Impositio manuum estne essentialis materia sacramenti Confirmationis?

R. Est essentialis illius materia. Nempe 1. Apostoli Confirmationis sacramentum conferentes, usi sunt manuum impositione, & per eam impositionem manuum Spiritum sanctum, seu gratiam sanctificantem Neophytis contulerunt: *Tunc* (ait Lucas actorum 8.) *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. 2. Eadem impositione manuum usi sunt Patres, illique Spiritus sancti productionem adscripserunt. *Dehinc* (ait Tertullianus in libro de *Baptismo*, c. 7. *manus imponitur* (egressis de lavacro) *per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum*. Idem asserit Hieronymus in suo Dialogo adversus Luciferianos: *Episcopus* (ait) *ad invocationem Spiritus sancti, manum impositurus excurrit*. Eum quoque ritum refert Gregorius Magnus in suo Sacramentario; describitur quoque in hodiernis pontificalibus: ergo, &c.

Obj. 1. Græci cum administrant Confirmationem, non utuntur manuum impositione: nec enim impositionem manuum recenset Euchologium, seu Rituale, ex cujus præscripto a mille & amplius annis sacramenta dispensant: ergo, &c.

R. Dist. ant. Non recenset *explicite*, conc. ant. non recenset *implicite*, nego ant. Nam 1. Euchologium præcipit orationem qua Spiritus sanctus invocatur *ad robur*: Ea autem oratio *implicite* dicit conjunctam manuum impositionem, nempe ex Augustino, *Manus impositio nihil aliud est, quam oratio*. 2. Græci aliquot ab hinc sæculis eam manuum impositionem, quam Latini adhibent ante unctionem chris-

chrismatis, conjunxerunt cum ipsamet chrismatis unctione. Vide Arcudium.

Obj. 2. Eugenius Papa IV. in Decreto pro instructione Armenorum asserit quod *loco manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio*; ergo manus impositio distinguitur a Confirmatione; ac proinde non est essentialis illius materia.

R. Conc. ant. dist. conseq. Distinguitur *nomine tenus*; passim enim jam non vocatur sacramentum impositionis manuum, sed sacramentum Confirmationis, conc. conseq. Distinguitur *re ipsa*, nego conseq. Neque enim Eugenius IV. excludere voluit ritum quem non Scriptura modo, & Patres, sed etiam omnia Pontificalia recensent.

3. *Q.* Sola impositio manuum estne essentialis & adæquata materia sacramenti Confirmationis?

R. Non est sola essentialis & adæquata illius materia. Nempe 1. quovis sæculo in conferenda Confirmatione, unctio chrismatis adhibita fuit; illique Patres non minus, quam impositioni manuum adscripserunt vim conferendi neophytis Spiritum sanctum, seu gratiam sanctificantem: *Corpus* (inquit Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 3. mystagogica, ubi de Confirmatione tractat) *isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto vivificoque Spiritu sanctificatur*. Idem docet Tertullianus in libro *de Baptismo*, cap. 3. Idem quoque Cyprianus Epist. 70. *Ungi* (inquit) *necesse est eum qui baptizatus est, ut habere in se gratiam possit*.

Obj. Apostoli in Confirmatione conferenda, sola manuum impositione usi sunt: *Tunc* (Actorum 8.) *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*, ergo &c.

R. Nego ant. Nempe Scriptura, dum unum recenset, impositionem scilicet manuum, non excludit aliud, chrismationem nimirum. Hanc vero etiam adhibitam fuisse probat Traditio, qua docemur ea quovis sæculo ministros Confirmationis usos fuisse: dicit enim August. l. 4. *de Baptismo* cap. 24. *Quod Universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime credimus*.

4. *Q.* Quænam conditiones requiruntur in chrismate Confirmatorio?

R. Duæ requiruntur. *Prima*, ut balsamum admixtum fuerit oleo ex olivis expresso: oleum enim aliud non est oleum *simpliciter*, sed *secundum quid* tantum: *Altera*, ut chrisma Episcopali benedictione sanctificatum fuerit. Nempe utramque illam conditionem recensent Euchologia Græca, & Pontificalia Latina. Verum licet plures Thomistæ utramque illam conditionem ita requirant, ut, si vel una defuerit, sacramentum non valeat; alii sunt tamen Theologi qui contendunt requiri quidem eas, ut licita sit ex parte ministri Confirmatio, non autem simpliciter & absolute ut valeat. Nec immerito; non enim de iis alio modo sive Euchologia, sive Pontificalia, sive Patres quam de baptismi ceremoniis loquuntur.

5. *Q.* Quæ est forma totalis & adæquata sacramenti Confirmationis?

R. Est duplex exterior ritus; Oratio nimirum quam Episcopus fundit, dum manus imponit neophyto; & præterea hæc verba, quæ profert Episcopus, dum chrismat neophytum: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Nempe utrumque illum ritum referunt Pontificalia, saltem hodierna.

3. *Q.* Uterque ritus, oratio scilicet Episcopi, & hæc verba: *Signo te signo crucis*, &c. suntne essentialis forma Sacramenti Confirmationis?

R. 1. Oratio de qua agitur, est essentialis: tum quia Lucas illius meminit tamquam rei sensibilis per quam Apostoli gratiam recenter baptizatis contulerint: *Oraverunt* (ait Act. 8.) *pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: tunc imponebant manus super illos*, &c. tum etiam quia Patres Orationi quæ comitatur Episcopalem manuum impositionem, adscripserunt vim ac virtutem per quas effectus Confirmationis producitur: *Quod* (ait Cyprianus Epistol. 73.) *nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur*.

2. Hæc verba: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris* &c. non pertinent ad *essentialem* materiam sacramenti. Nempe per sex priora sæcula nullibi fuerunt in usu; neque enim illorum temporum Patres, vel obiter, eorum meminerunt, nec ipse etiam Gregorius Magnus in suo Sacramentario ea vel implicite recenset, licet in eo describat non essentiales modo, sed etiam accidentales sacramentorum ritus.

Obj. 1. Eugenius Papa IV. in Decreto pro instructione Armenorum, expresse docet, verba de quibus agitur: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis* &c. esse formam sacramenti Confirmationis: ergo, &c.

R. Dist. ant. Esse formam *integralem*, & *accidentalem*, conc. ant. Esse formam *essentialem*, nego ant. Ita respondet Sambovius in suo Tract. *de Confirmatione*. Nec id mirum est: cum enim oratio quæ manuum impositionem comitatur, apud Armenos jam esset in usu, debuit Eugenius, qui populos illos Latinæ disciplinæ subjicere voluit, eos Ecclesiæ Occidentalis sacramentorum ritus, etiam integrales & accidentales, docere.

Obj. 2. Hæc verba: *Signo te signo crucis, & confirmo te* &c. proferuntur ab Episcopo, eo momento quo neophytum inungit: ergo sunt

sunt essentialis forma, saltem inadæquata, sacramenti confirmationis.

R. Conc. ant. nego conseq. Nempe Oratio, quam Episcopus, dum manum imposuit, fudit, adhuc moraliter subsistit, dum inungit neophyti frontem; ac proinde satis est ut unctionem illam determinet ad concurrendum cum manuum impositione ad effectum sacramenti producendum. Vide totam hanc materiam historice, & dogmatice fusius pertractatam in nostro *de Sacramentis* Commentario, Tom. 1. in fol. pag. 154. & aliis sequentibus primæ Editionis.

§. II. *De Auctore, Ministro, & Subjecto Confirmationis.*

1. *Quæst.* Quis est auctor sacramenti Confirmationis?

R. Ipsemet Christus. Ita contra Lutheranos definiit sacra Tridentina Synodus sess. 7. Can. 1. *De sacramentis in communi*. Nec mirum: ipse enim solus potuit gratiæ productionem (ut in singulis sacramentis Novæ legis requiritur) signis sensibilibus conjungere.

2. *Q.* Quo præcise tempore Christus Confirmationis Sacramentum instituit?

R. Iis diebus, qui a Resurrectione usque ad Ascensionem fluxerunt: *Iis enim diebus* (ait Leo Magnus serm. 1. de Ascensione) *magna sunt confirmata Sacramenta, magna revelata mysteria*.

Obj. Apostoli die sacra Pentecostes receperunt effectum Confirmationis, scilicet Spiritum sanctum *ad robur*: ergo & ipsammet Confirmationem, proindeque instituta fuit tantum post Ascensionem Domini.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est, quia tunc nec materia, nec forma Confirmationis adhibitæ fuerunt, aut Apostolis applicatæ. Nec id mirum est: Dei enim potentia non est ita sacramentis alligata, ut sine ejusmodi instrumentis absolute non possit speciales sacramentorum effectus producere.

3. *Q.* Quis est *Ordinarius* minister sacramenti Confirmationis?

R. Solus Episcopus. Nam 1. ita Concil. Trident. sess. 7. can. 3. definiit. 2. Qui in Scripturis leguntur Confirmationem contulisse, sunt soli Episcopi, Apostoli nimirum; licet baptisma ab aliis datum fuisset. Innoc. Papa I. in Epist. ad Decentium, & postea Gregorius Magnus l. 3. Epist. 9. damnarunt simplices Presbyteros, qui jus, de quo agitur, sibi tribuere præsumpserant.

4. *Q.* Quis inter Clericos potest esse *Extraordinarius* minister sacramenti Confirmationis?

R. Presbyter qui ad id muneris a Summo Pontifice delegatus fuerit. Scilicet 1. a mille & amplius annis Ecclesia Græca confirmationem confert per eosdem Presbyteros qui baptismum catechumeno dispensarunt: ita enim expresse præscribunt Euchologia quæ apud Orientales fuerunt olim & nunc etiam sunt in usu. 2. Gregorius Magnus qui in prima sua Epistola contra Presbyteros Calaritanos, vetuerat ne illi confirmarent, postea Epist. 2. id œconomiæ caussa concessit. 3. Eugenius IV. in Decreto pro instructione Armenorum, docet (haud dubie alludens ad Gregorii Magni Decretum pro Calaritanis) simplices Sacerdotes aliquando ex Apostolica dispensatione sacramentum istud contulisse. 4. Concilium Tridentinum loquens de Confirmationis ministro, non ob aliud utitur hac voce, *Ordinarium*, quam ut innuat posse alium esse, nempe *Extraordinarium*, seu simplicem Sacerdotem.

Obj. Apostoli nusquam leguntur simplicibus Presbyteris commisisse jus conferendi sacramentum Confirmationis: ergo, &c.

Resp. Conc. ant. nego conseq. Id enim accidit 1. quod Apostoli fere nullum ordinaverint Presbyterum, quem simul Episcopum non consecraverint. 3. Cum Confirmatio non sit ad salutem necessaria necessitate medii, & aliunde homines reddat *perfectos* Christianos perfectione substantiali, par fuit, ut Apostoli & Episcopi priorum sæculorum, quibus Sacerdotalis gradus perfectio per Episcopatum data fuit, jus illud nemini Presbytero committerent. 3. Primis illis temporibus vix umquam pro re aliqua dispensationibus locus erat: at sine dispensatione facultas de qua agitur, Sacerdotibus tribui non potuisset.

5. *Q.* Quodnam est subjectum capax sacramenti Confirmationis?

R. Omnes & soli homines baptizati. Nempe Confirmatio est *de se* consummativa & perfectiva characteris & gratiæ baptismatis. Unde (ut inferius patebit) Patres asserunt hocce sacramento homines reddi perfecte Christianos: ac proinde Confirmatio, ut valeat, præsupponit baptismatis characterem.

6. *Q.* Quæ corporis partes sunt immediatum subjectum Confirmationis, hoc est, quænam corporis partes inungi debent?

R. Ut Chrismatio confirmatoria valide fiat, satis est unctio in fronte. Nempe illius tantum partis unctionem contulit olim (ut probat Gregorii Magni Sacramentarium) & nunc etiam confert Ecclesia latina. Ea vero pars corporis præ ceteris electa est, ut confirmatum discat se ad hoc renatum esse, ut Evangelium non erubescat.

§. III. *De Effectibus & Proprietatibus Confirmationis.*

1. *Quæst.* Quinam & quot sunt effectus Confirmationis?

R. Duo sunt, nimirum gratia, & character, de quibus in responsis ad quæsita subsequentia differetur.

2. *Q.*

2. *Q.* Quæ gratia per Confirmationem producitur?

R. Gratia sanctificans. Nam 1. de ea gratia intelligitur Concil. Trid. Canon, quo definitur omnia & singula Novæ legis sacramenta gratiam producere. 2. Actor. 8. gratia de qua agitur, vocatur Spiritus sanctus: *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*: at nomine *Spiritus sancti* qui detur alicui, simpliciter & absolute prolato, semper in novo Testamento gratia sanctificans intelligitur; ut cum de Stephano dicitur, quod Spiritu sancto plenus fuerit.

3. *Q.* Confirmatio producitne *ex se*, seu *ex vi suæ institutionis* primam gratiam, an vero secundam tantum?

R. Non producit primam. Scilicet prima gratia est ea quæ justificat impium: at gratia quam Confirmatio producit, non justificat impium: id enim virtutis spectat solum ad baptismum & ad pœnitentiam, cum sola sint (ut loquuntur) sacramenta mortuorum: unde Conc. Trid. sess. 14. docet nemini post baptismum lapso obvenire justificationem, nisi ex acceptione Sacramenti pœnitentiæ, aut saltem ex illius voto. Dicendum est igitur gratiam quæ Confirmatione producitur, esse secundam tantum, hoc est, eam quæ ex justo facit magis justum.

4. *Q.* Confirmatio valide data producitne characterem in recipiente?

R. Producit. Non enim ob aliud iterari non potest, quam quod recipientibus characterem imprimat qui nusquam deleri possit.

Obj. Concilium Oecumenicum II. quod est Constantinopolitanum I. jubet Canone 7. ut pluribus hæreticis, quos recenset, quique jam in sua secta confirmati fuerant (ferebat enim tunc apud Orientales, sicut & jam temporis, ut statim post baptismum Confirmatio neophytis conferretur) jubet, inquam, ut conferatur unctio cum hac verborum formula: *Signaculum doni Spiritus sancti*: atqui illa unctio & illa forma sunt ipsummet Confirmationis sacramentum: ergo, &c.

R. Conc. maj. nego min. Ratio est, quia deest illi ritui, 1. impositio manuum, quæ tamen (ut superius dictum est) est essentialis materia sacramenti Confirmationis. Deest 2. invocatio Spiritus sancti *ad robur*, quæ est forma essentialis: quæ enim in Euchologiis legitur invocatio Spiritus sancti, hæreticis, quorum Canon meminit, redeuntibus impendenda, non est *ad robur*, sed ad *pœnitentiam*.

5. *Q.* Confirmatio estne necessaria?

R. Nulli est necessaria necessitate medii, quia catechumeni, per Baptismum, & lapsi post Baptismum, per Pœnitentiæ Sacramentum possunt consequi justificationem. Sed ex Conc. Trident. sess. 23. cap. 4. necessitate præcepti *Ecclesiastici* necessaria est iis qui initiandi sunt prima Tonsura Clericali. 2. Est etiam pro loco & tempore singulis adultis sua ratione fruentibus necessaria necessitate præcepti tum divini, tum Ecclesiastici: scilicet omnes & singuli indigent effectu Confirmationis, substantiali nimirum Christianitatis perfectione, & auxilio, ad quod veluti quoddam jus tribuit: ergo & Sacramento quod ad illum effectum specialiter fuit institutum.

6. *Q.* Quæ dispositiones requiruntur ad recipiendum sacramentum Confirmationis?

R. 1. Ut *valide* recipiatur, prærequiritur in subjecto baptismatis character: nempe est essentialiter perfectio characteris baptismatis. 2. Ut ex parte recipientis *licita* sit, prærequiritur status gratiæ: neque enim (ut jam fuit observatum) est sacramentum mortuorum, sed vivorum tantum, 3. Decet quidem ut a jejunis recipiatur, sed id jam non est de præcepto. 4. Apud Græcos statim post baptismum infantibus confertur; sed apud Latinos multis abhinc sæculis invaluit usus, ut nonnisi ratione abutentibus dispensetur.

CAPUT IV.

De Eucharistia prout est Sacramentum.

§. I. De essentia, & Materia Sacramenti Eucharistiæ.

1. *Quæst.* Quæ sunt Eucharistiæ nomina?

R. Dicitur 1. *Eucharistia*, quod sit eximia quædam gratiarum actio. Dicitur 2. *Cœna Domini*, quod eam Christus post habitam cum suis Apostolis cœnam instituerit. Dicitur 3. *Communio*, quod per illius usum Christo tamquam capiti, & fidelibus tamquam illius membris communicemus. Dicitur 4. *Viaticum*, eo quod ex hac vita migraturis detur in subsidium adversus invisibiles nostræ Religionis hostes.

2. *Q.* Eucharistia, prout est sacramentum quomodo definitur?

R. Definitur: *Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, ad spiritualem animæ refectionem ab ipsomet Christo institutum.*

3. *Q.* Valetne mox data Eucharistiæ definitio.

R. Valet. Nempe 1. vox hæc *Sacramentum* tenet locum generis; in hoc enim cum ceteris Novæ legis sacramentis convenit. Hoc est, est sicut & sunt, compositum quoddam ex duabus rebus, quarum una, panis nimirum, tenet locum materiæ, & altera, seu verba, tenet locum formæ. 2. Hæ voces, *Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini*, denotant Eucharistiæ tum res quas interius continet, *Corpus & sanguinem Christi*, tum partem externam ex qua constat, nimirum species, seu apparentias panis & vini. 3. Per hæc verba, *Ad spiritualem*

lem animæ refectionem, explicatur discrimen quod inter effectum Eucharistiæ, & effectum aliorum sacramentorum reperitur: scilicet Eucharistia per modum potus & cibi suum effectum in recipientibus producit.

4. *Q.* Quid est id quod in Eucharistia proprie habet rationem Sacramenti?

R. Ipsummet Corpus & Sanguis Christi, non quidem absolute considerata, sed prout sensibilibus panis & vini speciebus obteguntur: scilicet, ex Concilio Tridentino sess. 13. capit. 5. Latriæ cultus *Sacramento* Eucharistiæ debetur.

5. *Q.* Eucharistia quæ duplici specie constat, estne duplex Sacramentum?

R. Non est duplex, sed unum tantum. Nempe unicus est illius finis, animarum scilicet refectio, quæ duplici panis & vini specie repræsentatur.

6. *Q.* Quæ est inadæquata Eucharistiæ materia?

R. Est aut panis, aut vinum: quæ quidem, si simul adhibeantur, constituunt totam & adæquatam materiam.

7. *Q.* Qui panis est necessaria Eucharistiæ materia; hoc est, quis secundum substantiam debet esse panis, ut valide consecretur?

R. Panis triticeus, & non alius. Nempe solus panis triticeus est & vocatur panis *simpliciter*, alii vero panes dicuntur panes *secundum quid*, & cum addito, *panis hordaceus*, *panis siligineus*. At panis quo Christus, dum Eucharistiam instituit, usus est, vocatur panis simpliciter & sine addito.

8. *Q.* Valetne consecratio sive in azymo, sive in fermentato pane?

R. Valet: nempe nec azymus, nec fermentatum mutant substantialiter naturam panis, quem constat esse ex institutione Christi inadæquatam Eucharistiæ materiam: unde merito hæc ait Conc. Florent. in Decr. Unionis: *Definimus, in azymo, sive in fermentato pane triticeo Christi corpus veraciter confici.*

9. *Q.* Estne licita cuique ministro consecratio tam in azymo, quam in fermentato pane?

R. Non est licita. Scilicet tenetur quisque minister Ecclesiæ leges servare: sed ferunt Ecclesiæ leges ut Latini Sacerdotes azymum panem, & Græci fermentatum consecrent. Nempe in Concil. Florent. definitur Sacerdotes in Altari ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

10. *Q.* Quem panem Christus ipse in ultima cum Apostolis cœna consecravit?

R. Consecravit azymum. Scilicet (ut habetur Matthæi cap. 26.) Christus Eucharistiam instituit *prima* die Azymorum; hoc est, ad vesperam qua incipiebant azymorum dies, seu ii, quibus Judæis licitum non erat non modo uti fermentato, sed nec illius frustulum domi servare: ergo Christus, Legis accuratus semper observator, non fermentato, sed azymo pane usus, cum Eucharistiam instituit.

Obj. Christus Eucharistiam instituit pridie Paschatis: ergo & ante primam diem azymorum, qua ad vesperam dies Paschatis incipiebat, proindeque non azymo, sed fermentato pane tunc usus est.

Probatur ant. 1. Ea die qua Christus Eucharistiam instituit, lavit suorum Apostolorum pedes: at lavit ante diem Paschæ: *Ante diem festum Paschæ* (inquit Joannes capit. 13.) *sciens Jesus .... cœpit lavare pedes discipulorum.*

2. Dies Veneris, qua Christus mortuus est, erat Paschæ pervigilium, juxta illud Joannis cap. 18. *Erat autem mane: & ipsi* (Judæi) *non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.*

3. Joannis cap. 16. dies Veneris, qua Christus passus est, dicitur præparatio ad Pascha: *Erat* (inquit) *Parasceve Paschæ.*

4. Judæi decreverant, Christum non esse cruci affigendum die Paschatis; *Dicebant autem* (Joannis, cap. 26.) *non in die festo: ne forte tumultus fieret in populo.* Id tamen accidit, si dies Jovis qua Christus ad vesperam Eucharistiam instituit, incœpit prima die azymorum: siquidem prima dies azymorum erat ipse Paschatis dies cum tota die subsequente, usque ad solis occasum.

R. Ad 1. Joannes loquitur de *die naturali* Paschæ, qui incipiebat ab ortu Solis, & eo anno incidebat in diem Veneris, sed non loquitur de *die ceremoniali*, quæ quidem jam inceperat ad vesperam diei Lunæ 13. quæ incidebat in diem Jovis.

Ad 2. Nomine *Paschæ* Joannes eo loci non intellexit manducationem agni Paschalis, sed hostias in sacrificium per septem dies azymorum ex præscripto Legis offerendas: scilicet Deuteronomii cap. 16. illæ hostiæ vocantur *Phase* seu; quod idem est; *Pascha.*

Ad 3. Parasceve, de quo Joannes loquitur, non fuit ad ipsam diem Paschæ, sed ad diem subsequentem Sabbati, qui eo anno incidebat in secundam azymorum: neque enim dies Paschæ indigebat Parasceve, seu prævia ciborum præparatione, quia ipso Paschatis die, si in Sabbatum non caderet, licebat Judæis ea parare quæ ad victum erant necessaria.

Ad 4. Judæi decreverant quidem in Concilio non occidere Christum ipso die Paschæ, ne forte tumultus fieret in populo: sed ipso die Paschæ nacti occasionem illum perdendi, judicarunt standum non esse suo decreto, veriti scilicet, ne quæ tunc se dabat occasio, postea elaberetur.

11. *Quæst.* Quæ est altera Eucharistiæ materia?

R. Vir-

R. Vinum. Nempe Christus, cum instituit Eucharistiam vinum consecravit, ut habetur Marci 14. illiusque usum ad Eucharistiæ confectionem suis Apostolis hisce verbis injunxit: *Hoc*, seu, quod faciebat ipse, *facite*.

12. *Q.* Aqua debetne admisceri vino consecrando?

R. Debet ex Ecclesiastica lege: *Monet sancta Synodus* (verba sunt Concilii Tridentini sess. 13.) *præceptum esse* AB ECCLESIA *Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant*.

Si quis vero roget cur Ecclesia mixtionem aquæ cum vino consecrando præceperit, dicendum erit præcepisse, 1. quod Apostolica sit Traditio Christum vinum aqua temperatum consecravisse: 2. ea mixtione exhibetur mysterium expressum in aqua & sanguine, quæ de Christi jam mortui latere lancea percusso fluxerunt: 3. exhibetur unio populi fidelis cum Christo Capite, seu docetur, Ecclesiam una cum Christo in Eucharistiæ sacrificio offerri Deo Patri. Vide Cypriani Epistolam ad Cæcilium.

13. *Q.* Aqua quæ vino consecrando admiscetur, mutaturne in Christi Sanguinem?

R. Quæstio illa ad fidem non pertinet. Nimirum propositam sibi ab Archiepiscopo Lugdunensi Innocentius Papa III. (ut patet ex capite *Cum Martha*, Ext. *De celebratione Missarum*) definire noluit.

14. *Q.* Quæ conditiones in vino Eucharistico requiruntur?

R. Requiritur 1. ut integra sit illius substantia; hincque colligitur non valere tentatam aceti consecrationem. 2. Debet esse potabile, quia Eucharistia consecratur in ordine ad sumptionem per modum cibi & potus. *Manducate* (inquit Christus in Evangelio) *Bibite*. Hinc vero colligitur uvam, ex qua nondum expressum est vinum, valide non posse consecrari. 3. Ad decentem, sed non ad validam consecrationem requiritur ut vinum quamdam maturitatem jam sit assecutum: hinc autem infertur mustum non nisi urgente necessitate a sacerdote consecrari debere.

§. II. *De Forma Eucharistiæ*.

1. *Quæst.* Christus consecravitne Eucharistiam absque omni verborum forma?

R. Non consecravit absque omni verborum forma. Nempe Veteres asserunt, Christum panem in Corpus suum his verbis: *Hoc est Corpus meum*, & vinum in suum sanguinem his aliis, *Hic est Sanguis meus*, mutasse. Ita enim expresse docent Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. & sanctus Joannes Damascenus in lib. 4. *de Fide orthodoxa*, cap. 15.

Obj. Innocentius III. in libris *de Mysterio Altaris*, docet, Christum absque ulla verborum forma, sed solo suæ potentissimæ voluntatis imperio, panem & vinum in suum corpus & in suum sanguinem in ultima cœna transmutavisse: ergo, &c.

R. Docet *opinative*, conc. ant. *determinative & definitive*, nego ant. Tunc enim Innocentius non erat summus Pontifex, ac proinde quæ tunc scripsit, opiniones sunt privati Theologi ratiocinantis, non autem Summi Pontificis definientis.

2. *Q.* Quæ est forma verborum per quæ panis consecratur?

R. Ista: *Hoc est corpus meum*. Nam 1. id clare innuit Ambrosius in lib. 4. de Sacramentis, c. 4. ubi sic loquitur: *Consecratio igitur cujus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu*. 2. Id quoque docet Eugenius IV. in Decreto pro instructione Armenorum: *Forma* (inquit) *hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum*, sed illa Christi verba non alia sunt quam ista, *Hoc est corpus meum*: ergo, &c.

3. *Q.* Hæc sola verba: *Hoc est corpus meum*, suntne satis ad validam panis consecrationem?

R. Sunt satis, quia clare exprimunt effectum formæ, seu transubstantiationem, hoc est mutationem panis in corpus Christi, in cujus persona loquitur Sacerdos, cum ea profert in Altari.

Obj. 1. In Liturgia Chrysostomi post prolata Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, Sacerdos a Deo petit mutationem panis in corpus Christi: *Fac quidem panem hunc pretiosum corpus Christi tui*: ergo supponit mutationem nondum per hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, factam fuisse.

R. Dist. ant. petit mutationem *moralem*; hoc est, ut prosint iis qui Sacrificio præsentes sunt, conc. ant. petit mutationem *physicam*, seu qua panis & vinum physice transmutentur, nego ant.

Obj. 2. Patres (ut videre est in Hieronymo ad Evagrium scribente) asserunt Eucharistiam confici per Sacerdotum preces: ergo non conficitur per hæc verba, quæ haud dubie non sunt preces: *Hoc est corpus meum*.

R. Conc. ant. dist. subsumptum. Hæc verba: *Hoc est corpus meum*, non sunt preces *explicite*, conc. subsumptum: non sunt preces *implicite*, nego subsumptum: continent enim invocationem divinæ potentiæ, per quam ex Christi promissione fit transubstantiatio panis in verum Christi corpus.

4. *Q.* Quæ est forma verborum per quæ vinum valide consecratur?

R. Sunt hæc sola verba: *Hic est calix sanguinis mei*, aut (ut habet Marcus) *Hic est sanguis meus*, Nempe clare exprimunt transubstantiationem vini in Christi Sanguinem. Aliqui tamen aliter sentiunt, sed minus probabiliter.

Obj.

Obj. Præter illa verba : *Hic est calix sanguinis mei*, multa alia uno eodemque tenore supra calicem profert Sacerdos; additur enim, *Novi & æterni Testamenti, qui pro vobis & multis effundetur in remissionem peccatorum* : ergo, &c.

R. Dist. ant. Alia multa profert ex Ecclesiæ mandato, ut nempe explicetur sacrificii Eucharistiæ effectus, conc. ant. ex mandato Christi, nego ant.

5. *Q.* Quænam mutationes in Eucharistiæ forma tollunt ejus veritatem?

R. Eæ omnes quæ tollunt sensum formæ, seu quæ efficiunt ne Sacerdos in persona Christi loquatur, aut ne panis aut vini transubstantiatio significetur.

§. III. *De Ministro Eucharistiæ prout est Sacramentum?*

1. *Quæst.* Qui sunt *Ordinarii* Eucharistiæ dispensandæ ministri?

R. Sunt soli Episcopi & Sacerdotes. Nam 1. soli a Christo in ultima cœna jussi sunt Eucharistiam fidelibus dispensare; hoc est, solos Episcopos & Sacerdotes Christus in Apostolis allocutus est, cum dixit: *Hoc facite*, seu non tantum Eucharistiam conficite, ut ego confeci, sed & eam confectam dispensate, sicut & ego eam vobis dispensavi. 2. Ad eos solum pertinet Jus ordinarium Eucharistiam dispensandi, ad quos pertinet illius confectio: atqui ad solos Episcopos & Sacerdotes, &c. Ergo, &c.

Obj. Diaconi quondam in Ecclesia sollemniter Eucharistiam dispensarunt: ergo illius erant ministri.

R. Dist. ant. Ex commissione Ecclesiæ, conc. ant. ex institutione Christi, nego ant. Hincque colligitur Diaconos quondam fuisse Eucharistiæ sollemniter dispensandæ ministros extraordinarios, non autem ordinarios, de quibus solum hic agitur.

2. *Q.* Diaconi possuntne his etiam temporibus ab Episcopo committi ad sollemnem Eucharistiæ dispensationem?

R. Possunt, si urget aliqua necessitas: *Si necessitas urgeat* (ait Canon 38. Concilii Carthaginiensis IV.) *jussus eroget*. Immo, etiam minime jussus, urgente extrema necessitate, potest eam ad ægrotum deferre; *Si necessitas evenerit* (inquit Alcuinus) *& Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem, & det sanctam Communionem*.

3. *Q.* Subdiaconi & alii Clerici Diacono inferiores, possuntne ab Episcopis committi, ut Eucharistiam sollemniter dispensent?

R. Non possunt committi; cum enim id nusquam factum sit in Ecclesia, id non est in Episcopi potestate. Immo non fert præsens Ecclesiarum consuetudo ut subdiaconi aliique Clerici minores, & a fortiori homines laici, sine expressa Romani Pontificis dispensatione, etiam in casu necessitatis, sibi ipsis Eucharisticam Communionem dispensent, licet id olim sæviente persecutione fieret a fidelibus.

§. IV. *De Subjecto Eucharistiæ prout est Sacramentum.*

1. *Quæst.* Apud Latinos estne licitum Eucharistiam infantibus dispensare?

R. Non est licitum; quia sic ferunt jura quæ vigent in Ecclesia Occidentali.

Obj. Nunc in Ecclesia Græca, & olim in Latina per duodecim priora sæcula, infantibus statim post baptismum Eucharistia conferebatur; ergo nunc quoque conferri potest in Ecclesia Latina.

R. Nego conseq. Nempe pluribus abhinc sæculis usus contrarius apud Latinos invaluit, qui quidem instar est legis. Immerito tamen Calvinus damnat Antiquos qui infantes communicarunt. Nam (ut ait Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 4.) *sanctissimi illi Patres sui facti probabilem caussam pro illius temporis ratione habuerunt*.

2. *Q.* Eucharistia debetne dari furiosis, amentibus, energumenis?

R. Iis pro loco & tempore dari debet qui nonnumquam ratione sua fruuntur; possunt enim eo temporis momento sacrum illum cibum a prophano secernere: e contra concedi non debet iis qui nusquam sunt rationis & judicii compotes, quia non possunt (quod vult Apostolus) seipsos probare; nec cibum illum sacrum a prophano distinguere.

3. *Q.* Eucharistia debetne concedi publico peccatori?

R. Concedi non debet, si illum publice non pœniteat: scilicet alioquin grave orietur scandalum, & præterea Sanctum, moraliter loquendo, daretur cani: Si tamen ille casus prævideri possit, consuli debet Episcopus, quia, ex Concilio Tridentino, ad ipsum specialiter pertinet publicæ pœnitentiæ disciplina.

Si quis vero roget quinam, quoad caput de quo agitur, censeri debeant peccatores publici? Respondendum erit intelligi debere eos quorum crimen est omnibus fere notorium, aut notorietate facti, quales sunt Comœdi, Histriones, quidam Usurarii, & alii de quibus loquitur Rituale Parisiense, pag. 73. aut notorietate Judicii Ecclesiastici, aut Civilis.

4. *Q.* Eucharistia potestne negari occulto peccatori?

R. Si eam publice petat, negari non debet: quamdiu enim est occultus, jus habet ad suam apud alios famam. E contra, si eam in occulto petierit, debet negari, in eo nimirum casu nullum in fama (ut supponitur) detrimentum patitur, & alias consulitur

litur debitæ Sacramento reverentiæ. Ita sanctus Thomas.

§. V. *De re quæ in Eucharistia continetur.*

Nota. Quæ spectant ad rem quæ in Eucharistia continetur, reduci possunt, 1. ad existentiam corporalis præsentiæ Christi: 2. ad ejusdem realis præsentiæ modum: 3. ad ea quæ eamdem realem præsentiam consequuntur: 4. ad accidentia panis & vini quæ illam comitantur.

De existentia corporalis præsentiæ Christi in Eucharistia.

1. *Quæst.* Qui sunt ii qui negarunt realem, corporalem & substantialem præsentiam Christi in Eucharistia?

R. Joannes Scotus Erigena qui obiit anno 884. primus inter eos qui admiserunt veritatem Incarnationis, aggressus est dogma de corporali ac substantiali præsentia Christi in Eucharistia. Subsecutus est Berengarius Archidianus Andegavensis circa annum 1035. Subscripserunt sæculo 16. multi in Germania hæretici, quibus tandem adhæsit Calvinus, qui contendit corpus Christi esse in Eucharistia præsens solum quoad virtutem, non autem quoad substantiam & veritatem.

2. *Q.* Realis & substantialis præsentia corporis Christi in Eucharistia potestne demonstrari ex capite 6. Joannis?

R. Potest. 1. Eo in loco Christus de orali manducatione sui corporis, & de orali potu sui sanguinis locutus est; potum enim a manducatione distinxit; quod tamen non fecisset, si de manducatione, aut potu tantum spirituali per fidem locutus fuisset: *Nisi* (inquit) *manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*, &c. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*, &c. Atqui oralis manducatio, oralis potus, seu per os sumptio, supponunt præsentiam realem corporis & sanguinis Christi: in hoc enim differunt a manducatione & sumptione quæ fiunt tantum per fidem; in istis nimirum actus manducandi & actus bibendi a se invicem non distinguuntur.

2. Res quæ per fidem tantum manducantur, aut bibuntur, non sunt *vere* cibus, nec *vere* potus: *Caro mea* (ait ipse eodem Joannis capite 6.) VERE *est cibus, & sanguis meus* VERE *est potus*.

3. Tantum abest ut Christus Judæos qui verba de quibus agitur, intellexerunt de manducatione vera, reali, & orali, deterruerit ab eo sensu, quin e contra illum hacce comminatoria sententia confirmaverit: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Obj. Christus Joannis cap. 6. hæc habet: *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam, Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*: at ea sententia docuisse videtur, ea quæ de Carnis manducatione & de potu sui Sanguinis dixerat, non ad litteram, sed metaphorice tantum sumi debere: ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Caro, hoc est sensus carnalis non prodest quidquam, conc. maj. Caro, hoc est Corpus Christi cum Verbo conjunctum non prodest quidquam, neg. maj. Is igitur est allatæ sententiæ sensus: *Quæ hactenus dixi vobis, res sunt a sensibus maxime dissita, quæ proinde mente sola quæ fide illustrata sit, capi possunt: mirum igitur non est quod vos, ut pote maxime carnales & sensibus dediti, ea minime capiatis.*

Obj. Augustinus enarratione in Psalm. 98. scribit *spiritualiter* intelligi debere, quæ Christus Joannis cap. 6. de sui corporis manducatione, & de potu sanguinis asseruit: ergo ex Augustino intelligi non debent in sensu litterali.

Resp. Conc. ant. dist. conseq. Intelligi non debent in sensu litterali Capharnaitico; hoc est pro manducatione quæ fiat modo communi, quo scilicet res manducata ita dentibus atteritur, ut dividatur in frusta, conc. cons. in sensu litterali non Capharnaitico, quo nimirum res manducata revera trajicitur in stomachum manducantis, sed sine ulla læsione & divisione, nego conseq.

3. *Q.* Corporalis præsentia Christi in Eucharistia potestne demonstrari ex verbis quibus Christus Eucharistiam instituit?

R. Potest. Nempe Christus cum Eucharistiam instituit, hisce verbis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, usus est, ut patet ex Matthæi cap. 26. Marci 14. Lucæ 22. Primæ ad Cor. 11. Atqui ea verba demonstrant corpus & sanguinem Christi esse realiter & substantialiter in Eucharistia: nam alioquin Christus falsum dixisset: tunc nimirum aliquis falsum dicit, quando rem significatam prædicat *simpliciter* de signo, quod nullo prorsus hominum usu sumitur pro signo; sic mentiretur is qui de quercu simpliciter & absolute diceret, quod sit Alexander Magnus: atqui Christus rem significatam seu corpus suum, & sanguinem suum absolute & simpliciter prædicasset de signo (seu de pane & vino) quod nullo prorsus hominum usu pro signo sumitur; neque enim quisquam panem sumpserat pro signo, seu figura corporis humani, nec vinum pro figura sanguinis humani alicujus: ergo, &c.

Obj. 1. Ea verba: *Hoc est corpus meum; Hic est Sanguis meus*, in sensu litterali sumpta, contradictionem implicant: nempe pronomen *Hoc*, sumitur pro pane, sicut & pronomen *Hic*, pro vino: ac proinde hæc verba:

Hoc

Hoc est corpus meum; *Hic sanguis meus*, ad litteram sumpta faciunt hunc sensum: *Hic panis est meum corpus. Hoc vinum est meus sanguis*: at ille sensus contradictionem implicat; neque enim panis potest esse simul panis & corpus humanum, nec vinum potest esse simul vinum & sanguis humanus: ac proinde Evangelica verba sumi debent in sensu metaphorico, ita ut hunc sensum reddant: *Hic panis est figura corporis mei. Hoc vinum est figura sanguinis mei.*

R. Dist. min. Atqui iste sensus: *Hic panis est corpus meum. Hoc vinum est sanguis meus*, implicat contradictionem, si corpus dicatur de pane sumpto secundum significationem *permanentem*; hoc est, ut panis remaneat substantialiter panis, conc. min. Si corpus dicatur de pane sumpto secundum significationem *transeuntem*: hoc est, ita ut panis desierit esse panis, & vinum desierit esse vinum post completam & finitam prolationem verborum, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, nego min. Ratio est, quia sermo Christi in eo casu fuit *operatorius* sermo, de cujus natura est, ut subjectum mutet in naturam prædicati, sicut si Christus aquam in vinum mutans in nuptiis Cana dixisset, *Aqua hæc est vinum*.

Obj. 2. Ex re ipsa, quam Christus conficiebat, Apostoli plusquam satis determinati erant, ut Evangelica verba: *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, metaphorice sumerent: scilicet Christus instituebat Sacramentum; at de sacramenti natura est, ut quæ de illo prædicantur, non ad litteram, sed figurative sumantur: ergo, &c.

R. Dist. min. De natura Sacramenti est ut quæ de illo prædicantur prout est Sacramentum, hoc est, prout est signum, metaphorice sumantur, conc. min. prout est res aliqua realis, nego min. Christus in verbis Evangelicis: *Hoc est corpus meum*, non prædicavit suum corpus de pane prout est Sacramentum, seu signum, quia revera panis non est signum humani corporis, sed prout panis est res aliqua realis; unde necesse est ut Apostoli eo loquendi modo Transsubstantiationem panis in Christi corpus agnoverint.

4. *Q.* Realis præsentia corporis Christi in Eucharistia potestne ex sanctis Patribus demonstrari?

R. Potest demonstrari. Nam 1. SS. Patres crediderunt Christi verba: *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, non debere sumi metaphorice, sed in sensu litterali & proprio: nusquam nimirum metaphoricum illum sensum explicuerunt; id tamen erat valde necessarium, tum quod facile non veniat in mentem eorum qui Evangelica illa verba audiunt; tum quod grave fuerit periculum ne fideles ea verba audientes, sensum litteralem intellexerint, sicut omnes Orbis Christiani fideles eum a Christi morte usque ad Scoti Erigenæ tempora, & a Berengario usque ad sæculum XVI. illum intellexere.

2. Nonnullos fideles olim subiit tentatio dubitandi, an Christus sit præsens in Eucharistia: *Quomodo* (inquiunt apud Ambrosium in libro de iis qui mysteriis initiantur, capite 9.) *tu dicis mihi quod Christi Corpus accipiam?* Patres vero dubium illud expugnarunt urgendo hæc Evangelica verba: *Hoc est Corpus meum*: atqui immerito eis curæ fuisset urgere illa verba, & quidem sine ulla prorsus explicatione, si non censuissent ea sumi debere in sensu proprio & litterali, non autem in metaphorico.

3. Patres asseruerunt quod fideles *veram* Christi carnem, *verum* Christi sanguinem in Eucharistia recipiant, ut videre est apud Ambrosium lib. 6. *de Sacramentis* cap. 1. Asseruerunt Eucharistiam continere *proprium ipsummet* Christi corpus: *Seipsum* (ait Chrysostomus hom. 83. in Matthæum) *tibi tradit, non ut videas solum, verum etiam ut tangas, & in te habeas.*

Obj. 1. Patres non semel Eucharistiam vocarunt Antitypum, imaginem, figuram corporis & sanguinis Christi: ergo, &c.

R. Dist. ant. secundum *externam* illius partem, conc. ant. Nempe species panis & vini, quæ etiam post consecrationem remanent, sunt imago & figura corporis Christi: Secundum partem *internam* quam continet, nego ant. Licet Catholici credant Christi corpus esse substantialiter in Eucharistia, eam tamen his etiam temporibus passim vocant Sacramentum: hoc est, *signum* corporis & sanguinis Christi: mirum igitur non est quod Patres, licet persuasum eis fuerit eam continere realiter ipsummet Christi corpus, nonnumquam *signum*, Antityphum, figuram & imaginem corporis Christi eam appellaverint.

Obj. 2. Tertullianus *metaphorice* exponit Evangelica verba: *Hoc est corpus meum*; sic enim loquitur libro 4. contra Marcionem capit. 40. *Acceptum panem, Corpus suum, illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, idest* FIGURA *corporis mei*: ergo, &c.

R. Dist. ant. Et illa verba, *Id est, figura corporis mei*, referuntur ad hanc vocem *Panem*, & ea conjungi debent, conc. ant. Referuntur ad hæc verba: *Hoc est corpus meum*, & cum iis conjungi debent, nego ant. Sic enim Tertulliani verba disponi debent: *Hoc, id est, panis qui in Antiquo Testamento erat figura mei corporis, jam est corpus meum*: hincque Tertullianus contra Marcionem concludit, veterem Legem non fuisse malam, cum illius figuras ipse Christus cum instituit Eucharistiam, impleverit.

Obj. 3. Patres docuerunt, eos qui fide carent, non manducare corpus Christi, ut videre est apud Augustinum Tractatu 25. in Joannem: ergo, &c.

R. Dist. ant. Non manducare corpus Christi, ratione *fructus* quem Eucharistiæ receptio per se nata est parere, conc. ant. ratione *rei* quam continet, neg. ant.

5. *Q.* Corporalis Christi præsentia in Eucharistiæ sacramento, potestne ex *Præscriptione* demonstrari?

R. Potest. Nempe argumentum quod *Præscriptionis* vocant, est illud quo demonstratur Ecclesiam idem de dogmate aliquo credidisse semper quod nunc credit: atqui demonstrari potest Ecclesiam semper id de Eucharistia credidisse quod nunc credit: siquidem 1. assignari non potest *tempus*, quo aliqua mutatio eo in capite contigerit. 2. Appellari non possunt *auctores*, qui illam mutationem primum invexerint. 3. Dici non potest *qua via* fides de reali præsentia in omnes ubique gentium Ecclesias irrepserit. 4. Fieri non potuisset mutatio de qua agitur, quin plures tum ex Episcopis, tum ex Theologis, tum ex fideli populo, illi sollemniter & publice contradixissent: neque enim mutatur fides, quin hinc & inde disputationes, strepitus & alia hujusmodi contingant: idque videre est in Berengario, qui ubi undecimo sæculo invehere tentavit doctrinam de absentia reali corporis Christi in Eucharistia, omnes fere ad unum Orbis Episcopos passus est adversarios, ubique tum doctorum hominum scriptis, tum Conciliorum Decretis illi contradictum fuit. Unde locum hic habet illud Tertulliani in libro de Præscriptionibus: *Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*.

6. *Q.* Corporalis præsentia Christi in Eucharistia potestne philosophicis argumentis expugnari?

R. Non potest: quæ enim ab heterodoxis ex Philosophia petuntur objectiones, facile solvuntur a Catholicis.

Obj. 1. Ex doctrina de præsentia Corporali sequitur 1. unum & idem corpus esse simul in pluribus locis, ejusque partes sub exigua quantitate contineri. Sequitur 2. accidentia panis & vini absque ullo substantiali subjecto remanere. Sequitur 3. falsum esse testimonium sensuum, a quibus panis & vinum eodem modo percipiuntur, ac si revera adesset illorum substantia: sed hæc absurda sunt: ergo, &c.

R. Conc. maj. nego min. Nempe decuit jugiter illa miracula fieri, ut fidei de præsentia corporali locus daretur. Ita docent antiqui Patres, Gregorius Nyssenus Orat. Cath. cap. 87. Chrysostomus in lib. 3. de Sacerdotio, Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. Mystagogica.

Obj. Inutilis est Corporalis præsentia Christi in Eucharistia: Christus scilicet, si in ea secundum virtutem præsens supponatur, reipsa fidelem animam interius reficiat: ergo, &c.

Resp. Nego ant. Christus enim pro sua in homines summa caritate, elegit illud medium, seu sui corporalem præsentiam, præ aliis mediis quæ poterat eligere: *Parentes* (inquit ipsemet Christus apud Chrysostomum, hom. 43. in Joannem) *sæpe numero liberos suos aliis alendos dederunt: ego autem meâ Carne alo*. Vide integram mox laudati sancti Præsulis homiliam.

De modo Corporalis præsentiæ Christi in Eucharistia.

1. *Quæst.* Verbum Divinum estne in Eucharistia per impanationem?

R. Non est per impanationem, hoc est, substantialem sui cum pane unionem: alioquin enim dici deberet quod panis sit corpus Verbi, quemadmodum, propter unionem hypostaticam, de Christi carne dicitur quod sit Verbi caro: sed hoc dici non potest: nempe Matthæi cap. 26. corpus de quo agitur in verbis Evangelicis: *Hoc est corpus meum*, est illud de quo Christus addidit; *Quod pro vobis tradetur*: atqui panis non erat Corpus quod pro nobis tradendum erat: ergo &c.

2. *Q.* Corpus Christi estne in Eucharistia per Consubstantiationem?

R. Non est per Consubstantiationem: hoc est, in pane qui post consecrationem supersit & remaneat. Alioquin enim dicendum esset in his Evangelii verbis; *Hoc est Corpus meum*, prædicatum, *Corpus*, asseri de pane demonstrato per nomen, *hoc*, tamquam de subjecto, aut loco, in quo contineretur: atqui id dici non potest: nempe res contenta non prædicatur simpliciter & sine explicatione de subjecto continente, nisi forte in rebus in quibus ille loquendi modus invaluit, ut cum de dolio dicitur quod sit vinum. At Christi tempore usus non invaluerat, nec jam etiam invaluit, ut humanum corpus prædicaretur simpliciter de pane tamquam de subjecto in quo contineatur; proindeque in systemate de Consubstantiatione, perabsurda, immo & falsa fuisset Christi sententia, *Hoc est Corpus meum*.

3. *Q.* Christus estne in Eucharistia per panis & vini Transubstantiationem in Corpus & Sanguinem illius?

R. Est per Transubstantionem. Nam 1. Evangelica verba, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, cum (ut superius ostensum est) nullam metaphoram contineant, necessario includunt transubstantiationem, sicut & eam inclusissent ista, *Hoc est vinum*, si prolata fuissent a Christo, cum in nuptiis Canæ aquam in vinum convertit.

2. Patres transubstantiationem expresse docuerunt. Nempe contenderunt 1. panem & vinum per consecrationem mutari in Corpus & Sanguinem Christi: *Aquam* (inquit Cyrillus Catech. 4. mystagog.) *aliquando mutavit*

vit in vinum : & non erit dignus cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutarit? Contenderunt 2. panem, qui in Eucharistia videtur, non esse realiter panem. 3. Fidendum non esse sensibus, licet post Eucharistiæ consecrationem eodem modo afficiantur, ac si reperiretur ipsa panis substantia : *Non esse panem* (ait Cyrillus mox laudatus (*etiamsi gustus panem esse sentiat*.

3. Huc etiam referri potest argumentum, quod *Præscriptionis* vocant : hoc est, Ecclesia Christiana ubique gentium crediderat semper transubstantiationem, cum Lutherus consubstantiationem sæculo 16. conatus est invehere : eamque jam temporis credit non Occidentalis tantum Ecclesia : hoc est, quæ Romano Pontifici communione jungitur, sed etiam Orientales omnes, sive Catholicæ, sive schismaticæ, sive hæreticæ, sive etiam a se invicem in aliis gravissimis capitibus dissidentes.

Obj. 1. Patres Eucharistiam, etiam post consecrationem, non semel vocarunt *panem & vinum* : ergo, &c.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est, quia res potest appellari iis nominibus, quæ licet ei, prout est a parte rei, non conveniant, ei tamen conveniunt prout nobis apparet.

Obj. 2. Si panis in Eucharistia non remaneret, Deus ipse, qui sensus dedit nobis ad cognoscendam rerum veritatem, nos ipsos deciperet : sed hoc est absurdum : ergo, &c.

R. Deus hac in re nos nequaquam decipit. Nempe asserendo de pane quod sit suum Corpus, *Hoc est Corpus meum*, monuit *implicite* ne ex sensuum perceptione de Eucharistia post consecrationem judicaremus.

Obj. 3. Gelasius Papa, in lib. *De duabus in Christo naturis*, hæc ait, *Et tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini*. Similia scribit Theodoretus Dialogo 1. quem *Impatibilis* inscripsit : *Manent* (inquit de pane & vino loquens) *in priore substantia, & figura, & forma* : ergo, &c.

R. Ad 1. Nomine *Substantiæ* Gelasius intelligit quod jam per *Species* & per *Accidentia* intelligimus. Ratio est, quia ibidem conceptis terminis asserit panem & vinum *in divinam transire, sancto Spiritu perficiente, substantiam*. Eadem est Theodoreti sententia : scribit nimirum se *substantiæ* nomen sumere, pro eo quod *videri, tangique possit sicut prius*.

4. *Q.* Quo tempore *Transubstantiationis* nomen cœpit usurpari, ut explicaretur modus quo Christi Corpus est præsens in Eucharistia?

R. Res illo nomine significata, fuit quidem semper a Christianis credita, sed ipsum *Transsubstantiationis* nomen, licet jam ante Concilium Lateranense IV. apud aliquos esset in usu, ut videre est in Stephano Æduensi & Petro Blesensi ; tamen nonnisi post illud Concilium apud omnes adhibitum fuit.

De iis quæ comitantur & sequuntur Corporalem Christi præsentiam in Eucharistia.

1. *Quæst.* Corpus Christi habetne quantitatem in Eucharistia?

R. Habet. Nempe habet partes extra se invicem ; ita tamen ut se ipsas invicem penetrent : unde Corpus Christi totum est sub minima specierum parte.

Obj. Quantitatis essentia posita est in extensione : sed Christi corpus non est extensum in Eucharistia : ergo, &c.

R. Disting. maj. Posita est in extensione *in ordine ad se*, ita ut partes sint extra partes, conc. maj. In extensione in ordine ad locum, ita ut partes sese ab eodem loco excludant, nego maj. Hincque patet impenetrabilitatem actualem, non esse de essentia quantitatis, sed (ut loquuntur Thomistæ) exigitivam tantum & radicalem, qualis fuit in Christi corpore, cum cœnaculum januis clausis ingressum est.

2. *Q.* Corpus Christi estne in Eucharistia *definitive*, aut *circumscriptive*, aut alio modo peculiari?

R. Corpus Christi non est 1. *definitive* : quia rem esse *definitive* est eam ita esse in uno loco, ut non sit in alio : sic autem Christi corpus non est in Eucharistia : est enim præterea in cælis. 2. Non est quoque *Circumscriptive*, nec enim illius partes respondent variis locis, aut spatii partibus. 3. Est præsens modo peculiari, qui quod careat simili, *Sacramentalis* vocatur.

3. *Q.* Quænam sunt in Eucharistia *Vi verborum*, quænam vero tantum per *Concomitantiam*?

R. Sunt *vi verborum* ea tantum quæ distincte exprimuntur in forma : sic solum Corpus est, *vi verborum*, sub speciebus panis, quia solum distincte exprimitur in forma per quam panis consecratur ; *Hoc est Corpus meum*. Sunt vero præsentia *per Concomitantiam* ea quæ distincte non exprimuntur in forma : sic Sanguis est sub specie panis & Corpus est sub specie vini : dicuntur vero esse *per Concomitantiam*, quia a parte rei sunt unita iis quæ sunt *vi Verborum*. Vide Concil. Trid. sess. 13. ca p. 13. ubi argumentum de quo agitur, clarissime explicatur.

4. *Q.* Quantitas Corporis Christi propria estne in Eucharistia *vi verborum*, an vero *per concomitantiam*?

R. Est præsens *vi verborum*. Nempe quantitas exprimitur, cum exprimitur corpus humanum : neque enim (ut jam superius observatum est) aliquod corpus potest esse alicujus determinatæ speciei, nisi habeat partes extra partes, ac proinde nec sine quantitate, qua efficiatur ut substantia partes habeat extra partes.

De iis quæ sequuntur Corporalem Christi præsentiam in Eucharistia.

1. *Quæst.* Adorationis seu Latriæ cultus debitus, sequiturne ex præsentia corporali Christi in Eucharistia?

R. Sequitur necessario; ubicumque enim Corpus Christi reperitur, est hypostatice cum Verbo conjunctum: at Corpori quod cum Verbo hypostatice conjunctum est, debetur cultus latriæ.

Obj. 1. Christi corpus non est in Eucharistia ante illius usum; ergo tunc solum exhiberi debet cultus latriæ, cum Eucharistia actu & de facto sumitur.

R. Nego ant. Scilicet Corpus Christi nunc est ante illius usum præsens in Eucharistia, si in ultima cœna Christi cum Apostolis præsens fuerit, antequam Apostoli illud sumerent: sed de facto res sic se habuit: nam alioquin Christus mentitus fuisset, cum dixit de pane quod esset suum Corpus: siquidem prolata fuerunt Evangelica verba; *Hoc est Corpus meum*, antequam Apostoli panis speciem sumerent.

Obj. 2. Non legitur in Scripturis quod Christus præceperit Eucharistiæ adorationem, sed solum illius usum; *Accipite & manducate*: ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Non præcepit *explicite*, conc. ant. *implicite*, nego ant. Scilicet ad præceptum illud implicitum satis fuit ut moneret Apostolos suum Corpus, Verbo hypostatice conjunctum, in Eucharistia realiter contineri.

2. *Q.* Piane est consuetudo quæ fert, ut peracta fidelium communione, Christi Corpus reservetur?

R. Est maxime pia; nempe fuit in usu primis & purioribus Ecclesiæ sæculis. Nam 1. Romani Pontifices Eucharistiam ad Episcopos in signum mutuæ Communionis mittebant; ut videre est in Epistola Irenæi ad Victorem Papam. 2. Cypriano teste in libro *de Lapsis*, tradebatur fidelium in manus, ut ea domi quotidie sese reficerent. 3. Servabatur quoque (teste Concilio Laodicæno) ad Missam Præsanctificatorum.

3. *Q.* Estne perantiqua consuetudo Eucharistiam deferendi ad absentes?

R. Est perantiqua. Scilicet secundo Ecclesiæ sæculo illius non tamquam rei novæ, sed antiquæ, & ubique servatæ meminit Justinus Martyr in altera pro Christianis Apologia.

4. *Q.* Quandonam instituta est Corporis Christi festivitas? Quandonam cœpit publica illius circumgestatio in processionibus? Quandonam cœpit sollemnis & publica illius expositio?

R. Festivitas anno 1264. primum ab Urb. Papa IV. instituta est: Circumgestatio vero paullo ante Martini Papæ V. tempora, qui illius non tamquam rei a se institutæ, sed quæ jam esset in usu, meminit in Constitutione quæ incipit, *Ineffabile Sacramentum*. Publicæ illi circumgestationi sollemnis expositio suam debet originem. Vide de iis omnibus ritibus quæ a nobis scripta sunt in Commentario Historico & Dogmatico *De Sacramentis in genere & specie*.

5. *Q.* Accidentia panis & vini remanentne in Eucharistia consecrata?

R. Remanent Accidentia, quæ non aliud sunt quam qualitates seu species panis & vini: color nimirum, sapor, & alia hujusmodi. Eæ vero qualitates a nonnullis Patribus qui transubstantiationem expresse docuerunt, vocantur *panis & vinum*; a Conc. Lateranensi IV. vocantur *panis & vini species*; a Conc. Constantiensi Wiclefum damnante dicuntur *Accidentia panis & vini*: ita etiam nominantur in Concil. Trident. sess. 13. can. 2. species.

6. *Q.* Estne de fide quod *omnia* accidentia panis & vini remaneant in Eucharistia sine aliquo subjecto?

R. De fide est, quod remaneant sine subjecto *substantiali*, idest, pane & vino: sed non est de fide quod remaneant absque omni subjecto *accidentali*: neque enim damnati fuerunt Thomistæ qui contendunt saporem, colorem, gravitatem immediate recipi in panis & vini quantitate, quæ (ut supra dictum est) remanet in Eucharistia consecrata.

§. VI. *De Effectibus Sacramenti Eucharistiæ.*

1. *Quæst.* Eucharistiæ Sacramentum confertne gratiam iis, qui, eo quo par est modo dispositi, eam recipiunt?

R. Confert. Nempe 1. animæ dat vitam: *Panis* (ait Christus Jo. 6.) *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. 2. Efficit ut Christus in anima, & anima in Christo maneat, juxta illud Evangelii Jo. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. 3. Nutrit animam: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*: ergo producit gratiam, seu caritatem; caritas enim est (August. teste) animæ vita, sicut anima est vita corporis.

2. *Q.* Adeptio vitæ æternæ estne effectus Sacramenti Eucharistiæ?

R. Est illius effectus. Nempe Eucharistia est immortalitatis semen: *Et ego resuscitabo eum* (qui manducat meam carnem) *in novissimo die*. 2. Eucharistia est pignus felicitatis æternæ: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Verum quamvis *per se* duplicem illum effectum habere debeat; eo tamen *per accidens* nonnumquam frustratur, ratione nimirum infirmitatis subjecti in quo recipitur, alimenti commu-

munis adinstar, quod quidem licet per se possit sumentis vitam servare, non servat tamen semper propter illius infirmitatem.

3. *Q.* Eucharistiæ Sacramentum remittitne peccata mortalia?

R. Non remittit *per se*. Siquidem 1. se habet in anima sicut cibus in corpore: sed cibus non expellit mortem a corpore: ergo nec Eucharistia eam ab anima depellit; ac proinde *per se* non delet peccata mortalia, cum sint in anima, quod mors est in corpore. 2. Eucharistia non est Sacramentum *mortuorum*: at sola Sacramenta mortuorum *per se* remittunt peccata lethalia.

Obj. In ipsa Eucharistiæ institutione Christus asseruit illi remissionem peccatorum: *Hic est calix* (ait) Matth. 36. *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: ergo, &c.

R. Dist. ant. Eucharistia prout est Sacrificium, conc. ant. per eam enim sic exceptam obtinetur donum contritionis. Prout est Sacramentum, nego ant. Vide quæ dicentur inferius de effectu Sacrificii.

4. *Q.* Eucharistiæ Sacramentum remittitne peccata venialia?

R. Remittit; quatenus nimirum dat quoddam velut jus ad auxilia actualia, per quæ ferventes caritatis actus exerceantur, quibus peccatorum venialium & reatus & affectus tolluntur. Præservat quoque a mortalibus: cum enim hominem fortiorem & validiorem reddat, efficit, ut si aliquæ tentationes insurgant, facilius superentur. Unde Christus in Evangelio ait Joan. 6. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

Obj. Licet aliqui reprobi Eucharistiam in statu gratiæ recipiant, a futuris tamen peccatis non præservantur: ergo Eucharistia non præservat a futuris peccatis; ac proinde in hoc non opponitur manna quod Judæi manducaverunt in deserto.

R. Disting. conseq. Non præservat *per accidens*, quia nimirum recipitur in subjecto defectibili, conc. cons. Non præservat *per se*, nego conseq. In hoc Eucharistia opponitur mannæ Judæorum, quod *per se* vim habeat præservandi a peccatis futuris, cum manna e contra vim illam non haberet.

5. *Q.* Quo temporis momento Eucharistiæ Sacramentum effectum suum præcipuum, scilicet gratiæ sanctificantis augmentum, in recipiente producit?

R. Producit eo momento, quo verum est dicere quod in stomachum trajecta est; tunc enim impletum est Christi præceptum: *Accipite, Manducate, Bibite.*

6. *Q.* Suntne obices aliqui, quibus Eucharistiæ, prout est Sacramentum, effectus impediantur?

R. Sunt. Nempe 1. conscientia peccati lethalis eos impedit *ex toto*, ut loquitur sanctus Thomas; quia cum sit Sacramentum vivorum non operatur, nisi in subjecto quod vivit per dominantem caritatem, seu per amorem Dei super omnia. Confirmatur ex sanctis Patribus qui quovis sæculo hanc Apostoli sententiam 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indigne judicium sibi manducat & bibit*, explicarunt de iis qui Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis reciperent; unde ubique ante Communionem Diaconus inclamabat: *Sancta Sanctis.*

Si quis vero roget utrum peccata lethalia, sed quorum conscientia non habeatur, *ex toto* impediant effectum Sacramenti Eucharistiæ; dicendum erit cum S. Thoma 3. p. q. 80. art. 4. impedire omnino, immo & sacrilegam reddere Communionem in iis qui *sua culpa* ignorant se in statu peccati mortalis versari: e contra vero non impedire *ex toto* in iis qui non sua culpa id ignorantes, affectum habent ab iis peccatis liberum: in eo nimirum casu illa peccata censentur includi in iis quæ ille impius per contritionem cum voto Sacramenti Pœnitentiæ conjunctam detestatur.

2. Amor voluntarius peccatorum venialium, sed qui subreptitius sit, non impedit *ex toto* sacræ Communionis effectum: quia non depellit ex anima dominantem caritatem in Deum, seu Dei amorem super omnia: sed licet non impediat *ex toto*, illum tamen impedit *ex parte*, sicut levis debilitas stomachi impedit *ex parte* cibi communis effectum.

3. Voluntarius peccatorum venialium ac pluribus actibus confirmatus amor adducit in periculum Communionis indignæ. Ratio est, quia peccatorum venialium, quæ sæpius ex advertentia rationis commissa sunt, amor voluntarius disponit ad peccatum mortale: multum scilicet auget cupiditatem, plurimum minuit caritatem. Vide sanctum Bonaventuram in libro *de præparatione ad Missam.*

§. VII. *De Necessitate, & usu Sacramenti Eucharistiæ.*

1. *Q.* Usus Eucharistiæ estne ad salutem necessarius necessitate medii?

R. Non est necessarius *necessitate medii*. Quia independenter ab Eucharistia impius potest justificationis gratiam comparare, per Baptismum nimirum & Pœnitentiam.

Obj. 1. Christus Jo. 6. sic loquitur: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ergo usus Eucharistiæ necessarius est necessitate medii.

R. Nego conseq. Ratio est, quia illa particula *Nisi*, non complectitur omnes omnino ho-

homines; cum omnes, parvuli v. g. amentes, & plures alii non sint capaces probationis ab Apostolo ad Eucharistiam prærequisitæ: ac proinde intelligitur tantum de necessitate præcepti, non autem de necessitate medii.

Obj. 2. S. August., multique alii Patres asseruerunt Eucharistiæ usum ipsis etiam infantibus esse necessarium necessitate medii: unde Majores nostri illam olim statim post baptisma parvulis conferebant: ergo, &c.

R. Dist. ant. Esse necessarium necessitate medii, quoad illius effectum; hoc est, quoad conjunctionem fidelium cum Christo, velut membrorum cum capite, conc. ant. quoad illius substantiam, nego ant. Nempe ille Eucharistiæ effectus ab infantibus habetur per Baptismum quo caritas eis infunditur: *Ut autem* (ait August. tract. 27. in Joan.) *simus membra ejus, unitas nos compaginat; ut compaginet unitas, quæ facit nisi caritas?*

2. *Q.* Eucharistiæ usus estne cuilibet adulto necessarius necessitate præcepti?

R. Est. Et quidem 1. de necessitate præcepti *Divini*: scilicet cum Christus Apostolis injunxerit ut fidelibus Eucharistiam dispensarent; *Hoc facite*; id est, Consecrate & distribuite, ut me consecrantem & distribuentem vidistis; fidelibus consequenter injunxit, ut illam reciperent. 2. Etiam necessitate præcepti *Ecclesiastici*; quod quidem legitur in Can. 21. Concil. Lateranensis IV. sub Innoc. Papa III. necnon in Conc. Trid. sess. 13. can. 9.

3. *Q.* Quo vitæ tempore fideles ligat *Divinum* de Communione Eucharistica præceptum?

R. Ligat 1. sæpius in vita: est enim animæ cibus; ac proinde sicut corpus sæpe cibo indiget, ita & animus Eucharistia. Ligat 2. in morali vitæ periculo: unde Majores nostri curarunt semper, ne quis adultus debite dispositus, sine illo ac maxime necessario viatico ex hac vita dimitteretur.

4. *Q.* Quo tempore fideles *Ecclesiastico* præcepto tenentur ad Eucharistiam accedere?

R. Tenentur semel saltem in anno, in Paschate scilicet. Ita post Conc. Lateranense IV. Trid. Synodus sess. 13. definiit.

5. *Q.* Qui indigne communicavit in Paschate, fecitne satis *Ecclesiastico* de annua Communione præcepto?

R. Non fecit satis. Eamdem enim Communionem præcipit Ecclesia, quam Christus ipse præcepit: illius enim præceptum non aliud est, quam divini præcepti determinatio ad certum & determinatum tempus. Unde merito ab Innoc. Papa XI. & postea a Clero Gallicano ad Comitia Generalia ann. 1700. coacto, ad minus tamquam scandalosa & in praxi perniciosa damnata fuit hæc Propositio: *Præcepto Communionis* ANNUÆ *satisfit per sacrilegam Domini manducationem*.

6. *Q.* Confessarius potestne ex caussa pœnitenti injungere, ut Paschalem Communionem differat?

R. Potest: immo, & nonnumquam tenetur. Ita enim declaravit Conc. Later. IV. *Nisi forte* (inquit) *de consilio proprii Sacerdotis, & ob rationabilem caussam ad tempus duxerit abstinendum*.

7. *Q.* Frequens usus Eucharistiæ estne *per se* utilis, & maxime consulendus?

R. Est *per se* plurimum utilis; atque adeo *per se*, hoc est, abstrahendo a circumstantiis particularibus, consulendus est: scilicet *in se* & absolute loquendo, bonum est accedere sæpius ad gratiarum omnium fontem & principium; sed licet *per se* utilis sit, nonnumquam tamen *per accidens*, hoc est, ratione dispositionum in quibus sunt ii qui possunt accedere, utilis non est.

Et quidem 1. Utilis non est, immo noxius est iis hominibus qui gentiliter vivunt; hoc est, iis qui honestatem moralem præ se ferentes, ac exterius obeuntes Christianæ religionis officia, Christi Spiritum non habent: hoc est, nec humilitati, nec mortificationi, nec paupertati, nec caritatis exercitiis dant operam. Hincque colligitur merito ab Innocentio Papa XI. & postea a toto Clero Gallicano damnatam fuisse propositionem hisce terminis conceptam: *Frequens Confessio & Communio etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis*.

2. Non est quoque utilis iis hominibus qui sæpius in peccata mortalia ex consuetudine relabuntur: Nempe non censentur liberi ab affectu peccati mortalis: unde ob id donari non debent nec ipsa absolutione sacramentali, nisi postquam suam emendationem operibus probaverint.

3. Frequens Eucharistiæ usus iis tantum concedi debet, qui liberi sunt non quidem a *reatu*, sed ab *affectu* peccatorum venialium: *Omnibus* (inquit Gennadius) *Dominicis diebus Communionem suadeo, & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi sit*. Eadem est sancti Francisci Salesii doctrina Epistola 17. Hominem vero liberum esse ab affectu peccandi colligitur ex mortificatione sensuum, occasionum fuga, studio mutuæ caritatis conservandæ, & mox redintegrandæ, si vel leviter læsa fuerit.

8. *Q.* Communio Eucharistica sub utraque panis & vini specie, estne fideli populo, aut Sacerdotibus qui actu non sacrificant, necessaria necessitate præcepti divini?

R. Non est necessaria necessitate præcepti divini. Ita nimirum Concilium Constantiense contra Joannem Hus, Basileense contra fratres Bohemos, & tandem Tridentinum contra Lutheranos & Calvinistas definierunt.

Idque probari potest 1. ex eo quod nec Apostoli, nec qui sub eorum oculis vixerunt fideles, *semper* sub utraque specie communicave-

caverint. Christus discipulis in Castello Emmaus Eucharistiam sub sola panis specie dispensavit: *Cognoverunt eum* (ait Lucas c. 24.) *in fractione panis*. Actorum 2. de fidelibus dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & Communione fractionis panis, & orationibus*. Paulus 1. ad Cor. 11. sub disjunctiva particula *vel*, Eucharistiæ usum describit: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, VEL biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*.

Probari potest 1. ex Traditione. Ex Cypriano libro *de Lapsis*, satis aperte colligitur infantes (quibus statim post baptismum Majores nostri Eucharistiam conferebant) sub vini tantum specie communicasse. Communio domestica, cujus Tertullianus meminit lib. 2. ad uxorem, sub sola panis specie fieri solebat. Ante Leonis Magni tempora liberum erat cuique fideli Eucharistiam sub sola panis specie sumere: ob id enim Manichæi, quibus vini usus summa erat impietas, irrepebant in fidelium Synaxes: sed ut prohiberentur, mox laudatus Papa publico edicto sanxit, ut deinceps quisque fidelis in templis utramque speciem sumeret. Tandem Missa Præsanctificatorum, cujus meminit Concilium Laodicenum quarto ineunte sæculo celebratum, & quæ etiam his temporibus per Quadragesimale tempus apud Græcos habetur Liturgia, offerri solet sub una tantum panis specie.

Obj. 1. Christus Joannis 6. utriusque speciei usum cuique fideli præcepit: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, Et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ergo, &c.

R. Nego ant. Ratio est, quia particula *Et* eo in loco sumitur pro disjunctiva *vel*: ita enim explicatur ab Apostolo 1. ad Corinth. 11. *Quicumque manducaverit panem hunc, VEL biberit calicem Domini indigne*, &c.

Obj. 2. Christus in ultima cœna usum Calicis omnibus præcepit. *Bibite* (inquit) *ex hoc omnes*: ergo, &c.

R. Disting. ant. Omnibus *Apostolis* præcepit, cum nimirum oblaturi erant sacrificium, conc. ant. Omnibus *fidelibus*, nego ant. Unde Marcus narrat illud Christi præceptum fuisse in Apostolis completum: *Et biberunt* (inquit) *ex illo omnes*.

Obj. 3. Fideles laici *passim ordinarie* sub utraque specie communicarunt per duodecim priora sæcula, ut videre est apud S. Thomam 3. p. q. 80. art. 12. Ergo id agebant ex divino præcepto.

R. Conc. ant. nego conseq. Id enim per plura sæcula usque ad Leonem Magnum egerunt ex sola devotione; postea vero, Manichæorum occasione, ex mero Ecclesiæ præcepto.

9. *Q.* Expeditne ut Ecclesia Calicis Communionem laicis restituat.

R. Non expedit, tum ne Sacramentum, propter periculum effundendi sanguinem, alicui irreverentiæ periculo exponatur; tum ne detur hæreticis locus asserendi, Ecclesiam Catholicam tandem aliquando judicasse necessarium Calicis usum.

Obj. Uberiore gratia donatur qui sub utraque specie communicat, quam qui sub una tantum: par igitur est ut Ecclesia fidelibus omnibus Calicis usum restituat.

R. 1. Nego ant. 2. Dato ant. nego conseq. Nempe Ecclesia satius esse duxit nonnullo gratiæ *ad salutem* (ut loquitur Concilium Tridentinum) *non necessaria* augmento, per Calicis subtractionem laicos privare, quam sanctissimum Sacramentum exponere alicujus irreverentiæ periculo.

CAPUT V.

De Eucharistia prout est Sacrificium.

§. I. *De existentia & essentia Sacrificii Eucharistiæ.*

1. *Qu.* Quomodo definitur Sacrificium in genere sumptum?

R. Est *Oblatio externa, soli Deo facta, qua in testimonium supremi illius in res omnes dominii, res aliqua sensibilis aut realiter, aut mystice mutatur, aut absolute destruitur*.

Dicitur 1. *Oblatio*, ex actione ministri offerentis. Dicitur 2. Oblatio *rei sensibilis*, quia est signum Sacrificii invisibilis, ejus nimirum quo quisque fidelis mentem, seu animum offert Deo per caritatis, aut alterius virtutis exercitium. Dicitur 3. *soli Deo facta*; quia soli Deo potest exhiberi, juxta illud Augustini in lib. 10. *De Civitate Dei* cap. 4. *Sacrificium certe nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Deo*. Dicitur 4. *In testimonium supremi dominii in res omnes creatas*: nempe institutum est Sacrificium, ut homo essentialem suam a Deo dependentiam exterius profiteatur. Dicitur 5. Oblatio facta *a legitimo Ministro*, eo quod ii tantum externum Sacrificium offerre, ac consecrare possint, qui ad id muneris a Deo tamquam Aaron specialiter vocati & missi sunt. Dicitur 6. Oblatio *qua res aliqua sensibilis mutatur*, aut mystice, cum ex prophana fit sacra & sancta, aut absolute destruitur, ut ostendatur Deum vitæ ac necis esse dominum.

2. *Q.* Quotuplex est Sacrificium in genere?

R. Triplex, Latreuticum, Propitiatorium, & Pacificum. *Primum* est illud cujus finis immediatus est Dei cultus & honor. *Alterum* est illud cujus finis est Dei placatio, & obtinendæ peccatorum remissio. *Tertium* subdividitur in *Eucharisticum*, & *Impetratorium*. Illud, pro acceptis beneficiis of-

fertur; illud vero, pro aliquibus de novo recipiendis.

3. *Q.* Eucharistia estne Sacrificium vere & proprie dictum.

R. Est sacrificium *vere & proprie* dictum. Nam 1. Christus cum in ultima cum Apostolis Cœna Eucharistiam instituit, vere ac proprie dictum Sacrificium obtulit Deo Patri. Id enim realiter tunc egit, quod Melchisedech olim egerat in typo: hoc est, obtulit sacrificium illud, cujus sacrificium oblatum Melchisedech in pane & vino fuerat typus & figura; alioquin immerito (ut docet sanctus Cyprianus in Epistola ad Cælium) dictus fuisset Sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*.

2. Eucharistia est *Oblatio illa* quam Malachias cap. 8. hisce verbis prædixerat: *In omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo* OBLATIO MUNDA, *quia magnum est Nomen meum in gentibus*. Nempe prædictum a Propheta sacrificium non est sacrificium quod Christus semel obtulit in Cruce: siquidem sacrificium Crucis, non in omni loco, sed in Judæa tantum oblatum est.

3. Patres qui Liturgias scripserunt, millies meminerunt oblationis, immolationis, sacrificii, Sacerdotum, Altarium, sacrorum vasorum, & instrumentorum, quorum usus adhiberi debet ad ritum illum externum, cujus leges & ceremonias describebant in suis Liturgiis: ergo persuasum illis fuit Eucharistiam, cujus offerendæ ritus descripserunt, esse vere ac proprie dictum sacrificium.

4. Idem persuasum fuit Patribus qui Concilia celebrarunt. Nicænum I. canone 18. Diaconis vetat ne deinceps audeant Christi corpus Presbyteris concelebrantibus dispensare; *Quod* (inquit) *nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant*. Concilium Ephesinum I. in declaratione XI. Anathematismi II. hæc habet, quæ non de alio, quam Eucharistiæ sacrificio intelligi possunt, *Sanctum ac vivificum, incruentumque in Ecclesia peragimus* SACRIFICIUM. In Concilio Chalcedonensi mota est adversus Dioscorum querela, quod largissimis pecuniis omne frumentum in Ægypto coemisset: *Et ex hoc* (inquit auctor libelli supplicis qui Concilio oblatus fuit) *neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est*. Vide etiam Concilium Toletanum XII. & alia quæ deinceps in variis Orbis Provinciis habita sunt.

Obj. 1. Missæ sacrificium supponeret sacrificium Crucis non fuisse satis ad integram & perfectam hominum redemptionem; sed hoc est falsum: ergo, &c.

R. Dist. ant. Non fuisse satis quantum ad applicationem, transeat ant. quantum ad virtutem, neg. ant. Scilicet Eucharistiæ sacrificium non aliud est *quoad effectum*, quam applicatio meritorum quæ Christus in Cruce comparavit.

Obj. 2. Christi Corpus & ejus Sanguis, quæ supponuntur esse hostia quæ offertur in Eucharistiæ sacrificio, nullam omnino mutationem patiuntur: & tamen ad sacrificium vere & stricte sumptum requiritur ut Hostia, quæ offertur, destruatur, aut saltem mutationem aliquam patiatur: ergo Eucharistia &c.

R. Disting. ant. Nullam patiuntur mutationem *internam*, conc. ant. mutationem *externam*, nego ant. Nempe Corpus & Sanguis Christi *vi verborum*, quibus Eucharistia consecratur, redduntur præsentia in loco in quo prius non erant; hoc est, sub panis & vini speciebus.

4. *Q.* In quo *præcise* Liturgiæ ritu posita est essentia sacrificii Eucharistiæ?

R. Posita est in sola specierum consecratione, quia hostia (quæ non est alia, quam corpus & sanguis Christi) fit substantialiter præsens in loco in quo non erat prius.

Obj. 1. Die Parasceves verum Sacrificium offertur; & tamen ea die nulla fit specierum consecratio: ergo, &c.

R. Nego ant. Ritus enim ille non est sacrificium, sed mera commemoratio sacrificii quod pridie fuit oblatum.

Obj. 2. In consecratione Hostia non moritur etiam mystice: ergo, &c.

R. Nego ant. Scilicet mors naturalis quæ Christo a Judæis illata est, distincte exhibetur per consecrationem panis distinctam a consecratione vini: quia *vi verborum* quibus panis consecratur, solum Christi Corpus fit realiter præsens sub panis speciebus, sicut & per consecrationem vini distinctam a consecratione panis, solus sanguis fit *vi verborum* præsens sub vini speciebus: unde duplex specierum consecratio est veluti spiritualis gladius quo iterum, sed *mystice* tantum, Corpus & Sanguis Christi a se invicem separantur.

Obj. 3. Sacerdotes, qui Eucharistiam conficiunt, jure divino tenentur consecrata sumere, juxta illud Christi in Evangelio; *Accipite, Manducate, Bibite*: ergo specierum per communionem sumptio requiritur ad sacrificium, ac proinde non in *sola* consecratione positum est.

R. Dist. conseq. Requiritur ad sacrificium tamquam pars illius *integralis*, conc. conseq. tamquam pars *essentialis*, nego conseq. Cum enim Eucharistia sit convivii spiritualis ad instar, mirum non est quod Christus cuilibet Sacerdoti sacrificanti præceperit ut species consecratas sumat & accipiat. Vide apud Gratianum Canonem *relatum*, quod est Concilii Toletani XII. ubi non obscure innuitur quod mox a nobis datum est responsum.

5. Q.

5. *Q.* Ad Eucharistiæ sacrificii *essentiam* requiriturne utriusque speciei consecratio; ita ut si una tantum species, panis v. g. consecretur, nullum prorsus sit sacrificium?

R. Certum est quidem quod Sacerdotes qui offerunt, *præcepto divino* teneantur *utramque* panis & vini speciem consecrare, juxta illud Christi Eucharistiam instituentis: *Hoc* (id est, quod a me fieri vidistis) *facite*. Sed *fide Catholica* certum non est *utriusque* speciei panis & vini consecrationem ad sacrificii Eucharistiæ *essentiam* requiri: tum quia non est Canon, quo id expresse definitum fuerit: tum etiam quia per unius tantum speciei consecrationem, Hostia redditur physice præsens, statum mutat extrinsece, & tandem (ut jam observatum est superius) *mystice & metaphorice* moritur.

6. *Q.* Ad quam sacrificii speciem reducitur Eucharistiæ sacrificium?

R. Est simul Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, & Impetratorium.

1. Est *Latreuticum*. Ecclesia nempe per Christi mortem quæ in Eucharistiæ sacrificio exhibetur, agnoscit & veneratur supremum Dei in res omnes dominium, profiteturque illum esse summum necis & vitæ Dominum.

2. Est etiam *Eucharisticum*, scilicet per Christum Victimam simul & Sacerdotem Ecclesia pro acceptis a Deo beneficiis gratias agit: unde est illud Augustini ad Dardanum scribentis: *Nosti in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus Deo nostro.*

3. Est quoque *Propitiatorium*: Deus enim in hominem iratus, per Eucharistiæ sacrificium placatur: eadem quippe victima per eumdem Sacerdotem offertur, quæ iram illius in Cruce placavit, eumque nobis reddit propitium, hoc est, bene in nos affectum.

4. Tandem est *Impetratorium*; nimirum Christi oblatione quæ fit ab ipsomet Christo tamquam a primario & præcipuo Sacerdote, Deus (a quo Christus pro sua dignitate & merito exaudiri debet, juxta illud Apostoli Hebr. 5. *Exauditus est pro sua reverentia*) movetur ad conferendam peccatorum remissionem, & ad largienda auxilia, quibus impii homines ad contritionem, & justi ad perseverantiam, & reliquorum mandatorum observationem indigent: quo autem modo id fiat, inferius exponetur. *Vide* interim Concilium Tridentinum sessione 22. capite 2. ubi explicatur qua ratione Eucharistiæ sacrificium sit simul Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, & Impetratorium.

§. II. *De Auctore, Ministro, & Subjecto Sacrificii Eucharistiæ.*

1. *Q.* Quis est auctor Sacrificii Eucharistiæ?

R. Christus ipse, qui in ultima Cœna se ipsum sub panis & vini speciebus præsentem obtulit Deo Patri, & Apostolis; quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes creavit, injunxit ut illum quoque per consecrationem redditum sub panis & vini speciebus præsentem eidem Deo Patri offerrent, offerendique potestatem facerent suis in Sacerdotio successoribus.

2. *Q.* Quis est sacrificii Eucharistiæ minister necessarius?

R. Solus Sacerdos, hoc est, is qui per Episcopalem manuum impositionem ad id muneris electus & consecratus est.

Et sane 1. non omnes fideles, sed solos Apostolos, in eorumque persona eos qui deinceps consecrandi erant Sacerdotes, Christus alloquebatur, cum hisce verbis, *Hoc facite*, præcepit ut Eucharistiæ sacrificium offerretur.

2. Id plane persuasum fuit Nicæni Concilii I. Patribus, qui id ex præcedenti traditione hauserant, cum can. 8. expresse asseruerant id juris non esse ipsis etiam Diaconis: *Quod* (inquit) *nec Regula, nec Consuetudo tradidit, ut ab his qui* POTESTATEM NON HABENT OFFERENDI, *illi* (loquitur de Sacerdotibus per Episcopalem manuum impositionem consecratis) *qui* OFFERUNT, *Christi corpus accipiant*. Vide Concilium Tridentinum sess. 22. canone 2. ubi anathemate damnantur, qui contrarium ausi fuerint asserere.

Obj. 1. Singuli fideles 1. Petri 2. dicuntur *Regale Sacerdotium*: ergo omnes vi characteris quod receperunt in Baptismate, sunt Eucharistiæ, etiam consecrandæ, Ministri.

R. Dist. ant. Dicuntur regale Sacerdotium *Spirituale & internum*; scilicet vocati ad offerendum sacrificium internum mentis per fidem & caritatem; cordis per contritionem. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, Ps. 50. corporis per mortificationem sensuum, conc. ant. Dicuntur regale Sacerdotium *externum*: hoc est, vocati ad offerendum & consecrandum sacrificium *externum*, sacrificium *Religionis*, ut est Eucharistia, nego ant.

Obj. 2. Laicus, *tamquam minister extraordinarius*, potest hominem in periculo mortis constitutum baptizare: ergo in eodem articulo potest quoque *tamquam minister extraordinarius* Eucharistiam consecrare, & eam homini in hujusmodi discrimine constituto consecratam dispensare.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est, quia Christus propter *summam* baptismi necessitatem, quæ (ut suo loco dictum est)

Eu-

Eucharistiæ non convenit, pro sua in homines caritate, laicis etiam hominibus facultatem fecit baptizandi in necessitatis articulo.

Obj. 3. Canon secundus Ancyrani Concilii, quod quarto ineunte sæculo celebratum est, in Diaconis supponit potestatem *offerendi*: nempe tollit eam a Diaconis flagitiosis; ergo non *soli* Sacerdotes sunt Eucharistiæ consecrandæ ministri.

R. Dist. ant. Tollit a Diaconis flagitiosis potestatem *offerendi*, hoc est, facultatem Sacerdoti sacrificanti porrigendi panem & vinum a fidelibus ad consecrationem oblata, conc. ant. Tollit potestatem *offerendi*; hoc est facultatem panem & vinum consecrandi, nego ant. Unde Canon, de quo agitur, utitur sine addito voce *offerendi*, non autem cum hoc addito *Christi Corpus*, & *Sanguinem*.

3. *Q.* Eucharistiæ sacrificium potestne a pluribus simul Sacerdotibus offerri & consecrari?

R. Potest. Nam mos ille quondam invaluerat, ut colligitur ex canone 18. Concilii Nicæni I. Obtinet quoque his etiam temporibus, ut videre est in Pontificali Romano, quo Sacerdotes mox ab Episcopo consecrati, jubentur consecrationis verba simul cum illo proferre. Eo autem in casu singulorum & omnium actio se habet per modum unius actionis moralis; inde vero concluditur Eucharistiam eo tantum instanti esse consecratam, quo omnes Sacerdotes verba consecrationis protulerunt.

4. *Q.* Quinam sunt ii pro quibus Sacerdos non potest offerre Eucharistiæ sacrificium?

R. Non licet illud offerre 1. pro iis qui extra Ecclesiæ sinum diem clauserunt extremum; aut quos constat obiisse in actu peccati mortalis: unde est illud Aug. lib. 3. *de Origine animæ*, cap. 12. *Noli credere, nec dicere, sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati, de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus.*

Obj. 1. Adrevaldus in lib. *de miraculis S. Benedicti*, cap. 21. scribit Monachos Floriacenses preces ad Dominum fudisse pro animabus prædonum qui in ipso actu peccati occisi fuerant; ergo, &c.

R. Illi Floriacenses Monachi facto suo probarunt quidem se habere zelum, sed qui non esset secundum scientiam.

Obj. 2. Judas Machabæus (ut constat ex lib. 2. Machab. cap. 12.) præcepit offerri sacrificium pro Judæis in acie occisis, iis etiam quos constabat mortuos esse non modo in statu peccati mortalis, sed & in illius affectu, iis nimirum sub quorum tunicis inventa sunt idolorum donaria: ergo, &c.

R. Dist. ant. Inventa sunt idolorum donaria, tamquam pretium quod belli jure eis debebatur, conc. ant. tamquam idola quæ venerarentur, nego ant. Unde falsum est quod Machabæus judicaverit Judæos illos obiisse in statu & affectu peccati mortalis.

Obj. 3. Hæc oratio legitur in hodierna Latinorum Liturgia: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis* INFERNI, *& de profundo lacu, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*, ergo, &c.

R. 1. Voces istæ *Inferni & de profundo lacu* non intelliguntur de inferno ubi dæmones torquentur, sed de locis subterraneis, in quibus usque ad perfectam & integram liberationem animæ justorum, qui defuncti sunt, detinentur.

R. 2. Illa Liturgiæ oratio refertur ad illud instans, quo defunctorum animæ de corpore exierunt; scilicet (ut Augustinus advertit Epist. 23. quæ est ad Bonifacium Episcopum) Ecclesia in suis precibus solet præteritum tempus aliquando recolere; quasi præsens esset, aliquando etiam præsens, quasi futurum esset.

2. Eucharistiæ sacrificium nec pro Beatis, hoc est, Deo jam fruentibus, peccata omnia sive quoad culpam, sive quoad pœnam integre remissa sunt: tum etiam quod ex immutabili Dei decreto perpetua sint damnatorum supplicia, juxta illud Evangelii, Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*, &c.

5. *Q.* Quinam sunt ii pro quibus licet Sacerdoti offerre sacrificium Eucharistiæ?

R. Sacerdoti non licet quidem in Liturgia eorum nomina appellare, qui actu jacent extra Ecclesiæ sinum vel per infidelitatem, vel per hæresim, vel per majorem excommunicationem: id enim præsens Ecclesiæ disciplina non patitur, nisi in Liturgia quæ die Parasceves recitatur. Verum licitum est privatim, & non recitando cum fidelibus nomina, pro omnibus omnino viventibus Eucharistiæ sacrificium offerre; nimirum ut pro impiis, & infidelibus hominibus a Deo petatur conversionis, & pœnitentiæ donum; nempe jubet Apostolus primæ ad Tim. 2. ut pro omnibus omnino hominibus, cum Deus velit omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, preces fundantur etiam in publicis conventibus, in quibus (Justino teste) prioribus sæculis fere semper offerebatur Eucharistiæ sacrificium.

Obj. Non licet offerre sacrificium pro iis qui non sunt membra Christi; dicit enim Augustinus in lib. 1. *de origine animæ*, c. 9. *Quis offerat sacrificium Corporis Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi?* ergo, &c.

R. Dist. ant. Nisi pro iis qui sunt aut *actu*, aut *in potentia* membra Christi, conc. ant. pro iis solum, qui *actu* sunt membra Christi, nego ant.

6. *Q.* Eucharistiæ sacrificium potestne offerri pro animabus eorum omnium qui in Ecclesiæ sinu, & non in ipso actu peccati mortalis, obierunt?

R. Po-

R. Potest: omnes enim illi de quibus est quæstio, præsumi debent obiisse in statu gratiæ sanctificantis: id vero Scriptura laudat 2. Machab. 12. id etiam confirmat perpetua Ecclesiæ praxis, ut videre est apud Tertullianum in libro *de Corona militis*, cap. 3. apud Cyprianum in Epistola *ad Presbyteros, Diaconos, plebem Furnis consistentem*: apud Augustinum in lib. *de cura pro mortuis gerenda*; & tandem apud Patres sive Græcos, sive Latinos qui Liturgias quondam conscripserunt.

§. III. *De effectibus Sacrificii Eucharistiæ.*

1. *Qu.* Sacrificium Eucharistiæ remittitne peccata, tum mortalia, tum venialia?

R. Suo modo (ut dicetur inferius) tum quoad culpam, tum quoad pœnam remittit. Nam 1. est omnino idem cum Crucis sacrificio, solaque ab eo differt offerendi ratione. 2. In eumdem scopum Concilium Tridentinum sess. 22. c. 2. definiit Eucharistiæ sacrificium *vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

2. *Q.* Sacrificium Eucharistiæ remittitne *immediate* sicut Baptismus, & pœnitentia, peccata mortalia?

R. Non remittit *immediate*, sed *mediate* tantum; scilicet in quantum impetrat media, quibus peccatum remittatur, contritionem nimirum & Sacramenti Pœnitentiæ receptionem: is enim est sensus Concilii Tridentini sess. 22. cap. 2. cum hæc docet: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.*

3. *Q.* Eucharistiæ sacrificium remittit peccata ex *opere operato*, sicut Sacramentum Eucharistiæ; an vero solum *ex opere operantis?*

R. Ea de re non una est Scholasticorum opinio, Bellarminus Eucharistiæ sacrificio adscribit virtutem quæ sit *ex opere operato*: alii vero, virtutem qui sit solum *ex opere operantis*. Horum vero Theologorum sententia videtur probabilior. Ratio est quia licet offeratur aut pro quorumdam impiorum conversione, aut pro quorumdam justorum in bono perseverantia usque ad finem; effectum tamen illum aliquando non consequitur: ac proinde non agit *ex opere operato*, seu ex vi oblationis in se sumptæ: quæ enim agunt ex opere operato, ut sol respectu caloris, semper, quoties non opponitur obex, suum effectum consequuntur.

Obj. Si Sacrificium Eucharistiæ non ageret *ex opere operato*, illius oblatio suo, propter Sacerdotis iniquitatem, effectu frustraretur: sed hoc est absurdum: ergo, &c.

R. Nego maj. Ratio est, quia sacrificium Eucharistiæ est Ecclesiæ totius oratio publica: sed propter iniquitatem ministri oratio publica non redditur inutilis: scilicet (proprie loquendo) non tam utitur illius ministerio. Unde Augustinus gemitui Columbæ, seu justorum cœtui, qui præcipuam Ecclesiæ partem constituit, adscribit omnia beneficia, quibus ex Christi meritis fideles afficiuntur.

4. *Q.* Valor Sacrificii Eucharistiæ estne infinitus?

R. Est infinitus *in se & secundum sufficientiam*. Scilicet in Eucharistiæ sacrificio Victima sanctitatis infinitæ ab ipsomet Christo, cujus actiones & orationes meriti sunt infiniti, Deo Patri per Sacerdotis ministerium offertur: finitus tamen est *secundum effectum* quem operatur, quia per illud finito modo nobis applicantur dona quæ Christus in cruce moriens promeritus est.

5. *Q.* Unde desumi debet quantitas fructus qui per Eucharistiæ sacrificium fidelibus applicatur?

R. Desumi debet ex triplici capite: nimirum 1. ex absoluto Dei beneplacito: hincque fit ut Deus non semper id concedat, quod pro nonnullis in specie hominibus petitur a Sacerdote qui rei Sacræ dat operam. Desumitur 2. ex speciali intentione ministri; nempe (ut contra Wiclefum Concilium Constantiense definiit) speciales orationes prosunt magis quam generales, iis pro quibus funduntur. Desumitur 3. ex majori vel minori devotione, seu caritate personæ, cui a Sacerdote sacrificium Eucharistiæ specialiter applicatur: *Quamvis ergo* (inquit S. Thomas 3. p. q. 79. art. 5.) *oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna: tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna.* Nec id mirum est, cum (ut superius dictum fuit) Eucharistiæ sacrificium per modum impetrationis, seu orationis operetur.

§. IV. *De Proprietatibus Sacrificii Eucharistiæ.*

Nota. Non patitur hocce Compendium ut de omnibus ac singulis sacrificii Eucharistiæ proprietatibus tractemus: itaque de sola illius necessitate hic est a nobis agendum, tum respectu ministri qui jus habet illud offerendi, tum respectu populi fidelis qui certis diebus tenetur illi se præsentem sistere.

1. *Q.* Sacerdotes legitime non impediti tenenturne, licet eis non incumbat animarum cura, Eucharistiæ sacrificium aliquando offerre?

R. Ad id jure divino tenentur: hæc enim Christi verba: *Hoc facite*, spectant ad eos omnes qui Apostolorum futuri erant in Sacer-

cerdotio successores. *Ut sumerent* (inquit Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2.) *& eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent*, PRÆCEPIT *per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit*.

2. *Q*. Quoties intra annum Sacerdos legitime non impeditus tenetur offerre Eucharistiæ sacrificium?

Respondet S. Thomas hisce verbis 3. p. q. 83. art. 10. *Saltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis festis, in quibus fideles communicare consueverunt*. Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 14. Episcopis injungit ut dent operam, quo Sacerdotes quilibet saltem *diebus Dominicis, & festis sollemnibus Missas celebrent*; quæ quidem sacræ Synodi verba sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi I. de præcepto stricte sumpto interpretatur.

3. *Q*. Licetne Sacerdoti offerre sacrificium Eucharistiæ, quamvis nullus sit qui præter ipsum communicet?

R. Licet. Ita nimirum contra Lutheranos in Concilio Tridentino sess. 22. can. 8. definitum est: nec immerito: cum adstantium communio nec ad essentiam, nec ad integritatem sacrificii Eucharistiæ requiratur.

Obj. Mancum est sacrificium in quo nullus præter Sacerdotem communicat: sed non licet offerre sacrificium quod mancum sit: ergo, &c.

R. Nego quod mancum sit 1. quantum ad finem *primarium* in eo positum, quod Deo debitus latriæ cultus exhibeatur, & impetrentur dona quibus indiget Ecclesia. 2. Non est quoque mancum quantum ad finem *secundarium*, quia in eo populis, *saltem spiritualiter*, communicat.

4. *Q*. Suntne caussæ aliquæ quæ Sacerdotem *ad tempus*, impedire debeant, ne offerat Eucharistiæ sacrificium?

R. Multæ sunt. Et quidem 1. Suspensio, 2. Irregularitas. 3. Conscientia peccati mortalis, nisi (ut docet Concilium Tridentinum) urgeat necessitas, & non adsit alius Sacerdos a quo possit absolvi: 4. flagitia aut facinora in quæ Sacerdos ex consuetudine lapsus fuerit. Tandem 5. flagitium aliquod grave, aut facinus enorme brevi ante commissum. Unde est illud Cypriani lib. de lapsis, *A Diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini, sordidis & infectis nidore manibus accedunt, Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt*.

5. *Q*. Fideles tenenturne aliquo præcepto sistere se præsentes Eucharistiæ sacrificio, diebus Dominicis, & aliis anni festivis diebus?

R. Tenentur, *Missas* (inquit Concil. Agathense, quod habitum est ann. 505. quodque relatum est in Corpus juris Canonici) *die Dominico a sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus*. Idem jubetur in Decretalibus Gregorii Papæ IX. titulo *de feriis*. Vigebat vero lex illa in ipsis Ecclesiæ incunabilis: illius enim meminit Justinus Martyr in altera Apologia quam pro Religione Christiana obtulit Imperatoribus.

6. *Q*. Qui sunt ii qui non faciunt satis præcepto *Ecclesiastico* de audienda Missa festivis diebus?

R. Sunt 1. ii qui absunt a notabili parte Liturgiæ: 2. qui plures a diversis Sacerdotibus Missæ partes simul audiunt. 3. Qui duas Missæ partes a duobus Sacerdotibus etiam successive audirent: 4. Qui per gravem Liturgiæ partem voluntarias mentis evagationes paterentur: 5. Qui tantum abest ut tunc cogitent de obtinenda peccatorum contritione, quin potius in illorum amore per id tempus animum suum obfirment. *Vide* Cleri Gallicani Comitia Generalia ann. 1700. ubi doctrina contraria proscribitur.

7. *Q*. Quænam ex parte fidelium dispositiones internæ requiruntur, ut faciant satis præcepto de audienda Missa?

R. Requiritur 1. *Mentis* attentio: quia ii qui adsunt Missæ sacrificio, orare jubentur. Requiritur 2. devotus *Cordis* affectus: *Devoto* (inquit Concil. Trident. sess. 22. in Decreto, *de Observandis*) *Cordis affectu*. Ille autem *devotus cordis affectus*, non præsupponit necessario statum gratiæ sanctificantis; nec requirit *absolute* ut quis omnino liber sit ab amore peccati dominante; sed includit in homine impio *inchoatum* saltem pœnitentiæ & contritionis *desiderium*; ita ut eo fine se sacrificio præsentem sistat, ut obtinere conetur veræ ac integræ contritionis donum, per quod ab affectu, seu peccati amore dominante liberetur: is est enim Concilii Tridentini sensus, cum in sess. 22. cap. 2. in Decreto *de Observandis*, sic loquitur: *Per ipsumque* (Missæ sacrificium) *fieri, ut si cum* VERO CORDE, ET RECTA FIDE, *cum metu & reverentia* CONTRITI *ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*.

8. *Q*. Fideles tenenturne diebus Dominicis, & majoribus anni Festis sistere se præsentes Missæ Parochiali?

R. Tenentur jure Ecclesiastico, tum *Antiquo*, quod quidem in Gratiani Decreto legitur, cuique robur addidit Sixti Papæ IV. Constitutio, quæ incipit *Vices illius*; tum etiam, *Novo*, quod promulgatum est in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 4. *Moneat* (inquit) *Episcopus populum diligenter* TENERI *unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi* COMMODE *id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*; quod quidem, ex ejusdem Concilii decreto inter

ter Missarum sollemnia prædicari debet. *Vide* plures propositiones ad illud argumentum spectantes, quibus Clerus Gallicanus ad Comitia generalia coactus an. 1700. censuras speciales inussit.

9. *Q.* Suntne aliquæ caussæ quæ fideles eximant, a debito audiendi Missam diebus Dominicis, ac Festivis aliis diebus?

R. Sunt aliquæ. Et quidem 1. eximit impotentia aut *physica* aut *moralis*, qua nimirum efficitur ut quis aut absolute, aut sine gravi detrimento sui, aut aliorum, adesse non possit Eucharistiæ sacrificio. Eximit 2. caritatis erga proximum, sed in re necessaria, exercitium. Eximit 3. officium quod quis non potest deserere. Eximit 4. a debito audiendi Missam Parochialem honesta aliqua caussa: *Nisi forsan* (ait Sixtus IV. in Constitutione, VICES illius) *ex honesta caussa ab ipsa Ecclesia se absentarent*.

CAPUT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. I. *De Essentia & Existentia Sacramenti Pœnitentiæ*.

1. *Q.* QUot modis sumi potest Pœnitentia?

R. Duobus modis; nimirum, vel prout est virtus quæ *Pœnitentiæ* virtus dicitur, vel prout est Novæ legis Sacramentum.

2. *Q.* Pœnitentia, *prout est virtus*, quomodo definitur?

R. Definitur, displicentia de præterito peccato, cum proposito non peccandi de cetero, ac Deo, ut par est, satisfaciendi: hincque patet Pœnitentiam *prout est virtus*, esse omnino idem cum Contritione de qua suo loco fuse dicetur.

3. *Q.* Pœnitentia, *prout est Nova legis Sacramentum*, quomodo definitur?

R. Definitur *Ritus sacer, quo lapsis post baptismum, contritis, confessis, ac satisfacere proponentibus absolutio a peccatis impenditur a Sacerdote*.

Dicitur 1. *Ritus sacer*; constat enim rebus & verbis, quæ sunt ex Christi Salvatoris institutione: & in hoc convenit cum sex aliis sacramentis Novæ legis.

Dicitur 2. *quo lapsis post baptismum* impenditur peccatorum absolutio: hincque colligitur illius a baptismo discrimen; cum enim baptismus *per se* præcipue remittat peccatum Originale; Pœnitentia e contra non dimittit, nisi quæ post baptismum commissa sunt: unde dicitur a Patribus *Secunda post naufragium tabula*.

Dicitur 3. quo *Contritis*, *Confessis*, *ac Satisfacere proponentibus* impenditur absolutio, eo quod (ut inferius exponetur) illi actus sint quasi illius materia.

4. *Q.* Existitne in nova Lege Sacramentum quod *Pœnitentia* dicitur?

R. Existit. Scilicet Christus Joannis 20. dedit Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus potestatem remittendi peccata post baptismum commissa. *Accipite* (inquit) *Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Atqui in usu illius potestatis reperitur ratio Sacramenti stricte sumpti. Primo enim reperitur *signum sensibile*, quia humano modo & per jurisdictionis viam fieri debet. 2. Usus hujusmodi potestatis est de *præcepto divino*: SICUT *misit me vivens Pater*, *& ego mitto vos*. *Accipite Spiritum sanctum*, *quorum*, &c. 3. Reperitur in eodem usu *Collatio gratiæ sanctificantis*: neque enim (ut ostendunt Theologi in tractatu de justificatione) peccata remittuntur, quin gratia sanctificans producatur.

Obj. 1. Hæc Christi verba: *Quorum remiseritis peccata*, &c. intelliguntur de remissione quæ per baptismum confertur: ergo, &c.

R. Nego ant. Nam 1. distincte in aliis Evangelii locis agitur de remissione quæ per Baptismum confertur. 2. Patres textum de quo est quæstio, unanimi consensu intellexerunt de remissione quæ fiat non per Baptismum, sed per Ecclesiæ claves. *Vide* Cyprianum Epistola 55. & libro *de lapsis*, Augustinum libro 5. *de Baptismo*, cap. 20. Chrysostomum libro 3. *de Sacerdotio*, Gregorium Magnum in eum de quo agitur, Evangelii locum. Hincque patet debito anathemate a Concilio Tridentino mulctatos esse eos qui contrarium ausi fuerint asserere.

Obj. 2. Per Sacerdotis absolutionem peccata vere non dimittuntur, sed tantum declarantur esse remissa ei qui credit: ergo Pœnitentia in Nova lege non est Sacramentum stricte sumptum.

R. Nego ant. Nempe vox, *Remittuntur*, qua Christus usus est, ad litteram & in sensu obvio, veram & realem, & non declaratoriam tantum remissionem significat. 2. Patres unanimi consensu illam Christi sententiam de reali & vera remissione intellexerunt: ea enim usi sunt, ut assererent discrimen quod inter Leviticos & Evangelicos Sacerdotes intercedit: hoc est, asseruerunt quod cum isti vere depellant animi morbos curentque ac sanent ejus vulnera, illi e contra solum possent declarare qui sanus esset, quisve impurus.

Obj. 3. Assignari non potest discrimen quod inter Baptismum & Pœnitentiæ Sacramentum intercedit: ergo sunt unum & idem Sacramentum.

R. Nego ant. Nam differunt 1. ratione materiæ; 2. ratione formæ; 3. ratione ministri; 4. ratione effectus. Ita contra Lutheranos Concilium Tridentinum definiit sess. 14. cap. 2. *Vide* quæ de quadruplici illo discrimine dicentur inferius.

Obj.

Obj. 4. Lutherani & Calvinistæ qui denegant Ecclesiæ potestatem vere dimittendi peccata per claves, doctrinam illam hauserunt ex antiquis Patribus: ergo, &c.

R. Nego ant. Nam 1. nullus Catholicus ante Hæreticorum de quibus agitur tempora, Ecclesiæ denegavit potestatem de qua agitur. 2. Nec ipsi Montanistæ nec Novatiani negarunt jus illud, eam facultatem a Christo Ecclesiæ concessam fuisse: scilicet peccata mortalia dividebant in remissibilia per claves Ecclesiæ concessas, & in irremissibilia per easdem claves: proindeque quoad primum caput, Evangelica verba: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, intelligebant de vera & reali remissione quæ fiat per Ecclesiæ claves.

§. II. *De Materia Sacramenti Pœnitentiæ in genere.*

1. *Qu.* Quotuplex est materia Sacramenti Pœnitentiæ?

R. Duplex; nimirum materia *Circa quam*, & materia *Ex qua*. Prima sunt peccata *omnia* post baptismum commissa; cum hoc tamen discrimine, quod venialia sint materia *libera*, lethalia vero, materia *necessaria*; hoc est, dimitti non possunt, nisi aut per *actualem* Sacerdotalem absolutionem, aut saltem per illius votum, seu desiderium. *Altera*, est res aut pars ex qua intrinsece constat Pœnitentiæ Sacramentum, sicut aqua est materia *Ex qua*, baptismi; eo quod baptismus aqua tamquam intrinseca parte constet.

2. *Q.* Quæ est materia *Ex qua* Sacramenti Pœnitentiæ?

R. Sunt Pœnitentis actus; Contritio nimirum, Confessio, & Satisfactio: siquidem illi actus sunt materia *ex qua* constat Sacramentum Pœnitentiæ, quos Concilium Tridentinum asserit esse *quasi* illius materiam, & esse illius *partes*: atqui de actibus de quibus agitur, id asserit Concilium Tridentinum: hæc enim habet sacra Synodus sess. 14. cap. 2. *Sunt autem* QUASI MATERIA *hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, quia quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, Pœnitentiæ* PARTES *dicuntur.*

Obj. 1. Concilium Trident. non dicit *simpliciter* actus pœnitentis esse materiam sacramenti Pœnitentiæ, sed cum addito, *quasi* materiam: ergo censuit eos non proprie, sed metaphorice tantum esse materiam; quod nimirum sint dispositiones ad effectum sacramenti consequendum omnino necessariæ.

R. Nego cons. Nempe non ideo Concilium actus illos vocavit *quasi* materiam, quo veræ ac propriæ materiæ rationem non habeant: *Sed* (inquit Catechismus Romanus ad Parochos) *quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismate, & chrismatio in Confirmatione.*

Obj. 3. Materia *ex qua* Sacramentum constat, debet esse sensibilis: atqui contritio non est sensibilis, cum sit actus mere internus: ergo contritio non est materia *ex qua* sacramenti Pœnitentiæ.

R. Dist. min. Contritio non est sensibilis *per se*, conc. min. non est sensibilis *per aliud*, nego min. Scilicet sensibilis est aut per oris confessionem, aut per petitionem Sacramenti, aut per aliquod aliud signum exterius.

Obj. 3. Valet sacramentum Pœnitentiæ sine peccatorum confessione. Nempe valet absolutio sacramentalis collata homini qui ubi advocavit Sacerdotem, usum rationis amisit, antequam Sacerdos advenerit: ergo, &c.

R. Dist. ant. Valet aliquando. Sacramentum sine *oris* confessione, conc. ant. sine *omni* prorsus confessione, nego ant. In casu vero de quo agitur est confessio virtualis, per nutus nimirum & signa: qui enim Sacerdotem advocat, seipsum fatetur reum, suumque in absolutionem desiderium significat; quod quidem satis est in circumstantia de qua est quæstio.

Obj. 3. Pœnitentiæ Sacramentum valet sine Satisfactione; idque in triplici casu; 1. cum Sacerdos post absolutionem datam omittit satisfactionis impositionem; 2. cum pœnitens destitutus usu rationis absolvitur: 3. cum idem pœnitens statim post receptam absolutionem moritur; ergo satisfactio non est materia *ex qua* sacramenti Pœnitentiæ.

R. Conc. ant. dist. conseq. Ergo satisfactio non est *essentialis* materia *ex qua* sacramenti Pœnitentiæ, conc. conseq. non est materia *integralis ex qua* nego conseq. Materia *ex qua* seu intrinseca, duplex est; essentialis, ut corpus respectu hominis, & integralis, ut digitus respectu ejusdem hominis: satisfactio (ut recte probat argumentum) non est materia essentialis sacramenti Pœnitentiæ, sed est materia integralis; ita ut quamvis Pœnitentiæ sacramentum sine satisfactione habeat omnia quæ sibi essentialia sunt, non habet tamen ea quæ ad ejus integritatem requiruntur, sicut homo habens corpus & animam, sed orbatus digito, habet quidem omnia quæ homini sunt essentialia, sed non habet omnia quæ necessaria sunt ad illius integritatem.

Quæ mox de satisfactione dicta sunt, intelliguntur de satisfactione *actuali*, non autem de satisfactione *in animi præparatione*. Scilicet satisfactio in animi præparatione est idem cum proposito satisfaciendi; propositum autem satisfaciendi, saltem implicitum, est essentialis materia inadæquata sacramenti, quia est pars contritionis, seu Pœnitentiæ prout est virtus.

§. III.

§. III. *De prima parte materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, seu de Contritione.*

Nota. Dicemus in hoc paragrapho de Essentia, Necessitate, Effectu, & Divisione Contritionis.

De essentia Contritionis.

1. *Qu.* In quo posita est Contritionis essentia?

R. In hac ejus definitione quam Concilium Tridentinum tradit sessione 14. cap. 4. *Contritio, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.*

1. Contritio est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso*: Nempe dolor ille, eaque detestatio reperiuntur in omnium pœnitentium, de quibus Scriptura loquitur, contritione: *Recogitabo tibi* (inquit Ezechias pœnitens Isa. 38.) *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Psaltes Regius Ps. 6. *Laboravi in gemitu meo. Lavabo per singulas noctes lectum meum.* In ea autem verba sic loquitur Concilium Tridentinum: *Et certe qui illos Sanctorum clamores consideraverit, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.*

2. Contritio est etiam *propositum non peccandi de cetero*: illud enim propositum tamquam contritioni essentiale refert Scriptura: *Odite malum* (Amos 5.) *& diligite bonum*, Isaiæ, 1. *Quiescite agere perverse, discite bene facere.* Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, vita vivet, & non morietur.* Hinc vero patet Concilium Tridentinum merito damnasse hanc Lutheri propositionem: *Optima Pœnitentia, nova vita.*

2. *Q.* Odium vitæ veteris quod includitur in Contritione, debetne esse formale & explicitum? an vero satisne est ut sit implicitum & virtuale?

R. Debet esse formale & explicitum, nam implicitum includitur in proposito non peccandi de cetero: at illud propositum satis non est ad contritionem: ergo neque odium virtuale & implicitum vitæ veteris. *Vide* in hanc quæstionem Dominicum Soto.

3. *Q.* Quænam sunt conditiones requisitæ in Contritione, ut sit materia sacramenti Pœnitentiæ?

R. Requiritur 1. ut sit *vera*; debet enim esse ex toto corde: *Convertimini ad me* (inquit Deus Joelis 2.) *ex toto corde vestro.*

Requiritur 2. ut sit *supernaturalis*: nempe debet ad justificationem disponere; quod quidem actui mere naturali non convenit; hoc est, actui qui non elicitur ex motione gratiæ per Christum.

Requiritur 3. ut sit *summa appretiative*, seu (ut alii loquuntur) *extensive*; hoc est, necesse est ut pœnitens ita sit animo dispositus, ut pro nullo commutabili bono lethaliter peccare velit. Non requiritur tamen ut dolor quem includit, sit maxime sensibilis, seu ut magis sensus & imaginationem afficiat, quam dolor de malo aliquo temporali. Ratio est, quia major, aut minor sensibilitas oriuntur a majori vel minori motu imaginationis; at imaginatio magis movetur a rebus quæ cadunt sub sensum, quam a spiritualibus, quæ solo mentis apice & per fidem attinguntur.

Requiritur 4. ut sit *Universalis*, seu ut se se extendat ad omnia peccata mortalia, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, quæque secundum speciem & numerum pœnitens in eam revocare tenetur. Nec mirum: nam pœnitens in iniquo suo facto debet detestari rationem *divinæ offensæ*, hoc est, detestari peccatum prout est *offensa Dei*: at ratio offensæ divinæ in omni peccato mortali reperitur. Verum observet lector Contritionem quæ se extendit actu ad omnia peccata mortalia quæ memoriæ occurrunt, implicite & virtualiter se extendere ad ea quæ non occurrunt memoriæ; in quantum nempe impius paratus est ad ea detestanda formaliter & actu, si memoriæ occurrerent. Vide Concilium Tridentinum sessione 14.

De Necessitate Contritionis.

1. *Q.* Contritio estne necessaria *necessitate medii* ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium?

R. Est iis omnibus qui post baptismum lapsi sunt, necessaria necessitate medii. Nam 1. iis tantum promittitur peccatorum remissio qui de iis contriti fuerint. *Si impius* (ait Deus Ezechielis 18.) *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet & non morietur.* 2. Iis qui de suis peccatis contriti non fuerint, Christus æternam damnationem minatur: *Nisi* (ait Luc. 13.) *pœnitentiam egeritis*; hoc est, nisi habueritis pœnitentiæ virtutem, quæ (ut superius fuit observatum, est plane idem cum Contritione) *omnes similiter peribitis.*

Obj. Amor Dei super omnia satis est in impio, ut remissionem peccatorum consequatur: *Operit* enim (primæ Petri 4.) *multitudinem peccatorum*: ergo necessaria non est Contritio, saltem quæ a caritate distinguatur.

R. Ad 1. nego ant. ad 2. dist. ant. Caritas operit *mediate* multitudinem peccatorum, quia movet ad contritionem quæ necessaria est ad illorum remissionem, conc. ant. Operit *immediate*, hoc est, non movendo ad contritionem, nego ant. Ratio est quia caritas *in se* sumpta, non aliud est, quam nova vita, ac proinde *per se* abstrahit ab odio vitæ veteris; sine quo tamen odio, peccata, ex Dei ordinatione, non remittuntur.

2. *Q.*

2. *Q.* Contritio venialium, saltem aliquorum ex iis quæ homo justus apud Sacerdotem confiteretur, estne necessaria necessitate medii ad eorum per sacramentum Pœnitentiæ remissionem consequendam?

R. Est. Scilicet si in illo homine justo de quo agitur, non sit contritio aliquorum, nulla erit materia: nam (ut ex dictis patet) contritio est materia essentialis, saltem inadæquata, sacramenti Pœnitentiæ: at sine materia nullum omnino est sacramentum; ac proinde nullum potest effectum producere.

3. *Q.* Justus qui absque aliquorum venialium contritione confitetur, & absolvitur a Sacerdote, peccatne graviter?

R. Si supina fuerit illius negligentia in advocanda & elicienda contritione, & conscientiam habeat, quod nullum detestetur, peccat graviter. Ratio est, quia ex gravi ejus culpa fit, ut Sacramenti forma reddatur non modo inutilis quoad effectum, sed etiam irrita secundum substantiam. E contra vero si sine supina negligentia, & cum bona fide accedat, existimans se esse contritum, non peccat graviter. Nempe se habet in eo casu sicut ille qui leviter negligens, sed bona fide, aquam vini loco Sacerdoti sacrificanti ministrasset. *Vide* quæstionem illam fuse pertractatam Tom. 2. Commentarii nostri Historici & Dogmatici de Sacramentis pag. 528. Primæ Editionis Lugdunensis.

4. *Q.* Contritio estne extra Pœnitentiæ sacramentum necessaria justo ad remissionem peccatorum venialium?

R. Non est absolute necessaria: satis enim ad hoc est contritio implicita, quæ includitur (ut superius jam observatum est) in actu caritatis elicito ab homine qui peccatorum venialium affectum deposuit. Unde Augustinus in libro Quinquaginta homiliarum, hom. 28. scribit peccata de quibus agitur dimitti, cum quis *pie*, hoc est, ex motivo caritatis, recitat quintam Orationis Dominicæ petitionem, *Dimitte nobis debita nostra*.

5. *Q.* Contritio estne impio necessaria non modo necessitate medii, sed etiam necessitate præcepti, ita ut, si non conteratur, non solum non consequatur remissionem peccatorum quorum reus est, sed etiam aliud novum contrahat?

R. Est illi necessaria non solum necessitate *medii*, sed etiam necessitate *præcepti*. Nempe 1. homo tenetur deserere statum, in quo creaturam Deo anteponit: at impius non potest statum illum deserere, nisi de peccatis lethalibus conteratur. 2. Præceptum de quo est quæstio expresse traditur in Evangelio: *Nisi* (ait Christus ipse Luc. 13.) *pænitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*.

6. *Q.* Quandonam Contritionis præceptum *per se* obligat impium, ut actum Contritionis eliciat?

R. Urget impium 1. in morali vitæ periculo: quia non est alia via per quam suæ saluti (ut certe tenetur) consulere possit. 2. Obligat impium ne in multum tempus actum contritionis differat, aut proroget; quia status Inimicitiæ cum Deo, est status intrinsece malus; ac proinde homo non potest diu in eo manere quin novum peccatum contrahat. 3. Qui suam conversionem in multum temporis potrahit, sese exponit periculo moriendi in statu peccati mortalis, cum intra multum tempus sit morale periculum.

Obj. Pluribus Scholasticis visum est impium ad contritionem teneri, statim atque peccatum admisit, aut saltem ubi primum occurrit memoriæ: nam alioquin (inquiunt) sese exponit periculo moriendi in statu peccati mortalis, cum nullus sit, qui vel instans vitæ sibi polliceri possit: ergo, &c.

R. Dist. ant. Sese exponit periculo *metaphysico* moriendi in statu peccati lethalis, quia, absolute loquendo, intra brevissimum instans mors potest accidere, conc. ant. Sese exponit periculo *morali*, nego ant. scilicet ordinarie, & ad judicium viri prudentis mors homini intra tam exiguum tempus accidere non solet: at reus non fit peccati, qui se exponit solum periculo *metaphysico*, sed tantum qui se exponit periculo *morali*.

7. *Q.* Quo tempore *per accidens* obligat præceptum Contritionis?

Respondet Scotus, præceptum Contritionis obligare singulis festivis diebus: quia (ut contendit) nisi impius sua peccata detestetur, non potest facere satis præcepto de sanctificatione Sabbati, nec præcepto quo jubetur sistere se præsentem Missæ sacrificio.

Sed vera non videtur ea Scoti doctrina. Nam 1. quamvis impius remaneat in statu peccati mortalis, immo & in ejus affectu dominante, potest tamen cum aliquo fructu sistere se præsentem sacrificio, scilicet (ut agentes de dispositionibus ad audiendam Missam requisitis ostendimus) non inutile est sacrificium ei, qui licet exploratum habeat se nondum habere contritionem super omnia, audit tamen sacrum, ut auxilium obtineat, quo contritionem illam super omnia a Deo virtute sacrificii consequatur. 2. Impius, hoc est homo qui jacet in statu peccati mortalis, licet nondum habeat caritatem Dei super omnia, potest ex motivo caritatis quæ nondum sit super omnia, potest, inquam, pie exequi pietatis opera quæ diebus festivis ab Ecclesia præscribuntur.

Omissa igitur ea Scoti doctrina dicendum est præceptum contritionis *per accidens* obligare impium, 1. cum urget præceptum administrandi, aut recipiendi aliquod Sacramentum: 2. iis temporibus in quibus instat præceptum eliciendi actum amoris Dei super omnia: quænam autem in specie sint illa tem-

tempora, explicuimus agentes de virtute caritatis.

De effectu Contritionis.

1. *Quæst.* Contritio remittitne omnia omnino peccata?

R. Remittit. Nam Scriptura pollicetur remissionem peccatorum iis omnibus, quos illorum vere pœnituerit: *Si impius* (ait Deus ipse, Ezechielis 18.) *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.*

2. *Q.* Contritio qua ratione remittit peccata?

R. Extra Pœnitentiæ Sacramentum peccata remittit *dispositive*, ut Concilium Tridentinum hisce verbis tradit sess. 14. c. 4. *In homine post baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc* (Pœnitentiæ) *Sacramentum requiruntur.*

E Contra Contritio in ipso Sacramento, seu prout est conjuncta cum absolutione sacramentali, remittit per modum *caussæ efficientis*. Ratio est quia tunc Contritio est materia Sacramenti; materia vero Sacramentalis est caussa efficiens, saltem moralis, effectus qui per sacramentum producitur: *Unde* (inquit Augustinus) *tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?*

3. *Q.* Merita per peccatum lethale mortificata, reviviscuntne postea per Contritionem?

R. Reviviscunt. Nam 1. si non reviviscerent, eorum etiam post contritionem, Deus aliquo modo recordaretur; nempe propter illa peccata, pietatis opera quæ præcessissent, remanerent absque ulla mercede.

2. Ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. tria tantum requiruntur ad opus meritorium cui in fine gloria æterna rependi debeat. Primum, ut sit opus elicitum ab homine justificato; 2. ut factum sit ex Dei auxilio; 3. ut ipsemet operans in statu gratiæ moriatur. Atqui tria illa contingunt, cum hominem pœnitet criminis post justitiam admissi; ergo tunc præcedentia illius merita reviviscunt; hoc est mercede ante subsequens peccatum debita non frustrabuntur.

Obj. Dici non potest ad quem gloriæ gradum merita per peccatum mortificata reviviscunt per subsequentem contritionem; ergo, &c.

R. Nego ant. Scilicet reviviscunt ad eum gloriæ gradum, qui advenientis Contritionis merito & fervori responderit. Unde per eam reviviscentiam pœnitens non donabitur in cælis intensiore & majore gloria *essentiali*, quæ posita est in intuitiva Dei visione, quam si ante peccatum nihil meruisset, sed donabitur uberiore gloria *accidentali*; hoc est, pœnitens, præter gaudium quo perfruetur ob meritum suæ contritionis, perfundetur etiam alio propter merita quæ lapsum illius præcesserant. Ita expresse docet sanctus Thomas 3. p. quæst. 89. art. 5. ad 3.

De Divisione Contritionis.

1. *Quæst.* Contritio quomodo dividitur?

R. Dividitur in perfectam & imperfectam. Ita Concilium Tridentinum sessione 14. capit. 4. quid vero iis nominibus intelligatur, aperient ad subsequentia quæsita responsiones.

2. *Q.* Quotuplex est Contritio Imperfecta?

R. Duplex. Alia nimirum est imperfecta ratione *Motivi*, & alia, imperfecta ratione *fervoris*, seu ratione quantitatis graduum caritatis qui in illa reperiuntur.

3. *Q.* Quæ contritio, est *Imperfecta* ratione Motivi?

R. Quæ non concipitur ex motivo benevolentiæ in Deum, seu ex motivo caritatis in Deum; sed aut ex pœnarum metu aut ex consideratione turpitudinis peccati; hoc est, peccati prout opponitur honestati quam recta ratio præscribit.

4. *Q.* Quæ Contritio est *Imperfecta* solum ratione fervoris, aut ratione quantitatis graduum caritatis, qui in illa reperiuntur?

R. Est ea, cujus motivum præcipuum est quidem amor Dei super omnia, sed *in gradu valde debili*, ac multum remisso: seu, in qua pauci sunt gradus caritatis in Deum super omnia.

5. *Q.* Contritio *Imperfecta* aut ratione motivi, aut ratione gradus remissi, quo nomine solet appellari?

R. Passim appellatur *Attritio*, petita nimirum similitudine ex rebus corporeis, quæ ubi omnino fracta non sunt, sed tantum divisa sunt in aliqua frusta, dicuntur *Attrita*.

6. *Q.* Contritio Imperfecta ratione motivi, hoc est, concepta ex solo, aut præcipuo motivo timoris pœnarum, estne actus bonus *in se ipsa*, hoc est, si ex parte operantis nulla prava circumstantia vitietur?

R. Est bonus: 1. bonum siquidem est æternam pœnam timere; unde in Evangelio dicitur Matth. 5. *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* 2. Bonum est in se, detestari peccatum, eo quod aversetur honestati quam recta ratio præscribit. 3. Dolor de quo agitur, non solum est bonus, sed etiam utilis; quia si fit ex auxilio Dei moventis, licet nondum inhabitantis, disponit ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam.

7. *Q.* Quid de Attritione *Imperfecta* aut ratione motivi aut ratione fervoris, immo de Contritione *perfecta* tum ratione motivi, tum ratione fervoris, cui tamen admixtus esset aliquis gehennæ metus, docuerunt Lutherani?

R. Docuerunt actum illum non esse actum bonum, actum utilem, sed malum, qui hominem reddat hypocritam. Ratio autem cur Lutherani in eum errorem abierint, petitur ex eo quod docuerint hominem justificari per actum fidei, quod certissime credat sibi per Christum remissa esse peccata: at illi fidei, seu internæ persuasioni contrarius est actus, quo timentur inferorum pœnæ: neque enim qui de sua justificatione ac perseverantia usque in finem omnino securus est (ut ex Luthero est omnis justus) potest pœnas inferorum pertimescere, aut si pertimescit, securus non est de sua justitia, nec de sua usque in finem perseverantia.

Quæ huc usque dicta sunt, confirmantur ex Conc. Trid. *Si quis* (ait sess. 14. can. 3.) *dixerit eam contritionem .... qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem; nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

De Insufficientia, aut Sufficientia Attritionis.

1. *Quæst.* Attritio quæ concipitur tamquam *præcipuo motivo*, aut ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennarum metu, estne in pœnitente dispositio *sufficiens* ad recipiendum gratiam cum solo Sacramenti *voto*?

R. Non est sufficiens: *Et quamvis* (ait Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.) *sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

2. *Q.* Contritio quæ concipitur ex *sola* consideratione turpitudinis peccati, estne dispositio *sufficiens* ad recipiendam gratiam in sacramento Pœnitentiæ?

R. Non est sufficiens. Nempe 1. *Sufficiens* non est quæ oritur ex peccati turpitudine, prout peccatum opponitur pulcritudini *famæ*: neque enim licet alicui ultimo agere, ut suæ apud homines famæ consulat. 2. Sufficiens quoque non est quæ oritur ex consideratione turpitudinis peccati, prout illa pulcritudo adversatur honestati naturali quam ratio præscribit: nam *Philosophica* est tantum ea consideratio, nec Christiano satis est, qui in peccato offensam Dei debet præcipue considerare.

3. *Q.* Contritio quæ concipitur ex gehennæ metu aut tamquam *solo*, aut tamquam præcipuo motivo, estne dispositio *sufficiens* ad recipiendam gratiam in sacramento Pœnitentiæ?

R. Non est dispositio *sufficiens*. Nam 1. Contritio illa non excludit ab animo voluntatem peccandi: *Qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ*, (inquit Aug. in lib. *de Natura & gratia*, c.47.) *se sentit abstinere ab omni peccato, nondum liber est, ac alienus a voluntate peccandi*. Hinc ab eodem Augustino temperans a peccato, solo timore pœnæ, comparatur cum lupo, qui licet pastoris præsentia territus, ovem non rapiat, intus tamen lupus remanet, & cum lupi rabie recedit: comparatur etiam cum muliere, quæ licet amet adulterium, temperat tamen ab externo illius opere, ne deprehensa a marito occidatur.

2. Solus gehennæ timor non includit odium præteriti peccati: quod tamen odium essentialis est pars doloris ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiendam requisiti. Nam 1. (*Tantum* (ait August. Ep. 144.) *quisque odit peccatum, quantum justitiam diligit*: at eam, ne imperfecte quidem diligit, qui solius pœnarum timoris motivo iniqua facta detestatur. 2. Ut quis vere peccatum ipsum oderit, necesse est ut amet bonum quod peccato est oppositum: quippe odium mali nascitur ex amore boni quod illi est oppositum: Sed attritus ex *solo* pœnarum metu non amat bonum oppositum peccato, justitiam nimirum, quæ non alia est, quam Deus ipse. 3. Qui odit peccatum ex solo gehennæ metu, nihil odit aliud quam aliquid quod eum privet re illa quam in ipsa, aut in alia creatura diligit: *Timor pœnarum* (ait August. Serm. 454. *de tempore*, c. 3.) *propterea pungit animam, ne amittatur aliquid quod in creatura diligitur, vel ipsa salus & requies temporalis, aut tale aliquid post mortem; propterea enim timentur & apud inferos pœnæ.*

3. Opinio quæ docet, dolorem conceptum ex solo gehennæ metu satis esse, ut impius gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiat, *Opinio est* (ait Franciscus Suarez) *nec valde antiqua, nec multum communis*: ergo non est vera: nempe novitas in rebus quæ ad fidem, aut mores spectant, certissimum est falsitatis argumentum: nec enim habet veritatis characteres de quo Vincentius Lirinensis hæc ait: *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus*.

Obj. 1. Conc. Trid. sess. 14. c. 4. docet Contritionem *Imperfectam*, quæ Attritio dicitur, *disponere* ad recipiendam gratiam in sacramento Pœnitentiæ: ergo sufficit.

R. Conc. ant. nego conseq. Nam alioquin dicendum esset actum fidei satis esse ad receptionem gratiæ in sacramento Pœnitentiæ: nempe non minus de illo quam de Attritione servili dici potest, quod ad recipiendam in sacramento Pœnitentiæ gratiam disponat.

Obj. 1. Concilium Tridentinum supponit Attritionem excludere voluntatem peccandi, id enim probat conditionalis illius loquendi modus: *Si voluntatem peccandi excludat cum*

spe

spe veniæ, disponere ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiendam; ergo, &c.

R. Nego ant. Ideo enim Concilium hac conditionali loquendi ratione, *Si voluntatem peccandi excludat*, utitur, ut significet se de illa Attritione loqui, quæ nulla prava circumstantia ex parte operantis vitietur.

Obj. 3. Concilium Tridentinum Attritionem extra Pœnitentiæ Sacramentum consideratam, opponit Attritioni consideratæ in ipso sacramento; asseritque quod, cum per se sine sacramento Pœnitentiæ ad justificationem perducere nequeat, tamen *disponat* ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiendam: ergo per vocem hanc, *disponere*, intelligit dispositionem *sufficientem* in sacramento.

R. Nego ant. seu quod Concilium Attritionem extra sacramentum consideratam opponat Attritioni in sacramento consideratæ: neque enim dicit quod *cum* sacramento disponat: nempe si absque ullo amore absolutioni conjungatur, pœnitens sacrilegii reus constituitur, quod ipsum sacramentum nullitati exponat: sed sacra Synodus docet tantum, quod licet extra sacramentum ad justificationem non perducat; tamen, etiam extra sacramentum, disponat ad gratiam *in sacramento* recipiendam: quia metus pœnarum est veluti janua per quam ordinarie intrat caritas, juxta illud Augustini: *Si nullus sit timor, non est qua intret caritas.*

De Sufficientia, aut Insufficientia Contritionis.

1. *Quæst.* Contritio perfecta tum *ratione motivi* seu quod sit ex caritate in Deum super omnia, tum ratione *intentionis*, seu *ferveris*, seu quantitatis graduum amoris quos includit; estne absolute necessaria in pœnitente, ut gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiat?

R. Non est absolute necessaria. Idque subsequentibus momentis ostenditur.

1. Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. loquens de amore ex cujus motivo pœnitens debet suum peccatum detestari, ut gratiam sanctificantem in baptismate recipiat, inchoati tantum amoris meminit: *Illumque* (Deum) *tamquam omnis justitiæ fontem diligere* INCIPIUNT: at quæ Baptismi, eadem est Pœnitentiæ ratio.

2. Catechismus Rom. part. 2. c. 5. de sacram. Pœnit. n. 37. & 38. docet Christum ideo instituisse Pœnitentiæ sacramentum, quod paucis admodum spes foret veniæ, si Contritio perfecta ad justificationem necessario requireretur: *Ut* (inquit) *hoc concedamus, Contritione peccata deleri; quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut Clementissimus Dominus faciliori ratione, communi hominum saluti consuleret, quod quidem*, &c.

2. *Q.* Contritio, *perfecta* quidem ex *parte motivi*, sed imperfecta ratione *intentionis*, seu *ferveris*, seu quantitatis graduum amoris, quos includat, estne absolute necessaria impio, ut justificationem in sacramento pœnitentiæ recipiat, hoc est Contritio, concepta *non ex perfecta* quidem, sed *ex inchoata* in Deum caritate super omnia, requiriturne in pœnitente tamquam materia essentialis & necessaria sacramenti Pœnitentiæ?

R. Requiritur tamquam materia essentialis & necessaria sacramenti Pœnitentiæ. Idque subsequentibus argumentis ostenditur.

1. Quæ Baptismi, eadem est Pœnitentiæ ratio: neque enim peccata post baptismum commissa via faciliori dimitti possunt, quam quæ ante baptismum perpetrata fuerunt: atqui Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. in catechumeno prærequirit *inchoatam* caritatem Dei super omnia, ut gratiam in baptismo recipere valeat: *Ipsumque* (ait) *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.*

2. Prærequiritur in pœnitente sincerum propositum servandi divina mandata; ergo & primum quo præcipitur actus caritatis Dei super omnia: Sed qui sincerum habet propositum Deum super omnia diligendi, reipsa illum super omnia diligit: in hoc enim actus quos voluntas immediate elicit, ut est amor, differunt ab actibus quos operatur per potentias extrinsecas, ut est motus manus, quod illi fiant semper, quoties voluntas vult illos fieri, non autem isti.

3. Concilium Tridentinum sess. 14. c. 3. & canone 4. definiit, Contritionem esse quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ: *Sunt autem* (ait) *quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, Contritio, Confessio, Satisfactio.* Atqui nomine *Contritionis* Concilium intelligit dolorem conceptum ex motivo caritatis in Deum: siquidem nomen hoc *Contritio* est nomen *Analogum*, cum significare possit dolores diversæ speciei; dolorem nimirum ex motivo caritatis, aut dolorem ex motivo timoris pœnarum: sed regula est apud Logicos, *Quod quotiescumque nomen Analogum simpliciter & sine addito profertur, semper sumatur, & sumi debeat pro præcipuo Analogato.* Sic cum nomen, *Panis*, simpliciter profertur, sumitur pro solo pane triticeo, quia præcipua est species panis: alii enim non dicuntur panes, nisi cum aliquo addito, *panis hordeaceus*, &c. Ac proinde cum Contritio ex motivo caritatis concepta, sit præcipua Contritionis species, necesse est quod ubi Concilium Tridentinum declaravit Contritionem esse materiam necessariam Sa-

cramenti Pœnitentiæ, nomine *Contritionis*, intellexerit dolorem ex motivo caritatis conceptum.

Obj. 1. Vel Contritio concepta ex motivo caritatis in Deum super omnia, semper justificat impium ante actualem Sacramenti Pœnitentiæ receptionem; vel non justificat. Si primum, absolutio deinceps a Sacerdote collata, erit tantum declaratoria: quod est falsum. Si secundum, fieri poterit ut quis sine sacramento moriens, pœnis æternis damnetur, licet Deum amet super omnia, & ex eo caritatis in Deum motivo sua peccata sincere detestetur: quod quidem quam sit absurdum nemo non videt.

R. 1. Contritio perfecta, seu (ut loquitur Catechismus Romanus) *acris*, *vehemens*, *incensa*, *& ad quam pauci sunt qui pervenirent*, impium justificat *semper*, antequam absolutione sacramentali *actu* donetur: sed nego quod absolutio in eo casu sit mere declaratoria peccati jam remissi. Nam 1. jam in pœnitente illo, absolutio nondum actu data, per sui votum in contritione perfecta inclusum operata est peccatorum remissionem: 2. cum *actu* impenditur, auget gratiam sanctificantem, quam illius votum jam operatum fuerat.

R. 2. Contritio *Imperfecta*, seu quæ non est multum intensa, nec multum robusta, in casu extremæ necessitatis, seu cum haberi non potest Sacramentum, satis est cum solo voto Sacramenti ad hominis impii justificationem: dicit enim Scriptura, *Omnis qui invocaverit nomen Domini*, *salvus erit*, si penes eum non stet ea remedia actu recipere, quæ ad depellendam ab illo mortem spiritualem Christus instituit; unde est illud August. in l. 8. de Civit. Dei: *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit:* Hinc patet quam immerito doctrinæ de necessitate *inchoatæ* caritatis Dei super omnia, adscribatur quod pœnitens sine Sacramento actu recepto mortuus, æternis pœnis addicendus sit, quamvis caritas in illius corde dominetur, & quamvis ex ejusdem caritatis motivo sua peccata detestetur.

Obj. 2. Non datur aliqua Dei caritas super omnia, quæ *statim* non justificet: nam August. tract. 2. in Epist. Joan. asserit quod *Dilectio discernit inter filios Dei & filios Diaboli*; ergo, &c.

R. Ad 1. neg. ant. ad 2. dist. ant. Ex Augustino, dilectio qualibet discernit *imperfecte* inter filios Dei & filios Diaboli; hoc est, quia licet per se non tollat *reatum* peccati, tollit tamen *affectum*; conc. ant. Discernit *perfecte*, hoc est, tollendo non tantum peccati *affectum* sed etiam *reatum*; nego ant. Nec immerito: siquidem se habet impius, sicut se habet qui rebellavit in Principem: quemadmodum igitur rebellionis crimen non censetur a Principe remissum, nisi cum a Principe Remissionis litteræ reo actu concessæ sunt: ita Deus ordinarie tunc tantum peccatum remittit impio qui peccatum suum ex caritatis *Imperfectæ* motivo detestatur, cum remissionis instrumentum, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, illi per Sacerdotem divinæ hac in parte misericordiæ ministrum applicatur.

3. *Q.* Quæ est Cleri Gallicani doctrina de necessitate Contritionis in Sacramento Pœnitentiæ?

R. Continetur in ejusdem Cleri Gallicani Declaratione edita in Comitiis Generalibus ann. 1700. sic autem habet hujusmodi Declaratio.

„ Post absolutas Propositionum censuras, „ supersunt quædam pro rei gravitate enucleatius exponenda, & ab ipsis principiis „ in apertam lucem deducenda.

„ Et quidem de dilectione Dei sicut ad „ Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad „ Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam „ doctrinam omittamus, hæc duo in primis „ ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda & docenda esse duximus.

„ Primum, Ne quis putet in utroque Sacramento requiri ut præviam, Contritionem eam, quæ sit caritate perfecta, *antequam actu suscipiatur*, *hominemque Deo reconciliet*.

„ Alterum, Ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter Fidei „ & Spei actus *non incipiat diligere Deum* „ *tamquam omnis justitiæ fontem*.

„ Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi „ mandati, quo Deus toto corde diligitur, „ nullam curam gerat; nec sit saltem animo „ ita præparato, ut ad illud exequendum, „ divina opitulante gratia, sese excitet ac „ provocet.

„ Placet etiam caveri a Sacramenti Pœnitentiæ administris, ne in hoc Pœnitentiæ „ Sacramento, *aliisque Sacramentis conferendis sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti*, *relicta tutiore*; neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant „ viam quæ sola secura sit, graviter peccaturi in hoc salutis discrimine, *vel eo solo*, „ quod certis incerta præponant.

4. *Q.* Præter Episcopos & Theologos Gallos suntne plures alii qui doceant Attritionem conceptam ex solo gehennarum metu satis non esse ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, sed præterea requiri *inchoatam* Dei *caritatem* super omnia?

R. Sane

R. Sunt plures alii. Et quidem 1. tota Facultas Theologica Academiæ Lovaniensis anno 1662. postulata ut suum doctrinale judicium ferret circa hunc articulum, *Attritionem quæ ex solo gehennæ, & pœnarum a Deo infligendarum metû concipitur, sine interventu alicujus, saltem imperfecti amoris* BENEVOLENTIÆ *erga Deum, non sufficere ad justificationis gratiam in Sacramento impetrandam*: postulata (inquam) his verbis respondit: *Facultas Theologica Lovaniensis in Curia Academica sub juramento convocata & congregata, unanimi consensu censuit doctrinam dicti Articuli esse sanam, securam, veram, nulli reprehensioni obnoxiam, & merito esse fidelibus prædicandam & inculcandam.*

Eadem Facultas Theologica Lovaniensis anno 1677. suam hac de re sententiam tribus hisce propositionibus supremo S. Officii Senatui coram Innocentio XI. discutiendam obtulit Romæ per suos Deputatos.

Prima. *Servilis gehennarum metus nequaquam in sua substantia malus est, sed bonus & utilis. Attamen ipsi soli insistens Attritio, etiam cum Sacramento non sufficit ad justificationem, quia ad accipiendam hanc gratiam oportet credere, sperare, ac Deum propter se diligere.*

Secunda. *Vera Attritio debet esse dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero, excludens voluntatem peccandi, attamen non debet includere perfectam caritatem, quæ hominem Deo reconciliet, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur.*

Tertia. *Nihilominus esse debet, licet imperfecta, tamen vera Dei caritas, qua pœnitens Dominum Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligat, ideoque peccata sua detestetur & oderit. Eam aliqui appellant* CARITATEM AFFECTU SUPER OMNIA.

2. Eadem doctrina publicis in Congressibus *Academiæ Dogmaticæ*, quæ vulgo dicitur *Sapientia Romana*, sæpius Romæ publice propugnatur & defenditur.

3. Eam quoque Fridericus Nicolaus Gavardi Mediolanensis, Ordinis sancti Augustini, sacræ Scripturæ in Sapientia Romana publicus interpres, defendit tomo 6. Scholæ Ægidianæ, Romanis typis anno 1696. excusо.

4. Tandem Illustrissimus & Reverendissimus D. DOMINUS LAMBERTUS LE DROU Episcopus Porphyriensis, Sacrarii Apostolici Præfectus, eamdem doctrinam eruditissimo, & numeris omnibus absoluto Opere Romæ ann. 1707. excuso sub hocce titulo, *De Contritione & Attritione Dissertationes quatuor*, quodque Augustissimo Clementis Papæ XI. Nomini inscripsit, innumeris tum Scripturæ, tum SS. Patrum, tum Concilii Tridentini, tum S. Thomæ textibus asseruit, liberavitque argumentis, quibus Attritionis servilis sufficientiæ defensores eam solent impugnare.

§. IV. *De Confessione.*

1. *Q.* Quomodo definitur Confessio?

R. Definitur, *Accusatio peccatorum Sacerdoti facta, ut eorum remissio virtute clavium obtineatur.*

2. *Q.* Quæ est Confessionis materia?

R. Materia necessaria sunt peccata lethalia post Baptismum commissa: quia illa peccata non remittuntur in nova lege, nisi virtute clavium, quas Christus Joan. 20. hisce verbis Sacerdotibus credidit: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Materia vero libera sunt peccata venialia, quia sine ordine ad claves per caritatis nimirum, pœnitentiæ, & aliarum virtutum exercitia dimitti possunt.

3. *Q.* Qui sunt Confessionis ministri?

R. Soli Sacerdotes: a Sacerdotibus enim tantum, & non ab aliquo inferiore ministro recipi potest absolutio a peccatis.

4. *Q.* Confessio peccatorum estne post Baptismum lapsis necessaria necessitate medii?

R. Est: quia hominibus post Baptismum lapsis, qui nec in re, nec in voto confitentur, potest impendi sacramentalis absolutio: hinc est illud Basilii in Regulis brevioribus: *Necessario eis peccata aperiri debent, quibus tradita est mysteriorum dispensatio.*

Obj. 1. Veteres confitebantur quidem peccata publica, sed non confitebantur occulta: ergo omnium peccatorum mortalium confessio non est necessaria necessitate medii.

R. Nego ant. Scilicet antiqui Canones pœnitentias satisfactorias injungunt pro criminibus maxime occultis, ut sunt homicidium, & adulterium mulierum conjugatarum, quas ne venirent in temeratæ fidei maritis debitæ suspicionem, non damnabant prostratione, sed consistentia tantum, ad quam solorum peccatorum venialium rei dimittebantur.

Obj. 2. Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus abrogavit peccatorum confessionem; id enim testantur Socrates historiæ lib. 5. cap. 19. Sozomenus hist. libro 7. cap. 16. ergo, &c.

R. Dist. ant. Confessionem *publicam*, conc. ant. occultam, nego ant. Hoc est Nectarius abrogavit usum quædam occulta peccata publice confitendi ex mandato Sacerdotis, qui nonnumquam eam confessionem imponebat satisfactionis loco.

5. *Q.* Quilibet adulti tenenturne semel in anno confiteri?

R. Tenentur; id enim præcipit Canon, *Omnis utriusque sexus*, ubique promulgatus & receptus.

6. *Q.* Confessio debetne esse integra?

R. Debet; hoc est, reus confiteri tenetur om-

omnia sua peccata mortalia tam quoad speciem, tum quoad numerum. Ita definiit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5.

7. *Q.* Estne de fide accusari debere circumstantias quæ peccati speciem mutant?

R. Est. Id enim contra Lutheranos Concilium Tridentinum definiit. Et quidem merito: nam circumstantiæ quæ mutant speciem, multiplicant peccata, ut patet in eo qui furatur in Templo; is enim & furti & sacrilegii reus est. Unde Canones in injungenda satisfactione attendunt ad hujusmodi circumstantias: gravioribus nimirum pœnis castigant incestuosum, quam simplicem fornicarium.

8. *Q.* Circumstantiæ quæ non mutant quidem speciem, sed quæ multum aggravant peccatum intra eamdem speciem, debentne necessario accusari?

R. Debent. Nam 1. alioquin Sacerdos proportionatam malitiæ peccati satisfactionem injungere non posset. 2. Id præscribunt Canones, cum graviorem pœnam infligant incestuoso in primo gradu, quam in secundo, & in aliis.

Obj. Concilium Tridentinum loquens de Confessionis integritate, non meminit circumstantiarum, quæ intra eamdem speciem peccatum aggravant: ergo, &c.

R. Dist. ant. Non meminit *explicite*, conc. ant. *implicite*, nego ant. Scilicet ratio qua utitur Concilium, ut doceat circumstantias quæ mutant speciem accusari debere, valet etiam pro confessione circumstantiarum quæ non mutant peccati speciem: petita nimirum est illa ratio ex eo quod alioquin proportionatas malitiæ peccati pœnas Sacerdotes injungere non possent.

9. *Q.* Socius peccati debetne accusari?

R. Non debet, cum pœnitens sine accusatione socii potest peccati speciem & circumstantias multum aggravantes detegere. Debet e contra si id non possit: nempe socius per peccatum ad quod complicem pellexit, jus amisit ad suam apud Confessarium famam. Vide Morinum, Cabassutium, Sambovium apud quos argumentum illud fuse pertractatur.

10. *Q.* Confessio debetne esse secreta?

R. Debet: nullo enim jure divino, aut canonico decretum est ut confessio peccatorum occultorum sit publica. Sacerdos vero qui confessionem excepit, jure Naturali, Divino & Ecclesiastico, tenetur ad secretum. *Caveat omnino* (inquit Concilium Lateranense IV.) *ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem*. Nec aliqua potest esse caussa propter quam secretum de quo agitur, sive directe, sive indirecte aperire liceat.

§. V. *De Satisfactione.*

1. *Q.* Satisfactio quomodo definitur?

R. Definitur Castigatio peccati inflicta a Sacerdote, ad resarciendam injuriam quæ Deo per peccatum fuit illata.

2. *Q.* Quomodo differunt Satisfactio & Satispassio?

R. In eo differunt quod in satisfactione commutatio locum habet: in Satispassione vero commutatio non habet locum, sed tanta infligitur, quanta per legem determinatur.

3. *Q.* Quo fundamento nititur debitum imponendi satisfactionem pœnitentibus?

R. Petitur ex eo quod sacramentum Pœnitentiæ non tollat cum culpa pœnam quæ peccato debetur, sed æternam mutet in temporalem, & in hoc differt a Baptismo: nec immerito; par enim non est ut peccata post Baptismum commissa utpote graviora, eadem cum indulgentia remittantur, qua ea quæ ante Baptismum commissa sunt.

4. *Q.* Quas cautiones servare debet Sacerdos in injungenda sacramentali satisfactione?

R. Servari debent quæ a Concilio Tridentino hisce verbis sess. 14. cap. 7. præscribuntur: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

5. *Q.* Quæ cautiones servari debent a pœnitente in adimplenda injuncta sibi satisfactione?

R. Debet eam acceptare quam prudens Confessarius injunxerit: *Nam* (ut ait Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8.) *claves Sacerdotum, non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent*. Debet 2. satisfactionem quam citius poterit adimplere: si enim in longius tempus illius executionem protrahat, multum culpabilis negligentiæ, in re gravi reus erit. Debet 3. liber esse, cum illam exequitur, non quidem a statu peccati mortalis, sed ab illius affectu: neque enim qui Deo rebellem voluntatem nutrit, censeri potest habere studium placandi Deum, quod tamen est essentiale satisfactioni.

§. VI.

§. VI. *De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.*

1. *Q.* Quæ est forma sacramenti Pœnitentiæ?

R. Sunt hæc verba, quæ a Sacerdote proferuntur: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Nam 1. ita docet Conc. Trid. sess. 14. c. 3. ubi sic loquitur: *Docet S. Synodus, sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, &c.* 2. Clare exprimunt effectum sacramenti Pœnitentiæ.

2. *Q.* Qui sunt ministri formæ sacramenti pœnitentiæ?

R. Soli Sacerdotes: solis nimirum Sacerdotibus dictum est, Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

3. *Q.* Quotuplex potestas in Sacerdote requiritur, ut possit pœnitentem absolvere?

R. Duplex: Ordinis nimirum, quæ per manuum impositionem in ordinatione confertur: & jurisdictionis, quæ recipitur per approbationem Ordinarii. Ita docet Conc. Trid. sess. 23. c. 15. *de Reformat.*

Obj. Quilibet Sacerdos cum per Episcopalem manuum impositionem ordinatur, recipit potestatem remittendi peccata: ergo non requiritur approbatio Ordinarii.

R. Conc. ant. nego conseq. Quia ut exerceatur illa potestas, requiruntur subditi in quos exerceatur: non habentur vero subditi, nisi aut per Parochiale beneficium, aut per approbationem Ordinarii. *Quamvis* (verba sunt Conc. Trid. sess. 23. c. 15.) *Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur, esse necessarium; aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

4. *Q.* Quotuplex est Jurisdictio?

R. Duplex: Ordinaria nimirum quæ datur per beneficium Parochiale; & Subdelegata, quæ Presbytero non habenti Parochiale beneficium per Ordinarii approbationem confertur. Quæ sine Jurisdictione absolutio confertur, irrita est omnino: *Quoniam igitur* (inquit Conc. Trid. sess. 14. cap. 7.) *natura & ratio judicii exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

5. *Q.* Quilibet Sacerdos approbatus potestne a quibuslibet peccatis absolvere?

R. Potest, si non sint Episcopo, aut summo Pontifici reservata: secus, si sint reservata, & specialem ab eis absolvendi facultatem non acceperit. Ita decernit Conc. Trid. sess. 14. cap. 7.

6. *Q.* Suntne aliqui casus reservati in articulo mortis?

R. Non sunt: *Verumtamen* (ait Conc. Trid. sess. 14. cap. 7.) *pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possint: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.*

7. *Q.* Quibus hominibus conferri debet absolutionis beneficium?

R. Iis, qui sunt contriti, ac pœnitentes: si enim contritio defuerit, irrita est absolutio: quia non est materia cui applicetur.

8. *Q.* Quinam homines, extra morale vitæ periculum, censeri non debent pœnitentes?

R. Sunt ii, 1. qui mortaliter peccatum ex consuetudine, nec emendationem operibus probarunt: *Irrisor enim est, & non pœnitens* (ait Isidorus Hispalensis lib. 2. Sent. c. 13.) *qui adhuc agit, quod pœnitet, nec Deum videtur poscere subditus, sed subsannare superbus.* Vide Instructiones, a sancto Carolo Borromæo pro Confessariis editas, toto plaudente Episcopali cœtu probatas & nuper jussu SS. D. D. N. Innoc. Papæ XII. per Eminentissimum Cardinalem Carpeigna Urbis Vicarium, Romæ sollemni mandato promulgatas.

Sunt ii, 2. qui laborant ignorantia mysteriorum, quorum explicita fides est ad salutem necessaria: hinc Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus ann. 1700. merito damnavit hanc propositionem: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini.*

Sunt ii 3. qui versantur in occasione proxima peccati lethalis: ii enim qui affectum habent ad caussam peccati, non censentur liberi ab ejusdem peccati affectu.

Sunt ii 4. qui æs alienum, licet possint, restituere detrectant, aut restitutionem longius protrahunt, nec non plures alii de quibus S. Carolus in suis Instructionibus.

CAPUT VII.

De Extrema unctione.

1. *Qu.* EXtrema unctio quomodo definitur? R. Definitur, *Sacramentum quo praeter gratiam sanctificantem, datur jus ad auxilia quae necessaria sunt, ut aegrotus patienter ferat morbi incommoda, recuperetve corporis sanitatem, ubi expedierit animae saluti.*

2. *Q.* Unde probari potest extremam unctionem esse Novae legis sacramentum?

R. Ex eo quod sit ritus sensibilis qui ex institutione Christi gratiam sanctificantem producit, juxta illud Jacobi 5. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

3. *Q.* Quaenam est materia Extremae unctionis?

R. Materia remota, est oleum ex olivis expressum: materia vero proxima est unctio eodem oleo facta; juxta illud Jacobi 5. *Ungentes eum oleo in nomine Domini.* Prae ceteris autem rebus electum est oleum a Christo: quia (ut ait Concilium Tridentinum sess. 14. capite *de Extrema unctione*) unctio quae fit oleo, aptissime Spiritus sancti gratiam qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat.

4. *Q.* Olei per Episcopum consecratio estne necessaria?

R. Est necessaria: juxta illud Concilii Tridentini: *Oleum ab Episcopo benedictum.* An autem ea consecratio sit necessaria necessitate Sacramenti, non una est Theologorum opinio: probabilius sentire videntur qui docent eam ex solo Ecclesiae praecepto requiri: neque enim laudari potest aliquis Patrum textus, quo probetur non valere, ea omissa, Sacramentum.

5. *Q.* Quae est forma extremae unctionis?

R. Sunt haec verba: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, odoratum, gustum, tactum, auditum.* Ita docet Conc. Trid. sess. 4. cap. de extrema unctione: *Formam deinde* (inquit) *esse illa verba, Per istam unctionem, &c.*

6. *Q.* Quis est auctor Extremae unctionis?

R. Christus Dominus: ipse enim solus (ut superius probatum fuit) est auctor omnium & singulorum Sacramentorum Novae legis: *Instituta est* (ait Concilium Tridentinum) *a Christo Domino nostro.*

7. *Q.* Quandonam Christus instituit Extremam unctionem?

R. Insinuata fuit, hoc est, in typo commendata cum Christus apud Marcum cap. 6. discipulos misit, ut Judaeos infirmos inungerent. Sed proprie instituta fuit post institutionem sacramenti Poenitentiae, quia ejusdem sacramenti Poenitentiae quoddam est, (ut ait Concilium Tridentinum) consummativum. Promulgata vero fuit a Jacobo in Epistola Canonica cap. 5. ubi haec habentur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.*

8. *Q.* Qui sunt ministri Extremae unctionis?

R. Presbyteri per Episcopalem manuum impositionem consecrati: hos enim vocari vult Jacobus, ut ungant infirmum, & orent pro eo. Non ita tamen, ut excludantur Episcopi: quidquid enim possunt simplices Presbyteri, possunt & Episcopi: unde utrique a Concilio Tridentino recensentur.

9. *Q.* Quilibet Sacerdos potestne licite, sicut valide potest, conferre Extremam unctionem?

R. Non potest, nisi sit Parochus, aut ab eo delegatus. Ita nimirum expresse decernitur in Clementina 1. *de Privilegiis.*

10. *Q.* Quilibet homo estne capax Extremae unctionis?

R. Pueri, & amentes a nativitate non sunt illius capaces: quia primarius Extremae unctionis effectus, remissio nimirum peccatorum, in eis locum habere non potest. Secus vero, si amantes lucidis intervallis aliquando fruiti fuerint: tunc enim actu peccare potuerunt.

11. *Q.* Quibus hominibus conferri debet Extrema-unctio?

R. Aegrotis: infirmorum enim tantum meminit Jacobus, cum de hoc Sacramento loquitur: *Infirmatur* (inquit) *quis in vobis? inducat, &c.* Unde est illud Concilii Tridentini: *Declaratur etiam* (Jacobi verbis) *esse hanc unctionem infirmis adhibendam; illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

12. *Q.* Estne multoties eidem infirmo conferenda Extrema-Unctio?

R. Non est conferenda in eodem infirmitatis statu: at si aegrotus convaluerit, & iterum postea decumbat, iterum inungi debet: *Quod si infirmi* (ait Conc. Trid.) *post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt.*

13. *Q.* Qui sunt effectus Extremae unctionis?

R. Sunt productio gratiae sanctificantis; Remissio peccatorum; Abstersio reliquiarum peccati; aegrotantis Alleviatio, Corporis sanitas, si expedierit animae saluti. Scilicet ii omnes effectus in verbis Jacobi continentur, & a Conc. Trid. sess. 14. cap. *de Extrema unctione* recensentur.

14. *Q.* Quae peccata dimittuntur per extremam unctionem?

R. Non dimittit *per se* peccata mortalia; quia non est Sacramentum mortuorum: sed venialia tantum; quia est Sacramentum vivorum.

15. *Q.* Quid per peccatornm reliquias intelligitur?

R. In-

R. Intelligitur propensio ad malum; torpor ad faciendum bonum; mentis debilitas ad cælestium contemplationem.

16. Q. Quid intelligitur per ægrotantis alleviationem?

R. Intelligitur robur tum ad patienter ferenda morbi incommoda, tum ad resistendum Diabolo, qui in extremis præsertim, struit insidias.

17. Q. Extrema unctio confertne sanitatem corporis *ex opere operato*, an vero tantum *ex opere operantis*.

R. Non una est ea de re Theologorum opinio. Thomistæ passim docent, conferre eam *ex opere operato*: Estius vero tantum *ex opere operantis*; seu virtute publicarum Ecclesiæ precum: unde effectus ille non est primarius, sed secundarius tantum; quia (ait idem Estius) Sacramenta per se & primario non referuntur ad hujus vitæ bona: hincque concludit Extremam unctionem non semper, etiam ubi expedierit animæ saluti, conferre sanitatem corpoream: idque innui asserit hisce Concilii Tridentini verbis: *Et sanitatem corporis* INTERDUM, *ubi saluti animæ expedierit, consequatur.*

18. Q. Quæ dispositiones ex parte subjecti requiruntur, ut recipiat fructus Extremæ unctionis?

R. Requiritur status gratiæ sanctificantis, quia Extrema unctio (ut jam sæpius observatum fuit) non est Sacramentum mortuorum, sed vivorum tantum.

19. Q. Extrema unctio estne necessaria?

R. Non est quidem necessaria necessitate medii: quia, cum non sit Sacramentum mortuorum, sine ea potest haberi gratia sanctificans, per Baptismum nimirum & Pœnitentiam. Sed est necessaria necessitate præcepti: & quidem Divini, ut probant absoluta hæc Jacobi verba: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, & etiam Ecclesiastici: unde quovis sæculo Ecclesia sedulo curavit, ne quis non unctus infirmorum oleo, exiret ex hac mortalium vita.

20. Q. Extrema-unctio producitne caracterem?

R. Non producit: quia, ex Concilio Tridentino, potest iterari.

CAPUT VIII.

De Ordine in genere.

1. *Quæst.* ORdo quomodo definitur?

R. Definitur: *Ritus sacer quo spiritualis potestas confertur ad ea quæ ad Eucharistiæ tum confectionem, tum dispensationem pertinent.*

2. Q. Cur in Ordinis definitione dictum non fuit quod sit Novæ legis Sacramentum?

R. Id dictum non fuit; quia (ut inferius dicetur) omnes & singuli in specie Ordines non sunt Novæ legis Sacramentum.

3. Q. Ordo in genere sumptus, estne Sacramentum Novæ legis?

R. Est. Nam ita definiit Concilium Tridentinum sect. 23. cap. 3. & quidem merito: est enim cæremonia sensibilis productiva gratiæ sanctificantis: juxta illud Apostoli secundæ ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

4. Q. Quis est minister Ordinis?

R. Ordinarius minister est solus Episcopus. Nam 1. id docet Hieronymus in Epistola ad Evagrium, ubi sic loquitur. *Quid facit Episcopus, excepta Ordinatione, quod Presbyter non faciat?* 1. Nulli unquam præter Episcopos, aut in sacris Litteris, aut in Patrum Traditione leguntur Ordinationes celebrasse: hincque patet quam merito Concilium Tridentinum sess. 23. can. 7. anathema dicit Lutheranis contrarium sentientibus: *Si quis dixerit, Episcopos non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel illam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem... anathema sit.*

5. Q. Qui sunt effectus sacræ Ordinationis?

R. Duo sunt; gratia sanctificans, & caracter: unde semel valide data iterari non potest:

6. Q. Ordines quomodo dividuntur?

R. Dividuntur in Majores & Minores. Ita nimirum definiit Concilium Tridentinum sess. 2. can. 2. ubi sic loquitur: *Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & Majores & Minores, per quos, velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

7. Q. Cur instituti sunt Ordines Majores & Minores?

R. Ut per eos veluti per gradus ad Sacerdotium tendatur, & ut ipsummet Sacerdotium dignius exerceatur. Petita est ea ratio ex Conc. Trid. quod quidem sic habet sess. 23. c. 2. *Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdoti ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam Tonsura Clericali insigniti essent, per Minores ad Majores ascenderent.*

8. Q. Quot sunt Ordines Majores?

R. Tres tantum vulgo recensentur: Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus: dicuntur vero Majores, quia per eos major & dignior potestas datur, quam per Minores.

9. Q. Suntne *tantum* tres Ordines Majores?

R. Conc. Trid. docet quidem esse tres, sed non definit esse tres tantum, nec immerito: Episcopatus quippe est quoque Ordo Major, quia per eum datur perfecta & completa Sacerdotii potestas: unde Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. declarat, Episcopos, qui in Apo-

Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem divinitus institutum præcipue pertinere.

10. *Q.* Quot sunt Ordines Minores?

R. Sunt quatuor: Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus & Ostiariatus: hos enim quatuor recenset Conc. Trid. sess. 23. cap. 2. Solum tamen Lectoratum Græci, etiam Catholici, retinent, alii vero nusquam apud eos fuerunt in usu.

11. *Q.* Suntne *tantum* quatuor Minores Ordines?

R. Docet quidem Conc. Trid. esse quatuor; sed non definit esse quatuor *tantum*: unde plures Canonistæ (licet immerito, ut inferius dicetur) contendunt primam Tonsuram Clericalem esse vere ac propriæ dictum Ordinem.

CAPUT IX.

De Ordinibus in specie.

§. I. *De Episcopatu.*

1. *Quæst.* Quid est Episcopatus?

R. *Est ritus sacer quo datur potestas confirmandi Neophytos, ordinandi ministros, & regendi Ecclesiam Dei.*

2. *Q.* Episcopatus estne ex institutione divina?

R. Est. Nam (ut ait Conc. Trident.) Episcopi in Apostolorum locum successerunt: ac proinde, cum Apostoli ab ipsomet Christo constituti sint Episcopi, Episcopatum ab eo institutum fuisse necesse est.

3. *Q.* Episcopatus est ne Sacerdotio superior?

R. Est. Nam Episcopi præcipue (ut ait Conc. Trident.) ad hierarchicum ordinem pertinent, positique sunt, ut regant Ecclesiam Dei: unde eadem Synodus recensens eos qui Hierarchiam constituunt, primo loco nominat Episcopos: *Si quis dixerit* (ait canone 6.) *in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris, anathema sit.*

4. *Q.* Quo jure Episcopi sunt Presbyteris superiores?

R. Divino jure. Scilicet 1. jure divino regunt Ecclesiam Dei; ac proinde & ipsos Sacerdotes: juxta illud Actorum cap. 22. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo.* 2. Jure divino primum in Ecclesiastica Hierarchia locum tenent: Est autem Hierarchia ministrorum inter se subordinatio, ac veluti dependentia.

5. *Q.* Ecclesia potestne Episcopatū abrogare?

R. Non potest: quia abrogare non potest ea quæ sunt ex institutione divina, quæque (ut est Episcopatus) ex Christi ordinatione, necessaria sunt Ecclesiæ.

6. *Q.* Quænam ab Episcopis debentur Ecclesiis quibus fuerunt præfecti?

R. Præcipua Concilium Tridentinum sess. 23. „ cap. 1. *de Reformat.* hisce verbis tradi-
„ ta: Cum præcepto divino mandatum sit om-
„ nibus, quibus animarum cura commissa est:
„ oves suas agnoscere, pro his sacrificium
„ offerre, verbique divini prædicatione, Sa-
„ cramentorum administratione, ac bonorum
„ omnium operum exemplo pascere, paupe-
„ rum, aliarumque miserabilium personarum
„ curam paternam gerere, & in cetera mu-
„ nia pastoralia incumbere: quæ omnia ne-
„ quaquam ab eis præstari, & impleri pos-
„ sunt, qui gregi suo non invigilant, neque
„ assistunt, sed mercenariorum more dese-
„ runt: sacrosancta Synodus eos admonet, ut
„ divinorum præceptorum memores, factique
„ forma gregis in judicio & veritate pascant
„ & regant. Ne vero &c.

7. *Q.* Episcopatus estne Ordo & proprie dictum Novæ legis Sacramentum?

R. Episcopatus 1. est Ordo: quia (ut superius dictum fuit) est ritus sacer quo in ordine ad Eucharistiam & Ecclesiæ regimen datur spiritualis potestas. 2. Est Sacramentum, quia est cæremonia sensibilis per quam gratia ex institutione divina producitur: scilicet Paulus secundæ ad Timoth. 1. de Episcopali præsertim ordinatione quam Timotheo contulerat, sic loquitur: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Obj. Si Episcopatus esset Ordo, essent in Ecclesia Ordines octo: at id repugnat Concilio Tridentino, quod quidem sessione 23. cap. 1. septem tantum recenset.

R. Ad 1. neg. min. Ad 2. dist. Ant. Septem tantum recenset, & non excludit majorem numerum, conc. ant. & excludit, nego ant. Lata est autem ea definitio contra Lutheranos qui contendebant, septem Ordines, qui ab Ecclesia Catholica probantur, non esse veros Ordines.

§. II. *De Presbyteratu.*

1. *Q.* Presbyteratus quomodo definitur?

R. Definitur: *Ritus sacer per quem datur potestas consecrandi & offerendi & ministrandi Corpus & Sanguinem Christi, necnon & peccata dimittendi & retinendi.*

2. *Q.* Presbyteratus estne proprie dictum Sacramentum Novæ legis?

R. Est: quia in eo tria reperiuntur quæ Sacramentum proprie dictum constituunt. Et quidem 1. verba & signa exteriora, scilicet impositio manuum, & Episcopi Sacerdotes ordinantis oratio. 2. Institutio divina: constat enim ex Scriptura, Christum contulisse duplicem potestatem quæ per verba & exteriora signa Presbytero tribuuntur, potestatem mini-

rum.

rum in ipsius Corpus naturale hisce verbis, Matthæi 26. expressam: *Hoc facite*, & potestatem in Corpus mysticum his aliis verbis, Joannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. 3. Ea vero verba, ea signa exteriora gratiam sanctificantem producunt, juxta illud Apostoli primæ ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*.

3. *Q.* Quæ est materia Presbyteratus?

R. Probabilius est esse solam manuum impositionem. Nempe soli manuum impositioni convenit illud Vincentii Lirinensis: *Quod ubique; quod semper; quod omnibus*.

Et quidem 1. ab Apostolorum temporibus ad hanc usque ætatem ubique gentium in Presbyteris ordinandis adhibita est manuum impositio, ipsique adscripta fuit productio gratiæ sanctificantis.

2. Ante annum millesimum, in ordinandis Presbyteris non erant in usu traditio calicis cum vino, aut porrectio patenæ cum pane superimposito: neque enim in aliquo Sacramentario, aut in aliquo eorum temporum Concilio recensentur; ac proinde non potest esse materia quam Christus præcepit, & qua usi sunt Apostoli.

3. Ritus de quo agitur, seu traditio calicis & patenæ porrectio, nusquam fuerunt in usu, nec sunt modo in Ecclesiis Orientalibus: scilicet (ut videre est in Græcorum Euchologiis) Orientales in conferendo Presbyteratu solam adhibent manuum impositionem.

4. Si ritus aliquis, alius ab impositione manuum, dicatur essentialis materia Presbyteratus, vix contra Lutheranos probari poterit Presbyteratum, seu Sacerdotium, esse proprie dictum Sacramentum Novæ legis: nempe probari vix poterit eumdem Presbyteratum fuisse in usu apud Majores nostros: neque enim traditione calicis, aut porrectione patenæ (ut ostensum est) usi sunt; nec modo utuntur Græci; quorum tamen Ordinationes admittit & probat Ecclesia Romana.

5. Concilium Tridentinum sess. 15. cap. 3. *de Extrema-unctione*, loquens de ejusdem unctionis ministris asserit esse Presbyteros *rite ordinatos per impositionem manuum Presbyterii*.

Obj. 1. Eugenius Papa IV. in Decreto pro instructione Armenorum, docet Presbyteratus materiam esse traditionem calicis cum vino, & porrectionem patenæ cum pane superimposito: ergo non est impositio manuum.

R. Dist. ant. Esse materiam integrantem & accessoriam, conc. ant. essentialem & substantialem, neg. ant. Ratio est, quia Eugenius scopus fuit Armenos docere ritus Ecclesiæ Romanæ: ac proinde debuit eis tradere solam materiam integrantem, qua ipsi in suis Ordinationibus non utebantur, non autem essentialem quæ jam ab ipsis adhibebatur.

Obj. 1. Presbyteri in Pontificali Romano, antequam eis instrumenta Sacrificii porrigantur, dicuntur *ordinandi*, quamvis jam eis manus impositæ fuerint: ergo, &c.

R. Dist. ant. Dicuntur *ordinandi*, quod Ordinationis ritus integralis nondum completus sit, conc. ant. ritus essentialis, nego ant. Vide Morinum.

4. *Q.* Quænam manuum impositio est essentialis materia Presbyteratus? an ea quæ præcedit porrectionem instrumentorum, an vero quæ fit post Communionem?

R. Est ea quæ fit longe ante porrectionem instrumentorum: scilicet altera quæ fit post communionem (teste Morino nostro) ante quingentos abhinc annos non erat in usu, ne quidem apud Latinos, nec est modo apud Græcos.

5. *Q.* Quæ est forma Presbyteratus?

R. Est oratio, per quam Episcopus invocat Spiritum sanctum in eos quibus una cum Presbyteris adstantibus manus imponit. Ratio est, quia per mille priores annos non per alia verba, quam per orationem, de qua agitur, Majores nostri in Ecclesia Latina Presbyteratum contulerant; nec modo Græci: neque enim Concilium Carthaginiense IV. in quo accurate describuntur sacræ Ordinationis ritus, neque Sacramentarium Gregorii Magni, aliorum, ab oratione de qua agitur, verborum meminerunt, nec genuina Euchologia quibus nunc utuntur Græci.

Obj. In pontificali Romano, Episcopus cum Sacrificii porrigit instrumenta, sic Presbyterum alloquitur: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis*: ergo illa verba sunt forma Presbyteratus.

R. Conc. ant. nego conseq. Ea nimirum verba sunt declarativa potestatis jam acceptæ per manuum impositionem, non autem ejus, quæ tunc recipiatur, collativa: unde sunt forma integralis & accessoria, non autem substantialis & essentialis. Vide Morinum.

6. *Q.* Quis est auctor Presbyteratus?

R. Christus ipse: is enim est a quo Ecclesiastica Hierarchia, quæ ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris constat, instituta est.

7. *Q.* Quo præcise tempore a Christo institutus fuit Presbyteratus?

R. In ultima Cœna: tunc enim Apostolos constituit Sacerdotes, eisque ac eorum successoribus præcepit, ut Eucharistiam consecrarent & offerrent. Sacerdotem (inquit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1.) secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi

Te-

„ Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, *uti semper Ecclesia Catholica intellexit*, *& docuit*.

Obj. Apostoli in ultima Cœna non receperunt manuum impositionem: ergo nec Sacerdotium.

R. Conc. ant. dist. conseq. Ergo nec Sacerdotium, sumptum secundum substantiam; hoc est, prout est Sacramentum constans visibili signo, conc. conseq. Sumptum secundum effectum; id est, secundum potestatem consecrandi & offerendi Corpus Christi, nego ant. Tunc enim effectum Sacramenti receperunt, licet ipsummet Sacramentum non receperint.

8. *Q.* Quandonam Christus in specie determinavit impositionem manuum, & orationem pro materia & forma Presbyteratus?

R. Id factum est aut in ultima cœna, aut post resurrectionem: cum enim Apostoli utroque illo ritu usi sint in conferendo Sacerdotio, illique gratiæ productionem adscripserint, certum est eos duplicem illum ritum ab ipsomet Christo edoctos fuisse.

9. *Q.* Presbyteri accipiuntne uno & eodem ritu, impositione scilicet manuum, quæ præcedit instrumentorum porrectionem, utramque potestatem, consecrandi nimirum Corpus Christi, & remittendi peccata?

R. Recipiunt; quia solus ille ritus, est essentialis materia; & oratio, quæ illum comitatur, sola essentialis forma Sacramenti Presbyteratus.

Obj. 1. Apostoli simul & semel non receperunt utramque de quo agitur, potestatem, sed seorsim & divisim: potestatem quidem consecrandi in ultima Cæna, potestatem vero remittendi & retinendi peccata, post resurrectionem, cum Christus eos sic allocutus est Joa. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*: ergo nec his temporibus Presbyteri utramque potestatem simul & semel, uno eodemque ritu impositionis manuum, recipiunt.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia Apostoli (ut superius dictum est) in ultima Cæna non receperunt Sacramentum Presbyteratus, licet tunc illius effectu donati sint: at vero hodierni Sacerdotes, per impositionem manuum totum Sacerdotii Sacramentum recipiunt; ac proinde & totam eidem Sacerdotio conjunctam potestatem.

Obj. 2. Episcopus in ordinatione Presbyterorum (ut constat ex Pontificali Romano) post Communionem Presbytero manus imponens, sic loquitur: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*: ergo in illo ritu confert Presbyteris potestatem remittendi, & retinendi peccata! neque frustra id ab Episcopo dicitur, ut hisce verbis declarat Concilium Tridentinum sessione 23. canone 4. *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum: ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum... anathema sit*.

R. Ad 1. conc. ant. nego conseq. Ad 2. fateor illa verba frustra non dici ab Episcopis: demonstrant nimirum, per sacram ordinationem revera dari Spiritum sanctum, licet non significent dari per illum ritum qui post Communionem adhibetur. Nempe sacra Synodus hoc unum laudatis verbis contra Lutheranos docere voluit, sacram Ordinationem non esse ritum otiosum, sed ritum efficacem qui ex divina institutione Spiritum sanctum, seu gratiam sanctificantem conferat. Si quid tamen casu aliquo fuerit omissum, caute est ab Episcopo supplendum.

10. *Q.* Quis est Minister Presbyteratus?

R. Est solus Episcopus: non enim aut in Scriptura, aut in Traditione, aliquis præter Episcopum legitur Presbyteratum contulisse: unde Concilium Tridentinum loquens de Presbyteris quos Jacobus Epist. cap. 5. vult induci, ut ægrorum inungant, dicit eos esse qui ab Episcopis rite ordinati sunt per impositiones manuum Presbyterii.

§. III. *De Diaconatu*.

1. *Q.* Diaconatus quomodo definitur?

R. Definitur: *Ritus sacer quo datur potestas legendi sollemniter Evangelium, & proxime ministrandi Presbytero celebranti*.

2. *Q.* Diaconatus estne ex institutione divina?

R. Est. Nempe Concilium Tridentinum sess. 23. can. 6. definiit, in Ecclesia Hierarchiam esse divina Ordinatione institutam quæ ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris constet: *Si quis dixerit*, (ait) *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; anathema sit*. At *Ministrorum* nomine præcipue intelliguntur Diaconi: eos enim ipsa vox Græca significat.

3. *Q.* Quandonam a Christo institutus fuit Diaconatus?

R. Aut in ultima cœna, aut post resurrectionem: vi nimirum ejusmodi institutionis Apostoli, Actorum 11. septem primos Diaconos ordinarunt.

3. *Q.* Diaconatus estne proprie dictum Sacramentum Novæ legis?

R. Est, repugnent licet Cajetanus, & Durandus. Nam 1. constat cæremonia sensibili: 2. est ex institutione divina: 3. confert Spiritum sanctum, seu gratiam sanctificantem: nempe Episcopus frustra non dicit Diacono quem consecrat: *Accipe Spiritum sanctum ad robur & ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini*: ergo Diaconatus est Sacramentum.

Obj. Diaconatus institutus fuit ab Apostolis ad usum mere prophanum, distributionem scilicet eleemosinarum quæ apud Apostolos deponebantur: unde Hieronymus eos vocat, Mensarum ac Viduarum ministros: ergo non est Sacramentum.

R. Ad 1. nego ant. ad 2. dist. ant. Ad distributionem eleemosynarum, tamquam ad officium minus præcipuum, conc. ant. tamquam ad officium præcipuum, nego ant. Scilicet & dotes quas in eis requisierunt Apostoli, & gravissima verba quibus eorum Ordinationem præscribunt, non obscure innuunt eos ad officia spiritualia præcipue consecratos fuisse. *Sed &* (inquit Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 2.) *de Diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maxime in illorum Ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent.* Unde & in actis baptizasse, & Evangelium prædicasse leguntur. Ad 3. dicendum est, Hieronymum Diaconos vocare *Mensarum & Viduarum Ministros*, ex occasione ad quam Apostoli mandarunt executioni præceptum sibi a Christo factum de Ordinandis Diaconis.

5. *Q.* Quæ est materia Diaconatus?

R. Sola manuum impositio: Non enim alia sive in Scriptura, sive in Patribus decem priorum sæculorum recensetur.

Obj. Materia Diaconatus est libri Evangeliorum porrectio: ergo, &c.

R. Nego ant. Nam 1. nondum conscripta erant Evangelia, cum Apostoli primos Diaconos ordinarunt: 2. Concilium Carthaginiense IV. aperte innuit Diaconos non alio ritu ordinari, quam impositione manuum: in hoc enim eos Subdiaconis opponit. 3. Alius ab impositione manuum ritus non est apud Græcos in usu in Ordinatione Diaconorum: at essentialis materia Sacramenti debet ubique eadem esse.

6. *Q.* Quæ est forma Diaconatus?

R. Est oratio per quam Episcopus manum eis imponens, Spiritum sanctum invocat. Nam 1. solius illius orationis meminerunt Patres decem priorum sæculorum. 2. Græci non alia forma, quam Oratione, utuntur in Ordinatione Diaconorum.

Obj. Forma Diaconatus sunt hæc verba, quæ ex Pontificali Romano Episcopus Diaconatum conferens profert: *Accipite Spiritum sanctum ad robur*, &c. alioquin enim frustra dicerentur ab Episcopo.

R. Ad 1. nego ant. Idque demonstrare videntur rationes quæ in responsione præcedenti laudatæ sunt.

Ad 2. nego ant. illa enim verba frustra non dicuntur, si per Diaconatum conferatur (ut revera confertur) Spiritus sanctus: licet per illa præcise verba non conferatur. Vide Morinum nostrum.

7. *Q.* Quis est Minister Diaconatus?

R. Solus Episcopus: non enim aut in Scriptura, aut in traditione legitur, ipsum ab alio, quam Episcopo, collatum fuisse.

8. *Q.* Quæ sunt officia Diaconorum?

R. Diaconorum est 1. panem & vinum Sacerdoti sacrificanti immediate ministrare: 2. docere sollemniter populum, ubi id ab Episcopo specialiter jussi fuerint: 3. baptizare sollemniter ex commissione Presbyteri, & eo absente: 4. Eucharistiam in casu necessitatis administrare: scilicet officia illa sive in jure Canonico, sive in Pontificali Romano Diaconis tribuuntur.

§. IV. *De Subdiaconatu.*

1. *Q.* Subdiaconatus quomodo definitur?

R. Definitur; *Ritus sacer quo datur potestas legendi sollemniter Epistolam, & proxime inserviendi Diacono qui intra missarum sollemnia Presbytero ministrat*: idque innuit ipsa *Subdiaconi* appellatio.

2. *Q.* Subdiaconatus estne Ordo Sacer?

R. Est, & quidem 1. *Ordo*: tum quia per eum, datur potestas spiritualis per respectum ad Eucharistiam: tum quia ita docet Concilium Tridentinum sess. 23. Est 2. Ordo *Sacer*, tum quia propius accedit ad altare, dum offertur Missæ sacrificium, tum etiam quia per eum datur potestas vasa sacra contingendi: tum quia cælibatus jugo subjicitur. Tum denique quia sic docet idem Concilium sess. 23. *Nam* (inquit *cap.* 2.) *Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus, & sacris Conciliis refertur.*

3. *Q.* Subdiaconatus estne ex institutione divina?

R. Non est. Nam 1. nullus ex Patribus id asseruit. 2. Tantum abest ut Patres id asseruerint, quin expresse negetur ab Urbano Papa II. in Concilio Beneventano, apud Yvonem, Decreti part. 5. cap. 71. ubi sic loquitur: *super his solis* (Presbyteratu, & Diaconatu) *præceptum Apostolicum habemus: Subdiaconos vero, quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus.*

4. *Q.* Subdiaconatus estne proprie dictum Sacramentum Novæ legis?

R. Non est. Ita Estius & plures alii: nec immerito: Nam 1. Subdiaconatui deest (ut ostensum fuit) institutio divina. 2. Non producit gratiam sanctificantem: nempe nullus ex veteribus id asseruit. 3. Subdiaconatus (saltem apud Latinos teste Concilio Carthaginiensi IV.) nusquam per impositionem manuum datus est, at Patres cum de ordinibus agunt post Scripturam, soli ritui materiali, qui sit impositio manuum, adscripserunt vim & virtutem producendi gratiam sanctificantem.

Obj. 1. Subdiaconatus producit characterem: non enim potest iterari: ergo est Sacramentum.

R. Nego ant. Quod enim Subdiaconatus non

non iteretur, oritur ex Ecclesiastica lege per quam etiam fit, ut prima Tonsura Clericalis non iteretur.

Obj. 1. Subdiaconatui annexa est lex cælibatus: ergo est Sacramentum.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est, quia subdiaconis, aliquot sæculis licitum fuit uti uxoribus ante ordinationem ductis: unde quod jam servent cælibatum, id oritur ex Ecclesiastica lege. Vide Gregorium Magnum libro 1. Epistola 42.

Obj. 3. Subdiaconatus a Concilio Tridentino refertur ad Ordines Majores; ergo est Sacramentum.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est quia Subdiaconatus id dignitatis non habet, quod sit Sacramentum, sed ex Ecclesiæ disciplina; unde per annos mille apud Latinos, ad Minores Ordines relatus fuit, & nunc etiam refertur apud Græcos: nempe eis ad cancellos sacros quibus altare clauditur, aditus apud Græcos non patet.

Obj. 4. Omnis Ordo est Sacramentum: scilicet Concilium Tridentinum sessione 23. c. 3. & canone 3. definiit, Ordinem indefinite & in genere sumptum, esse proprie dictum Novæ legis Sacramentum: *Si quis dixerit* (inquit) *Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum.... anathema sit*: ac proinde de omnibus in specie Ordinibus intelligi debet.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est, quia satis est, ut locum habeat Concilii definitio, quod aliquis Ordo sit vere ac proprie Sacramentum: hoc est; sacra Synodus Ordinem sumit in abstracto: idque contra Lutheranos qui contendebant, nullum ex septem Ordinibus, ne ipsum quidem Presbyterum, esse vere ac proprie dictum Sacramentum Novæ legis, nullum esse ex institutione divina, nullum producere gratiam sanctificantem: idque non obscure innuunt quæ adduntur in canone 3. ubi postquam definitum est Ordinem esse Sacramentum, hæc quæ Lutherani propugnabant, rejiciuntur: *Vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit.*

5. *Q.* Quis est minister Subdiaconatus.

R. Minister Ordinarius est solus Episcopus: nempe Conc. Trident. definiit Ordinationis ministrum esse solum Episcopum. Verum de ministro extraordinario, res non est ita certa: scilicet Abbates Cistercienses proferunt Bullas quibus fit eis facultas subditis sibi Monachis Subdiaconatum conferendi. Nec id mirum est: si enim Subdiaconatus Ecclesiæ soli suam institutionem debeat, potest Ecclesia Abbatibus benedictione consecratis munus illum conferendi committere.

§. V. *De Minoribus Ordinibus.*

1. *Qu.* Minores (ut vocant) Ordines, quomodo definiuntur?

R. Definiuntur: *Ritus per quos datur potestas spiritualis inserviendi sub ministris majoribus ad ea quæ ad decentem Eucharistiæ aut conficiendæ, aut distribuendæ cultum conferunt.*

2. *Q.* Quæ sunt materia, & forma Ordinum Minorum?

R. Sunt in genere signa sensibilia per quæ Ecclesia convenientem eis potestatem tribuit.

3. *Q.* Quis est minister Ordinum Minorum?

R. Ordinarius est solus Episcopus: quia, ex Concilio Tridentino, solius est Episcopi Ordines conferre. Extraordinarius vero est Presbyter, licet Episcopali charactere non sit insignitus. Scilicet Presbyteri Cardinales facultatem habere dicuntur, ut in Ecclesiis, quarum habent titulum, Minores Ordines conferant. Idem munus sibi ab Apostolica Sede concessum fuisse Abbates Cistercienses contendunt.

4. *Q.* Quibus hominibus conferri debent Ordines Minores?

R. Mandari debet executioni præceptum quod hisce verbis in Concilio Tridentino sessione 23. capite 11. legitur: *Cumque hinc* (de Minoribus loquitur) *ad altiores gradus & sacratissima mysteria sit ingressus; nemo iis initietur, quem non scientiæ spes Majoribus Ordinibus dignum ostendat.*

5. *Q.* Minores Ordines suntne proprie dicta Novæ legis Sacramenta?

R. Non sunt, quidquid in contrarium dicant Thomistæ nonnulli. Ratio est, quia non sunt ex institutione divina: unde (ut mox dicetur) solus Lectoratus est in usu apud Græcos, idque a mille & amplius annis. 2. Nemo ex veteribus asseruit, per eos dari Spiritum sanctum, seu produci gratiam sanctificantem. 3. Spiritualem characterem non imprimunt: quod enim non iterentur, oritur ex Ecclesiastica lege.

6. *Q.* Quot sunt apud Latinos Ordines Minores?

R. Sunt quatuor: *Acolythatus* nimirum, *Exorcistatus*, *Lectoratus*, *Ostiariatus*: de his autem hæc habet Concilium Tridentinum sess. 23. c. 2. *Et ab ipso Ecclesiæ initio, sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria.... Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur.*

7. *Q.* Quot sunt apud Græcos Ordines Minores?

R. Unus tantum, scilicet Lectoratus. Ratio est quia nullum alium præter Lectoratum recensent Pontificalia, seu Ritualia, seu Euchologia, quibus a duodecim sæculis, non reclamante Ecclesia Romana, Orientales utuntur.

8. *Q.*

8. *Q.* Quomodo quatuor Minores Ordines conferunt ad Eucharistiæ seu conficiendæ, seu dispensandæ decentem cultum?

R. Acolythatus offert Subdiacono urceolos qui vinum consecrandum, & aquam ei immiscendam continent; ac præterea cereos defert & accendit, quibus Ecclesia utitur in celebratione Missæ. Exorcistatus per exorcismos depellit dæmones ab iis qui ad Eucharistiam accessuri sunt, aut interfuturi Missæ sacrificio. Lectoratus, per sacram lectionem fideles parat, ut tum audiendæ Missæ, tum recipiendæ Eucharistiæ idonei sint. Ostiariatus arcet infideles & excommunicatos, ne sacris mysteriis intersint; fores vero fidelibus aperit, ut ad Sacra admittantur. Deinde campanas pulsat, ut fideles ad Missam, Conciones, & officia divina convocet.

9. *Q.* Acolythatus quomodo definitur?

R. Definitur: *Ordo quo Clerici facultatem recipiunt urceolos offerendi Subdiacono, deferendi & accendendi cereos, dum sacrum mysterium peragitur.*

10. *Q.* Exorcistatus quomodo definitur?

R. Definitur: *Ordo quo datur potestas dæmones ab energumenis per Ecclesiæ exorcismos fugandi.*

11. *Q.* Lectoratus quomodo definitur?

R. Definitur: *Ordo quo datur potestas publice legendi in templis Scripturam & pios libros ad populi fidelis ædificationem.*

12. *Q.* Ostiariatus quomodo definitur?

R. Definitur: *Ordo quo datur jus recludendi, & claudendi Basilicarum fores, & per campanarum pulsationem, populum fidelem ad divina officia vocandi.*

§. VI. *De Prima Tonsura.*

1. *Qu.* Quid est Tonsura Clericalis?

R. Definitur: *Cæremonia sacra, per quam quis ex laico fit Clericus.*

2. *Qu.* Tonsura estne Ordo?

R. Non est Ordo: neque enim per eam datur aliqua potestas spiritualis quæ ad Eucharistiæ sive confectionem, sive dispensationem referatur: est igitur mera ac simplex ad recipiendos Ordines Ecclesiastica dispositio.

3. *Q.* Quis est Tonsuræ minister?

R. Ordinarius est solus Episcopus; & quidem *Proprius*: Extraordinarius vero, is est qui ad officium hujusmodi specialiter a Romano Pontifice committeretur: an autem ex privilegio, potestas conferendi Tonsuram alicui non Episcopo concessa sit, diximus agentes de ministro Ordinum Minorum.

4. *Q.* Quotuplex est *proprius* Episcopus?

R. Triplex, Ordinis nimirum, Beneficii, & Domicilii: in Galliis tamen passim non habetur ratio sive Beneficii, sive Domicilii, sed Originis tantum: ita etiam ut natus in una Diœcesi, & baptizatus in alia, litteras dimissorias ab Episcopo in cujus diœcesi natus est, non autem ab Episcopo in cujus Diœcesi baptizatus sit, recipere teneatur.

5. *Q.* Prima Tonsura Clericalis estne in usu apud Græcos.

R. Non est in usu: scilicet (ut ex Græcorum Euchologiis constat) laici apud Græcos fiunt Clerici immediate per Lectoratus receptionem.

6. *Q.* Quibus laicis conferri debet prima Tonsura Clericalis?

R. Iis de quibus Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. *de reform.* hisce verbis loquitur: *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimentis edocti non fuerint; quique legere & scribere nesciunt, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

CAPUT X.

De Matrimonio.

Nota. Matrimonium considerari potest vel prout est Naturalis & Civilis Contractus, vel prout est Novæ legis Sacramentum. De Matrimonio sub illa duplici consideratione sumpto hic a nobis est agendum.

§. I. *De Existentia, Materia, Forma & Auctore contractus Matrimonii.*

1. *Qu.* Matrimonium prout est Contractus Naturalis & Politicus, quomodo definitur?

R. Definitur; *Actio per quam vir & mulier corporum suorum dominium ad actum conjugalem sibi invicem tradunt & accipiunt.* Scilicet posita illa actione ponitur Matrimonii contractus, & ea sublata penitus tollitur.

Obj. 1. Matrimonii contractus positus est in mutuo Jure ad actum conjugalem: ergo non in actione per quam, &c.

R. Nego ant. Nam 1. quamvis per adulterium unius e conjugibus tollatur jus ad actum conjugalem, Matrimonium tamen non dissolvitur. 2. Jus ad actum conjugalem est effectus contractus Matrimonialis: ideo enim jus illud est inter duos, quod contractus præcesserit.

Obj. 2. Eugenius Papa IV. in Decreto pro instructione Armenorum docet caussam efficientem Matrimonii esse mutuum partium consensum: ergo non est actio per quam datur & accipitur dominium corporum in ordine ad actum conjugalem.

R. Dist. ant. Esse caussam efficientem Matrimonii sumpti secundum effectum: hoc est, *vinculum*; quod ex contractu resultat, conc. ant.

ant. Sumpti secundum *essentiam*, de qua hic agitur, nego ant.

2. *Q.* Quæ est materia *Ex qua* constat Matrimonii contractus?

R. Est mutuus nubentium consensus, quia contractus ex illo consensu *intrinsece* componitur.

3. *Q.* Quodnam est objectum consensus Matrimonialis?

R. Est 1. traditio proprii corporis, & acceptatio alieni in ordine ad actum conjugalem. Hinc vero sequitur non fore Matrimonium inter eos qui sibi invicem propria corpora traderent ad officia omnino alia ab officio, seu actu conjugali. Est 2. prolis generatio; quia ad eam *saltem implicite* Matrimonium ordinatur.

Obj. Inter Mariam Deiparam, & Josephum fuit verum Matrimonium: & tamen dici non potest quod Maria consenserit etiam implicite in prolis generationem: ille nimirum consensus repugnat perpetuæ virginitatis voto quod emiserat: ergo, &c.

R. 1. Dist. hanc antecedentis partem: Ille consensus repugnat perpetuæ Virginitatis voto, ubi præbens consensum certus non est per divinam revelationem, compartem non exacturam debitum, conc. ant. ubi est certus, nego ant. At Maria ejusmodi certitudinem habuit, quando cum Josepho contraxit, seu cum tradidit illi sui corporis dominium. *Vide* sanctum Augustinum in libro de sancta Virginitate, cap. 24.

R. 2. Argumentum est de non supponente, supponit enim Beatam Mariam Virginem emisisse perpetuæ Virginitatis votum, antequam cum Josepho nuberet: id tamen non est omnino certum: nempe sanctus Thomas docet votum illud non fuisse emissum, nisi post nuptias cum Josepho, idque (ut ait idem sanctus Doctor) de consensu Josephi cum quo jam contraxerat.

4. *Q.* Quæ est materia *Circa quam* contractus Matrimonialis?

R. Sunt propria conjugum corpora: quia per contractum Matrimonialem dantur & acceptantur.

5. *Q.* Quæ est forma essentialis Contractui Matrimoniali?

R. Sunt hæc verba, aut alia quæ æquivaleant: *Accipio te in meam. Accipio te in meum*: Ratio est, quia ea verba, aut signa æquivalentia, servatis servandis, mutuum exprimunt consensum in mutuam corporum traditionem & acceptationem in ordine ad actum conjugalem.

6. *Q.* Quis est Auctor Contractus Matrimonialis?

R. Deus ipse. Scilicet Adamum & Evam arctissima societate conjunxit in ordine ad prolis generationem, impertita eis per hæc verba fecunditate: *Crescite & multiplicamini*. Unde Adamus Genes. 2. hæc protulit spiritu prophetico: *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una.*

7. *Q.* Quot sunt proprietates Contractus Matrimonialis?

R. Sunt tres: Unitas, cui repugnat Polygamia; Indissolubilitas quæ opponitur dimissioni ac separationi; & tandem in aliquo casu necessitas, quæ opponitur libertati non contrahendi. Sed hæc exponenda sunt in responsis ad quæsita quæ subsequuntur.

§. II. *De Proprietatibus Contractus Matrimonii.*

1. *Qu.* Polygamia *Simultanea*, seu qua quis plures simul uxores habeat, estne *Divino* jure prohibita?

R. Est. Nam 1. Christus Lucæ 16. declarat adulterii reum esse, qui uxore dimissa cum alia contraxerit: *Quicumque* (inquit) *dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur*. 2. Concilium Tridentinum sessione 24. canone 1. eos omnes anathemate damnat qui contenderint nulla *Divina* lege viro prohibitum esse plures simul uxores habere.

2. *Q.* Polygamia *Simultanea ex parte Viri*, estne *Jure Naturali* prohibita?

R. Bellarminus, nonnullique alii censent non esse *Jure Naturali* prohibitam. Ratio est, quia Patriarchæ cum pluribus uxoribus simul nupserunt, Deo sic permittente, eo quod tunc populus fidelis esset carnali generatione propagandus: *Unde* (ut ait Augustinus) *peccatum non erat, quando mos erat*.

3. *Q.* Polygamia *Simultanea ex parte mulieris*, estne jure naturali prohibita?

R. Est; quia adversatur primario fini Matrimonii, seu prolis generationi: unde nusquam in usu fuit apud populum fidelem, immo nec apud Gentes, quamvis Plato in ideali sua Republica eam conatus sit legibus stabilire.

4. *Q.* Polygamia *Successiva* estne *aliquo* jure prohibita?

R. Non est *aliquo* jure prohibita: nempe Paulus 1. ad Corinth. 7. de non nuptis & viduis hæc ait: *Quod si non se continent, nubant*. 2. Ecclesia proscripsit Montanistas, quod olim secundas nuptias damnarent.

Obj. 1. Secundæ nuptiæ inducunt irregularitatem. 2. Concilium Neocæsariense pœnitentiam satisfactoriam imponit secundo nubentibus. 3. Sacerdos ab Ecclesia prohibetur, ne benedicat secundas nuptias. Sed hæc probant secundas nuptias esse jure, saltem *Ecclesiastico*, prohibitas: ergo, &c.

R. Conc. maj. nego min. Nam 1. Irregularitas quæ nascitur ex secundis nuptiis non est *ex delicto*, sed *ex defectu significationis*: siquidem secundæ nuptiæ non exhibent perfecte

fecte Ecclesiæ unionem cum Christo, qui non duas, sed unam tantum sponsam sibi conjunxit. 2. Neocæsarienses Patres pœnam injunxerunt Bigamis, non quod crederent secundas nuptias *per se* esse peccatum, sed tantum *per accidens*, cum plerumque sint in iis qui secundo nubunt, in incontinentiæ & libidinis argumentum. 3. Prohibetur Sacerdoti, ne *eam benedictionis speciem* mulieri secundo nubenti impertiatur, per quam fecunditatem apprecetur, eo quod in primis nuptiis eam illi apprecatus sit.

5. *Q.* Contractus Matrimonii estne *quoad vinculum*, jure divino indissolubilis?

R. Distinguenda est quæstio: vel enim Matrimonium est *consummatum* per actum conjugalem, vel per eum actum non est consummatum, sed *ratum* tantum. Si primum, divino jure est prorsus indissolubile juxta illud Christi Matt. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, necnon & juxta illud Apostoli primæ ad Corinth. 7. *Mulier alligata est legi* (Matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit*. Si vero secundum, dissolvitur per sollemnem professionem in approbata Religione; ita nimirum definiit Concilium Tridentinum sessione 24. can. 6. Nec mirum; siquidem professio in approbata Religione, est in eo casu ex Ecclesiastica lege veluti quædam mortis species.

Obj. Christus Matthæi 19. a Judæis de repudio interrogatus, sic respondit: *Quicumque dimiserit uxorem suam*, NISI OB FORNICATIONEM, *& aliam duxerit, mœchatur*: ergo, adveniente fornicationis caussa, licitum est dimittere uxorem & aliam ducere, ac proinde in eo casu Matrimonium dissolvitur etiam quoad vinculum.

R. Conc. ant. nego conseq. Ratio est; quia exceptio *Nisi* conjungenda est solum cum priore membro responsionis Christi. *Quicumque dimiserit uxorem suam*, ita ut sensus sit eum qui uxorem a thoro in perpetuum, nisi ob fornicationem, dimiserit, reum se constituere: non est vero conjungenda cum posteriore ejusdem responsionis membro, *Et aliam duxerit*. ita ut licitum sit, caussa fornicationis adveniente, aliam uxorem ducere. Itaque Christus de repudio interrogatus respondit licitum illud esse adveniente fornicationis casu; inde vero occasionem sumit damnandi plurium Judæorum praxim, qui uxores quacumque fere ex caussa dimittebant: ac præterea prohibendi aliud inire Matrimonium, uxore etiam ob fornicationem dimissa vivente. *Vide* textum illum fuse explicatum in nostro Commentario Historico & Dogmatico de Sacramentis.

6. *Q.* Contractus Matrimonii legitime initus, estne quoad thorum indissolubilis?

R. Non est indissolubilis quoad thorum: ita enim post antiquos Patres Concilium Tridentinum definiit sessione 24. can. 4. Quænam autem sint præter fornicationem caussæ, propter quas Matrimonium, quoad thorum dissolvi possit, repetendum est ex Jure Canonico.

7. *Q.* Matrimonium estne aliquo Dei mandato præceptum?

R. 1. Initio mundi singulis hominibus jure naturali præceptum fuit: nempe ratio naturalis tunc præcipiebat speciei propagationem, quemadmodum præcipit conservationem individui per alimentorum usum. 2. Israelitis, quandiu populus fidelis exiguo erat numero, positivo jure divino præceptum fuit; quia carnalis generatio tunc via erat, per quam Dei populus propagandus erat. 3. In Nova lege liberum est omnibus qui continentiæ consilium capiunt: eos enim ad virginitatem Paulus hortatur; sed non ita est de iis qui idem continentiæ consilium non capiunt: scilicet post Adami peccatum, hominibus liberis, hoc est, nullo priore voto, aut impedimento irretitis, factum fuit, servatis tamen servandis, incontinentiæ remedium. Unde idem Paulus ait, *Quod si non se continent, nubant*.

§. III. *De Sollemnitatibus Contractus Matrimonii.*

1. *Q.* Quæ sunt Matrimonii, prout est Contractus Civilis, Sollemnitates?

R. Duplicis sunt generis: nonnullæ enim præcedunt contractum: Sponsalia nimirum, Proclamationes, & Consensus parentum: aliquæ vero ipsum comitantur, nempe Parochi, Testium, & amborum contrahentium præsentia.

2. *Q.* Sponsalia quomodo definiuntur?

R. Definiuntur, *Futuri Matrimonii mutua promissio acceptata, inter personas ad contrahendum habiles*.

3. Qui sunt Sponsaliorum effectus?

R. Sunt duo præcipui: primus est obligatio contrahendi conventum Matrimonium: Alter vero est impedimentum publicæ honestatis, quod ex eis oritur.

4. *Q.* Quot modis Sponsalia, etiam juramento firmata, dissolvi possunt?

R. Dissolvuntur 1. mutuo partium consensu: 2. per longiorem partis unius absentiam, ut est biennium: 3. per ingressum in Religionem: 4. per susceptionem Subdiaconatus: 5. per subsequentem fornicationem, idque in favorem solius partis innocentis: 6. per subveniens impedimentum affinitatis: 7. per gravem aliquam infirmitatem, aut deformitatem: 8. per capitales inimicitias quæ inter desponsatos oriantur.

5. *Q.* Quid sunt Proclamationes?

R. Sunt *futuri Matrimonii publica denuntiatio*.

6. *Q.* Proclamationes requiruntur ne necessario, ut Matrimonium valeat?

R. Non requiruntur necessario, nec etiam in iis locis ubi Concilii Trident. Decretum *de reformatione Matrimonii* fuit promulgatum: nec enim Sacra Synodus, cum de Proclamationibus agit, clausulam addit irritantem, sicut & eam addit, ubi declaravit Parochi & testium præsentiam requiri.

7. *Q.* Quis potest circa Proclamationes dispensare?

R. Episcopus: sed (ut ait Concilium Tridentinum) ex caussa, cujus tamen judicium ad illum spectat. In Galliis Episcopi passim & ordinarie non solent ab omnibus dispensare.

8. *Q.* Ut Matrimonium filiorum familias valeat, requiriturne parentum, aut tutorum consensus?

R. Licet requiratur, ut Matrimonium de quo agitur, sit licitum; tamen, spectato solo jure Concilii Tridentini, non requiritur ut valeat. In Galliis defectu consensus parentum, aut tutorum, Matrimonium filiorum familias in Supremis Curiis, seu (ut vocant) Parlamentis declaratur non valide contractum in ordine ad effectus Civiles. Hinc in Rituali Parisiensi anni 1597. pag. 355. hæc leguntur: *Quamvis vir qui quatuordecim, & feminæ quæ duodecim annos expleverint, Matrimonium possint valide contrahere; caveat tamen Parochus ne filios, aut filias familias juniores viginti quinque annis, etiam viduos vel viduas, Matrimonio conjungat sine consensu parentum vel tutorum, eorumque ad quos illorum cura pertinet.*

9. *Q.* Requiriturne, ut valeat Matrimonium, præsentia Parochi, aut alterius Sacerdotis ab eo, aut ab Ordinario deputati.

R. Requiritur ex vi Concilii Tridentini sessione 24. *de Reformatione*, capite 1. quod quidem quoad hoc executioni mandari jussit Edictum Blesense, promulgaruntque Synodi Provinciales quæ in Galliis post Oecumenicam Tridentinam celebratæ sunt.

10. *Q.* An, & quot testes requiruntur, ut Matrimonium valide contrahatur?

R. Duo saltem, aut tres requiruntur ex vi Concilii Tridentini: de cujus Decreto hæc habet Rituale Parisiense pag. 353. *Noverint in primis Parochi clandestina quælibet Matrimonia, & quæ aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Conc. Trid. Decr. irrita omnino ac nulla esse.* Obtinet in omnibus Galliarum Provinciis illa Conc. Trid. Sanctio.

§. IV. *De Impedimentis Contractus Matrimonii.*

1. *Q.* Quomodo definitur Matrimonii Impedimentum?

R. Definitur: *Aliquid praexistens, quod Matrimonium reddit aut invalidum, aut illicitum, aut utrumque simul.*

2. *Q.* Matrimonii impedimenta quotuplicis sunt generis?

R. Duplicis. Nempe nonnulla dicuntur *Dirimentia*, alia vero, *Impedientia* tantum: illa efficiunt, ne Matrimonium *valide* contrahatur; Ista vero reddunt quidem Matrimonium *illicitum*, sed non reddunt *invalidum*.

3. *Q.* Ecclesia potestne statuere Impedimenta Dirimentia?

R. Potest. Eo nimirum jure usa est semper (ut suse probavimus in Commentario nostro Historico & Dogmatico de Sacramentis) illudque jus ipsi etiam Principes in Ecclesia agnoverunt: unde Conc. Trid. sess. 24. can. 4. merito hocce anathema contra Lutheranos intorquet: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in eis instituendis errasse, anathema sit.*

4. *Q.* Quis potest dispensare circa impedimenta quæ Matrimonium dirimunt?

R. Nulla potestas humana valet dispensare in iis quæ juris sunt naturalis, ut inter filium & matrem: Sed Ecclesia potest dispensare in iis omnibus quæ sunt solius juris humani, scilicet ea omnia ab ipsamet Ecclesia statuta sunt.

5. *Q.* Ecclesia potestne dispensare circa impedimenta quæ in Levitico continentur?

R. Non potest in iis quæ juris sunt naturalis: potest vero in iis omnibus quæ erant juris cæremonialis tantum; quia, Lege Mosaica per Christum abrogata, præcepta cæremonialia quæ non sunt de jure naturali, desierunt habere vim ratione juris divini positivi.

6. *Q.* Quot sunt impedimenta Matrimonium Dirimentia?

R. Sunt quindecim, quæ hisce versibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Amens, Affinis, si Clandestinus, & Impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

Non patitur hujusce Compendii brevitas, ut hic quindecim illa impedimenta explicentur; sed de iis vide prolixius aliud opus nostrum, aut Rituale Parisiense pag. 346. & nonnullis aliis subsequentibus.

7. *Q.* Quot & quæ sunt Impedimenta non Dirimentia?

R. Sunt quinque, quæ hisce versibus continentur:

Eccle-

Ecclesiæ votum vetitum, necnon tempus feriatum.

Atque Catechismus, Sponsalia, jungito votum.

Illis vero versibus ostenditur præcipua impedimenta non dirimentia, ad ista reduci; Votum simplex castitatis, religionis, & non ducendi uxorem; Tempus ab Ecclesia prohibitum, Adventus scilicet & quadragesima; Sponsalia valide cum alio contracta.

§. V. *De Matrimonio prout est Sacramentum.*

1. *Q.* Matrimonium estne proprie dictum Sacramentum Novæ legis?

R. Est. Ita enim definiit Conc. Trid. contra Calvinistas & Lutheranos sess. 24. can. 1. *Si quis* (inquit) *dixerit, Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.*

2. *Q.* Quibus argumentis probari potest, Matrimonium esse Sacramentum Novæ legis?

R. Probari potest 1. ex unanimi utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis consensu: 2. ex sanctis Patribus: nempe S. August. in lib. de bono conjugali c. 24. Matrimonium comparat cum Baptismo & Ordinatione. Innoc. Papa 1. in epist. 9. docet, Matrimonium divina gratia fundari: 3. ex eo quod sit ritus sensibilis gratiam (ut mox dicetur) ex institutione divina conferens.

3. *Q.* Quis Matrimonii, ut est Sacramentum, est auctor?

R. Christus ipse qui omnino & singulorum Novæ legis Sacramentorum est auctor, ut suo loco probatum est.

4. *Q.* Quandonam Christus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit?

R. Evexit, aut cum in Cana Galilææ benedixit nuptiis, aut cum Matthæi 19. dixit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

5. *Q.* Cur Christus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit?

R. Evexit, ut (inquit Conc. Trid. sess. 24.) naturalem conjugum amorem perficeret, præberetque vires quibus Conjugati sancte Matrimonio uterentur: eam vero Matrimonii perfectionem ipse sua passione promeruit: *Quod* (ait ibidem Conc. Trid.) *Paulus Apostolus innuit dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: mox subjungens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

6. *Q.* Quæ est materia Sacramenti Matrimonii?

R. Est legitimus contractus inter nubentes initus: quia contractus ille, accedente forma, gratiam sanctificantem producit.

7. *Q.* Quæ est forma Matrimonii, prout est Sacramentum Novæ legis?

R. Sunt hæc vel similia verba a legitimo ministro prolata: *Ego vos in Matrimonium conjungo*: scilicet 1. per ea verba confertur gratia sanctificans: datur vero, *Accedente* (inquit Coloniensis Synodus anno 1536. celebrata) *Sacerdotali precatione.* 2. Eadem verba clare exprimunt indissolubilem Matrimonii nexum: hunc enim sensum habent ex Sylvio: *Ego Sacramentum conjunctionis vobis impertior; & quantum in me est, ex potestate mihi concessa, non corpore solum, sed & animo vos conjungo.*

8. Q. Quis est minister Matrimonii, prout est legis Novæ Sacramentum?

R. Solus Sacerdos. Ita nimirum docent Melchior Canus, Estius & Sylvius. Ratio est 1. quia ipse solus profert hæc verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo*: quæ quidem (ut diximus) sunt hujusce Sacramenti forma. 2. Sic vocatur a Patribus Concilii Cameracensis, quod anno 1567. celebratum est: *Admonendos* (inquiunt) *esse duximus Parochos hujus* (Sacramenti) *ministros.* 3. Sanctus Carolus in Actis Ecclesiæ Mediolanensis par. 4. §. 1. expresse docet, Matrimonii administrationem ad Sacerdotem pertinere. 4. Patres, gratiæ Matrimonialis productionem adscribunt benedictioni quâ Sacerdos nubentibus impertitur. ergo, &c.

Obj. Omne Matrimonium, validum in ratione contractus, est Sacramentum: siquidem Concilium Tridentinum, cum definit Matrimonium esse Sacramentum Novæ legis, loquitur de omni Matrimonio valido: atqui omni Matrimonio, valido in ratione contractus, non adest Sacerdos: valent enim Matrimonia clandestina iis in locis, in quibus promulgatum non est Concilium Tridentinum, aut in quibus non sunt contrariæ leges quæ irrita faciant hujusmodi Matrimonia: ergo, &c.

R. Ad 1. neg. ant. Ad 2. nego pariter antecedens: loquitur enim Concilium de Matrimonio quod a legitimo ministro fuerit celebratum: ac proinde de eo tantum quod Sacerdos contulerit: nempe, ex eodem Concilio, Sacerdos hæc debet verba proferre: *Ego vos in Matrimonium conjungo.*

9. *Q.* Quinam & quot sunt Matrimonii ut Sacramentum est, effectus?

R. Duo sunt: gratia sanctificans, quæ per singula Novæ legis Sacramenta producitur: & jus quoddam ad auxilia actualia, quæ necessaria sunt, ut Conjuges pie utantur Matrimonio, ut prolem religiose educent, ut constanti affectu sese in Christo prosequantur. Vide Augustinum in libro 9. de Genesi ad litter. cap. 7.

CAPUT XI.

De Indulgentiis.

1. *Quæst.* Indulgentia quomodo definitur?

R. Definitur, *Absolutio aucto-*

ritate

ritate Clavium a pœna injuncta, vel injungenda & Deo debita.

2. *Q.* Indulgentia quomodo dividitur?

R. Dividitur in plenariam, & non plenariam. Illa absolvit a tota pœna Canonibus injungenda: Ista vero, a parte tantum.

3. *Q.* Quis est auctor Indulgentiarum?

R. Christus ipse: scilicet facultatem fecit Ecclesiæ Indulgentias concedendi; cum Matthæi 18. sic Apostolos allocutus est: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: Et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*,

4. *Q.* Quis est Indulgentiarium minister?

R. Est Summus Pontifex in tota Ecclesia, & Episcopi in suis Diœcesibus: *Episcopum* (inquit Ancyrana Synodus canone 5. ubi de Indulgentiis agit) *hanc habere licentiam oportet:* idem asserit Concilium Nicænum 1. Can. 1. *Licebit Episcopo &c.*

6. *Q.* Quodnam est subjectum capax Indulgentiarum?

R. Sunt homines viventes baptizati: in eos enim solos Ecclesia potest Jurisdictionem exercere.

Obj. Conceduntur Indulgentiæ pro defunctis: ergo, &c.

R. Conc. ant. nego conseq. Siquidem non alio quam *suffragii* modo, Indulgentiæ defunctis prosunt: viventibus econtra per modum absolutionis.

6. *Q.* Indulgentiæ sesene extendunt ad pœnas temporales in altero sæculo peccatis quoad culpam dimissis debitas?

R. Se extendunt: juxta illud Evangelii, Matt. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

7. *Q.* Unde sumitur Indulgentiarum quantitas?

R. Ex triplici capite. 1. Ex caussa propter quam dantur: dissipator enim est qui eas sine caussa dispensat: 2. ex operis injuncti proportione cum pœna quæ remittitur, scilicet qui propter opus leve amplissimas Indulgentias largitur, non recte utitur dispensandi facultate: 3. ex majore, vel minore fervore caritatis ex parte subjecti: nempe Concilia jubent ut cum pœnitentibus qui suum fervorem operibus probarunt, humanius agatur, quam cum iis qui segniter pœnitentiæ laboribus perfuncti fuerint.

8. *Q.* Unde petitur Indulgentiarum virtus?

R. Ex ipsiusmet Christi meritis; neque enim aliud sunt Indulgentiæ, quam Christi meritorum per modum solutionis applicatio. Nituntur quoque meritis quæ Sancti per Christi merita compararunt: idque patet ex Extravagante Clementis VI. quæ incipit, *Unigenitus.*

9. *Q.* Quid requiritur ex parte subjecti, ut lucretur indulgentias?

R. In eo qui culpæ reus est, requiritur 1. Contritio: neque enim (ut patet ex Cypriano) aliis concedebantur Indulgentiæ, quam iis qui suam contritionem probaverant. 2. Requiritur in omnibus executio operis ab eo qui concedit Indulgentias injuncti, in illud enim opus concedens mutat pœnam peccato alioquin debitam. 3. Requiritur status gratiæ sanctificantis, eo instanti, quo quis ex injunctis operibus ultimum exequitur: neque enim pœna dimittitur, antequam culpa remissa fuerit.

10. *Q.* Indulgentiæ eximuntne lapsos ab omni prorsus satisfactione persolvenda?

R. Non eximunt eos qui nolunt, cum tamen possunt, convenientem satisfactionem persolvere; ad eam enim post baptismum lapsi jure divino tenentur: unde iis præsertim prosunt, quorum (ut ait Cyprianus) pœnitentia satisfactioni proxima est: iis quoque qui cum satisfaciendi propositum habeant, id aut præ infirmitate, aut præ temporum angustiis non possunt. Vide Cyprianum in libro *de Lapsis.*

11. *Q.* Quid Concilium Tridentinum de Indulgentiis docet?

R. Docet 1. Christum Ecclesiæ fecisse potestatem eas concedendi: 2. earum usum esse in Ecclesia retinendum: 3. utiles esse eas populo fidei: 4. in iis concedendis veterem & probatum usum servari debere: sic enim sacra Synodus loquitur sess. 25. Titulo de Indulgentiis: „Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.

CAPUT XII.

De Censuris.

1. *Qu.* Censura quomodo definitur?

R. Definitur: Pœna, qua in vindictam alicujus peccati fideles bonis aliquibus spiritualibus aut officiorum exercitio, in foro exteriori privantur.

2. *Q.* Quotuplex est Censura?

R. 1. Alia est a jure: alia vero ab homine. Prima continetur aut in Conciliis, aut in Jure Canonico: altera vero fertur ab aliquo singulari superiore.

2. Alia

2. Alia est *lata sententia*: alia *ferenda*. Prior, eo ipso incurritur, quo peccatum commissum est, etsi nulla Judicis sententia ille qui peccavit, declaretur reus: posterior e contra non incurritur, nisi peccato commisso, Judicis accesserit sententia.

3. Q. Quis est Censurarum auctor?

R. Christus ipse, scilicet hisce verbis Matthæi 17. *Amen dico vobis; quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

4. Q. Quis potest Censuras ferre?

R. 1. Ecclesia in Conciliis: 2. Romanus Pontifex in tota Ecclesia, servatis servandis: 3. Episcopi in suis Diœcesibus: 4. tandem, jure Ecclesiastico, ii omnes quibus in exteriori foro Ecclesia Jurisdictionem contulit.

5. Q. Quæ est materia Censurarum? seu quæ est caussa propter quam ferri potest Censura?

R. Est peccatum grave exterius, & actu commissum: quia Censura est pœna publica; publica autem pœna nonnisi propter grave exterius peccatum infligi potest.

6. Q. Quodnam est subjectum Censurarum?

R. Est quilibet homo qui Baptismate fuerit initiatus; quia est subditus Ecclesiæ.

7. Q. Censuræ suntne necessariæ?

R. Sunt: tum ut illarum metu justi in officio contineantur: tum etiam ne oves scabiosæ ceteris noceant.

8. Q. Quot sunt Censurarum species?

R. Tres tantum: Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

9. Q. Quotuplex est Excommunicatio?

R. Duplex: Major & Minor. Major, est ea per quam Christianus privatur omnibus, ac singulis bonis quæ Ecclesiæ corpori communia sunt. Minor vero est ea, quam aliquis incurrit ex communione cum excommunicato qui expresse denuntiatus fuerit.

10. Q. Qui sunt effectus Excommunicationis Minoris?

R. Privat 1. Jure, non quidem conferendi, sed recipiendi Sacramenta. 2. Reddit subjectum inhabile ad electionem passivam sive ad beneficia, sive ad dignitates Ecclesiasticas: non ita tamen ut electio fit *ipso facto* nulla, sed irritanda per sententiam Judicis.

11. Q. Quæ caussæ excusant eos qui cum excommunicato communicant?

R. Quinque, hocce versu comprehensæ: *Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.*

12. Q. Quid est Suspensio?

R. Est Censura per quam in gravis delicti pœnam Clericus, aut ordinis, aut beneficii, aut officii Clericalis usu prohibetur.

13. Q. Quotuplex est Suspensio?

R. Alia est totalis, alia vero partialis. Alia est in perpetuum; & alia fertur ad tempus.

14. Q. Quid est Interdictum?

R. Est Censura, per quam Sacramentorum dispensatio, publica celebratio divinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ usus prohibentur.

15. Q. Quotuplex est Interdictum?

R. Triplex: Personale, Locale & Mixtum. Personali, quibusdam personis usus Sacramentorum, officiorum divinorum, Ecclesiasticæ sepulturæ, *ubique* prohibetur. Locali, vetatur ille usus in *aliquo* determinato loco. Mixtum, personas & locum complectitur.

CAPUT XIII.

De Irregularitate.

1. Q. Irregularitas quomodo definitur?

R. Definitur: *Impedimentum Canonicum Ordines aut suscipiendi, aut susceptos exercendi*: sed advertendum *Ordines* hic sumi late, pro ipsa etiam Tonsura Clericali: immo & pro beneficiis Ecclesiasticis.

2. Q. Quot sunt Irregularitatis species?

R. Duæ sunt tantum: ex defectu nimirum, & ex delicto: quia caussæ ex quibus oritur, duæ sunt tantum, defectus scilicet & delictum.

3. Q. Quinam sunt defectus ex quibus irregularitas oritur?

R. Sunt novem, quorum quinque priores sunt spirituales, ceteri vero corporales. Illi sunt, defectus Rationis, Famæ, Lenitatis, Libertatis, Significationis: isti vero sunt defectus Natalium, Ætatis, & Membrorum.

4. Q. Ex quibus delictis oritur Irregularitas, quæ *ex delicto* dicitur,

R. Est 1. hæresis vel apostasia a fide: 2. illicita mutilatio, aut homicidium: 3. indebita Ordinis alicujus susceptio, aut exercitium: 4. Ordo quo quis caret, exercitio mandatus: 5. Baptismus semel validus, iterato datus, aut receptus.

4. Q. Homicidium casuale paritne Irregularitatem?

R. Parit 1. si debita ad vitandum homicidium diligentia adhibita non fuerit: 2. cum accidit ex opere illicito, sive in se, sive ratione status.

6. Q. Qui dubius est an ad homicidium, aut mutilationem contulerit, qua ratione se se gerere debet?

R. Debet se gerere tamquam irregularem: quia in dubiis semitam debemus eligere tutiorem.

7. Q. Quomodo Irregularitates tolluntur.

R. Tolluntur 1. per cessationem defectus, ex quo oriebantur. 2. Ex omnes quæ nascuntur ex delicto, aut ex defectu lenitatis, tolluntur per Baptismum. 3. Per Professionem in approbata Religione tollitur ea quæ ori-

oritur ex fatalium defectu. 4. Per dispensationem: exceptis tamen iis, quæ nascuntur ex corporis defectu, ratione cujus subjectum sit incapax præcipui muneris alicujus Ordinis.

8. Q. Quis potest in Irregularitatibus dispensare?

R. Solus Pontifex Maximus dispensat in iis quæ nascuuntur ex defectu: Episcopi vero in iis quæ oriuntur ex delicto, modo tamen sit occultum, nec ad forum contentiosum deductum fuerit: excipiendum est tamen homicidium voluntarium, etiamsi fuerit occultum: scilicet apud Francos est in usu hocce Concilii Tridentini Decretum sess. 24. cap. 6. de Reform. *Liceat Episcopis, in Irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.*

CAPUT XIV.

De Monitorio in finem revelationis.

1. *Quæst.* Quid est Monitorium in finem revelationis?

R. Est Mandatum quo sub excommunicationis interminatione Ecclesia jubet factum aliquod occultum revelari.

2. Q. A quo potest concedi Monitorium in finem revelationis?

R. A solo Episcopo. Nempe Concilium Tridentinum sess. 24. *de Reformat. cap.* 3. vetat ne excommunicationes illæ, quæ Monitoriis ad finem revelationis præmissis fieri solent, seu pro amissis, seu pro subtractis rebus, aut aliis hujusmodi caussis, a nemine prorsus præter quam ab Episcopo decernantur.

3. Q. Monitorium in finem revelationis debetne ex levi caussa ab Episcopo concedi?

N. Non debet: unde Concilium Tridentinum vetat 1. ne concedatur nisi ex re non vulgari, caussasque diligenter ac magna maturitate per Episcopum discussa. Vetat 2. ne Episcopus ad illud concedendum per vim majorem adducatur; jubet e contra ut totum hoc in ejus conscientia & arbitrio sit positum.

4. Q. Monitorium in finem revelationis ligatne populum fidelem in conscientiæ foro?

R. Ligat. Scilicet populus Ecclesiæ præceptis parere tenetur. Unde si fideles Parochiæ, in qua Monitorium promulgatur, non paruerint, peccabunt graviter, immo si contumaces fuerint, in excommunicationem latæ sententiæ post tertiam monitionem incurrent; tenebunturque ad restitutionem damni quod ex non revelatione secutum est.

5. Q. Quinam eximuntur a revelatione post promulgatum in finem revelationis Monitorium?

R. Revelare non tenentur. 1. qui cum fundamento timent ne ob revelationem male, & quidem graviter, aut in persona, aut in fortunæ bonis tractentur. 2. Non tenentur quoque Clerici, quoties ex denuntiatione supplicium mortis sequi potest; nisi tamen quæstio sit de notabili Reipublicæ bono: 3. cum agitur de morte, aut gravi infamia, revelare non tenentur consanguinei, affines in primo & secundo gradu: 4. tandem nec hi, a quibus consilium postulatum fuerit.

6. Q. Quæ sunt Parochi partes, cum de Monitoriis in finem revelationis agitur?

R. Parochorum partes sunt 1. ut ante illorum impetrationem, populum ad revelationem hortentur: 2. ut eumdem populum doceant funestos excommunicationis effectus: 3. ut moneant Episcopum, si graves rixæ ex Monitorii promulgatione suboriri debeant.

FINIS.

INDEX

RERUM ET PERSONARUM.

Numerus Romanus Tomum, Arabicus paginam notat.

A

Cen-

D

H

In

Juſti-

Pa-

P

Q

R

Cau-

Sim-

T

H

In

Jufti-

Pa-

P

Cust-

T

dici

F I N I S.







